MONVMENTA
GERMANIAE
HISTORICA

INDE AB ANNO CHRISTI QVINGENTESIMO
VSQVE AD ANNVM MILLESIMVM
ET QVINGENTESIMVM

EDIDIT

SOCIETAS APERIENDIS FONTIBVS
RERVM GERMANICARVM MEDII AEVI

EPISTOLAE SAECVLI XIII
E REGESTIS PONTIFICVM ROMANORVM SELECTAE

TOMVS II.

BEROLINI
APVD WEIDMANNOS
MDCCCLXXXVII

EPISTOLAE SAECVLI XIII

E REGESTIS

PONTIFICVM ROMANORVM

SELECTAE PER

G. H. PERTZ.

EDIDIT

CAROLVS RODENBERG.

TOMVS II.

BEROLINI
APVD WEIDMANNOS
MDCCCLXXXVII

Aulae Vimariensis officina typographica.

SOCIETAS APERIENDIS FONTIBVS RERVM GERMANICARVM MEDII AEVI

SANCTVS
AMOR PATRIAE
DAT
ANIMVM.

FRANCOFVRTI A. M.
XIII. KAL. FEBR. MDCCCXIX.

Alterum huius collectionis tomum edituri lectorem moneamus oportet, a prima eius parte longe diversam esse eius, quae nunc sequitur rationem. Nam cum primum has epistolas a Pertzio b. m. collectas edendi consilium caperetur et dum editio ipsa iam parabatur, aditus ad summorum pontificum Regesta nondum patebat, neque vero, postquam cum summa virorum doctorum laetitia et permagno horum studiorum fructu apertus est, illis uti licuit, ne absolutio suscepti operis nimis retardaretur. Accedit quod ad illius temporis epistolas edendas egregius Pertzii labor tantum non ab omni parte sufficiens erat; singula vero, quae dubium movebant, V. Cl. A. Mau ope sanari poterant. Iam vero V. Cl. E. Berger labore et industria effectum erat, ut omnia quae in Innocentii IV Regestis leguntur, nota fierent; sextus autem liber, quem Pertzius non attigerat, editori ipsi inspiciendus benigne transmissus est. Quo factum est, ut multa ad Pertzii collectionem addi, alia in adnotationibus commemorari possent. Bergerius autem, cum nova et nondum edita verbotenus libro suo insereret, ea quae iam alibi publici iuris facta erant, non repetiit; hoc igitur solo loco, quaecunque ex epistolis in Regestis illis contentis res imperii attingunt, et collecta et correcta lectori offeruntur.

Adiuverunt hanc editionem VV. DD. A. Mau et O. de Falke, qui epistolas integras e Regestis descripserunt, alias cum codicibus contulerunt; tum Eduardus Winkelmann et O. Holder-Egger, sodalis noster. Summae autem grates debentur V. Cl. Leopoldo Delisle, qui rogantibus nobis volumen pretiosissimum Parisiis huc transmisit, et prae ceteris Leoni XIII, Summo Pontifici, qui ingentes archivi Vaticani thesauros virorum doctorum curiositati patefecit.

Dabam Berolini Id. Dec. 1887.

W. Wattenbach.

PRAEFATIO EDITORIS.

Secundo quoque huius operis tomo nonnulla praemittere liceat, quibus ea, quae in praefatione primi de institutione et ordine Regestorum disseruimus, et augeantur et clarius illustrentur. Sed quia plurima, quae huic rei usui sunt, in libello nostro: 'Ueber die Register Honorius III, Gregors IX und Innocenz IV'[1] *fuse iam enarravimus, hoc loco ea tantum, quae ibidem post maturam omnium argumentorum examinationem statuimus, adiectis eis quae interim addidicimus, oratione brevi proponemus, de reliquis lectorem ad libellum nostrum remittentes. Ceterum, sicut loco citato, sic et hoc loco iterum monemus, ea, quae infra disceptaturi simus, ad sola Regesta Honorii III, Gregorii IX, Innocentii IV spectare.*

Regesta archetypa? *Pridem viri docti eiusdem omnes opinionis erant, scilicet Regesta, quae in archivo Vaticano conservantur, ex ipsis epistolis paparum, sive ex authenticis sive ex minutis earum, conscripta fuisse; nuper vero F. Kaltenbrunner*[2] *primus affirmavit ea apographa iam esse aliorum librorum perditorum, in quos epistolae primitus relatae essent. Quod ut sentiret, his causis permotus est: non singulas epistolas, prout registrandae allatae essent, in Regesta nostra esse transcriptas, quia neque scriptura neque tinctura inter se differrent, sed eadem manu multas semper sine intermissione exaratas esse, eundem scriptorem suum librum perficere solere, aliam vero manum in initio alius libri plerumque occurrere; cum membrana Regestorum per quaterniones distributa esset, in fine complurium librorum non quaternionem plenum sed tot circiter folia sumpta esse, quot litteris, quae registrandae superessent, necessaria fuissent; scripta ergo, ex quibus Regesta nostra confecta essent, bene fuisse parata et omnes epistolas registrandas diligenter collectas et compositas iam continuisse*[3]*, quia alio modo codices illi confici non potuissent. His scriptis librorum formam fuisse, Kaltenbrunner pro certo tenet. — Eisdem et similibus de causis P. H. Denifle*[4] *idem statuit; in primis vero praeterea attulit*[5] *ab Innocentio III duas epistolas commemoratas esse ut scriptas in Lib. II Regestorum suorum, quae in libro eodem, quamquam integer conservatus sit, non inveniantur. Unde coniecit aliud plenius exemplar Lib. II quondam extitisse, in quo hae epistolae scriptae fuissent; neque nos videmus, qua alia ratione fieri potuerit, ut eae ita citarentur*[6].

1) *N. A. t. X, p. 509—578.* 2) *Romische Studien I. in Mitth. d. Inst. f. osterr. Gesch. t. V, p. 215 et 223.* 3) *Sed restringitur res eis animadversionibus, quas infra p. VIII ad n. 2 et 3 proponemus.* 4) *Die päpstlichen Registerbände d. 13. Jahrh. etc. in Archiv f. Litt. u. Kirchengesch. t. II, p. 55 et sequ.* 5) *p. 60.* 6) *Sed omnes libros Reg. nostrorum apographa esse Denifle hucusque non contendit; l. c. p. 64.*

Sed huic coniecturae alia repugnant. 1) Nonnullae epistolae in Regesta nostra relatae sunt, antequam authentica earum e curia exierunt. Honorii III Reg. Lib. V, 1 ita correcta est, ut ex una epistola duae factae sint; aliis locis epistolae verbo Vacat *apposito cassatae sunt*[1]. *Hoc factum non est, postquam epistolae ipsae e curia missae sunt; tum enim eae non corrigi vel cassari poterant, sed aliis litteris eas revocari oportebat. Quod si quaedam epistolae tam brevi tempore, postquam ipsae exaratae sunt, in Regestis nostris extiterunt, ut haec ex eisdem epistolis emendari possent, eas partes Regestorum, in quibus id animadvertitur, non ex aliis libris sed ex ipsis epistolis scriptas esse apparet. 2) In nonnullis libris Innocentii IV epistolae ultimae inscriptionibus rubricatis carent*[2]. *Rubra illa non una cum reliqua scriptura fiebant, sed post eam ex praescriptionibus in margine positis addebantur. Epistolae igitur illae ultimae non rubricatae registratae esse videntur, cum rubra picta iam essent et liber pro finito haberetur; id quod eo magis veritatis speciem habet, quia etiam in Lib. I Inn. IV duae ultimae epistolae rubricatae post alias scriptae esse videntur, cum sicut Berger, Régistres d'Inn. IV. t. I, p. 128 annotavit, alia tinctura in eis appareat. Epistolae ergo registrandae nondum plene collectae erant, cum Regesta nostra scriberentur, quae res et ipsa probat ea non multo post epistolas registratas confecta esse; et illa additamenta, quae in eis animadverti possunt, non ex libris aliquibus, in quos epistolae registrandae semel iam relatae fuerint, mutuata, sed ex ipsis epistolis antea omissis facta esse consentaneum nobis videtur. 3) Litterae uniuscuiusque libri, quae appellatae sunt 'curiales', suos semper quaterniones habent. Si Regesta nostra apographa librorum fuerant, in quibus omnes epistolae registrandae collectae iam erant*[3], *quaeritur, qua de causa, cum litterae curiales scribendae essent, novus semper quaternio sumptus sit, etiamsi in ultimo quaternione 'litterarum communium' plura folia superessent vacua*[4]. *4) Quibusdam locis Regesta nostra ita correcta sunt, ut et mendorum et emendationum causa alia intelligi non possit, nisi quod registrator litteras notatas sive minutas non accurate scriptas vel correctas prae oculis habuerit. Inn. IV Lib. VI, 150*[5] *legimus:* si videris ex institutione huiusmodi nove observantie provenire magnum fidei augmentum, animabus salutem et moribus disciplinam, *et post* provenire *superscriptum est* possit. *Verba primitus posita ab usu linguae latinae non abhorrebant neque ea de causa correctura indigebant; verbo autem* possit *adiecto et aliud atque antea dictum est et alia quoque verba mutari debebant*[6]: si videris, [quod] .... provenire possit .... salus et .... disciplina. *Ita corrigendum esse registrator in alio libro non legit, neque nos scimus, quomodo verba prima scribere et postea ea ita corrigenda esse indicare potuerit, nisi minutam minus*

1) *Cf. etiam N. A. t. X, p. 533 et Denifle l. c. p. 67.* 2) *L. II, 646—647; L. V, 999—1000; L. VI, 666—672; cf. L. VIII, 531—534; inscriptio ep. 535, ap. Berger 5268, ex praescriptione marginali servata sumpta esse videtur.* 3) *Quo tempore duae illae series epistolarum coniunctae sint, nescimus; epistolam alterius in altera citatam non invenimus.* 4) *Vacua sunt in Inn. IV Reg. t. I post litt. comm. L. II f. 203—204, Lib. III f. 299—300, L. IV f. 415—416, L. V f. 548—550; in t. II post litt. com. L. VIII f. 78—80, et inter curiales et beneficia f. 94—96; cf. Berger, Rég. d. Inn. IV.* 5) *Infra p. 422, lin. 32.* 6) *Scriptor rasura fortasse id efficere voluit, sed oblitus est; permulta loca rasa in Inn. IV Reg. Lib. VI vidimus.*

bene compositam et correctam prae se habuerit, in qua utrum 'accusativus cum infinitivo' an verba quod .... possit *ponenda essent, perspicue cognoscere non potuit*[1]. *5) Si nonnulla loca Regestorum nostrorum, teste P. H. Denifle*[2], *vacua relicta sunt, in quibus rasurae non animadvertuntur, cum illo concludimus scriptorem ea, quae registranda essent, legere non potuisse. Has autem minutas fuisse non minus probabile est quam alia Regesta prius scripta, id quod Denifle proponit; nam Regesta papalia tam male custodita fuisse, ut quaedam partes brevissimo temporis spatio detritae vel alio modo deletae sint, credere non possumus. — His de causis*[3] *persuasum nobis hucusque non est Regesta nostra apographa esse Regestorum priorum. Confitemur quidem nos ignorare, qua ratione ea, quae Denifle de Inn. III Lib. II disseruit, facile explicari possint, nisi coniecturam ab eo factam accipiamus, sed quominus eam ad omnes alios libros extendamus, gravia ut demonstravimus obstant argumenta et quaedam id utique excludunt. Ea vero, quae Kaltenbrunner in medium produxit, multum difficultatis ut opinamur non afferunt: nam codices praeclare et uno eodemque modo exarati, quales Regesta nostra sunt, tum quoque fieri poterant, cum Registrator minutas bene collectas et paratas transcriberet.*

Epistolas non ex authenticis sed ex minutis in Regesta relatas esse iam pridem diximus, et cum neque negaverimus neque negemus authentica quoque ad registraturam delata esse, consuetudinem tamen apud curiam fuisse registrandi ex minutis sicut antea ita et nunc contendimus; quam sententiam ita sustinemus: 1) Quidem ordo chronologicus inter epistolas registratas facile animadvertitur; sed aliquot earum multo, scilicet quattuor vel pluribus septimanis, post eum diem registratae sunt, quem nota chronologica indicat[4]. *Fieri autem vix potuit, ut omnium harum epistolarum authentica tam diu in curia retinerentur, et epistolam t. I, n. 309 registratam esse, postquam authenticum in manibus eorum fuerit, ad quos epistola directa erat, Regesta ipsa docent. Sequi videtur, ut nisi certae causae obsunt, has epistolas ex minutis in Regesta relatas habeamus. Hanc conclusionem Denifle eo impugnavit, quod demonstravit*[5], *complures epistolas Martini IV papae unum, duos et novem menses in curia remansisse easque tandem non a Martino sed ab eius successore Honorio IV missas esse*[6]. *Sed nobis non constat, num Martinus, si tum vixisset, eas expediturus fuerit, et epistolas scriptas interdum cassatas esse supra vidimus. Sit autem, ut aliquae causae expeditionem epistolarum illarum retardaverint, permultas illas epistolas, quae mense et amplius post diem in nota chronologica subsignatum registratae sunt, et praecipue eas, quae ipsas res ecclesiae Romanae attingebant*[7], *confectas et per tantum tempus apud curiam retentas fuisse verisimile nobis non est, sed earum minutas,*

Scripta ex minutis.

1) *Cf. infra p. 94, not. b et p. 454, not. e et N. A. t. X, p. 531: v. etiam ea, quae de forma minutarum p. XII dicta sunt.* 2) *l. c. p. 62.* 3) *Non amplius contendimus numeros epistolarum, quos in Reg. reperimus, minutis quoque inscriptos fuisse, postquam Denifle p 64 nos docuit numeros Reg. Inn. IV Lib. II et III non a registratore sed postea factos esse. Notandum autem videtur Lib. I et IV—VI numeros cum scriptura positos esse.* 4) *Cf. N. A. t. X, p. 516 et sequ.* 5) *l. c. p. 69, not.* 6) *Unum harum epistolarum commemoravit etiam Munch. p. 23 et 27.* 7) *Cf. N. A. X, p. 519 et not. 1.*

quae aderant, ad registraturam allatas esse iam ea de causa opinamur, quia quasdam epistolas ex minutis in Regesta transcriptas esse etiam aliis de causis certum reddere possumus. Praeterea in Inn. IV Lib. II—VI inprimis inter epistolas ultimi mensis anni pontificatus, i. e. m. Iunii, aliae insertae sunt multo ante scriptae. Sed causa, cur sub Innocentio IV mense Iunio plura authentica usque eo non emissa expedita fuerint quam aliis mensibus, nulla apparet. Immo res ea erat: cum liber Regestorum paene usque ad finem perductus esset, quaerebatur, num aliquae minutae neglectae vel sepositae superessent, quae in Regesta recipi deberent, et eae, quae inveniebantur, cum registrarentur, alio loco atque inter epistolas mensis Iunii collocari non poterant. 2) In Urbani IV Vol. IV ad multas epistolas annotationes in margine appositae sunt[1], *ut:* Ter fuit lecta per vicecancellarium et ter cassata, ultimo dominus concessit eam et magister Laurentius promovebat eam; *vel* Correcta fuit per dominum nostrum; *vel* De consilio domini Iordanis card. fuit iudicata ista et postea dominus audivit eam et mandavit eam expediri. *In authenticis haec verba non exstiterunt. Unde registrator ea deprompsit? Ex minutis. Porro in epistolis t. I, n. 150 et 151 a nobis editis iuxta inscriptionem legitur:* cum seta; *quae verba non registrator apposuit, quia authentica filo serico ornata in manibus habuit, sed invenit ea in minutis, quibus annotata erant, ut bulla filo serico appenderetur. 3) Aliquot locis epistolae non integre datae sunt sed lector ad epistolam multo ante registratam revocatur, ut Inn. IV Lib. IV, 702:* Cum autem propter hoc ipsa ecclesia quasi ad nichilum sicut accepimus sit redacta etc. ut supra in DCLXX littera, que scribitur episcopo Anconitano usque: teneantur eidem. *Altera epistola f. 391ᵗ, altera f. 388ᵗ scripta est*[2]. *Num registrator scivit, quo loco eadem verba legerit? Et si forte meminit, ea, si authenticum registravit, cum altero loco conferre debebat, antequam ea isto modo in artum contraxit, et tempus, cui parcere volebat, perdidisset. Propterea in exemplo, quod transcripsit, alteram epistolam citatam iam fuisse credimus; quod nimirum in minuta fuit*[3]. *4) In aliquot epistolis registratis menda occurrunt, quae registrator, si minutas non bene et accurate paratas transcripsit, minori diligentia usus facile commisit, sed quae in authenticis, ne redderentur suspecta, evitata putamus. Si infra in epistolis n. 58, 345, 681, XXX, 683 quaedam formulae loco non suo in fine epistolarum leguntur, arbitramur eas, cum minutae exararentur, omissas et postea in fine annotatas esse, ideoque minus recte collocatas in Regesta quoque transiisse, cum in authenticis ex causa praenotata suum locum obtinuerint. Alia menda Regestorum, quae in authenticis sine dubio facta non sunt, infra monstrabimus, praesertim ubi de inscriptionibus epistolarum loquemur. 5) Quibusdam locis verba leguntur, quae registrator, si sola authentica transcripsisset, in Regesta ponere non potuisset, quia ex nulla epistola sumpta sunt, ut t. I sub ep. n. 750, p. 654, lin. 10:*

1) *Cf. N. A. t. X, p. 523.* 2) *Alia exempla infra p. 11, not. 1, 15, lin. 28, 359c, 394a, 409d, 410b, 522, lin. 18 et 23; Berger 158, 364, 645, 3677, 3937, 3968, 4296, 4425, 4513, 4565, 4641, 4656; cf. etiam infra n. 291, 295, 318, 319, 745 VI, VII, XII, XIII.* 3) *Cf. infra de forma minutarum p. XIII.*

In eundem modum universis regibus. *Unde enim scriptor scivit* universis regibus *ep. n. 750 directam esse, nisi haec verba alicubi annotata erant? id quod in authentico aliquo factum esse non potuit*[1]. *Alia quoque additamenta, quae verbis* In eundem modum *epistolis integris adiuncta fuerint, annotationes vel cedulas fuisse minutis adiectas infra probabimus*[2]; *ex quo cognoscimus praeter epistolas ipsas alia scripta ad componenda Regesta adhibita esse, quae ab authenticis penitus aliena, minutas arte contingerent. 6) Multae epistolae, quae ad ipsas res curiae Romanae spectabant, registratae non sunt*[3]. *Quomodo id fieri potuerit, vix intelligitur, si authentica, antequam e curia exirent, ad registraturam deferri solebant. Aliter vero res se habuit, si authentica mittebantur neque quaerebatur, utrum registrata essent annon, cum minutae apud curiam remanerent: postquam enim authentica missa sunt, minutae epistolarum, etiamsi res graves continebant, facile negligi ac deperdi vel oblivioni dari poterant. — Ex his rebus concludimus eis temporibus, de quibus agimus, apud curiam consuetudinem et usum fuisse registrandi epistolas ex minutis.*

Neque vero, ut supra iam diximus, haec consuetudo semper observata est, *Ex authenticis.* *sed inter exempla, quae registrator transcripsit, authentica quoque fuisse certum est. 1) Ipsi nos alio loco*[4] *privilegia solemnia commemoravimus: inter quae omnia, quae sumpta ex Regestis Honorii III et Gregorii IX vidimus, et omnia, quae in Innocentii IV Lib. I continentur, subscriptionibus papae et cardinalium carent, econtra vero omnia, quae in Inn. IV Lib. II—VI leguntur, eisdem subscriptionibus ornatae sunt. Ex quo sequi videtur, ut registratori ab a. II Inn. IV privilegia subscriptionibus iam munita, i. e. authentica, exhibita sint, cum antea minutas eorum recepisset. 2) Eae quoque epistolae, quibus aliae insertae sunt, ex authenticis ut videtur registrari solebant*[5]*: nam epistolae inserendae in minutas integrae scriptae sine dubio non sunt, et earum authentica, si ea papae proposita erant, partibus restituta fuisse, probabile est. Sed interdum fortasse apographa earum ad curiam missa sunt, quae ibidem remanserunt et cum minutis epistolarum papalium ad registraturam delata sunt; nam nonnullae quoque epistolae huius generis multo tempore post diem in nota chronologica subsignatum registratae sunt. 3) Quorundam authenticorum tergis littera magna* R *impicta est, cui vel aliae litterae minores insertae sunt, quas nuper Denifle*[6] *ita dissolvit:* script. i. R. *Saepius etiam numeri, sub quibus epistolae ita notatae in Regestis leguntur, recte additi sunt. Haec signa in registratura facta apparet, et eas epistolas ex authenticis registratas esse pro certo tenemus. — Si vero quidam viri docti*[7] *ex eo, quod in aliquot inter authentica, quae viderunt, signa registraturae invenerunt, epistolas omnes vel fere omnes ex authenticis registratas esse concluserunt, id, quoad tempora ad quae nos respectum habemus, nobis*

1) *Cf. t. I, sub n. 3, 226, 605, 606, 612, 646, 741, 742; sub Berger 5340.* 2) *p. XIII.* 3) *Cf. infra tabulas p. 621.* 4) *N. A. t. X, p. 526.* 5) *N. A. t. X, p. 527.* 6) *Zum päpstl. Urk.- u. Regestenwesen d. 13. u. 14. Jahrh., Archiv f. Litt. u. Kirchengesch. d. Mittelalters t. III, 631.* 7) *In primis Dickamp, Mitth. d. Instit. f. österr. Gesch. III, 592—607, et ut videtur Denifle l. c. 633; cf. etiam N. A. t. X, 525.*

sufficienter probatum esse non videtur. Multas enim epistolas ex minutis in Regesta transcriptas esse supra monstravimus. Praeterea authentica epistolarum papalium pauca supersunt, inprimis earum, quibus a papa aliis personis iura et emolumenta concessa sunt, cum epistolarum, quae publicas et speciales res curiae attingebant, omnia fere deperdita sint. Ad has autem epistolas conservandas Regesta instituta sunt, et eas registraturae normam et regulam dedisse consentaneum est. Si ergo multarum huius generis epistolarum minutas in registraturam missas videmus et aliarum, quas conservare curiae non interfuit, aliquas eodem modo registratas reperimus, hanc consuetudinem iure dicere nobis licet, praesertim cum quaedam res, quas valde notabiles apud Regesta animadvertimus, alio modo facile explicari non possint[1]. *Ab hac consuetudine etiam eis temporibus, de quibus loquimur, discessum esse scimus, sed ea re legi, quam statuimus, derogari ex causis praemissis non credimus*[2]. *Ut nobis videtur, id tantum restat, ut quales epistolae ex authenticis registratae fuerint et qua de causa id factum sit*[3], *novis disquisitionibus plenius definiatur.*

Minutarum forma. *Cum pleraque exempla Regestorum apographa minutarum sint, quaeritur, quae fuerit forma minutarum. Minutae ipsae, quoad scimus, servatae non sunt, sed quemadmodum scriptae fuerint, ex aliquot locis Regestorum conici potest. Earum plerasque et cum authenticis et cum Regestis omnino concordasse*[4], *quamquam affirmare non possumus, negare certe non licet. Sed aliquae ita compositae erant, ut exempla inter se paululum differentia ex eis provenire facile possent. Prout ex annotationibus Urbani IV Reg. Vol. IV comperimus*[5], *multae minutae correctae vel pluries retractatae sunt, qua re quidam loci earum minus bene legi et errores*[6] *vel lectiones aliae in Regestis aliae in authenticis*[7] *oriri poterant. Praeterea si plures epistolae eiusdem vel eiusdem fere tenoris, praesertim epistolae encyclicae, scribendae erant, una tantum minuta conficiebatur, in qua verba secundum personas varianda, si annotata sunt*[8], *leviter tantum significabantur, et scriptor et Regestorum et authenticorum animum intendere debebat, ut verba singulis epistolis transcribendis apta poneret, in quo saepius erravit. Si ergo in aliqua epistola pluralis pro singulari*[9] *vel persona secunda pro tertia*[10] *vel allocutionis forma mendosa*[11] *reperitur, sciscitamur, num alia epistola extiterit, cui*

1) *Praecipue epistolae non registratae, tum plurima, quae infra de forma minutarum etc. disseremus.* 2) *Etiam ex hoc quod Denifle attulit se, cum authentica perscrutaretur, quo propius saec. 14 ea scripta invenisset, eo saepius signa registraturae in eis vidisse, dubium nobis est num concludere liceat, his temporibus posterioribus epistolas ex authenticis registrare solitum fuisse, cum quasdam minutas et saec. 14 et saec. 15 registratas esse sciamus; cf. Werunsky, Mitth. d. Inst. für österr. Gesch. t. VI, p. 140 et sequ. et v. Ottenthal, ibid. 1. Erg.-Bd. p. 540 et 548 et sequ.* 3) *Quae nos coniecimus, v. N. A. t. X, p. 525 et 526; cf. Mitth. d. Inst. t VII, p. 479* 4) *Sicut in Regestis in minutis quoque formulas saepius usitatas perscriptas non fuisse consentaneum est.* 5) *Cf. p. X ad n. 2.* 6) *Cf. p. 55c, 73b et 75g, 155a, 457c; duae formulae confusae, quarum utraque poni poterat: p. 117c, 296b, 304c, 385b, 532b. Cf. etiam p. VIII, ad n. 4.* 7) *Cf. p. 66a, 87q, 93c et o, 162e, 304c, 428b, 539d.* 8) *Quaedam allocutiones intra verba epistolarum authenticarum scriptae in Reg. semper fere omissae sunt: 5d, 54a, 57c, 74d, 108d, 273c, 298b, 409a, 462k.* 9) *V. infra p. 84b, 242d, 412a; eadem menda in authenticis p. 54c, 409b.* 10) *p. 243a, 259d, 370a, 376b, 385d, 528e, Berger 4650.* 11) *97f, 133b; cf. N. A. t. X, p. 549, sed allocutio p. 151, lin. 12* universitatem, *quam N. A. l. c. mendosam appellavimus, correcta est, cum non omnes suffraganei Maguntini tum consecrati fuerint.*

verba posita convenerint. — Si sola pars epistolae iam exaratae in altera repetenda erat, ea in minuta iterum non ponebatur, sed qui eam describere debebat, ad epistolam alteram relegabatur: et tales quoque minutae non plenae, quarum multae sine dubio in eodem folio cum epistola integra collocatae erant, sicut ibidem legebantur, registratae sunt[1].

'In eundem modum'.

Additamenta quoque, quae verbis In eundem modum vel aliis eiusmodi multis epistolis registratis adiuncta sunt, saepe sub forma simili minutis apposita iam erant. Nam aliquae ex epistolis plene perscriptis sumpta esse non possunt, ut In eundem modum universis regibus, de quibus verbis supra locuti iam sumus[2]. Praeterea magnae series nominum, quae sub epistolis t. I, n. 781 et 785 leguntur, non a registratore ex centum et pluribus authenticis ad verbum congruentibus compositae sunt, sed multo ante confectae, ut grossatores instruerentur, quae authentica secundum formam approbatam scribenda essent, postea in registraturam missae sunt[3]. Denique sub ep. Inn. IV Lib. XII, 410 reperitur: Illis [scil. quibusdam personis in epistola citata commemoratis] scribatur etc., ita ut ipsa forma mandati grossatori dati, quod his additamentis plerumque inest, in Regesta transierit. — Sed non omnes appendices, quae verbis In eundem modum epistolis adiunctae in Regestis leguntur, sub ipsis minutis, ad quas spectabant, scriptae erant. Verba, quae infra p. 132, lin. 1—6 data sunt, sub minuta epistolae 174 non extiterunt, quia 'indecotis ecclesiae in Patrimonio constitutis' non forma epistolae n. 174 sed 176 directa est; neque verba praedicta, sicut in Regesta relata sunt, ex ipsis epistolis integris contracta sunt, quia hae epistolae, ut diximus, alio loco, scilicet sub n. 176, perscriptae praebentur. Unde registrator verba deprompserit, non satis apparet; sed probabile nobis est, eum, cum epistolas ipsas n. 176 hoc loco prae oculis non habuerit, verba registrata ex mandato de exaranda minuta epistolae n. 176 dato formasse, quod ex actis deliberationum a papa cum cardinalibus de epistolis mittendis habitarum emanaverit, fortasse scriptum in cedula, quae cum aliis similibus[4] inter epistolas registrandas posita fuerit. Sed quomodocumque res illa se habet, id saltem constat, aliquas appendices, verbis In eundem modum epistolis integris annexas, eisdem, antequam registratae sint, coniunctas non esse. Quod si variis locis dispersae tum demum colligebantur, facile fieri poterat, ut aliquae omitterentur ideoque sub verbis In eundem modum non omnes epistolae continerentur, quae sub eadem forma scriptae et missae sunt[5].

Inscriptiones.

Sicut supra demonstravimus, forma minutarum quarundam epistolarum aliquatenus incerta effecit, ut ex eis alia verba in authentica alia in Regesta transirent. Idem pertinet ad inscriptiones epistolarum, sed, quantum hucusque animadvertimus, earum tantum, quarum minutae ita confectae sunt, ut pluribus

1) Ut infra n. 538 II, sicut ibidem demonstravimus; cf. etiam ea, quae p. X ad n. 3 et infra de verbis In eundem modum diximus. 2) Cf. p. X, ad n. 5. 3) Cf. t. I sub n. 337, 397, 607, 608, 612, 747, 787, 815; t. II, n. 24, 119, 342, 375, 630. 4) Inter exempla registranda mandata brevia fuisse, quae sub verbis In eundem modum in Reg. redacta sunt, supra vidimus. 5) Cf. p. 39, not. 5, 54, lin. 1, 58, not. 1, 122, not. 6, 383, not. 2, 523, not. 2, 559, not. 1, 560, not. 1, 565.

authenticis ad diversas personas dirigendis inserrirent. Certa enim indicia nos docent[1] *talibus minutis — si non omnibus, saltem multis et imprimis litterarum encyclicarum — non unam vel omnes inscriptiones accurate concinnatas, sicut in authenticis legi deberent, superpositas esse, sed eas omni inscriptione caruisse et sola verba praebuisse; nomina vero singularum personarum leviter et summatim significata aliquo loco annotata fuisse. Sed cum registrator epistolas transcribens ex his annotationibus inscriptiones certas formaret, minus caute attendens facile erravit, ideoque quibusdam epistolis, aliarum similitudine quadam deceptus, tales inscriptiones dedit, quales in authenticis sine dubio non extiterunt: ut infra ep. n. 177 'archiepiscopis' Patrimonii, in quo archiepiscopi non erant, ep. n. 301 'archiepiscopis' Poloniae, cum solus Gneznensis ibidem archiepiscopus esset, directae sunt, apud quas epistolas registrator inscriptiones epistolarum n. 168 et 310 minus recte imitatus esse videtur; in ep. n. 170, in qua Stephano cardinali legationis officium commissum est, idem non 'apostolicae sedis legatus' sed 'vicarius in Urbe' appellatus est, quem locum, donec legatus fieret, obtinebat*[2]. *Insuper unam inscriptionem, quam alio loco*[3] *suspectam iam habuimus, nunc aliis verbis in Regestis fuisse aliis in authentico expressam probare possumus*[4]:

Inn. IV Reg. Lib. IV, cur. 82: Archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus, decanis etc. et aliis ecclesiarum praelatis per Lombardiam et Romaniolam constitutis.

Ed. ex authentico derivata. Potth. 15594: Aquiligensi et Gradensi patriarchis, Mediolanensi, Ravennensi et Ianuensi archiepiscopis et ipsorum suffraganeis, necnon ceteris aliis episcopis et dilectis filiis prioribus, abbatibus, archidiaconis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prelatis, tam exemptis quam non exemptis, per Lombardiam et Romaniolam constitutis[5].

Error registratoris ex eo ortus est, quod minuta epistolae eadem erat atque n. 304 II, cuius inscriptio haec erat: Archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus etc. [*scil.* et aliis ecclesiarum praelatis] tam exemptis quam non exemptis per Alamanniam constitutis. *Cum inscriptiones epistolis superpositas falso scriptas inveniamus, idem circa eas quoque, quae verbis* In eundem modum *epistolis adiunctae sunt, factum esse suspicari licet. Et legimus verbis* In eundem modum *inscriptiones perperam et negligenter formatas*[6].

Notae chronologicae. *Etiam vitiorum, quae in notis chronologicis epistolarum registratarum reperiuntur, pars ex forma minutarum prodiit. Quod temporis momentum notae chronologicae indicaverint, in t. I et in libello nostro citato*[7] *fusius exposuimus: dies adscriptus non is erat, quo papa aliquid fieri vel epistolam de consilio*

1) *Cf. N. A. t. X, p. 541 et sequ.* 2) *Cf. etiam n. 199, 207, 237 [cf. 244], 681 XII; Berger 1481, 1482 et 1877, 1878.* 3) *N. A. t. X, p. 541 et 545.* 4) *Cf. infra n. 318 et p. 566, lin. 44.* 5) *Inscriptio similis sed minus correcta legitur ad ep. n. 319 eodem tempore missam.* 6) *Cf. p. 224, not. 2, 380b, 381f, 548, not. 1, 549, not. 1.* 7) *N. A. t. X p. 549 et sequ.*

capto exarari iussit, sed is, quo minutam epistolae coram se lectam comprobarit[1]; *nonnullis vero epistolis vel is dies minus recte annotatus est, quo authentica confecta sunt, id quod inprimis circa eas epistolas contigisse videtur, quarum minutae aliis authenticis scribendis iam inservierant. Cui incuriae naturam instrumentorum locum dedisse putamus; nam ea, quae papa ordinarit, non charta scripta demum legitima erant, sed ab eo tempore, quo papa ea pronuntiarit, legis vim habebant, ita ut epistolae postea exaratae nihil nisi testimonia rei gestae essent*[2]. — *Ea quoque causa fuisse videtur, propter quam notis chronologicis registrandis minor diligentia nonnunquam adhibita est. Epistolae loco, die et anno pontificatus subsignatae sunt, sed apud nonnullas hae notae desunt. Ubi in Regestis non leguntur, registratorem eas etiam sub exemplis suis non reperisse colligimus, ita ut non semper sub verbis minutarum notas chronologicas scriptas fuisse statuendum sit. Eas autem, si non hoc loco, certe alicubi in minuta ponere solitum fuisse apertum est: quo enim alio modo grossator eas scire vel epistolae sero registratae eis ornari poterant? — Semper ut opinamur notae chronologicae sub verbis earum minutarum deficiebant, quae pluribus authenticis exarandis serviebant quaeque sicut certis inscriptionibus ita notis chronologicis carebant, quas eodem loco cum inscriptionibus, ad quas pertinerent, annotatas putamus. Cum talis minuta registraretur eique forma certae epistolae daretur, cum inscriptione nota chronologica apponebatur; sed quando nomina aliarum personarum, quibus eiusdem tenoris epistolae directae erant, verbis* In eundem modum *adiungebantur, ut eis suae notae chronologicae adderentur, ex causa antedicta necessarium plerumque non ducebatur, sicut authentica quae supersunt demonstrant*[3]. *Non omnes ergo epistolae, quae verbis* In eundem modum *in Regestis leguntur, eodem die cum epistola prima collocandae sunt, sed et diebus posterioribus et antecedentibus scriptae esse possunt. — Verum etiam quibusdam epistolis, quae integrae propositae sunt, notae chronologicae minus accuratae datae sunt. Ubi complures vel aliquot epistolae ad eandem rem spectantes deinceps in Regestis leguntur, saepius animadvertimus primam solam vel primas notis chronologicis plenis signatas, sequentes vero aut nullis aut solis verbis* Dat. ut supra, *quamvis authentica servata vel aliae causae sufficientes eas non eodem die cum prima epistola exaratas esse testentur*[4]. *Notas chronologicas, cum in Regesta transcriptae non sint, sub verbis minutarum defuisse apparet; registrator autem eas ex locis, quibus annotatae erant, non conquisivit, quia satis esse credidit, si constaret, quo fere die epistolae illae confectae essent. Interdum ergo verba* Dat. ut supra *non eundem diem quem antecedens nota chronologica plena, sed eum fere diem indicarunt: de fide diei plenis litteris adscripti dubitandi causam non habuimus*[5].

1) *In epp., quae non legebantur, nimirum is ille dies erat, quo papa epistolam scribi iussit, cum hoc mandato formam eius iam approbasset.* 2) *Sed quarundam rerum vim legitimam cum 'data' i. e. nota chronologica ep. scriptae incepisse papa ipse statuit: cf. n. 570 et 618.* 3) *Cf. t. I. p. XI et infra p. 442, not. 2.* 4) *Cf. infra n. 164—178, 204 IV, 215, p. 221, not. 1, p. 486, lin. 32; cf. etiam n. 741—748 et p. 550, not. 3.* 5) *Cf. tamen p. 495, not. 1. — De notis chronol. perscriptis, quae aliae in Reg. aliae in authenticis sunt, cf. N. A. t. X. p. 562 et Denifle in Archiv f. Litt. etc. t. III. p. 628; cf. etiam infra p. 474 b.*

Regestorum fides. *Etsi, ut demonstravimus, nonnullarum epistolarum registratarum et verba et inscriptiones et notae chronologicae non prorsus cum authenticis concordarunt, nihilominus Regestis fides summa attribuenda est. Menda enim, quae occurrunt, pauca sunt, et cum sciamus, quomodo orta fuerint, et minus molesta redduntur et quasi utilia sunt, cum illustrent, qua ratione epistolae papales exaratae sint, ideoque, quanti singulae earum existimari debeant, plenius cognoscatur. Regesta insuper maxima diligentia scripta esse eaque apud curiam idem valuisse quod ipsa authentica*[1] *saepius probatum est. Inde concludimus omnium epistolarum registratarum authentica quoque extitisse, quae missa fuerint. — Sed fortasse quis dubitet id ex eo, quod quaedam epistolae eodem tempore datae sibi inter se contradicunt vel non omnino congruunt, ita ut earum altera tantum confecta esse videatur; propter quod quid papae quibusdam epistolis efficere voluerint, paucis verbis exponemus*[2]. *Litteras secretas a papis missas esse, nemini nisi ei cui directae essent revelandas, consentaneum est, et eas quoque in Regesta receptas constat*[3]. *Aliae ad tempus secretae erant, et personis, quibus destinatae erant, tum demum eis uti licebat, cum certae res evenissent; neque vero conditiones, sub quibus epistolae publici iuris faciendae erant, eis semper insertae sunt, quia ut aliae quoque personae, quae epistolas viderent, cogitationes et consilia paparum plene intelligerent, utile non habebatur*[4]; *qua re contigit, ut quaedam epistolae ut ita dicamus conditionales fuerint, licet in eis eius rei mentio facta non sit*[5]. *Aliae, quae e curia exierunt, eis, quorum nomina in inscriptionibus posita erant, exhibitae nunquam sunt, idque interdum factum est papa non invito. Non omnes enim epistolae eis, quibus scriptae erant, a curia mittebantur, sed multae eis tradebantur, quorum ut conficerentur, interfuerat, ut hi eas illis deportarent iisque praesentarent*[6]. *Iam earum aliquae, quo destinatae erant, non pervenerunt. Sed etiam legatis et aliis viris maiori auctoritate ecclesiastica praeditis, qui negotia curiae in aliqua terra agebant, variae epistolae et mandata, ad diversas personas directa, committi solebant, ut tum demum, cum ipsis placeret vel certae res futurae id exposcerent, iis, quibus scriptae fuerunt, transmitterentur*[7]; *id quod, rebus aliter atque praesumptum est evenientibus, non fiebat. De tempore, quando tales epistolae conditionales vim habere deberent, et de eo, quod papa eisdem efficere vellet, personae, quibus eae commissae sunt, aut verbis nuntiorum aut aliis epistolis instruebantur; sed praecepta epistolis adiuncta, etsi nonnulla in Regestis leguntur*[8], *omnia ibidem relatae non sunt. Quaedam ergo epistolae papales conditionibus subiectae erant, quas ignoramus, neque in omnibus epistolis papa ea, quae fieri volebat, nude expressit; sed omnibus epistolis registratis authentica perfecta respondisse eo certius tenere nobis licet, quia epistolae cassatae in Regestis quoque verbo* Vacat *apposito abolitae inveniuntur.*

---

1) *Cf. N. A. t. X, p. 572.* 2) *Cf. N. A. t. X. p. 563.* 3) *Cf. n. 214 et infra.* 4) *Ea quoque causa erat, cur mandata, quae legatis committebantur, singula in singulas epistolas scribebantur, cf. 201—221, 303, 681, 715; cf. etiam n. 615 et p. 532, not. 2.* 5) *Cf. n. 217, 220, 347, 526, 527, 707.* 6) *Cf. p. 186, not. 2, 140, not. 5, 535, not. 4, 567, lin. 60.* 7) *Cf. n. 11, p. 94, not. 1, p. 163, not. 5 n. 219, p. 336, not 3.* 8) *Cf. t. I. n. 781 VII, infra n. 525 et N. A. t. X, p. 565.*

Epistolae, quas infra praebemus, desumtae sunt ex Innocentii IV Reg. Lib. I—VI. Eorum Libri I—V uno volumine constricti cum aliis Regestis papalibus in Archivo Vaticano conservantur, Lib. VI, qui et ipse pars eiusdem archivi quondam fuit, postea, qua via nescimus, Parisios deportatus est, ubi nunc in Bibliotheca nationali sub n. 4039 collocatus est. Quomodo libri illi scripti sint, perspicimus inprimis ex editione, quam E. Berger de Regestis Innocentii IV facere coepit, in qua forma et facies Regestorum, quoad fieri poterat, diligenter redditae sunt; tum legimus in praefatione eiusdem editionis et in dissertationibus laudatis, quas Kaltenbrunner et Denifle de his rebus publicarerunt. Nos solum Lib. VI vidimus, quem ad preces Societatis V. Cl. L. Delisle, praefectus Bibliothecae nationalis, summa liberalitate Berolinum transmisit, cui nos quoque gratias agimus quam maximas. Continentur in Libris: Lib. I, f. 1—120[1]*, epistolae 747; Lib. II, f. 121—212, epistolae 647 et curiales 13*[2]*; Lib. III, f. 213—308, epistolae 627 et curiales 30; Lib. IV, f. 309—438, epistolae 916 et curiales 133; Lib. V, f. 439—558, epistolae 1000 et curiales 57; Lib. VI, f. 1—76, epistolae 672*[3]* et curiales 88. — Etiam epistolarum in hoc tomo propositarum partem maximam Pertzius a. 1823—1824 Romae ex Regestis descripsit. Sed postquam archivum Vaticanum liberalitate Leonis XIII summi pontificis viris doctis apertum est, collectionem ab illo factam, quia fieri poterat, compleri oportebat; nam in eam alias epistolas, quae in ea locum tenere meruissent, non receperat, quia tempus ei defecerat, alias, quia quid valerent, non statim perspexerat; aliae vero addendae nobis videbantur, quia licet res in eis scriptae ullius momenti non essent, eae tamen, a qua parte personae nobiles vel illustres in certamine inter ecclesiam et imperium exorto stetissent, solae indicabant. Quae epistolae in Regestis legerentur et quae ex eis ad ceteras, quas habebamus, assumendae essent, comperimus ex editione laudata ab E. Berger facta. Itaque apographa epistolarum, quas ille proposuit, vel si eas integras non praebuit sed lectorem ad alias editiones remandavit, inde sumpta Romam misimus, ut ibi cum Regestis ipsis denuo conferrentur; nonnullas quoque epistolas hucusque integre non editas, quas ex epitomis ab E. Berger datis nostrae collectioni congruere putabamus, ex Regestis describendas curavimus; quas res VV. Cl. A. Mau et O. v. Falke benigne confecerunt. Librum VI, ex quo Pertzius apographa non deprompserat, simili modo nos ipsi excerpsimus. Non omnes quidem epistolas registratas, quae ad historiam Imperii aliquid afferunt, plenis verbis dare potuimus, sed multas, in quibus id unum nostra interfuit, ut quibus verbis papa de persona aliqua locutus esset, significaremus, in angustum coactas in notas relegavimus. Cum ibidem etiam epistolas graviores non registratas, quas integras recipere non licuit, commemoraverimus, omnes fere epistolas, historiam Imperii illustrantes, quas Innocentius IV sex primis annis pontificatus sui exarari iussit, in hoc tomo reperiri arbitramur. —* Editio.

1) *f. 118—120, 307—308, 435—438 vacua sunt; cf. p. VIII, not. 4.* 2) *Sequuntur post ep. cur. 13:* Institutiones facte in concilio generali apud Lugdunum. 3) *Earum perditae sunt epp. 1—22 et 23 init., 41 fin. — 131.*

Omnes epistolas infra datas cum editionibus, si quae earum factae sunt, contulimus, loco primo cum ea, quam E. Berger publicavit, tum cum aliis[1], *inter quas eas, quas sumptas ex authenticis cognovimus, semper adhibuimus*[2]. *Lectiones alicuius momenti, quae dubium movebant, cum Regestis denuo comparandas curavimus, et cum etiam in apographis, quas scriptas ex editionibus conferendas Romam misimus, loca, quae dubia nobis videbantur, attentioni eorum, qui ea recognoscebant, notis adiectis commendaverimus, verba Regestorum fideliter nos infra reddidisse credimus, in quo nos editione ab E. Berger facta plurimum adiutos esse animo grato confitemur.*

In fine huius quoque voluminis quasdam epistolas ineditas addidimus, quae in Regestis non leguntur sed lectori ut speramus acceptae erunt; quarum apographa aut in apparatu Societatis invenimus aut V. Cl. E. Winkelmann liberaliter nobis porrexit.

Denique sicut in tomo primo quasdam formulas perscribimus, quae in nonnullis epistolis infra propositis integrae datae non sunt:

1. Apostolice sedis benignitas consueta sic merita personarum provida deliberatione discernit, ut eos, qui litterarum scientia ac morum ac generis nobilitate precellunt, favoris gratia efferat amplioris et maioribus studeat beneficiis honorare.

2. Apostolice sedis benignitas sincere obsequentium vota fidelium favore benivolo prosequi consuevit et illorum personas, quas in sua devotione promptas invenit et ferventes, quibusdam titulis decentius decorare.

3. Etsi coniunctio copule coniugalis in quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu sacris sit canonibus interdicta, provide tamen super hiis interdum Romana dispensat ecclesia, maxime cum urgens necessitas vel evidens utilitas id exposcit.

4. Exigentibus devotionis vestre meritis, votis vestris libenter annuimus et petitiones vestras, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus.

5. Quia honori ecclesie intendimus et augmento, illos precipue debemus prosequi gratia speciali, per quos et decus augeatur et utilitas procuretur.

6. bona, que impresentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum iustis modis poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus.

7. non obstante aliqua indulgentia, de qua in nostris litteris expressam oporteat fieri mentionem.

8. non obstante constitutione de duabus dictis edita in concilio generali, dummodo ultra tertiam vel quartam aliquis extra suam diocesim auctoritate presentium ad iudicium non trahatur.

9. non obstante si pro aliis in eadem ecclesia direximus scripta nostra, quibus nolumus auctoritate presentium preiudicium generari.

10. proviso quod beneficia eadem debitis non fraudentur obsequiis et animarum cura nullatenus negligatur.

11. molestatores etc. *ut t. I. n. 18.*

12. Alioquin ...... damus nostris litteris in mandatis, ut ipse super hoc mandatum apostolicum exequatur.

1) *Adhibuimus etiam nonnulla apographa epp. ineditarum, quae V. Cl. E. Winkelmann nobis porrexit, sumpta ex Cod. Vallicell. J. 55, in quo excerpta Reg. continentur.* 2) *Edd. collatae, ad quas infra nihil annotavimus, ex Reg. manaverunt.*

13. Alioquin sententiam, quam [spiritualiter vel temporaliter] rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino [usque ad satisfactionem condignam] inviolabiliter observari.

Signa, quae in notis adiectis saepe occurrunt: A — authentici editio; B. — Berger, Régistres d'Innocent IV; P. — Pertzii apographum; R. — Regesta.

Dabam Berolini mense Novembri 1887.

Carolus Rodenberg.

EX INNOCENTII IV REGISTRO.

1.

Innocentius IV papa [Iuhellum] archiepiscopum Remensem et suffraganeos eius de electione sua certiores facit et ipsorum precibus se commendat; inhibet insuper, ne praesentium latori praeter victum quicquam tribuant. *1243, Iul. 2.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 1; Lib. I, 1. Pertzii exemplar suppletum ex Rayn. Ann. eccl. a. 1243, § 7—9 contulimus cum apographo epistolae potestati, consilio et populo Mediolanensium directae [v. infra], quod V. Cl. W. Wattenbach ex Summa dict. s. XIV inc. cod. bibl. Univ. Pragensis I, C. 24, f. 67' sumpsit [D].
Potthast, Reg. 11079; Berger 1.

Innocentius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri archiepiscopo Remensi et suffraganeis suis salutem et apostolicam benedictionem.

Summus orbis opifex, fabricator celorum et universe conditor creature, qui
sapientia fundavit terram et firmavit celos prudentia, omnia solus ordinans, celestia et Prov. 3, 19.
terrena infallibili providentia moderatur, dum universitatis pulchritudinem perficiens
et decorans, cuncta interscalari[a] partitus est ordine ac certis et impermixtis limitibus
stabilivit, ut singula queque locum teneant sortita decenter. Ad instar namque superiorum ordinum inferiorem in ecclesia militante disposuit gerarchiam, distinguens
varietate mirabili et congrua universa et discretis inter cetera describens gradibus
dominationes, principatus et potestates ad regimen universi. Appendit quidem tribus Es. 40, 12.
digitis molem terre, cuncta disponens in numero, pondere ac mensura et conservans
in omnibus speciem, ordinem atque modum. Librat etiam in pondere montes, dum Ibid.
erigit humiles in sublimi vertice dignitatum, et colles in statera culminis inferioris
appendit, ut ponant in pondere iudicium et iustitiam in mensura, et ut superiorum Es. 28, 17.
precepta, prohibitiones atque consilia inferioribus annuntient, et nubes rore concrete
subiectos compluant et fecundent imbre gratie ac humore pluvie salutaris. Et quia Prov. 3, 20.
membra Christi decenti ordine in corpore mistico sunt distincta, filii obedientie patribus
obsequantur, ut et patres sedula custodia invigilent pro subiectis, sicque vicaria sibi
ope subserviant, suscepti ministerii officium salubriter adimplendo. Porro quia immortalitatis dignitas est adempta ob protoplausti delictum, turbatur interdum ordo rectorum
in varietatibus personarum propter excessum vite, quem mors ingerit importuna, sed
reparatur quamtocius, dum filii nati pro patribus subrogantur, alternis gradibus et sibi
mutua vicissitudine succedentes.

Hinc est, quod felicis[b] recordationis Celestino papa predecessore nostro, qui bone memorie Gregorio pape successerat, infra modicum temporis spatium soluto

---

a) interscolari *D.* b) *quae sequuntur usque ad finem epistolae ex Rayn.*

Ps. 70, 16. carnis debito censuali ad superos, ut credimus, ut introeat in potentias Domini, evocato[1], ac eius, ut moris est, exequiis in crastino celebratis, post vacationem diutinam, que peccatis exigentibus propter malitiam temporis intervenit, fratres ad tantum subrogandi pastoris officium Anagnie convenientes in unum, tandem Spiritus sancti gratia invocata in nos providentie sue oculos iniecerunt, imbecillibus humeris fascem tanti oneris imponere decernendo[2]. Nos autem, nostre infirmitatis et insufficientie conscii, vehementer expavimus hoc audito, quia mens cepit refugere, cor tremere, pondus importabile recusando, et ad renitendum omnino disposuit totis affectibus[a] se armare. Verum ne diutina reluctatio in hoc tempestatis articulo aliquid discriminis pareret, cum temerarium videretur divine dispositioni penitus obviare, ad illum nostros Es. 40, 29. oculos attollentes, qui dat lasso virtutem et largitur munera in se sperantibus affluenter, quique nostrum considerans imperfectum, cum sit sufficientia omnium, insufficientiam nostram supplebit sue abundantia largitatis, dando gloriam nomini suo magno, vocationi divine consensimus et debiles humeros de superna virtute confisi submisimus ad portandum tanti ponderis gravitatem[3].

Vos itaque, fratres, qui estis ad custodiam gregis Dominici deputati, rogamus 2 Petri 1, 5. attentius et hortamur in Domino, ... omnem[b] curam et sollicitudinem subinferentes ad serviendum digne Deo per omnia et implendum legitime pastorale ministerium, quod sumpsistis, ministrare in fide virtutem[c], forma facti gregis ex animo, ut cum oves per sacrum profluvium oris vestri aquas haurierint[d] in gaudio de fontibus Gen. 30, 37. Salvatoris viderintque virgas pastorum detractis corticibus vanitatis et voluptatis divino candore nitentes, in contemplatione ipsarum affectiones mundas concipiant et unicoloris fetus pariant masculinos, digne Christo domino, pastorum principi, offerendos[e]. Non cessetis autem pro nobis per vos vestrosque subiectos assiduas preces effundere, ut sua clementia de celis mittat nobis sapientiam assistricem ad regendum populos nobis commissos, que nos doceat cum Domino sollicite ambulare ac id agere coram eo, quod nunc sibi et omni tempore sit acceptum, ut de sua plenitudine accipientes gratie largitatem, dignam Domino rationem de suscepto ministerio reddere valeamus. Flagitate insuper quotidiana instantia, ut pacem ecclesie sue tribuat et populo Christiano, barbaricam rabiem conterat et gentem perfidam paganorum[4] de finibus Christianorum depellat. Nos enim honorare vos disponimus et diligere velut fratres et in vestris necessitatibus vobis adesse actore Domino utiliter et prodesse. Ceterum, cum portitores huiusmodi litterarum interdum esse consueverint exactores, volumus et mandamus, ut latori presentium preter victum et, si eum infirmari contigerit, necessaria nichil penitus tribuatis, cum de non recipiendo prestiterit iuramentum et alias pro labore et expensis sibi congrue satisfiat[5].

Dat. Anagnie, VI Non. Iulii, pontificatus nostri anno primo.

In eundem modum . . abbati[6] et conventui Cisterciensibus.

In eundem modum . . abbatisse et conventui monasterii Iotrensis[7].

In eundem modum . . regi Castelle et Legionis[8].

In eundem modum . . potestati, consilio et populo Mediolanensium[9] usque: tanti ponderis gravitatem. Ideoque universitatem vestram rogamus attentius et hortamur, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus sicut filii benedictionis et gratie

a) *ita D.:* effectibus *Ragn.* b) Domino omnem *Reg., ut V. Cl. A. Mau, qui etiam corrigenda infra sequentia praebuit, nobis communicavit; deesse aliquot verba apparet.* c) virtutum *Ragn.* d) hauserint *Ragn.* e) offerendas *Ragn.*

1) *Hic a. 1241, Oct. 25 electus, Nov. 10 non consecratus mortuus est: neque bullam habuit neque regesta reliquit; cf. Potthast, Reg. p. 940.* 2) *a. 1243, Iun. 25 electus est.* 3) *Iun. 28 consecratus est.* 4) *Scil. Tartarorum.* 5) *Similis inhibitio ap. Berger 43.* 6) *Guillelmo III.* 7) *Iouarre ex or. cir. Meldensis prope Matronam.* 8) *Ferdinando III.* 9) *V. supra.*

in ecclesiastica unitate et obedientia et devotione apostolice sedis firmiter persistatis. Nos enim vos tamquam speciales ecclesie filios honorare intendimus et fovere ac in vestris necessitatibus adesse vobis utiliter et prodesse. Ceterum etc. ut supra [1].

2.

Innocentius IV papa [Bertholdo] patriarchae Aquilegiensi iniungit, ut Christi fideles Teutoniae inducat ad crucem suscipiendam contra Tartaros, qui regno Ungariae e vicino immineant, eique potestatem dat crucesignatis illam indulgentiam largiendi, quae transeuntibus in Terrae Sanctae subsidium concessa sit. *1243. Iul. 21.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 5; Lib. I, 30. Pertzii exemplar suppletum ex Rayn. Ann. eccl. a. 1243, § 36—37 contulimus cum Theiner, Mon. Hung. t. I, p. 187, n. 348.

Potthast. Reg. 11096; Berger 30.

. . patriarche Aquilegensi.

Plene lacrimis et replete suspiriis reliquie fidelium in Ungarie partibus positorum matris ecclesie sollicitant pietatem, ut sui doloris qualitatem attendat eiusque amaritudini et merori consolationis dulcedinem largiatur, ac sibi de illo provideat defensionis auxilio, per quod, si hostis Dei et amica demonum, gens impia Tartarorum, suam in easdem reliquias moliretur experiri sevitiam, possint ab exitio preripi vel exterminio preservari, salubris provisionis effectum ex hoc universitate Christiani populi consequente, maxime cum sit evidens argumentum, quod ipsa tranquilla maneat et secura consistat, si ministra perditionis, illa gens effera, divina dextera triumphante possit conteri vel de contritorum confinio profligari. Hec enim dum nos, qui licet immeriti generalis ecclesie curam ex divina provisione suscepimus, nostre mentis oculis presentamus, reddimur ex corde sollicit, ut illis propere intendamus remediis, per que in Ungarie partibus sit celebris perpetuo gloria Redemptoris. Igitur cum karissimus in Christo filius noster illustris rex Ungarie et subiectus ei populus, quasi [a] credentes pro acerbitate illatorum vulnerum suis gladium imminere cervicibus, dum persecutores horridos in vicinis Ungarie partibus rumore terribili percipiunt constitutos, nos lacrimis moveant et lamentis inducant, ut eorum angustiis occurramus gratie festine fomento: fraternitatem tuam rogamus et obsecramus in domino Iesu Christo, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatinus per te ac alios, quos ad hoc videris oportunos, Christi fideles in Theutonia constitutos secundum prudentiam [b] tibi et illis desuper attributam piis inducas monitis, ut ipsi, per quos adversus tirampnidem perfidorum Christiana potissime solet defendi religio, contra Sathane nuntios tartarique ministros crucis signaculum pro sic afflicti salute populi reverenter ad gloriam suscipiant Crucifixi, se taliter hiis que sunt oportuna bello Domini munientes, ut si necessitas exegerit, quod avertat Dei filius, sic Dei familiam de regno Ungarie tueri valeant, quod pars opposita Deo propitio ruine grandis incurrat opprobrium et [c] redempti pretioso Iesu Christi sanguine optate salutis consequantur effectum. Nos enim, ut quod tam pie, tam iuste cupimus, letanter et leviter fieri gaudeamus, omnibus, qui de Alemannia signo crucis assumpto in Ungariam contra Tartarorum processerint feritatem, illam indulgentiam idemque privilegium elargimur, que transeuntibus in Terre Sancte subsidium in

a) *T.;* qui *Rayn.* b) *T.:* providentiam *Rayn.* c) *T.;* et *deest Rayn.*

1) *Hanc epistolam fuisse encyclicam et ad alios quoque directam apparet.*

generali concilio conceduntur[a]. Ceterum, ut salutis tante negotium, quo pluribus contingit iuvari remediis, prosperitatis optate suscipiat incrementum, tibi et illis, quos ad predicandam crucem duxeris deputandos, presentium auctoritate concedimus, quod illis ex crucesignatis huiusmodi, qui pro incendiis et iniectione manuum in clericos vel alias religiosas personas excommunicationis vinculum incurrerunt, absolutionis beneficium impertiri iuxta formam ecclesie valeatis, dum modo iniuriam et dampna passis satisfaciant competenter et adeo gravis et enormis non sit eorum excessus, quod propter hoc merito ad sedem apostolicam debeant destinari. Tu autem, frater patriarcha, cum tibi ad insinuationem predicti regis de reversione Tartarorum veritas innotuerit, omnes adversus illos crucis caractere insignitos prompto spiritu et gressu celeri facias in Ungariam duce salutis angelo proficisci.

Dat. Anagnie, XII Kal. Aug. anno primo.

3.

Innocentius IV papa Welegradensi et Zabirdovicensi abbatibus et praeposito ecclesiae de Dubravinic scribit mirantem se accepisse regnum Ungariae praesentibus Tartaris et post eorum recessum per quosdam hostiliter invasum esse, iisque mandat, ut quo tempore et per quos hoc factum fuerit, inquirant. *1243, Iul. 22.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 6: Lib. I, 35. Pertzii exemplar contulimus cum Erben, Reg. Bohemiae t. I, p. 514, n. 1079.

Potthast, Reg. 11097; Berger 35.

. . Welgradensi Cisterciensis et . . Zabirdovicensi[1] Premonstratensis ordinum abbatibus et . . preposito ecclesie de Dumbravinic[2] Olomucensis diocesis.

Spatiosum et speciosum Ungarie regnum sic afflixit Tartarorum horrenda crudelitas, quod exinde universitati fidelium inesse debuit materia lacrimarum; set quidam, sicut mirantes accepimus, regnum ipsum presentibus Tartaris et post illorum recessum hostiliter invaserunt, multos de ipsius confinio, illorum bonis consumptis per incendium, ponentes in ore gladii, non absque manifesta iniuria Crucifixi[3]. Quocirca mandamus, quatinus inquisita super hiis diligentius veritate, quo tempore, per quos et in quibus regni partibus sint talia perpetrata, nobis vestris litteris fideliter exponatis, ut eorum veritate comperta, quod expedire viderimus, exinde disponamus. Quod si non omnes etc.

Dat. Anagnie, XI Kal. Aug. anno primo.

4.

Innocentius IV papa [Wilhelmo] episcopo quondam Mutinensi, poenitentiario suo, apostolicae sedis legato, limitandi dioeceses in Pruscia et coniuncta ei terra Culmensi facultatem concedit. *1243, Iul. 29.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 24; Lib. I, 144. Exemplar Theineri, Mon. Poloniae I, p. 36, n. 75, cum Regestis contulit V. Cl. A. Mau. Authenticum epistolae Regimonti conservatum, quod edidit Voigt, Cod. dipl. Pruss. t. I, p. 53, n. 56, cum illo ad verbum concordat.

Potthast, Reg. 11102; Berger 144.

a) *hucusque ex Rayn.*

1) *Obrowitz, e mer. et or. civ. Brünn.* 2) *Dubravnik, ex sept. et occ. civ. Brünn.* 3) *V. Fessler, Gesch. v. Ungarn ed. Klein t. I, p. 386.*

. . episcopo quondam Mutinensi penitentiario nostro, apostolice sedis legato.

Hiis, que per dilectos filios fratres hospitalis sancte Marie Teutonicorum et alios Christi fideles facta sunt in Pruscie partibus divina propitiante potentia, cum exultatione spiritus intellectis, et considerata terre latitudine ibi per Dei gratiam acquisite, tibi apud sedem apostolicam constituto, ut in ipsa Pruscia et coniuncta sibi terra Culmensi possis limitare dioceses ac eiusdem Pruscie terram per partes dividere, ab eisdem fratribus et episcopo vel episcopis, qui pro tempore in Pruscia et eadem terra Culmensi fuerint, obtinendas, prout tua circumspectio duxerit ordinandum, de fratrum nostrorum consilio auctoritate presentium concedimus facultatem[1].

Dat. Anagnie, IIII Kal. Augusti, anno I.

5.

Innocentius IV papa [Christiano] episcopo Prusciae scribit [Wilhelmum] episcopum quondam Mutinensem, in Pruscia et Livonia legatum, auctoritate apostolica tres dioceses in Pruscia et unam in terra Culmensi limitasse, in quibus binas partes terrae cum omni proventu hospitali Teutonicorum, tertiam singulis episcopis deputaverit, eique mandat, ut unam harum diocesum sibi eligens, tertia parte terrae ipsius contentus sit.

1243, Iul. 30.

Inn. IV Reg. Vol. I, 18; Lib. I, 115. Damus epistolam ex Rayn. Ann. eccl. a. 1243, § 32—33, collatam cum Theiner, Mon. Poloniae t. I, p. 36, n. 76, et cum authentico Regimonti conservato, in Cod. dipl. Warmiensi, t. I, diplom. p. 8, n. 6 edito.

Potthast, Reg. 11103; Berger 115.

. . episcopo Pruscie.

Hiis, que per dilectos filios fratres hospitalis sancte Marie Teutonicorum et alios Christi fideles facta sunt in Pruscie partibus divina propitiante potentia, cum exultatione spiritus intellectis, et considerata terre latitudine ibi per Dei gratiam acquisite, venerabili fratri nostro . . episcopo quondam Mutinensi penitentiario nostro apud sedem apostolicam constituto in[a] ipsius Pruscie ac Livonie partibus plene legationis officium duximus committendum, eidem in ipsa Pruscia et terra Culmensi limitandi dioceses ac ipsius[b] Pruscie terram dividendi per partes de fratrum nostrorum consilio potestatem plenariam concedentes. Verum episcopus ipse tres in Pruscia[c] et unam in terra Culmensi dioceses limitavit ac tres partes fecit de terra Pruscie, quarum duas dictis fratribus ferentibus preliorum angustias et expensarum onera, quos oportet terram infeudare pluribus, deputavit, ita quod, sive unus episcopus fuerit sive plures, duas partes terre integre cum omni proventu habeant, et episcopus vel episcopi tertiam similiter integre habeant cum omni iurisdictione et iure, salvis tamen episcopo in duabus partibus fratrum illis omnibus, que non possunt nisi per episcopum exerceri. Verum cum nos limitationem et divisionem huiusmodi duxerimus auctoritate apostolica confirmandas, precipiendo[d] mandamus, quatinus una ipsarum diocesum Pruscie, quam malueris, et parte tertia terre ipsius diocesis contentus existens, terras vel iura ad partem diocesis, quam eligendam duxeris, pertinentia infeudare, alienare vel dare

a) *T., A.;* in *deest Rayn.* b) *T., A.;* ipsi *Rayn.* c) *T., A.;* Prussiae *Rayn.* d) *T.;* presentibus *Rayn.;* fraternitati tue per apostolica scripta precipiendo *A.*

1) *Cf. n. 5 et chartam legati in ep. Oct. 8.*

absque speciali mandato sedis apostolice non presumas, sciens quod quicquid de terra Pruscie vel terra Culmensi aut ipsius alienasti proventibus, in irritum revocamus, et exnunc inane decernimus, si quid contra inhibitionem nostram super predictorum alienatione de cetero attemptabis. Si vero dioecesim Culmensem elegeris, tibi de ipsa terra Culmensi sufficiat, quod in forma compositionis facte super terra Culmensi per te ac legatum eundem et dictos fratres necnon ipsius terre incolas plenius continetur[1]. Ceterum temporalia, que tibi episcopatus iure competunt, nomine nostro et Romane ecclesie de ipsius legati manu recipias, te talem, sicut pontificalis dignitas et religiosa requirit honestas, in omnibus redditurus, quod Deo et ecclesie sit ad gloriam, tibi redundet ad meritum et Christi fidelibus de Pruscia veniat ad profectum.

Dat. Anagnie, III Kal. Aug. anno I.

6.

Innocentius IV papa [Roberto] patriarchae Hierosolymitano, apostolicae sedis legato, intimat se Ultramarinos hortatum esse, ut ad reparationem murorum civitatis Hierosolymitanae undique dirutorum, hoc tempore exorta inter soldanos discordia, iuxta taxationem ipsius congruum subsidium largiantur, eique mandat, ut id instanter exigat.

1243, Aug. 5.

Inn. IV Reg. Vol. I, 8; Lib. I, 53. Damus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1243, § 52. Potthast, Reg. 11108; Berger 53.

. . patriarche Ierosolimitano, apostolice sedis legato[2].

In succursum Terre Sancte accendi debent corda fidelium, ad liberationem ipsius qua possunt subventione debent assurgere Christiani, ex eo inducti potissime, quod in illa specialiter Dei filius unigenitus, Iesus Christus, tunc hostis antiqui iugo incessanter oppressis voluit misericorditer subvenire ipsosque pretioso sui sanguinis pretio de perpetuo servitutis carcere liberare. Cum itaque civitatis Ierosolimitane muri sint undique diruti, extantibus tantum fundamentis ipsorum, et dignum existat ac inter alia suffragia plurimum expediens ipsi terre, ut tam veneranda civitas, Christi conspersa sanguine, menium fortitudine muniatur, venerabiles fratres nostros archiepiscopos et episcopos et dilectos filios alios ecclesiarum prelatos et eorum capitula nec non domus militie Templi, Hospitalis Ierosolimitani et sancte Marie Theutonicorum magistros et fratres aliosque religiosos ac nobiles viros barones et alios Christi fideles in Ultramarinis partibus constitutos monendos, rogandos duximus et hortandos attentius, in remissionem eis peccaminum iniungentes, quatinus ad reparationem murorum civitatis eiusdem, quam liberius et melius fieri potest, hoc tempore exorta discordia soldanorum[3], per quam dicte terre videtur Dominus specialiter providisse, cum etiam catholicos mundi principes et universos Christianos alios, quod ad hoc honorifice manum porrigant caritatis, nostris litteris inducere attentius intendamus, dent opem et operam efficacem, et ad principium potissime tam pii et utilis operis congruum subsidium iuxta taxationem, quam tu, cui super hoc dirigimus scripta nostra[a], duxeris faciendam, certam singulis eorum subventionem tam in militibus et operariis quam aliis eidem[b]

a) *ita R. MAU;* quam tibi super — scriptis nostris *Rayn.* b) eiusdem *Rayn.*

1) *Cf. Perlbach, Preuss. Reg. n. 192 et infra sub n. 31.* 2) *Sub Iul. 15 ei legationis officium commissum est; Berger 12 et 13.* 3) *Cf. Wilken, Gesch. d. Kreuzzüge t. VI, p. 627 et sequ.*

operi necessariis, consideratis eorum facultatibus, imponendo, sine difficultate qualibet largiantur. Quocirca mandamus, quatinus taxationem eandem faciens iuxta prudentiam tibi desuper attributam et habens pre oculis solum Dominum, nominatum subsidium, secundum quod a te taxatum extiterit et expressum, instanter exigas, faciens illud assignari tibi ab omnibus supradictis.

Dat. Anagnie, Non. Augusti, anno 1[a].

7.

Articuli a nuntiis sedis apostolicae ad imperatorem portati, qui quibus conditionibus ecclesia pacem cum eo reformare parata sit, circumscribunt.

1243, initio mensis Augusti[1].

Inn. IV Reg. Vol. I, 13; Lib. I, 84. Pertzii exemplar denuo cum Reg. contulit V. Cl. A. Mon. Potthast, Reg. 11118; Berger 84.

Isti sunt articuli, quos portaverunt nuntii sedis apostolice ad imperatorem.

Proponant nuntii, quod dominus papa et fratres sui desiderant, quantum in eis est, per omnia pacem habere cum principe et cum omnibus hominibus, et parati sunt, quantum in eis est, pacem dare et tranquillitatem sibi et universo mundo: et utinam hoc principi placeat, vel eam non impediat! Quia magnum preambulum est et utile ad tractatum pacis, si restituantur prelati et clerici omnes captivi, quos detinet, et omnes tam clerici quam laici, quos cepit in galeis, rogant et petunt[b][2], quod eos debeat restituere, cum hoc ipsum ipse et nuntii sui promiserint ante promotionem nostram.

Item proponant, quod ipsi pro nobis parati sunt audire et tractare de pace et audire satisfactionem, quam vult facere princeps, de omnibus, pro quibus excommunicatus est.

Item offerant, quod ecclesia, si in aliquo contra debitum lesit eum, quod non credit, parata est corrigere et in statum debitum reformare; et si princeps dicat, quod in nullo lesit ecclesiam contra iustitiam, vel si dicat, quod nos lesimus eum contra iustitiam, parati sumus vocare reges, prelatos et principes, tam seculares quam ecclesiasticos, ad aliquem tutum locum, ut per se vel solempnes nuntios illuc veniant, et de consilio concilii parata est satisfacere principi, si in aliquo eum lesit, et revocare sententiam, si quam iniuste contra eum tulit, et cum omni mansuetudine et misericordia, quantum cum Deo et honore ecclesie fieri potest, recipere ab eo satisfactionem de iniuriis et offensis, sibi et suis irrogatis.

Item hoc autem sciat princeps, quod omnes amicos et adherentes ecclesie vult ecclesia in pace ponere ac plena securitate gaudere, quod nunquam hac occasione possit[c] subire aliquod discrimen.

a) Dat. ut supra *R.* b) *R.:* rogent et petant *Rayn. § 14.* c) *R.:* possint *Rayn.*

1) *Nuntii, qui hos articulos ad imperatorem portaverunt, Petrus archiepiscopus Rotomagensis, Wilhelmus episcopus quondam Mutinensis et Wilhelmus abbas Sancti Facundi, ante mensem Augustum profecti esse vix possunt, cum episcopus quondam Mutinensis adhuc Iul. 28 apud curiam fuerit (cf. Oct. 8): eos autem post medium mensem missos esse probabile non est, cum papa litteris eorum Melphiae scriptis iam Aug. 26 responderit. Cf. Böhmer-Ficker, Reg. Imp. V 3372 b et 3378 a.* 2) *Scil.* papa et fratres sui. *Forma articulorum, quae hic legitur, minus diligenter composita est, cum infra papa ipse loquatur; v.* nostram, nobis *etc. Suspicari licet, ipsum eum hanc formam exarasse, idque, ut ita dicamus, sub persona tertia, cumque personam primam nonnullis locis, ut brevius loqueretur, introduxisse, et exemplar Regestorum non ex authentico, quod accuratius confectum putamus, sed ex his litteris notatis transcriptum esse.*

8.

Innocentius IV papa Frisiae, Hollandiae, Selandiae, Quattuor Officiorum Flandriae et de Bathua capitulis Traiectensis diocesis concedit, ut propter longam diocesani sui absentiam ecclesias, quae per effusionem sanguinis et seminis violatae sint, per aquam ab episcopo benedictam hac vice purificare possint. *1243, Aug. 21.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 11; Lib. I, 63.
Berger 63.

Frisie, Hollandie, Zelandie, Quatuor Officiorum Frandrie[a] et de Bathua[1] capitulis Traiectensis diocesis.

Licet velimus constitutiones apostolice sedis, que omnes astringunt, ab omnibus inviolabiliter observari, nolumus tamen usque adeo ipsarum nervum extendere, quod vel ipsum rumpi oporteat vel omnino deserere ligaturam, quoniam ad hoc Deus in apostolica sede constituit plenitudinem potestatis, ut Romanus pontifex, qui claves in beato Petro potestatis et discretionis accepit, nunc statuta vallet rigoribus, nunc ea dispensative relaxet, prout necessitatis articulus interpellat. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod cum[b] sitis nimium, qui habitatis in extremis mundi partibus, a diocesano vestro remoti eiusdemque[c] episcopi copiam non habentes, utpote qui propter viarum discrimina et pericula maris ad partes vestras de decennio in decennium vix accedit[2], sustinetis gravem in hiis, que ad eum pertinent episcopalis ordinis ratione, defectum, ex eo maxime quod cum contingat frequenter ecclesias vestras per effusionem sanguinis et seminis violari, nec adsit episcopus, qui eas reconciliet iuxta morem, vobis in eis cessantibus a divinis, parrochiani earum exinde scandalizati nonmodicum prosiliunt sepius ad iurgia contra clerum, alias non curantes eis, cum officia divina non audiant, de temporalibus respondere, sicque fit, quod eedem ecclesie, que in talibus culpa carent, vocantur in dampnum, eis per hoc incurrentibus spiritualium et temporalium maximum detrimentum. Quare nobis cum instantia supplicastis, ut providere super hoc tam eisdem ecclesiis quam vobis etiam de consueta benignitate sedis apostolice curaremus. Volentes igitur sic annuere votis vestris constitutionem canonicam relaxando, quod per hoc eidem futuris temporibus nullatenus derogetur, presentium vobis auctoritate concedimus, ut obtenta super hoc a diocesano vestro licentia, ecclesias vestras taliter violatas reconcilietis hac dumtaxat vice aqua ad hoc ut moris est per episcopum benedicta, nullo per hoc constitutioni, que precipit id per episcopos fieri, preiudicio in posterum generando.

Dat. Anagnie, XII Kal. Sept. pontificatus nostri anno primo.

9.

Innocentius IV papa [Petro] archiepiscopo Rotomagensi, [Wilhelmo] episcopo quondam Mutinensi et [Wilhelmo] abbati Sancti Facundi, nuntiis sedis apostolicae, exponit, quibus de causis petitiones et conquestiones principis admitti non possint, eosque apud eum insistere iubet, ut populo Christiano de pace provideat et arma adversus ecclesiam assumpta contra

a) *ita P.;* Flandrie *B.* b) cum *deest B.* c) eiusdem *B.*

1) *Betuwe, orientalis pars terrae inter Waal et Leck flumina sitae.* 2) *Cf. Berger 864.*

inimicos orthodoxae fidei convertat; mandat, ut nisi monitionibus eorum se inclinet, protinus ad sedem apostolicam redeant. *1243, Aug. 26.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 14; Lib. I, 89. Raynaldi exemplar. Ann. eccl. a. 1243. § 16—21 insertum, cum Regestis contulit V. Cl. A. Mau.

Potthast, Reg. 11117; Berger 89.

. . archiepiscopo Rothomagensi et . . episcopo quondam Mutinensi et . . abbati Sancti Facundi[1], nuntiis apostolice sedis[2].

Litteras vestras benigne recepimus et earum tenorem pleno collegimus intellectu. Sane inter cetera, que ipse littere continebant, accepimus, quod princeps super quibusdam de nobis conqueritur et aliqua nichilominus a nobis instanter exposcit. Porro, si rei veritas et temporis qualitas diligentius attendantur, nec sue in hac parte querele nec petitioni locus ad presens esse videtur; nam cum Romana ecclesia cunctorum fidelium gerens curam frequenter ad diversas mundi partes legatos dirigat, ne postponat absentes, quorum tenetur procurare salutem, et in Lombardiam olim pro illius terre utilitate communi legatum[3] duxerit destinandum, idemque princeps, postquam fuimus ad apicem summi apostolatus assumpti, reliquias patrimonii eiusdem ecclesie, quod tempore felicis recordationis G[regorii] pape predecessoris nostri fere occupavit in totum, non cessaverit multipliciter impugnare, quinpotius illas afflictionis manu attriverit gravioris: nec digne ab eo petitur predictum revocari legatum, nec esset ei super hoc a nobis, rebus sic existentibus, exauditionis tribuendus auditus, maxime quia Lombardis diu guerrarum commotione turbatis optate spes consolationis ex legati eiusdem tolleretur absentia et aditus ad maiora eorum discrimina preberetur, et non absque nota proditionis ecclesia sic ipsos desereret, ni prius remissionem ab eodem principe obtinerent vel cum ipso treugas inirent super iniuriis, quas eos sibi occasione dicit eiusdem ecclesie irrogasse; nec ab ipsius ecclesie Romane cardinalibus, ea vacante, fuit ei prefati revocatio promissa legati, sed cum de venerabili fratre nostro . . Penestrino episcopo[4] aliisque liberandis captivis haberetur tractatus et ab eisdem cardinalibus, ut legatum revocarent eundem, ex parte principis peteretur ipsius, a quibusdam eorum responsum extitit, quod petitiones eius, quantum cum Deo possent, cum adesset oportunitas temporis, adimplerent.

Multum autem gaudendum est principi, quod dictum Penestrinum et quosdam alios restituit libertati[5], et dolendum satis, quod reliquos adhuc detinet captivatos, cum ex illorum restitutione salus ac honor et istorum detentione contrarium ei provenisse noscatur. Provide quoque deberet attendere, an ecclesiam, quam sepius vocat matrem, revereatur ut convenit et eius ut decet fideles honoret. Quomodo enim verbis matrem illam asserit, si se ipsius filium operibus diffitetur? Aut quomodo erga eam devotionem dicto pretendit, si se sibi facto exhibet indevotum? Salinguerre[6] vero liberatio, super qua nunc primo ipsius principis intelleximus voluntatem, incongrue postulatur a nobis, cum nec detineamus illum nec detineri aliquatenus faciamus: qui si per nos etiam teneretur, cum civitatem Ferrariam, sedis apostolice specialem, sicut ex eiusdem principis et predecessorum suorum privilegiis potest liquido apparere, pro qua idem S. vassallus erat sedis ipsius, contra Romanam ecclesiam concitarit et in rebellione captus extiterit civitatis eiusdem, non ex hoc princeps ipse iusta posset ammiratione moveri. Verumtamen, si ostendi poterit coram nobis, quod ratione pacti

1) *De eo cf. t. I, n. 760—762.* 2) *Cf. p. 7, not. 1.* 3) *Gregorium de Montelongo, cf. t. I, p. 650.* 4) *Iacobo.* 5) *a. 1243, Mai.; Bohmer-Ficker, l. c. 3362 b.* 6) *Hic post deditionem Ferrariae a. 1240, Iun. 2 captus Venetias ductus fuerat; Bohmer-Ficker, l. c. 3118 a.*

vel promissionis alicuius debeat liberari, super hoc quod debebimus faciemus. Ceterum nos venerabilis fratris nostri archiepiscopi Maguntini[1] nuntios ilariter recepisse ac ei commisisse legationis officium[2] nullosque audire in iustitia contra eum, in querimoniam princeps ipse deducit. Sed cum idem archiepiscopus magnus ecclesie Dei prelatus tantusque princeps existat et ipsi ecclesie tam devotus, gaudemus utique, si quem ei honorem impendimus, quem etiam proponimus auctore Domino amplius honorare. Super iustitia tamen contra ipsum a nobis aliquibus denegata nos conscientia non remordet, cum illam intendamus petentibus plenarie contra quoslibet exhibere. Ad devotionem autem principis memorati dictum archiepiscopum et alios amicos ecclesie libenter reducere curaremus, si ad reddendum ipsi ecclesie suisque devotis pacem debitam et servandum eandem animum inclinaret. Habet insuper eiusdem conquestio principis, quod in odium sui et favorem dilecti filii nobilis viri . . comitis Provincie[3] . . Avinionensi electo[4] legationis officium in illis partibus duximus committendum, sed Deo teste nullam tunc de principe ipso fecisse meminimus mentionem, cum specialiter contra hereticos et fautores ipsorum legationem eandem ad fratrum Predicatorum instantiam, qui propter hoc ad apostolicam sedem de partibus eisdem accesserant, electo iniunxerimus antedicto. Parati nichilominus sumus pro eodem comite sue devotionis exigentibus meritis etiam ad maiora. Nec iuste quidem argui possumus, quod contra remotos hereticos omissis proximis, Lombardie videlicet et Tuscie, procedamus: nam, sicut omnium fere tenet notitia, Romana ecclesia ubique terrarum ante ortam inter ipsam et principem eundem discordiam constanter persequebatur hereticam pravitatem, et eo fortius in vicino, quo inibi ratione propinquitatis facilius et plenius vim sue auctoritatis poterat exercere. At postquam princeps idem ecclesiam ipsam cepit opprimere, sic undique vires eius artavit viasque preclusit, quod impugnare pravitatem ipsam et catholice fidei et ecclesiastice libertatis augmentum ac salutem fidelium, prout oportuit, procurare nequivit. Ad hoc princeps ipse mirari non debet, si suos non admisimus nuntios ad nostram presentiam destinatos[5], cum nunquam Romanus pontifex excommunicatos scienter recipiat, antequam absolutionis beneficium iuxta formam ecclesie consequantur. Insistite igitur studiosis exhortationibus apud eum, ut de sua salute sollicite cogitans, universo populo Christiano de pacis tranquillitate provideat et arma, que adversus ecclesiam irreverenter assumpsit, contra hereticos, scismaticos aliosque inimicos orthodoxe fidei ex reverentia filiali convertat. Sic enim a se iudicis indignationem superioris averteret, qui nonnunquam in presenti delinquentium culpas punire ideo pretermittit, ut illas in futuro gravius ulciscatur, et sedem apostolicam adeo sibi constitueret favorabilem et benignam, ut in hiis, que principis ipsius honorem respiciunt, studeret eius desideria prevenire. Quodsi forte se monitionibus vestris tam salubribus humiliter non inclinet, volumus et presentium vobis auctoritate mandamus, quatinus ad nos protinus redeatis.

Dat. Anagnie, VII Kalendas[a] Septembris, anno primo.

a) *ita R.;* Non. *Rayn.*

1) *Sigefridi III.* 2) *Legatus usque ad a. 1249 non fuit; nam etsi permultae epistolae papae supersunt, quae ante hunc annum scriptae, aut ad eum directae sunt aut nomen eius commemorant, in nulla tamen eum legationis munere fungi mentio fit neque in inscriptione ullius eum legati titulo insignitum esse legimus: qui titulus nomini eius, cui concessus erat, in Regestis quoque semper adscribebatur. Attamen talia mandata et privilegia per nuntios memoratos recepisse potest, qualia legatus habere consuerit; cf. Ficker in Mitth. d. Inst. f. österr. Gesch. IV, 387 et sequ.* 3) *Raymundi Berengarii IV.* 4) *Zoen; cf. Berger 24, 31, 100—103.* 5) *Cf. Bohmer-Ficker, l. c. 3372 b.*

10.

Innocentius IV papa archipresbytero Perusino capellano suo, in Ducatum et patrimonium in Tuscia destinando, mandat, ut a R[agnerio] Sanctae Mariae in Cosmidin diacono cardinali de negotio suo informationem recipiat. 1243, *Aug.* 26.

Inn. IV Reg. Vol. I, 12; Lib. I, 67.
Berger 67.

. . archipresbytero Perusino capellano nostro.

Deliberatione prehabita nos et fratres nostri expedire vidimus, quod te ad procurandum honorem ecclesie in Ducatum et patrimonium beati Petri in Tuscia destinemus. Plenam itaque de tua gerentes circumspectione fiduciam mandamus, quatinus a dilecto filio nostro R. Sancte Marie in Cosmidin diacono cardinali, cui super hoc scripta nostra dirigimus, plenam de hiis, que huiusmodi fuerint oportuna negotio, informationem recipiens, ad predictum patrimonium et Ducatum duce Christo dirigas gressus tuos, sic diligenter et provide processurus in omnibus, quod inde nobis et eisdem fratribus nostris occurras merito commendandus.

Dat. Anagnie, VII Kal. Septemb. anno 1[a].

11.

Innocentius IV papa R[agnerio] Sanctae Mariae in Cosmidin diacono cardinali mandat, ut si ei placeat, ut archipresbytero Perusino Ducatus et patrimonium in Tuscia in spiritualibus et temporalibus committatur, litteras de hac re confectas ei assignet, alias eum ipse informet et illuc transmittat. 1243, *Aug.* 26.

Inn. IV Reg. Vol. I, 12; Lib. I, 66.
Berger 66.

R. Sancte Marie in Cosmidin diacono cardinali.

Deliberatione prehabita nos et fratres nostri expedire vidimus, quod dilecto filio . . archipresbytero Perusino capellano nostro Ducatum et patrimonium beati Petri in Tuscia in spiritualibus et temporalibus, si tamen tibi placeat, committamus. Verum cum tibi mittamus interclusas sub bulla nostra litteras, que super commissione huiusmodi diriguntur[1], mandamus, quatinus, si acceptum hoc duxeris, dicto archipresbytero litteras easdem assignes, alias autem, ipsis apud te retentis, eum sufficienter a te de[b] omnibus, que honori ecclesie oportuna videris, informandum in predictum patrimonium et Ducatum duce Christo transmittas.

Dat. ut supra[c].

---

a) *in R.* Dat. ut supra, *scil. in Lib. I. 65 et 66 [n. 12 et 11], quas epistolas post hanc proponimus, ut quo consilio scriptae sint et quae fuerit consuetudo curiae in negotiis huiusmodi conferendis observata, plenius intelligatur.* b) de *deest B.* c) *v. not. a.*

1) *Scil. Reg. 65 [n. 12] et 68, quam epistolam Berger ita praebet:* Episcopis, abbatibus, prioribus etc. ut supra in LXV littera. *His verbis epistolam 65 iterum registratam esse credi non potest, praesertim cum epistolas 85 et 86 [n. 18] eodem modo ac 65 et 68 inter se distulisse legamus. Opinamur epistolam 68, in ceteris ep. 65 similem, ab ea ita discrepasse, ut ab archipresbytero, etiamsi ut 'rector' fieret, Ragnerio cardinali non placeret, pro testimonio mandatorum a sede apostolica acceptorum nihilominus proferri posset. Etiam ex p. 13, lin. 13 et 19 concludere licet epistolam extitisse, in qua negotia ei commissa summatim tantummodo posita, non 'rectoris' verbo circumscripta erant.*

12.

Innocentius IV papa episcopis et aliis praelatis, potestatibus, consiliis et populis civitatum et locorum ducatus Spoletani et patrimonii in Tuscia mandat, ut archipresbytero Perusino capellano suo, cui partes eorum in spiritualibus et temporalibus commiserit, tanquam rectori suo intendant. *1243, Aug. 26.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 12; Lib. I, 65.
Berger 65.

Episcopis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prelatis ac nobilibus viris potestatibus, consiliis et populis civitatum et locorum per Ducatum et patrimonium beati Petri in Tuscia constitutis presentes litteras inspecturis[1].

Per nos ipsos ad omnia sufficere nequeuntes, eis interdum aliqua committimus, de quorum experta fide, sinceritate devotionis et discretionis industria plenam fiduciam obtinemus. Cum igitur dilecto filio . . archipresbytero Perusino capellano nostro, viro utique discreto et provido ac nobis et fratribus nostris accepto sue merito probitatis, Ducatum et patrimonium beati Petri in Tuscia duxerimus in spiritualibus et temporalibus committendum, universitatem vestram rogamus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta precipiendo mandantes, quatinus eundem, cum ad vos pervenerit, pro nostra et apostolice sedis reverentia plene affectionis studio prosequentes, ei tanquam rectori vestro super hiis, per que honor ecclesie ac status vestri tranquillitas provenire valeat, sicut efficacius poteritis, intendatis, ita quod sibi commissa sollicitudo vertatur in gaudium, et favor apostolice sedis, qui suis precipue devotis acquiritur, vobis cum divine benedictionis gratia iugiter augeatur. Alioquin sententiam, quam ipse rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino inviolabiliter observari.

Dat. Anagnie, VII Kal. Septemb. anno I.

13.

Innocentius IV papa potestatem, consilium et populum Perusinos hortatur, ut sicut antea ecclesiae fideles fuerint, afflictis Asisinatibus auxilium impendant et archipresbyteri Perusini capellani sui, ad ipsos destinati, mandata diligenter exequantur. *1243, Aug. 26.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 12; Lib. I, 69.
Berger 69.

Nobili viro . . potestati, consilio et populo Perusinis.

Pre ceteris aliis ecclesie Romane devotis famosa vestra civitas se illi frequenter gratam et placitam reddidit puritate fidei, devotionis fervore et constantie firmitate; producitur vobis ex hiis meritum perempnis glorie, laudis humane preconium et apud sedem apostolicam actio continua gratiarum. Hec enim probitatis opera, ex quibus bona tam electa prodeunt, perpetua sunt prosecutione dignissima, nec debent in adversis minui vel in prosperis occasione aliqua intercidi, cum sit potissimum ad laudem vere

1) *Cf. n. 11. Epistolam a Raynerio cardinali retentam esse propter n. 18 probabile est.*

fidelium, quod eorum sinceritas nullum pretextu aliquo sui vigoris perferat detrimentum, maxime cum pretiosos lapides constet ex hoc haberi carissimos, quia nullo[a] unquam tempore sui spetiem coloris deserunt vel virtutem ammittunt. Sic de vobis fiat, filii predilecti, ut preclare fame vestre illibatum semper conservetis honorem, nec dicatur unquam a remotis vel proximis, quod Perusina civitas matri sue Romane ecclesie ad plenum devota non fuerit in adversis, sicut forte ab aliquibus diebus istis asseritur, quibus in negotiis spectantibus ad ipsius honorem ecclesie videtur vos minus fuisse vigiles vel debitam diligentiam non habentes. Hec a mentibus taliter extimantium tollatur opinio et clara detur asserendi materia, quod dicta ecclesia in sua et fidelium suorum procuranda salute vos invenerit affectu sollicitos et opere studiosos, presertim super oportunis auxiliis afflictis Asisinatibus impendendis, in quorum tuitione dignissima et Deo gratum exhibetur obsequium et sedi apostolice honoris procuratur augmentum. Verum cum pro hiis et aliis, que aptius poterunt verbis exprimi, quam litteris valeant explicari, vobis efficaciter suggerendis dilectum filium . . archipresbyterum Perusinum capellanum nostrum, virum utique discretum et providum ac nobis et fratribus nostris acceptum sue merito probitatis, ad vos duxerimus destinandum, universitatem vestram omni qua possumus attentione rogamus, per apostolica vobis scripta precipiendo mandantes, quatinus ipsum, cum ad vos pervenerit, recipientes ylariter et honorifice pertractantes, super hiis que vobis ex parte nostra dixerit sibi fidem plenariam impendatis, illa et alia eius salubria mandata et monita tali studio promptitudinis exequentes, ut Dei benignitas, cuius in talibus causa geritur, vobis exinde felicitatis eterne dulcedinem et apostolica sedes sui favoris et gratie oportunis temporibus retribuat largitatem. Alioquin sententiam, quam dictus archipresbyter in vos spiritualiter et temporaliter rite duxerit proferendam, ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Dat. Anagnie ut supra.

14.

Innocentius IV papa potestatem, consilium et populum Asisinates ob servitium ecclesiae impensum afflictos, dolens quod impraesentiarum eis auxilium ferre non possit, consolatur.

1243, Aug. 26.

Inn. IV Reg. Vol. I, 12; Lib. I, 70.
Berger 70.

Nobili viro . . potestati, consilio et populo Asisinatibus.

Viget circa filios materna semper affectio, et vix dies pretereunt, in quibus de ipsorum statu flebili meditatio non affluat vel contemplatio non occurrat. Sane hoc ipsum contingit de vobis specialibus ecclesie filiis sub continue persecutionis angustia constitutis, quos ipsa frequenter ecclesia tenet cum dolore pre oculis, fundendo suspiria quod impresentiarum ab ipsa provenire non potest auxilium, quod vobis optate consolationis afferat lenimentum. Sed sperat de affluentia divine clementie, quod ipsa circa vos et alios pro ecclesia patientes oculum in proximo pietatis aperiat et anxietatibus vestris finis expectati gratiam benignius[b] largiatur. Itaque, dilecti filii, qui tamquam Christi pugiles multis olim voluistis subesse periculis, ne frangeretur in vobis ecclesiastice privilegium libertatis, donec dies votive tranquillitatis aspiret et inclinentur Cant. 2, 17.

a) ullo P. b) benignus P.

presentis umbre dissidii, fortes animo et inconcussi mentibus in fide ac devotione vestre matris ecclesie persistatis, credentes quod cum pregrandis vestrorum quantitas meritorum de ipsius ecclesie numquam possit aboleri memoria, in sedis apostolice piis affectibus erit tempore oportuno promptissimum, ut vobis pro tanti pena certaminis condigne gratie premium retribuat et favoris, maxime cum sic multotiens ipsius exuberet gratiosa benignitas, quod non solum filios in suo quasi gremio constitutos affectu materno prosequitur, set illos etiam, pro quibus in remotis partibus devotionis merita intercedunt.

Dat. ut supra.

15.

Innocentius IV papa potestatem, consilium et populum Tudertinos monet, ut ecclesiae ad restaurationem iurium suorum subveniant et archipresbyteri Perusini capellani sui, ad ipsos destinati, mandata diligenter exequantur. *1243, Aug. 26.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 12; Lib. I, 71.
Berger 71.

. . potestati, consilio et populo Tudertinis.

Tempus adest, in quo vestra devotio potest Deo propitio et ecclesie honorem attollere et devotis eiusdem sub persecutione positis salutis gratiam procurare. Vos itaque, cum sitis ipsius ecclesie filii speciales, scientiam et potestatem habentes, ut status eius in bonum vestre devotionis ministerio suffragante divine virtutis auxilio dirigatur, ad hoc intendite, ad hoc desudate pro viribus, ut quod dicta ecclesia circa suorum restaurationem iurium pie desiderat, consequatur. Verum quia super hiis et aliis nostra vobis affectio melius poterit verbis exprimi quam litteris explicari, dilectum filium . . archipresbyterum Perusinum etc. ut supra in LXIX littera usque in finem.

Dat. ut supra.

In eundem modum . . potestati, consilio et populo Urbevetanis.

16.

Innocentius IV papa [Marcellino] episcopo Aretino, marchiae Anconitanae rectori, mandat, ut quosdam, qui ob favorem principis excommunicati ad sinum ecclesiae redire velint, absolvat. *1243, Aug. 26.*

Inn. IV Reg. Vol. I 12; Lib. I, 72.
Berger 72.

. . episcopo Aretino, marchie Anconitane rectori.

Cum, sicut te intimante percepimus, nonnulli in Anconitana marchia constituti, qui propter favorem principi exhibitum vinculo sunt excommunicationis astricti, ad sinum matris ecclesie redire desiderent, mandamus, quatinus per te ac alios, quos ad hoc idoneos esse cognoveris, de parendo super hiis mandatis ecclesie et quod in partem dicti principis ulterius non redibunt sufficienti ab eis cautione recepta, ipsis iuxta formam ecclesie beneficium absolutionis impendas [1].

Dat. ut supra.

1) *Alia mandata eidem sub eodem die data ap. Berger 73 et 74.*

17.

Innocentius IV papa episcopis et aliis praelatis marchiae Anconitanae mandat, ut [Marcellinum] episcopum Aretinum, rectorem ad partes ipsorum transmissum, cum debita honorificentia recipiant. — Idem fere fidelibus suis ibidem constitutis scribit.

1243, Aug. 26.

Inn. IV Reg. Vol. I, 13; Lib. I, 75 et 76.
Berger 75 et 76.

I.

Episcopis, abbatibus, prioribus, archidiaconis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prelatis per Anconitanam marchiam constitutis.

Cum venerabilem fratrem nostrum .. episcopum Aretinum, quem in rectorem Marchie duximus providendum, ad partes vestras pro conservando statu provincie transmittamus, mandamus, quatinus eumdem cum honorificentia debita recipiatis et sibi in expensis necessariis providere curetis. Alioquin sententiam, quam idem propter hoc rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino inviolabiliter observari.

Dat. ut supra.

II.

Universis fidelibus nostris per Anconitanam marchiam constitutis.

Sinceritatem devotionis *etc.*[a]: quatinus eundem cum honorificentia debita, imo nos in eo, recipere et mandatis eius prompte ac fideliter obedire curetis. Alioquin etc.

Dat. ut supra.

18.

Innocentius IV papa episcopis et aliis praelatis, potestatibus, consiliis et populis civitatum et locorum ducatus Spoletani et patrimonii in Tuscia commendat [Philippum] episcopum Camerinensem et abbatem Sancti Severi Urbevetani, ad partes eorum destinatos.

1243, initio mensis Septembris[1].

Inn. IV Reg. Vol. I, 14; Lib. I, 85 et 86.
Berger 85 et 86.

I.

Episcopis, abbatibus, prioribus etc. ut supra in LXV littera[2].

Per nos ipsos etc. usque: obtinemus. Cum igitur venerabili fratri nostro .. episcopo Camerinensi et dilecto filio .. abbati Sancti Severi Urbevetani, viris utique providis et discretis, Ducatum et patrimonium etc. usque in finem.

---

a) *ep. integra descripta non est.*

1) *Cum episcopus et abbas nominati in locum archipresbyteri Perusini, ut putamus a Raynerio cardinali reiecti [cf. n. 11 et 12], subrogati esse videantur, has epistolas et sequentem non ante mensem Sept., propter ordinem autem Regestorum eas non post medium mensem scriptas esse verisimile est.* 2) *n. 12.*

II.

Eisdem.

Per nos ipsos etc. ut supra in LXVIII littera[1] etc. usque in finem.

19.

Innocentius IV papa [Philippo] episcopo Camerinensi et abbati Sancti Severi Urbevetani idem scribit, quod archipresbytero Perusino sub Aug. 26: cf. n. 10.

1243, initio mensis Septembris.

Inn. IV Reg. Vol. I, 14: Lib. I, 87.
Berger 87.

.. episcopo Camerinensi et .. abbati Sancti Severi Urbevetani.

Deliberatione prehabita etc. ut supra in LXVII littera usque in finem.

20.

Innocentius IV papa [Petro] archiepiscopo Rotomagensi, [Wilhelmo] episcopo quondam Mutinensi et [Wilhelmo] abbati Sancti Facundi respondet beneplaciti sui esse, ut nuntiis principis ad praesentiam suam accessuris absolutionis beneficium impendatur et idem pro desiderio pacis etiam [Berardo] archiepiscopo Panormitano conferatur. Cf. n. 9.

1243, Sept. 2.

Inn. IV Reg. Vol. I, 15; Lib. I, 93.
Potthast, Reg. 11121; Berger 93.

.. archiepiscopo Rothomagensi, .. episcopo quondam Mutinensi, et .. abbati Sancti Facundi.

Litterarum vestrarum serie diligenter audita, devotioni vestre duximus respondendum, quatinus est beneplaciti nostri, ut nuntiis principis ad nostram accessuris presentiam[2] iuxta formam ecclesie et sicut vobis viva voce diximus absolutionis beneficium impendatis; quod licet .. Panormitano archiepiscopo eo difficilius et tardius concedi deberet, quo Romanam ecclesiam, cui debitor in multis esse dinoscitur, gravius offendisse videtur, tamen pro desiderio pacis, in qua honorem Dei querimus et populi Christiani salutem, volumus, ut illud, sicut aliis, conferatur eidem; qui recipietur a nobis ad omnem tractatum pacis et concordie, sicut ceteri nuntii admittentur. Nec tamen intelligat, quod propter huiusmodi absolutionis gratiam apud sedem apostolicam tamquam archiepiscopus ad presens honoris aut favoris gratiam consequatur vel percipiendi sue proventus ecclesie habeat facultatem, cum dignum sit, ut ubi gravis culpa precessisse perspicitur, ne delinquendi detur audacia, condigna compensatio subsequatur.

Dat. Anagnie, IIII Nonas Septembris, anno primo.

21.

Innocentius IV papa [Nicolao] episcopo Pragensi, abbati de Brewnowe et praeposito Pragensi scribit de controversia exorta super vacante ecclesia Olomucensi, cui capitulum

1) Cf. p. 11, not. 1. 2) Cf. Bohmer-Ficker, l. c. 3383 a.

per electionem magistrum Willelmum canonicum, [Sigefridus III] autem archiepiscopus Moguntinus metropolitanus Conradum canonicum Hildeshemensem praefecerit; mandat, ut Conrado spatium trium mensium terminum peremptorium praefigant, infra quem coram papa personaliter vel per procuratorem compareat. *1243, Sept. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 17; Lib. I, 111. Exemplar ap. Boczek, Cod. dipl. Moraviae t. III, p. 29, n. 43 extans cum Regestis contulit V. Cl. A. Mau.

Potthast, Reg. 11129; Berger 111.

.. episcopo et .. abbati monasterii de Brennowe[a][1] et .. preposito maioris ecclesie Pragensis.

Ex parte dilectorum filiorum .. decani et capituli ecclesie Olomucensis fuit propositum coram nobis, quod[2] ipsa pridem pastore vacante, iidem, prout spectat ad eos, ne illa sub diutina vacatione langueret, ad tractandum de futuri substitutione pontificis in capitulo convenerunt, et cum omnes per scrutinii formam in magistrum Willelmum eorum concanonicum, virum utique litteratum, honestum et providum ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum, per cuius industriam dicta ecclesia de bono in melius reformanda speratur, concorditer consensissent, ipsum in Olomucensem episcopum elegerunt. Qui cum ad multam eorum instantiam electioni de se facte consenserit, Conradus canonicus Ildesemensis[3] in episcopatum Olomucensem per laicalem potentiam se procuravit intrudi: qui spoliatis eorum domibus de ipsa ecclesia eiecit eosdem et in ea fractis eius ostiis in ipsius bonis hostiliter debachatur. Quare procuratores dictorum decani et capituli nobis humiliter supplicarunt, ut cum de premissis apud sedem apostolicam possit fieri plena fides, ipsi ecclesie ac eiusdem canonicis, qui per eundem Conradum bonis omnibus spoliati et experti vincula et carceres, in iniuriam clericalis ordinis subire coguntur mendicitatis opprobrium, providere paterna sollicitudine curaremus. Procurator vero partis adverse, quem cum iureiurando, quod procurator esset, admisimus, eo quod procurationis litteras propter viarum pericula secum deferre timuit, ut dicebat, proposuit ex adverso, quod R[oberto] quondam Olomucensi episcopo, licet frequenter monito, excessus canonicorum suorum corrigere non curante, venerabilis frater noster .. Maguntinus archiepiscopus, loci metropolitanus, eandem Olomucensem ecclesiam iure metropolitico visitavit, et cum inquisitione prehabita decanum et alios canonicos ipsius ecclesie pro manifesta cohabitatione mulierum et aliis diversis excessibus et evidentibus criminibus exigente iustitia suspendisset, tandem eorum succrescente malitia tulit excommunicationis sententiam in eosdem. Demum vero, predictis decano et canonicis Olomucensis ecclesie existentibus sic ligatis et absolutionem negligentibus implorare, ac interim prefata ecclesia pastoris solatio destituta, predictus archiepiscopus reputans eos iure electionis indignos, quia lapsu temporis iam devoluta erat ad eum potestas providendi eidem ecclesie de pastore, Conradum Ildesemensem canonicum, virum utique providum et discretum, predicte ecclesie Olomucensi prefecit, faciendo eum in ipsius ecclesie episcopum consecrari; cui tam in spiritualibus quam in temporalibus ecclesie ministranti capitulum ipsius ac totus Olomucensium civitatis et diocesis clerus tanquam suo episcopo obediunt humiliter et intendunt. Cum igitur sit in desiderio nostro continuum ecclesiarum subvenire dispendiis per condigne provisionis effectum, mandamus, quatinus dicto Conrado, qui pro eiusdem ecclesie pastore se gerit, spatium trium mensium terminum peremptorium prefigatis, infra quem post vestre citationis edictum personaliter vel per procuratorem sufficientem et idoneum cum rationibus et munimentis suis ad negotium ipsum spectantibus nostro se conspectui

a) *ita R.; leg.* Breunowe.

1) *Ex occ. cir. Prag.* 2) *Cf. t. I, p. 711, n. 809.* 3) *Fautor Friderici imperatoris, ibid.*

representet, facturus et recepturus, quod ordo dictaverit rationis, — non obstantibus litteris apostolicis ad . . archidiaconum Wratislaviensem eiusque coniudices super huiusmodi negotio, per quos ad executionem ipsius propter malitiam temporis et eiusdem C. potentiam ut asseritur procedi non potuit, impetratis[1]. Quicquid autem super hoc feceritis, nobis per vestras litteras fideliter rescribatis. Quod si non omnes —, tu, frater episcope, etc.

Dat. Anagnie, III Id. Septembris, anno primo.

22.

Innocentius IV papa G[regorio] de Montelongo subdiacono et notario suo, apostolicae sedis legato, scribit, qua de causa tractatus pacis cum principe habitus successu caruerit, eique mandat, ut fideles in Lombardiae partibus constitutos animet, ut in devotione solita perseverent, scituri ecclesiam pacem inituram non esse, nisi quae sibi et ipsis expediat.

1243, Sept. 23.

Inn. IV Reg. Vol. I, 21: Lib. I, 127. Pertzii exemplar contulimus cum Savioli, Ann. Bolognesi t. III, II, p. 201, n. 631.

Potthast, Reg. 11135; Berger 127.

G. de Montelongo subdiacono et notario nostro, apostolice sedis legato.

Presentium tenore scire te volumus, quod cum nuper . . princeps nos super reformatione pacis inter ecclesiam et ipsum per sollempnes nuntios et litteras requisisset, quia vere pacem diligimus et sincere concordie inter Christianos appetimus unitatem, ne videremur pacis eiusdem repudiare tractatum et ex hoc princeps ipse occasionem sumeret ecclesiam more solito infamandi, ad eum nuntios direximus speciales, illam per ipsos pacis formam offerentes eidem, que ipsi ecclesie suisque devotis et etiam dicto principi videri poterat expedire. Sed idem formam huiusmodi non acceptans ad apostolicam sedem nuntios iterum destinavit, qui cum eorum petitionibus, in quibus nec eiusdem honor ecclesie videbatur nec suorum fidelium procurari, non duxerimus annuendum, a presentia nostra infecto penitus ipsius pacis negotio recesserunt[1]. Quapropter mandamus, quatinus fideles et devotos ecclesie in Lombardie partibus constitutos, ut in ipsius devotione solita stabiliter perseverent suisque obsequiis perseveranter insistant, studeas, prout expedire videris, affectuosis inductionibus animare, ipsis ex parte nostra significans, quod cum eis et aliis ecclesie devotis, prout eidem ecclesie ac illis expedire viderimus, et non aliter, pacem inter ecclesiam ipsam et memoratum principem intendimus reformare.

Dat. Anagnie, VIIII Kal. Octob. anno primo.

23.

Innocentius IV papa priori provinciali Praedicatorum in Alamannia iniungit, ut priores et fratres ordinis sui in Magdeburgensi et Bremensi provinciis, Ratisponensi,

1) V. *ibid.* 2) *Cf. n. 7, 9, 20 et Bohmer-Ficker, l. c. 3383 a.*

Pataviensi, Halberstadensi, Hildeshemensi et Verdensi diocesibus constitutos praedicationi crucis contra infideles Livoniae et Prusciae deputet; crucesignatis aliisque pro hoc negotio laborantibus eandem indulgentiam se elargiri, quae subvenientibus Terrae Sanctae concedatur.

1243, Sept. 23.

Inn. IV Reg. Vol. I, 28; Lib. I, 162. Pertzii exemplar contulimus cum Theiner, Mon. Poloniae t. I, p. 37, n. 77.

Potthast, Reg. 11136; Berger 162.

.. priori provinciali fratrum ordinis Predicatorum in Alemannia.

Qui iustis causis hominum promovendis promptum favorem impendimus, tanto libentius vigilanti cura prosequi pia debemus negotia Iesu Christi, quanto Deus homini preferendus esse dinoscitur et omnis sibi deberi reverentia comprobatur. Igitur cum, sicut relatu fidedignorum percepimus exultantes, conditor omnium in Livonie ac Pruscie partibus dilectorum filiorum fratrum hospitalis sancte Marie Theutonicorum Ierosolimitane ac aliorum fidelium triumphanti dextera faciente sit multipliciter exaltatus, et spes sit, quod ibidem magis ac magis sui nominis gloria protendatur, si plantationi sue partium earundem favorem, quem in ipso possumus, impendentes, oportunum illi per devotos ecclesie subsidium procuremus: devotionem tuam rogamus et hortamur in Domino, per apostolica tibi scripta mandantes ac in remissionem peccaminum iniungentes, quatinus priores et fratres tui ordinis constitutos in Madeburgensi et Bremensi provinciis, Ratisponensi, Pataviensi, Alberstatensi, Ildesemensi et Verdensi diocesibus huiusmodi negotio quaque postposita difficultate deputare studeas et eosdem attentius exhortari, quod assumpto sancte predicationis officio propter Deum, fideles dictarum provinciarum et diocesum ad nimiam caritatem, qua Christus nos dilexit et diligit, respectum habere et ei retribuere aliquid pro omnibus, que tribuit ipse illis, piis exhortationibus secundum datam sibi a Deo prudentiam studeant informare diligenter et sollicite, petituri ut ipsi redempti pretio glorioso, in quos tamquam viros Christianos et catholicos cadere opprobria exprobrantium Christo debent, se viriliter et potenter Ps. 68, 10. accingant, tamquam zelum Dei habentes ad ampliandam gloriam Crucifixi et liberandum proximos de manibus paganorum, profecturi et acturi secundum fratrum consilia predictorum, ita quod et ipsis premium debeatur eternum et infideles non possint, quod impune Christi nomen impugnaverint, gloriari. Illos vero de provinciis et diocesibus memoratis, qui crucis signaculo in Livonie seu Pruscie subsidium insigniti propter paupertatem seu debilitatem illuc nequeunt personaliter proficisci, a voto crucis absolvant, dummodo de bonis suis iuxta proprias facultates congruam subventionem exhibeant, per manus eorundem fratrum in idem subsidium convertendam. Nos enim, ut quod pro nomine Redemptoris tam digne deposcitur, effectu facili compleatur, omnes dictarum provinciarum et diocesum in succursum eorundem fidelium suscepto propter hoc crucis signaculo processuros nec non eorum familiam et bona omnia, donec de ipsorum reditu vel obitu certissime cognoscatur, sub protectione ac defensione sedis apostolice admittentes, illis ac aliis, qui iuxta facultatem et qualitatem suam illuc bellatores idoneos in expensis propriis duxerint destinandos, necnon qui ad subventionem dictarum Livonie vel Pruscie de bonis propriis congrue ministrarint, vel qui in alienis expensis illuc accesserint, ibidem ad minus per unius anni spatium servituri, iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum illam indulgentiam idemque privilegium elargimur, que transeuntibus et subvenientibus in Terre Sancte subsidium conceduntur. Preterea, ut prefatum negotium, quo pluribus contingit iuvari remediis, prosperitatis optate suscipiat incrementum, prioribus et fratribus per te supradicto negotio deputandis presentium auctoritate concedimus, quod illis earundem provinciarum et diocesum, qui ad eorum

sollempnem predicationem accesserint, viginti dies de iniuncta penitentia relaxare, ac eorum singulis illuc sumpto propter hoc crucis caractere processuris, qui pro incendiis et iniectione manuum in clericos vel alias religiosas personas excommunicationis laqueum incurrerunt, absolutionis beneficium iuxta formam ecclesie valeant impertiri, proviso ut passis dampna et iniurias satisfaciant competenter, illis dumtaxat exceptis, quorum excessus adeo sunt difficiles et enormes, quod merito sint ad sedem apostolicam destinandi.

Dat. Anagnie, VIIII Kal. Octobris, anno I.

In eundem modum .. priori provinciali fratrum ordinis Predicatorum in Polonia per regnum Boemie, Poloniam et Pomeraniam.

In eundem modum .. priori provinciali fratrum ordinis Predicatorum in Dacia per regna Dacie, Suetie et Norweie.

24.

Innocentius IV papa priori et fratribus Praedicatorum Magdeburgensium iniungit, ut fideles in Magdeburgensi, Brandeburgensi et Havelbergensi civitatibus et dioecesibus et in Halberstadensi et Verdensi dioecesibus constitutos ad crucem contra infideles Livoniae et Prusciae suscipiendam admoneant. *1243, Sept. 23.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 28; Lib. I, 163. Pertzii exemplar contulimus cum Theiner, l. c. t. I, p. 38, n. 77. Potthast, Reg. 11137; Berger 163.

.. priori et fratribus ordinis Predicatorum Magdeburgensium.

Qui iustis etc. usque: iniungentes, quatinus in Magdeburgensi, Brandeburgensi, Avelbergensi civitatibus ac diocesibus, Alberstatensi et Verdensi diocesibus, assumpto sancte predicationis officio propter Deum, fideles constitutos in illis etc. usque: incrementum, presentium vobis auctoritate concedimus, quod illis earundem civitatum et diocesum, qui ad sollempnem etc. ut in alia verbis competenter mutatis.

In eundem modum eisdem Ildeseñensibus per Ildesemensem civitatem et diocesim.

In eundem modum eisdem Bremensibus per Bremensem et Verdensem civitates et dioceses.

In eundem modum eisdem Viennensibus per Pataviensem civitatem et diocesim.

In eundem modum eisdem Alberstatensibus per Alberstatensem civitatem et diocesim.

In eundem modum eisdem Lipicensibus Mersburgensis diocesis per Mersburgensem et Numburgensem civitates et dioceses, Magdeburgensem, Alberstatensem et Misnensem dioceses.

In eundem modum eisdem Amburgensibus Bremensis diocesis per Bremensem, Razeburgensem et Verdensem dioceses.

In eundem modum eisdem Ratisponensibus per Ratisponensem civitatem et diocesim.

In eundem modum eisdem Lubicensibus per Lubicensem, Razeburgensem et Zwerinensem civitates ac dioceses et Verdensem diocesim.

In eundem modum eisdem Olomucensibus et Brunnensibus Olomucensis diocesis per Olomucensem civitatem et diocesim.

In eundem modum eisdem Pragensibus per Pragensem civitatem et diocesim.

In eundem modum eisdem Fribergensibus per Misnensem civitatem ac diocesim et Numburgensem diocesim.

In eundem modum eisdem Cracoviensibus per Cracoviensem civitatem et diocesim.

In eundem modum eisdem Wratislaviensibus per Wratislaviensem civitatem et diocesim.

In eundem modum eisdem de Wisbu Lingacopensis diocesis per Gotlandiam.

25.

Innocentius IV papa Alberico de Romano et Biaquino de Camino potestatibus et communi Tervisinis nuntiat se ea, quae Alex. de Resio ambassator eorum sibi retulerit, libenter audivisse, eosque hortatur, ut in devotione sedis apostolicae permaneant, scituri ecclesiam pacem cum principe initurum non esse, nisi quae sibi et ipsis expediat.

1243, Sept. 27.

Inn. IV Reg. Vol. I, 23; Lib. I, 136.
Berger 136.

Nobilibus viris[a] Alberico de Romania et Biaquino de Camino[b 1] potestatibus et communi Tervisinis.

Sincere devotionis, quam semper circa Romanam gessistis ecclesiam, et inconcusse constantie, qua illi continue astitistis, non sumus immemores, nec dampnorum plurium aliorumque gravaminum, que pro ipsa passi estis ecclesia, possumus oblivisci; set hec omnia sepius recolentes, et apostolice sedis favore vos dignos agnoscimus et eius beneficiis vos censemus specialiter attollendos; ac dilectionis prerogativa sinceritatem vestram prosequentes et gratie, petitionibus vestris auditum benignum impendimus et cum expedit admissionis ianuam liberaliter aperimus, id firmo intendentes proposito et intentione stabili proponentes, ut circa vestri comodi et honoris augmentum solliciti et vigiles existamus et studeamus vobis pro meritis loco et tempore honorifice respondere[2]. Sane dilectus filius Alex. de Resio ambassator vester nuper ad presentiam nostram accedens statum vestrum, et que sibi a vobis commissa fuisse dicebat, fideliter nobis retulit et prudenter, nosque gratum habentes eius adventum, que proposuit ex parte vestra libenter audivimus, ipsius fidem et diligentiam multipliciter commendantes. Verum quia prudentum est de virtute crescere in virtutem, nobilitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus in solita eiusdem sedis devotione firmiter permanentes, ipsius obsequiis assidue promptius et efficacius insistatis, ut uberius eius gratiam, licet adiectione plenitudo non egeat, mereamini et favorem; scituri quod quantumcumque super reformatione pacis inter ecclesiam et principem videatur haberi tractatus, eam vobiscum et cum aliis ipsius ecclesie devotis, prout eidem ecclesie, vobis et illis expedire viderimus, et non aliter, inter eam et dictum principem intendimus reformare.

Dat. Anagnie, V Kal. Octobris, anno primo.

26.

Innocentius IV papa potestati, consilio et populo Radicofanis confirmat ea, quae magister Bartholomaeus notarius suus nomine G[regorii IX] papae et ecclesiae Romanae

a) Nobili viro *P. et B.;* No. vi. *R. MAC.* b) Camiñ *R.*

1) *Ex or. et sept. Tarvisii.* 2) *Cf. epistolas Oct. 9 datas in Additamento.*

iis olim de nutriendis et vestiendis obsidibus ab iis ecclesiae datis, muniendo castro eorum et aliis rebus promiserit. *1243, Oct. 2.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 25; Lib. I, 151. Pertzii exemplar contulimus cum Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sedis t. I, p. 116, n. 201.

Potthast, Reg. 11118; Berger 151.

.. potestati, consilio et populo Radicofanis fidelibus nostris.

Petente olim de mandato felicis recordationis G. pape predecessoris nostri dilecto filio magistro Bartholomeo notario nostro a vobis ecclesie Romane nomine obsides sibi dari, quia illos ei obtulistis tam liberaliter quam libenter, idem, constantiam fidei vestre considerans et constantem vestre fidei puritatem, vobis ex parte ipsius predecessoris promisit, quod obsides supradicti tam in victu quam in vestitu in expensis Romane ecclesie tenerentur, ac dampna, siqua vobis ab hostibus ecclesie occasione guerre inter ecclesiam et principem exorte inferri forte contingeret, dilecti filii Huguicionis subdiaconi et capellani nostri vel castellani Radicofani pro tempore secundum optionem apostolicam existentis et Terrisii filii Guerrisii de Radicophano super hoc communiter electorum taxatione seu moderatione premissa, per eos post denuntiationem ipsis factam a vobis infra trium mensium spatium facienda, seu si per ipsorum vel alterius eorum malitiam id non esset infra eundem terminum adimpletum, per taxationem aut moderationem, quam facerent decem viri Radicophani a castellano loci eiusdem electi, exceptis ovibus. Romana[a] ecclesia emendaret; castrum quoque Radicophani a parte superiori iuxta cassarum in expensis suis faceret, prout necesse foret, muniri; et ne ob defensorum defectum castrum ipsum quod absit indefensum contingeret remanere, si qui militum vel peditum in equis et armis idonei ad pugnandum occasione guerre ad tantam inopiam devenirent, quod unde viverent non haberent, et esset evidens necessitas eorundem, ecclesia eis super hoc congrue provideret; pauperibus vero ipsius loci, qui propter paupertatem ob guerram ipsam ibidem remanere non possent, faceret ab aliquibus monasteriis vel ecclesiis aut alias misericorditer provideri; si autem vestrum aliqui, quod avertat Dominus, ab ecclesie Romane hostibus capti essent, eadem ecclesia, si haberet aliquos ex hostibus captos, illos sine difficultate qualibet commutaret. Nos igitur, fidei vestre zelum et fidelem devotionem vestram in Domino commendantes ac prosequentes actionibus gratiarum, quod ab eodem magistro factum est in hac parte, ratum et gratum habemus, et faciemus auctore Domino premissa omnia inviolabiliter observari ac predictos obsides apud Urbemveterem custodiri, nisi de ipsius civium fide ac vestra Romana ecclesia dubitaret.

Dat. Anagnie, VI Non. Octob. anno I.

27.

Innocentius IV papa iisdem 740 librarum Senensium expensas, quas pro obsidibus suis apud Urbemveterem tenendis fecerint, cum facultas se obtulerit, resarturum se esse promittit. *1243, Oct. 3.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 25; Lib. I, 152. Pertzii exemplar contulimus cum Theiner, l. c. t. I, p. 116, n. 202.
Potthast, Reg. 11119; Berger 152.

[a] ouib; Ronañ *R. MAV; an* obsidibus, Romana *legendum?*

Eisdem.

Te, fili potestas, ac dilectis filiis Guasta et Seraphin[a] nuntiis vestris petentibus a nobis expensas, que septingentarum et quadraginta librarum Senensium summam attingunt, quas fecistis in obsidibus vestris, quos custodiri facit Romana ecclesia apud Urbemveterem, resarciri: nos, devotionem vestram gratiarum actionibus prosequentes, quamquam in presenti ad plenum super hiis nequeamus satisfacere votis vestris, cum tamen Deo auctore obtulerit se facultas, de ipsis vobis faciemus satisfactionem plenariam exhiberi.

Dat. Anagnie, V Nonas Octobris, anno I.

28.

Innocentius IV papa potestati, consilio et communi Asisinatibus concedit, ut a Fuliginatibus et Spellanis, ipsorum villas, arbores et terrarum labores devastantibus, plenam damnorum restaurationem repetere possint. *1243, Oct. 6.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 28; Lib. I, 165. Pertzii exemplar contulimus cum Theiner, l. c. t. I, p. 117, n. 205. Potthast, Reg. 11152; Berger 165.

.. potestati, consilio et communi Asisinatibus.

Sedes apostolica illorum precipue devotionem attendit et fidem in libro memorie sue scribit, sinum eis gratie specialis[b] aperiens et favoris, quos in eius fidelitate stabiles reperit et ab ipsius latere nulla prorsus adversitas nec prava suggestio separavit[1]. Hinc est, quod cum persecutionis insurgente procella contra Romanam ecclesiam matrem vestram graves pro defensione libertatis ecclesiastice afflictiones sustinueritis et pressuras, devastantibus hominibus de Ducatu et maxime Fuliginatibus et Spellanis[2] villas vestras, arbores, vineas et nemora nec non et labores terrarum vestrarum, nos constantiam vestram et sinceram devotionem meditatione sedula recolentes, vestris supplicationibus inclinati, presentium vobis auctoritate concedimus, ut a Fuliginatibus, Spellanis et aliis supradictis libere possitis huiusmodi dampnorum plenam restaurationem repetere ac eos super hiis tam in ecclesia Romana quam alibi, ubicumque volueritis, convenire.

Dat. Anagnie, II Non. Octobris, anno primo.

29.

Innocentius IV papa eisdem redditus et iura omnia in diocesi Asisinati ad Romanam ecclesiam pertinentia, postquam ad eam redierint, sub annuo censu trium obolorum aureorum usque ad viginti annos concedit. *1243, Oct. 6.*

Inn. IV Reg. Vol. I. 28; Lib. I, 166. Pertzii exemplar contulimus cum Theiner, l. c. t. I. p. 117, n. 204. Potthast, Reg. 11151; Berger 166.

---

a) Saraphin *T.* b) *T.:* specialius *P.*

1) *Cf. n. 14.* 2) *Ex sept. Fuligni.*

Eisdem.

Sedes apostolica subditorum meritis equa extimationis lance compensat premia, dum devotos congruis muneribus erigit et indevotos debita pena premit. Sic enim in remuneratione proborum alios ad merita virtutum invitat et in pravorum vindicta delinquendi ceteris viam vetat. Eapropter, dilecti in Domino filii, prout convenit attendentes, quod erga sedem eandem studueritis illum gerere devotionis affectum eamque cordis servare constantiam, ut nullatenus a fidelitate potueritis eius averti, licet ab inimicis ipsius dampna gravia frequenter sustinueritis et pressuras, ac dignum reputantes ut vos inter ceteros eiusdem sedis fideles favore ac gratia specialiter efferamus, omnes redditus et proventus ac alia iura ubicumque in Asisinati diocesi ad Romanam ecclesiam pertinentia, postquam ad eandem redierint ecclesiam, vobis sub annuo censu trium obolorum aureorum camere nostre in octavis beati Martini solvendo usque ad viginti annos duximus concedenda.

Dat. Anagnie, II Nonas Octobris, pontificatus nostri anno primo.

30.

Innocentius IV papa R[aynerio] Sanctae Mariae in Cosmidin diacono cardinali significat, se, licet ad processum negotii Viterbiensium fuerit semper invitus, auditis tamen nuntiis eius et Viterbiensium et pensatis periculis Viterbiensium et aliorum, maius pecuniae subsidium ei destinare, quam desideratum fuerit. *1243, Oct. 7.*

Inn. IV Reg. Vol I, 29; Lib. I, 167. Edimus epistolam ex Rayn. Ann. eccl. a. 1243, § 26 – 27, collatam cum Theiner, l. c. t. I, p. 117, n. 206.

Potthast, Reg. 11153; Berger 167.

R. Sancte Marie in Cosmedin diacono cardinali.

Tua sinceritas bene novit, quod cum olim coram nobis te presente de facto Viterbiensium[1] tractaretur dictumque fuisset, quod, nobis proponentibus armorum strepitum declinare, huiusmodi negotium aggredi non prodesset, pro eo quod haberi seu habita retineri terra non poterat siñe guerra, nos in ipsius tractatus principio tibi et nuntiis tuis expressimus viva voce, per quosdam fratres nostros nichilominus intimantes, quod in eodem negotio nullas facere volebamus expensas; quare ne procederetur in ipso, nostram aperte potuisti cognoscere voluntatem. Ceterum, licet ad processum negotii memorati fuerimus semper inviti, auditis tamen et intellectis que nuntii tui et ambassiatores[a] Viterbienses nuper coram nobis et fratribus nostris proponere curaverunt, erga honorem persone tue, quam prerogativa dilectionis et gratie complectimur speciali et sinceris intendimus affectibus confovere, paternum respectum habentes, ac Viterbiensium pericula et etiam aliorum, qui ad mandatum ecclesie redierunt, quibus si in manus inciderent inimici, discrimen capitis immineret, pia consideratione pensantes, quamquam nuntii et ambassiatores iidem pro octo vel[b] quindecim diebus tantum quingentorum militum et mille peditum subsidium postulaverint, desideria tamen supplicum excedendo, ex apostolice abundantia pietatis duo milia quingentas uncias auri ad pondus Romanum, connumeratis quingentis marcis sterlingorum, quas per Areng. mercatorem Florentinum nuper tibi mandavimus assignari,

[a] *T.:* ambassatores *Rayn.; ita et infra.* [b] *T.:* et *Rayn.*

1 *Cf. Böhmer-Ficker, l. c. 3383 b et seqq.*

pro stipendiis militum et peditum predictorum retinendorum per mensem, si fuerit oportunum, discretioni tue per dilectum filium magistrum Martinum clericum nostrum latorem presentium destinamus, harum serie declarantes, sicut oretenus diximus nuntiis et ambassiatoribus prelibatis, quod ad nullos equorum vel armorum seu etiam quarumlibet rerum teneri volumus redditus vel emendas, et cum pro defensione civitatis militia minus necessaria videatur, pedites autem utiliores esse noscantur, provideat circumspectio tua, quod super hoc melius et utilius viderit expedire, firmiter credens, que dictus clericus ex parte nostra tibi super premissis duxerit referenda.

Dat. Anagnie, Non. Octobris, anno I[1].

31.

Innocentius IV papa [Gerhardo] magistro et fratribus hospitalis Teutonicorum confirmat insertas litteras, quibus Wilhelmus episcopus quondam Mutinensis, apostolicae sedis legatus, de mandato papae a. 1243, Iul. 28 quattuor Prusciae et terrae Culmensis dioceses limitaverit. Cf. n. 4 et 5. *1243, Oct. 8.*

Inn. IV Reg. Vol. 19–20; Lib. I, 121. Diploma legati contulimus cum authentico apud Gebser und Hagen, Domkirche zu Konigsberg t. I, p. 19; cf. Perlbach, Preuss. Reg. n. 198.
Potthast, Reg. 11157; Berger 121.

.. magistro et fratribus hospitalis sancte Marie Theutonicorum Jerosolimitane.

Iustis petentium etc. usque: assensu, limitationem diocesum Pruscie et coniuncte sibi terre Culmensis ac divisionem terrarum ipsius Pruscie, quas de mandato nostro apud sedem apostolicam provida deliberatione prehabita fecit venerabilis frater noster episcopus quondam Mutinensis penitentiarius noster, in partibus illis apostolice sedis legatus, prout in ipsius litteris super hoc confectis plenius continetur, ratas habentes et firmas, eas auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem litterarum ipsarum presentibus de verbo ad verbum fecimus annotari; qui talis est:

Willelmus miseratione divina episcopus quondam Mutinensis, apostolice sedis legatus, omnibus presentes litteras inspecturis salutem in nomine Iesu Christi. Noverit universitas vestra, quod sanctissimus pater dominus Innocentius papa IV inter alia, que ad legationis officium pertinent, commisit nobis in eius presentia constituto, ut limitare possemus dioceses infra terminos nostre legationis et episcopos instituere in eisdem. Cuius auctoritate de regionibus iam conversis sic dioceses limitavimus in Pruscia. Primam enim diocesim limitavimus de terra Culmensi, sicut circuunt tres fluvii Vixla, Dravanza et Ossa[2], ita quod in eadem diocesi Lubovia[3] includatur. Verum tamen in terra Culmensi ad episcopum, qui pro tempore fuerit, pertineat illud dumtaxat, quod de communi consensu et voluntate episcopi Pruscie ac fratrum hospitalis sancte Marie Theutonicorum et hominum in eadem terra Culmensi manentium ordinatum fuit, quando primo ad habitationem illius deserti homines intraverunt[4], videlicet una mensura tritici et una mensura siliginis de aratro et una mensura tritici

1) *Eodem tempore papa cardinali legationis officium commisisse videtur, cum legati titulum, quo neque in hac epistola neque in n. 10 et 11 [Aug. 26] insignitus est, sub Oct. 11 [n. 32] nomini eius adscriptum legamus.* 2) *Drewenz e mer. cir. Thorn, Ossa ex sept. cir. Graudenz in Wizlam influit.* 3) *Land Lobau.* 4) *Hoc minus accurate dictum est: nam sola verba usque* de unco *veteri compositioni [Perlbach, l. c. n. 81 et 82] respondent, reliqua legatus sua auctoritate nunc addere videtur: sed has conditiones omnes in concordia inter a. 1240, Febr. 11 et 1242, Oct. 1 facta, quae non superest [cf. Perlbach, 192], contentas fuisse ex p. 6, lin. 4 concludimus.*

de unco, et insuper sexcenti mansi de terra in competenti vel competentibus locis ipsius terre Culmensis. Secundam vero diocesim limitavimus, sicut claudit Ossa, Wixla et stagnum Drusnie[1], ascendendo per flumen de Passalue[2], ita quod insule de Quidino[3] et Santerii[4] in eadem diocesi habeantur. Tertiam quoque limitavimus, sicut claudit Recens Mare[5] ab occidente et flumen quod dicitur Pregora sive Lipsa[6] ab aquilone et stagnum predictum Drusnie a meridie, ascendendo per predictum Passalucense[a] flumen contra orientem usque ad terminos Letuinorum. De non conversa autem terra diocesi iamdicte coniuncta limitavimus quartam diocesim, sicut claudit mare salsum ab occidente et flumen Memele ab aquilone et a meridie flumen Pregore, versus orientem usque ad terminos Letuinorum, ita quod predicta omnia flumina communia sint diocesibus, que ipsis fluminibus terminantur. Preterea, quia fratres predicti totum pondus expensarum et preliorum sustinent et quia multis oportet eos infeudare terras, sic divisimus terras Pruscie, ut, sive unus fuerit episcopus sive plures, fratres duas partes integre cum omni proventu habeant et episcopus sive episcopi tertiam integre cum omni iurisdictione et iure; salvis tamen episcopo in duabus partibus fratrum illis omnibus, que non possunt nisi per episcopum exerceri. Verum, ut hec terrarum divisio effectum debitum libere consequatur, ipsa in nomine Christi fiat primo iuxta voluntatem et consensum episcopi ac fratrum hospitalis eiusdem. Et si concordia intervenire non poterit, tunc ipsi eligant communes amicos, per quos huiusmodi divisio fiat, et si taliter etiam concordare non poterunt, tunc ipsi fratres, quia terra eis notior est, dividant diocesim in tres partes et de una ipsarum partium habeat episcopus optionem. Vel si forsan ipse noluerit eligere, que pars ex illis tribus partibus cedat episcopo, sicut sortes dederint, terminetur[b]. In cuius rei testimonium presens scriptum sigilli nostri munimine duximus roborandum.

Dat. Anagnie, anno Domini M°CC°XLIII°, IIII° die stantis Iulii[7], indictione I, pontificatus eiusdem domini pape anno primo.

Nulli ergo — nostre confirmationis etc. Si quis autem etc.

Dat. Anagnie, VIII Idus Octobris, anno I.

32.

Innocentius IV papa R[agnerio] Sanctae Mariae in Cosmidin diacono cardinali, apostolicae sedis legato, concedit, ut iis, qui Viterbiensibus subveniant, iuxta quantitatem subsidii indulgentias largiatur. *1243. Oct. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 30; Lib. I, 179.
Berger 179.

R. Sancte Marie in Cosmidin diacono cardinali, apostolice sedis legato[8].

Audivimus, quod illi, qui Deo et ecclesie in subventione Viterbiensium prestant devotionis obsequium, remissionem consequi desiderant peccatorum. Nos igitur, atten-

a) A.; Passalucensem P. b) A.; terminentur P.

1) *Drausensee e mer. civ. Elbing.* 2) *Weeske.* 3) *Circum civ. Marienwerder.* 4) *E mer. et occ. civ. Marienburg.* 5) *Frisches Haff.* 6) *Pregel.* 7) *Ex eo quod epistola, qua papa Wilhelmo dioceses limitandi facultatem concessit [n. 4], Iul. 29 data est, suspicari non licet ad hoc diploma notam chronologicam Iul. 28 minus recte adscriptam esse. Cum enim, ut t. I, p. X exposuimus, per notam chronologicam is dies indicetur, quo papa ipsa verba epistolarum coram se lecta comprobaverit, deliberationem, postquam papa mandatum suum dioceses limitandi Wilhelmo dedit et epistolam illam exarari iussit, ante Iul. 29 habitam esse oportet; et rebus ipsis ordinatis facile fieri potuit, ut hoc diploma prius conficeretur quam epistola illa, quae eo dumtaxat consilio scripta est, ut Wilhelmum de mandato papae processisse affirmaretur.* 8) *Cf. n. 30.*

dentes quod dignum sit, ut benignitas ipsius ecclesie in condignis gratie premiis respondeat meritis filiorum, discretioni tue presentium auctoritate[a] concedimus, ut hiis, qui per se vel ad tuam vocationem venerint in Viterbiensium eorundem auxilium, illam indulgentiam, quam iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum expedire videris, largiaris.

Dat. Anagnie, V Idus Octobris, anno primo.

33.

Innocentius IV papa Albrigettum, Henricum et Hugolinum Albrigetti et alios cives Faventinos eis adhaerentes cum omnibus bonis, quae tempore, quo princeps excommunicatus fuerit, possederint et quae nunc possideant, sub protectione sua suscipit et omnia, que a dicto principe contra eos statuta sint, revocat. *1243, Oct. 12.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 31; Lib. I, 183.
Berger 183.

Nobilibus viris Albrigetto[b], Henrico et Hugolino Albrigetti[c] ac aliis eis adherentibus, civibus Faventinis.

In perpetuam vestri nominis gloriam venit, quod eis, qui fidem catholicam et ecclesiam persecuntur, resistentes[d] viriliter, vos zelatores fidei orthodoxe ac ecclesie filios exhibetis, dum ipsas digni laudis magne preconio defensatis; propter quod non indignum esse censemus, ut et vos a persecutorum insultu patrocinium apostolicum protegat, quos apostolice sedi in perversorum repressione exhibita obsequiorum devotio multipliciter recommendat. Hinc est, quod vestris desideriis grato concurrentes assensu, personas vestras in devotione ecclesie et defensione catholice fidei et libertatis ecclesiastice persistentes, terras, possessiones, castra, iurisdictiones et alia omnia bona vestra, que possidebatis olim tempore, quo princeps fuit per sedem apostolicam excommunicationis vinculo innodatus, et que impresentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum iustis modis poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus. Nichilominus sententias, banna, statuta, penas et privilegia, datas[e] et concessiones factas de bonis vestris ab eodem principe vel alio pro ipso quibuscumque communitatibus vel personis, nec non pactiones, securitates, iuramenta dicto principi vel alicui pro eo ex quacumque causa prestita, et omnia alia, que contra vos et vestra bona generaliter vel specialiter dicitur statuisse, auctoritate presentium revocamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis et revocationis etc. Si quis autem etc.[1]

Dat. Anagnie, IV Idus Octobris, anno I.

34.

Innocentius IV papa [Willelmo] priori ecclesiae sanctae Mariae inter Insulas de Budell. in Sardinia committit, ut eos, qui Enzio principis filio in Sardinia et Corsica adhaeserint

a) *B.:* per apostolica scripta *F.* b) Albergetto *B.* c) Albergitti *B.* d) assistentes *R.* e) *i. e.* dationes; *haec formula saepius occurrit, v. in Additam. sub a. 1243, Oct. 9; in n. 38:* penas et datas principis ac conc.

1) *Oct. 3 eisdem nobilibus sub forma ep. n. 25 affirmaverat se pacem cum principe facturum non esse, nisi quae ecclesiae et iis expediat; Berger 158.*

et nunc ad mandatum ecclesiae redire desiderent, ab excommunicationis sententia, quam incurrerint, absolvat. *1243, Oct. 23.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 35: Lib. I, 204.
Berger 204.

.. priori ecclesie sancte Marie inter Insulas de Budell.[a][1] in Sardinia[2].

Cum, sicut intelleximus, nonnulli in partibus Sardinie ac Corsice commorantes, pro eo quod Enzio principis filio contra ecclesiam adheserunt, vinculo sint excommunicationis astricti, et iidem nunc ad mandatum ecclesie plene redire desiderent, ex parte ipsorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut, cum eis pro absolutione obtinenda securus accessus non pateat ad sedem apostolicam veniendi, eorum saluti providere misericorditer curaremus. Volentes igitur illius sequi vestigia, qui vitam peccatoris desiderat et non mortem, discretioni tue presentium auctoritate committimus, ut predictis ad mandatum ecclesie redeuntibus iuxta ecclesie formam beneficium absolutionis impendas, proviso ne in fraudem absolutio huiusmodi postuletur.

Dat. Lateran. X Kal. Novembris, anno I.

35.

Innocentius IV papa archiepiscopo Arborensi committit, ut Adelasiam dominam iudicatus Turritani et Galluris, quia Enzium principis filium in virum receperit excommunicatum, et alios eidem Enzio adhaerentes, cum ecclesiae mandatis stare velint, ab excommunicatione absolvat. *1243, Oct. 23.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 35: Lib. I, 205. Pertzii exemplar contulimus cum Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 136.
Potthast, Reg. 11165; Berger 205.

.. archiepiscopo Arborensi.

Ex parte nobilis mulieris Adelasie domine iudicatus Turritani et Galluris nobis extitit intimatum, quod cum dudum pravorum seducta consilio Enzium principis filium recepisset in virum, dilectus filius Orlandus subdiaconus et capellanus noster, tunc in Sardinia apostolice sedis legatus, in ipsam propter hoc excommunicationis sententiam promulgavit. Unde, cum eadem ad cor rediens velit ecclesie stare mandatis, nobis duxit humiliter supplicandum, ut tam sibi quam aliis de Sardinia ipsa, qui dicto Enzio adherendo excommunicationis vinculum incurrerunt et nunc ad defendendum illam eidem nobili constanter assistunt, ad mandatum ecclesie redire volentibus absolutionis faceremus beneficium impertiri. Volentes igitur illius sequi vestigia etc. ut supra usque: committimus, ut tam prefatam nobilem quam alios predictos ad mandatum ecclesie redeuntes iuxta ecclesie formam ab excommunicationibus supradictis absolvas, proviso etc. usque in finem.

[a] Budell *E.*

1) *E c occ. promontorio Spartivento.* 2) *Eidem priori papa a. 1244, Ian. 11 privilegium ab Adelasia a. 1244, Ian. 8 concessum confirmavit: Berger 731.*

36.

Innocentius IV papa G[regorio] de Montelongo subdiacono, apostolice sedis legato, mandat, ut [Bertholdum] patriarcham Aquilegiensem a molestatione Tervisinorum devotorum ecclesiae, quorum districtum cum armatis invaserit, de cetero conquiescere faciat.

1243, Nov. 7.

Inn. IV Reg. Vol. I, 36; Lib. I, 212. Exemplar a Berger editum cum Regestis denuo contulit V. Cl. A. Mau.
Berger 212.

G. de Montelongo subdiacono et notario nostro, apostolice sedis legato.

Apostolice sedis devotis filiis tanto efficacius venerabilis frater noster . . patriarcha Aquilegensis adesse tenetur, quanto eadem benigniori eum prosequens gratia et favore velut pia mater, nonnullos sibi subiciens in partem sue sollicitudinis, tanquam membrum ecclesie nobile ipsum inter alios fiducialius preelegit; set, sicut mirati audivimus et referimus conturbati, ipse, qui pro defensione libertatis ecclesiastice murum se debuerat posuisse, dilectos filios Tervisinos devotos ecclesie pro sua voluntate diffidans et districtum eorum invadens hostiliter non sine multitudine armatorum, eis dampna gravia et iniurias non modicas irrogavit. Verum cum indignum sit, [ut][a] qui zelo fidei et devotionis accensi ecclesie hostibus se viriliter et potenter opponunt, ab hiis nequiter oppugnentur, qui eos tenentur ab aliorum incursibus defensare, eundem patriarcham rogamus, monemus et hortamur attente[b], nostris sibi dantes litteris in mandatis, ut ab omni molestatione Tervisinorum ipsorum ob reverentiam apostolice sedis et nostram de cetero conquiescat. Quocirca mandamus, quatinus si dictus patriarcha mandatum nostrum neglexerit adimplere, tu eum ad id monitione premissa auctoritate nostra appellatione remota compellas. - - non obstante constitutione de duabus dictis edita in concilio generali.

Dat. Lateran. VII Idus Novembris, anno primo.

37.

Innocentius IV papa consilio et communi Asisinatibus confirmat confiscationem bonorum nominatorum militum et aliorum civitatis et diocesis Asisinatis, qui civitatem inimicis ecclesiae tradere procuraverint. *1243, Nov. 7.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 39; Lib. I, 237.
Berger 238.

Consilio et communi Asisinatibus.

Iustis petentium etc. usque: complere. Significastis siquidem nobis, quod cum Theobaldus Berardi et Petrus Guarneri defuncti et Gualterus Saxonis, Iacobus Berarducii, Bobo Tancredi, Ottinellus Iacobi, Iacobus Villani, Potius Favoris milites, Rayn. Thom., Sanguinucius, Beraldus Teobaldi, Philippucius, Burgumuicius[c], Bernardus Oportuli, Muricus Egidii Salimbene, Andreas dictus Mazancoll. et quidam alii civitatis et diocesis Asisinatis civitatem ipsam tanquam proditores ecclesie manifesti procurassent tradere ipsius ecclesie inimicis, ad desolationem civitatis et bonorum destructionem eiusdem totis viribus laborantes, nobiles viri B. Coppoli, N. Hugonis Rivelli et P. Parentii,

a) ut *deest R.* b) at. *R.*; et *B.* c) Philippucius Burgumuicius *B.*

potestates pro tempore civitatis iamdicte, propter hoc prefatorum militum et aliorum bona mobilia et immobilia pleno deliberato consilio communi vestro perpetuo confiscarunt. Vestris igitur precibus annuentes, quod a dictis potestatibus provide factum est in hac parte, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo — nostre confirmationis etc. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. VII Idus Novembris, anno I.

38.

Innocentius IV papa potestatem, consilium et populum Brixienses cum omnibus bonis sub protectione sua suscipit et sententias a principe contra eos latas revocat.

1243, Nov. 18.

Inn. IV Reg. Vol. I, 92; Lib. I, 568. Epistola a. 1244 demum post April. 1 in Regesta relata est. Berger 570.

.. potestati, consilio et populo Brixiensibus.

Sincere devotionis fervor et constantie firmitas inconcusse, quibus inter alios ecclesie filios specialiter claruistis, fidem catholicam et ecclesiasticam libertatem oportunitatis tempore totis viribus defendendo, suadent, ut vos magne laudis preconio non indignos prerogativa favoris et gratie continue prosequamur et contra persecutorum insultum apostolico vobis curemus patrocinio subvenire. Hinc est, quod vestris desideriis grato concurrentes assensu, personas vestras in ecclesie devotione [et defensione][a] orthodoxe fidei ac libertatis ecclesiastice persistentes cum castris, villis, terris, possessionibus et bonis omnibus aliis, que impresentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum etc. usque: suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus. Ceterum sententias, banna, statuta, penas et datas principis ac concessiones factas de bonis vestris ab eo vel ab alio pro ipso quibuscumque communitatibus vel personis, et quecumque alia contra vos vestraque bona generaliter vel specialiter statuit, auctoritate presentium revocamus. Nulli ergo — nostre protectionis et revocationis etc. Si quis etc.

Dat. Lateran. XIIII Kal. Decembr. anno primo.

39.

Innocentius IV papa G[regorio] de Montelongo subdiacono, apostolicae sedis legato, ex partibus Lombardiae revocari desideranti, mandat, ut legationis officium, prout a Gregorio IX papa sibi commissum fuerit, more solito exequatur.

Inn. IV Reg. Vol. I, 40; Lib. I, 242. Berger 243. *1243, Nov. 20.*

G. de Montelongo subdiacono et notario nostro, apostolice sedis legato.

Licet nuper per nuntium et litteras speciales instanter petieris revocari[1], et nobis et ecclesie Romane tua esset apud sedem apostolicam presentia oportuna, cum

[a]) et defensione *deest P.; cf. n. 33.*

1) *Ut credimus propter tractatum pacis inter papam et imperatorem initio mensis Nov. resumptum [Böhmer-Ficker, l. c. 3393 b], ex quo Lombardi ecclesiae adhaerentes, ne ab ea desererentur, timuisse videntur, cum papa in epistolis suis saepius affirmandum duxerit se pacem initurum non esse, nisi quae ecclesiae et illis expediat: cf. n. 22, 25 et p. 27, not. 1.*

tamen attente pensamus, quam sit utilis presertim hoc tempore in partibus Lombardie [presentia tua][a], quamque dampnosa tua existeret absentia illi terre, te adhuc in eisdem morari partibus, iniuncte tibi legationis officium exercendo, potius quam exinde revocare iusto elegimus iudicio rationis, maxime cum ad id sollicitudo laudabilis et plurimum ecclesie ac terre predicte fidelibus fructuosa, quam in eadem habuisse legatione dinosceris, nos inducat. Diligentiam itaque tuam dignis in Domino laudibus commendantes, presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus portans humiliter impositum tibi onus et sperans in illo, qui omnibus pro impensis ei sueque sponse servitiis condigna retributione respondet, predictum officium, prout tibi a felicis recordationis Gregorio papa predecessore nostro plene commissum extitit[1], sollerter et provide more solito exequaris, catholice fidei et ecclesiastice libertatis augmentum ac utilitatem fidelium partium earundem totius vigilantie studio procurando, ita quod exinde merearis consequi premium apud Deum, uberiorem ab apostolica sede gratiam et penes homines nomen bonum.

Dat. Lateran. XII Kal. Decembris, anno I.

40.

Innocentius IV papa [Marino] archiepiscopo Barensi mandat, ut [Raymundum VII] comitem Tolosanum, qui ad mandata ecclesiae promptum se offerat, ab omnibus excommunicationum sententiis recepta cautione absolvat, quolibet impedimento, quominus id celeriter fiat, remoto. *1243, Dec. 2.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 11; Lib. I, 266. Authenticum a Teulet, Layettes du Trésor des Chartes t. II, 523, n. 3144 editum cum Regestis contulit V. Cl. A. Mau.
Potthast. Reg. 11187; Berger 267.

.. archiepiscopo Barensi[2].

Sperantes quod nobilis vir .. comes Tolosanus[b], qui grandem locum inter alios principes orbis obtinere dinoscitur, debeat ecclesie sua strenuitate, potentia et industria esse utilis et non modicum fructuosus, libenter ipsum modis quibus possumus ad devotionem apostolice sedis inducimus sibique in hiis que digne deposcit nos favorabiles exhibemus. Cum igitur idem comes, sicut nobis per suos sollempnes[c] nuntios intimavit, ad mandata sedis apostolice non sine multa instantia promptum se offerat et paratum, nos, cupientes ut eius propositum, quod plurimum in Domino commendamus, ad effectum sine dilationis dispendio perducatur, ac volentes cuiuslibet occasionis seu impedimenti materiam, quominus id celeriter faciat, removere[3], fraternitati tue presentium auctoritate mandamus, quatinus ipsum ab omnibus excommunicationum sententiis in eum cuiuscunque auctoritate prolatis, recepta prius ab eo iuratoria cautione quod tam super hiis, pro quibus eedem fuerunt sententie promulgate, quam etiam super promissionibus et obligationibus ab eodem comite apostolice sedi[d] factis ecclesie mandato

a) presentia tua *deest P. et B.* b) Tholosanus *A.* c) solempnes *A.* d) sedis *A.*, *nisi mendum typoth.*

1) *Cf. t. I, p. 650.* 2) *Hanc ep., n. 45 et ep. a. 1244. Mai. 16 a Pertzio omissas nos recepimus, quia comes Tolosanus primus erat inter alios internuntios imperatoris, qui ut inter hunc et ecclesiam pax reformaretur, his mensibus laboraverunt; qua de causa cum iam mense Oct. Romam profectum esse Rycc. de S. Germ. SS. t. XIX, p. 384 refert. Cf. Bohmer-Ficker, l. c. 3397 a et sequ.* 3) *Papa igitur tunc quidem, ut pax cum imperatore restauraretur, desiderasse idque fieri posse sperasse videtur, quocum quod iussu eius variae aliae epistolae in favorem comitis his temporibus scriptae sunt, convenit; Berger 347, 364, 415, 416, 417, 491 et Potthast, Reg. 11192, quae epistola in Reg. non extat.*

parebit, receptis etiam nichilominus super hiis ipsius comitis patentibus litteris, per quas pro predictis omnibus observandis obliget se et sua, et testimonialibus aliquorum, absolvas iuxta formam ecclesie vice nostra. Super eo vero quod fratres Ferrarius et G. Raimundi[a] ordinis Predicatorum, inquisitores contra hereticos auctoritate sedis apostolice deputati, excommunicationis in eum dicuntur sententiam protulisse[1] idemque comes asserat[b] eandem sententiam ex quibusdam causis, quas dicit legitimas, esse nullam, quia nolumus, ut propter hoc ipsius propositum retardetur, relaxes predictam sententiam ad cautelam.

Dat. Lateran. IIII Non. Decembris, anno primo.

41.

Innocentius IV papa [Bernardo] abbati Frigidi Montis Belvacensis diocesis et archidiacono et poenitentiario Belvacensibus scribit de lite exorta in vacante ecclesia Treverensi, in qua altera capituli pars A[rnoldum] praepositum suum, altera [Radulfum] praepositum Sancti Paulini Treverensis in archiepiscopum elegerit: mandat, ut inquisitione facta partibus terminum peremptorium praefigant, quo personaliter vel per procuratores coram papa compareant. *1243, Dec. 3.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 45: Lib. I, 276. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau Berger 277.

. . abbati Frigidi Montis[2] Cisterciensis ordinis Belvacensis diocesis, . . archidiacono et . . penitentiario Belvacensibus.

Sua nobis Werricus decanus, Iohannes cantor et quam plures alii canonici ecclesie Treverensis petitione monstrarunt, quod[3] cum dudum ecclesia ipsa pastoris solacio destituta, capitulum eiusdem, presentibus omnibus qui volebant, debebant et poterant comode interesse, ad tractandum de substitutione futuri pontificis convenissent, . . thesaurarius et quidam alii eiusdem ecclesie canonici, licet essent suspensi et vinculo excommunicationis astricti ac propter hoc electionis celebrande interesse tractatui non deberent, nichilominus tamen[c] ius eligendi sibi temere usurpantes, A. tunc prepositum ipsius [ecclesie][d], plures[e] personatus et ecclesiastica beneficia curam animarum habentia sine dispensatione apostolica detinentem, de facto, cum de iure nequiverint, eligere presumpserunt. Et quamvis dicti decanus et cantor et alii adherentes eisdem, ad quos de iure potestas eligendi spectabat, . . prepositum ecclesie sancti Paulini Treverensis in pastorem ecclesie Treverensis prefate canonice elegissent, dictus tamen prepositus Treverensis de potentia sua confidens amministrationi spiritualium et temporalium eiusdem Treverensis ecclesie se ingerere ac in ipsius bonis debachari nequiter in anime sue periculum, eiusdem ecclesie maximum detrimentum ac grave plurimorum scandalum non veretur. Quare[f] nobis humiliter prefati decanus, cantor et alii supplicarunt, ut super hiis indempnitati eiusdem ecclesie providere paterna sollicitudine curaremus. Procurator vero prefati A. proposuit ex adverso, quod cum vacante predicta ecclesia Treverensi omnes, qui debebant, volebant et comode poterant interesse, die ad eligendum statuta ad tractandum de futuri substitutione pontificis

a) Raymundi *A.* b) *ita R. et A.* c) tum *apogr.* d) ecclesie *deest R.* e) p̄l'es *R.* f) Qr̄ *R.*

1) *Cf. a. 1244. Mai. 16.* 2) *Froidmont, e mer. et or. Belvaci.* 3) *Cf. Gesta Trevir. contin. V SS. t. XXIV. p. 105 et sqq.*

convenissent. thęsaurarius. Terricus. Ardoldus[a] et Henricus archidiaconi cum maiori et saniori parte capituli Treverensis premisso scrutinio et mox publicato ac collatione habita diligenti predictum A. virum nobilem, litteratum, providum et discretum, in spiritualibus et temporalibus circumspectum, in iam dicte Treverensis ecclesie archiepiscopum canonice elegerunt[b]; qui consensum electioni prebuit de se facte. Sed Werricus, qui pro decano, et Iohannes, qui pro cantore Treverensibus se gerunt, cum quibusdam eis adherentibus, licet maior et sanior pars eiusdem capituli non existant, prefatum prepositum ecclesie sancti Paulini Treverensis, minus idoneum ac personatus plures et ecclesiastica beneficia curam animarum habentia sine dispensatione apostolica detinentem, de facto, cum de iure non possent, in archiepiscopum Treverensem eligere presumpserunt[c]; qui receptis a potestate seculari regalibus, quasi debachando in bonis iam dicte Treverensis ecclesie, per ipsius villas et oppida fecit sibi per violentiam ab ipsius hominibus homagium exhiberi, amministrationi temporalium eiusdem ecclesie se ingerens in dicti A. et ipsius ecclesie non modicum preiudicium et gravamen; tandem ad cor rediens cum suis fautoribus cessit huiusmodi questioni, ius esse acquisitum parti alteri recognoscens. Unde prefatus procurator a nobis postulavit instanter, ut eidem ecclesie contra tot pericula sibi propter hoc imminentia salubri curaremus remedio subvenire. Cum igitur instantia nostra cotidiana sit omnium ecclesiarum sollicitudo continua, mandamus, quatinus, vocatis qui fuerint evocandi, super premissis et aliis huiusmodi negotium contingentibus inquiratis auctoritate nostra diligentius veritatem, nobis que inveneritis vestris litteris fideliter intimantes, prefigendo partibus terminum peremptorium competentem, quo personaliter vel per procuratores idoneos se nostro conspectui representent, quod ius dictaverit dante Domino recepturi; proviso ne in preiudicium canonicorum et aliorum huiusmodi negotium prosequentium hac occasione aliquid attemptetur, et si secus presumptum fuerit, in statum debitum sublato appellationis obstaculo revocetis, contradictores etc. — non obstante constitutione de duabus dietis edita in concilio generali, dummodo ultra terciam vel quartam aliquis extra suam diocesim auctoritate presentium ad iudicium non trahatur. Quod si non omnes etc.

Dat. Lateran. III Non. Decemb. anno primo.

42.

Innocentius IV papa [Herluino] archiepiscopo Tarantasiensi et [Amadeo] episcopo Maurianensi scribit se confirmasse annuum sex milium librarum Artisiensium redditum, quem I[ohanna] comitissa Flandriae cum consensu M[argaretae] de Dampetra sororis suae, sibi si supervixerit successurae, T[homae] comiti Flandriae viro suo, quoad vixerit, concesserit; mandat, ne eum super his molestari permittant. *1243, Dec. 8.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 47; Lib. I, 289. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau. Berger 290.

.. archiepiscopo Tarantasiensi et .. episcopo Maurianensi.

Cum dilecta in Christo filia nobilis mulier I. comitissa Flandrie, dilecte in Christo filie nobilis mulieris M. domine de Dampetra sororis ipsius, sibi si supervixerit successure, spontaneo ac legitimo accedente consensu, dilecto filio nobili viro T. comiti

---

a) *ita R.* b) elegerūt *R.* c) presumpserūt *R.*

Flandrie viro suo[1] annuum sex milium librarum Artisiensium redditum, percipiendum in quibusdam possessionibus et redditibus suis, iuramento sibi prestito quoad vixerit liberalitate provida duxerit concedendum, sicut in earundem nobilium litteris confectis exinde plenius continetur, quarum tenores de verbo ad verbum nostris fecimus litteris annotari et nos, quod ab eisdem nobilibus mulieribus factum extitit in hac parte gratum et ratum habentes, auctoritate apostolica duximus confirmandum[2]: mandamus, quatinus predictum comitem non permittatis contra nostre confirmationis tenorem super premissis ab aliquibus indebite molestari[3], molestatores huiusmodi etc. — non obstante constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Quod si non ambo —, alter vestrum etc.

Dat. Lateran. VI Id. Decemb. pontificatus nostri anno primo.

43.

Innocentius IV papa G[uillelmo] comiti palatino [Tusciae] concedit, ut censum terrae, quam quondam abbas Sancti Anastasii de Urbe Ildebrandino avo suo locaverit, solvere non teneatur, quamdiu eadem terra a principe occupata fuerit.

1243, Dec. 11.

Inn. IV Reg. Vol. I, 50; Lib. I, 305.
Berger 306.

Nobili viro G.[a] comiti palatino fideli nostro.

Cum, sicut lecta coram[b] nobis tua petitio continebat, occasione discordie orte inter ecclesiam et principem terram, quam quondam . . abbas monasterii sancti Anastasii de Urbe clare memorie Ildebrandino comiti avo tuo locasse dicitur, ammiseris, et idem princeps occupari fecerit et detineat eam[c] occupatam, ac per hoc ex tunc consuetum censum non solveris monasterio memorato, nos, tuis devotis supplicationibus inclinati, presentium tibi auctoritate concedimus, ut ex eo quod censum ipsum per huiusmodi tempus discordie non solvisti, iuri tuo non preiudicetur[d] in futurum, nec illum durante discordia, nisi ad manus tuas dicta terra redierit, solvere tenearis[4].

Dat. Lateran. III Idus Decembr. anno primo.

44.

Innocentius IV papa praeposito et decano ecclesiae sancti Petri Namurcensis mandat, ut clericos villae Valencenis in minoribus ordinibus constitutos, qui licet uxores habeant et negotiationes exerceant, pecuniam a iuratis et scabinis de licentia [Thomae] comitis Flandriae hominibus villae impositam propter privilegium immunitatis ecclesiasticae solvere contradicant, ab hoc privilegio alienos esse denuntient. *1243, Dec. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 62; Lib. I, 375.
Berger 377.

a) . . *B.* b) coram *deest P. B.* c) eam *deest P. B.* d) preiudicet *P. B.*

1) *Frater Amadei III comitis Sabaudiae erat.* 2) *In Reg. Lib. I, 301, Berger 302, haec confirmatio legitur sub* III Id. Dec., *in authentico, Hist. Patriae Mon., Chart. I, 1360, Potthast, Reg. 11188, sub* III Non Dec. anno I. 3) *Sub Dec. 10 insuper comiti et comitissae concessit, ne in eos excommunicationis vel interdicti sententiae absque licentia sua speciali promulgari valeant; Berger 314. Cf. etiam infra n. 47.* 4) *De terra eiusdem comitis cf. 'Formam pacis', LL. t. II, p. 346, l. 18.*

.. preposito et .. decano ecclesie sancti Petri Namurcensis Leodiensis diocesis.

Iurati et scabini ville de Valencenis[a] Cameracensis diocesis sua nobis petitione monstrarunt, quod cum ipsi de licentia et mandato nobilis viri .. comitis Flandrie domini loci eiusdem duxerint statuendum, ut ad exonerationem debitorum, quibus premitur ipsa villa, tam a venditoribus quam emptoribus pro singulis venditionibus et emptionibus iuxta valorem rei vendite ac contractuum qualitatem necnon et ab aliis eiusdem ville hominibus de bonis suis proportionaliter certa summa pecunie persolvatur, clerici dicte ville in minoribus ordinibus constituti, licet uxores habeant et passim negotiationes tam vini, pannorum, lanarum quam alias exerceant seculares clericis interdictas, et lucra etiam usurarum, predictam statutam summam solvere indebite contradicunt, privilegium immunitatis ecclesiastice pretendendo, in eorum non modicum detrimentum. Ideoque mandamus, quatinus, si est ita, prefatos clericos super predictis a privilegio immunitatis ecclesiastice denuntietis penitus alienos ac illud eis minime suffragari in ipsius ville oneribus supportandis.

Dat. Lateran. III Id. Decembr. [anno primo][b].

45.

Innocentius IV papa [Ludovico IX] regi Franciae nuntiat se ad preces eius [Raymundum VII] comitem Tolosanum ab omnibus excommunicationum sententiis per [Marinum] archiepiscopum Barensem absolvi fecisse eumque absolutum ad praesentiam suam accedentem facie serena recepisse. *1244, Ian. 1.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 60; Lib. I, 358. Exemplar Raynaldi Ann. eccl. a. 1244 § 17 cum Regestis contulit et ex eis supplevit V. Cl. A. Mau.

Potthast, Reg. 11213; Berger 360.

Carissimo in Christo filio .. illustri regi Francie.

Pacem habere cum omnibus, si fieri potest, iuxta verbum apostoli cupientes, [Rom. 12, 18.]
libenter ad eius federa flectimur, reconciliando nobis quoslibet et discordantes maxime pro quibus celsitudo regia intercedit, et ad reducendum more boni pastoris humeris nostris ad caulam inventam ovem, quam perdidisse videbamur hactenus, inclinamur. [Luc. 15, 5.]
Cum igitur dilectus filius nobilis vir comes Tolosanus visus fuerit ab olim apostolice sedis gratiam non habere, nunc ad eam captandam totis viribus satagens ac se offerens non sine multa intercessione promptum ad nostra beneplacita et paratum, apud nos et fratres nostros, suffragio precum tuarum fultus, humiliter institit et devote. Et licet crederetur, quod ad quamcumque frequentem eius instantiam non deberemus ex ipsius natura negotii de facili inclinari, illius tamen exemplo, cuius sumus licet immeriti vicarii constituti, qui cum iratus fuerit, non obliviscitur misereri neque claudit redeunti [Ps. 76, 10.]
gremium sed expandit ei serenus clementia solita brachia in amplexum, predictum comitem ad preces tuas ab omnibus excommunicationum sententiis in eum cuiuscumque auctoritate prolatis per venerabilem fratrem nostrum .. archiepiscopum Barensem de consilio fratrum nostrorum absolvi iuxta formam ecclesie fecimus, et excommunicationis sententiam, in ipsum per fratres Ferrarium et G. Raim[undi] ordinis Predicatorum,

a) Valenceñ *R.* b) anno primo *deest R.*

inquisitores contra hereticos auctoritate sedis apostolice deputatos, promulgatam ut dicitur, quam idem comes asserit nullam esse, relaxari ad cautelam[1], antequam ad presentiam nostram accederet, secundum consuetudinem dudum in Romana ecclesia observatam, recepta prius ab eo obligatione terre sue de parendo super hiis mandatis ecclesie ac iuratoria cautione; pro quibus plenarie observandis ac satisfactione prestanda illis, pro quibus late fuerunt predicte sententie, si eas apparuerit iuste latas, quibusdam certis personis, de quorum providentia indubitatam fiduciam gerimus, litteras apostolicas destinamus. Cumque idem comes absolutus ad nostram presentiam in humilitatis ac devotionis spiritu postmodum accessisset, ipsum facie serena recepimus[2], et tractantes eundem benignitate mansuetudinis consueta, eum tue interventionis obtentu, considerato etiam quod idem, cum non parvum locum inter alios principes orbis obtineat, ecclesie potest sua strenuitate, potentia et industria esse utilis et non modicum fructuosus, ad gratiam apostolice sedis de predictorum fratrum consilio duximus admittendum. Quocirca regiam excellentiam[a] rogandam duximus et hortandam, quatinus eundem comitem, te interveniente reconciliatum ecclesie, favore tue magnificentie taliter prosequaris, quod idem in apostolice sedis ac tua devotione perpetuo permanens ad celsitudinis tue servitia fortius animetur.

Dat. Lateran. Kal. Ianuar. anno primo.

46.

Innocentius IV papa [Conrado] electo Coloniensi mandat, ut in praelatos et clericos civitatis et dioecesis suae, qui contra ipsum una cum [Wilhelmo IV] comite Iuliacensi in conflictu armati extiterint tempore captionis suae, sicut deceat, procedat. 1244, Ian. 12.

Inn. IV Reg. Vol. I, 66; Lib. I, 389.
Berger 391.

.. electo Coloniensi.

Transmissa nobis ex parte tua petitio continebat, quod cum nonnulli prelati et alii clerici Coloniensis civitatis et diocesis contra te cum nobili viro .. comite Iuliacensi in conflictu armati extiterint tue tempore captionis[3], tu in ipsos pro tanto excessu auctoritate propria excommunicationis sententiam exigente iustitia promulgasti, quam apostolico petiisti munimine roborari. Quocirca mandamus, quatinus, si est ita, dictos sacrilegos tamdiu etc.[b] usque: evitari, donec tibi ac ecclesie Coloniensi de tanta iniuria satisfecerint competenter et cum etc.[c] usque: absolvendi; quos si per annum duxerint in sua pertinacia persistendum, prives personatibus, dignitatibus et aliis beneficiis ecclesiasticis ac prebendis, faciens ea idoneis conferri personis per illos, ad quos eorum collatio dinoscitur pertinere; contradictores etc.[4].

Dat. Lateran. II Idus Ianuar. anno primo.

---

a) ex. *R.* b) *scil.* singulis diebus dominicis et festivis pulsatis campanis et candelis accensis excommunicatos publice nunties et nuntiari facias ac ab omnibus artius evitari *vel similiter; v. t. I, n. 560, 642 et alibi.* c) *scil.* tuarum testimonio litterarum ad sedem venerint apostolicam absolvendi; *ibid.*

1) *V. n. 10.* 2) *Inter Dec. 2 et 12; v. n. 10 et Potthast, Reg. 11192:* prout ei [comiti] viva voce diximus. 3) *Cf. Cardauns, Konrad v. Hostaden p. 14—15.* 4) *Cf. etiam Berger 353—355.*

47.

Innocentius IV papa suppriori fratrum Praedicatorum Parisiensium mandat, ut T[homam] comitem Flandriae, qui pro eo quod olim cum Enzio contra devotos ecclesiae graves offensas vindicaturus processerit, a G[regorio] de Montelongo subdiacono et notario suo, apostolicae sedis legato, excommunicatus fuerit, petitum absolutionis beneficium impendat. *1244, Ian. 13.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 62; Lib. I, 372. Pertzii exemplar contulimus cum Ripolli Bull. Praed. t. I. p. 129, n. 37.
Potthast, Reg. 11225; Berger 374.

.. suppriori ordinis fratrum Predicatorum Parisiensium.

Illum ad dilectum filium nobilem virum T. comitem Flandrie gerimus sinceritatis affectum, ut ipsius petitiones, quem prerogativa favoris prosequimur et gratie specialis, exaudiamus libenter et benignius admittamus. Cum igitur, sicut ex parte ipsius comitis fuit propositum coram nobis, idem olim contra quosdam inimicos suos, non tanquam contra devotos ecclesie, cum Hentio hostiliter processisset, graves vindicaturus offensas, que illate sibi fuerant ab eisdem[1], dilectus filius G. de Montelongo subdiaconus et notarius noster, apostolice sedis legatus, occasione dumtaxat huiusmodi sicut fertur excommunicationis in eum sententiam promulgavit. Quare nobis humiliter supplicavit, ut ipsum absolvi a prefata excommunicationis sententia per discretos aliquos mandaremus. Nos itaque[a] corde puriori querentes, que ipsius persone statum respiciant[b] et honorem, mandamus, quatinus eidem impendas absolutionis beneficium iuxta formam ecclesie vice nostra. Nos enim volumus et mandamus litteras, quas prefatus comes impetravit a nobis[2], vires obtinere debitas, excommunicatione huiusmodi non obstante.

Dat. Lateran. Idibus Ianuar. anno primo.

48.

Innocentius IV papa [Bonfilium] episcopum Senensem inhibere iubet, ne mercatores Senenses aliquod castrum seu redditus comitatus Ildebrandisci a principe titulo pignoris recipiant. *1244, Ian. 16.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 66; Lib. I, 391.
Berger 393

.. episcopo Senensi.

Volentes dilecto filio nobili viro Guillelmo comiti palatino fideli nostro sua iura conservare illesa[3] et mercatorum Senensium indempnitatibus precaveri, mandamus, quatinus tam eisdem mercatoribus quam universis tue iurisdictioni subiectis ex parte nostra expresse studeas inhibere, ne aliquod castrum seu redditus comitatus Ildebrandisci[4] a principe seu nuntiis vel vicariis eius titulo pignoris recipiant[c] pro aliqua pecunie quantitate, in illos qui contra fecerint auctoritate nostra excommunicationis

a) igitur *Rip.* b) respiciunt *Rip.* c) *B.;* recipiat *P.*

1) *Thomas comes a. 1243 post Mai. 20 de Flandria in Sabaudiam, patriam suam, profectus erat, unde mense Dec. reversus fuerat; Wauters, Table chron. des chartes etc. de la Belgique, t. IV, p. 393. 401, 402, 405.* 2) *Cf. n. 42.* 3) *Cf. n. 43.* 4) *In Tuscia meridionali.*

sententiam proferendo ac faciendo eos per civitatem et diocesim tuam excommunicatos publice nuntiari, decernendo nichilominus irritum et inane, si quid per eosdem[a] principem, nuntios et vicarios eius contra inhibitionem huiusmodi de terra et redditibus comitatus eiusdem contigerit in prefati comitis preiudicium attemptari.

Dat. Lateran. XVII Kal. Febr. anno primo.

In[b] eundem modum episcopo Florentino contra mercatores Florentinos.

49.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino mandat, ut excommunicationis sententias, in [Landolfum] episcopum Wormaciensem contumacem et eos qui terram suam hostiliter intraverint latas, observari faciat. *1244, Ian. 23.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 67; Lib. I, 397.
Berger 399.

.. archiepiscopo Maguntino[c].

Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut excommunicationis sententiam, quam in .. episcopum Warmaciensem suffraganeum tuum, pro eo quod tuas sententias exequi contumaciter contradicens, se illorum contra quos late fuerunt procuratorem exhibuit ac etiam defensorem, exigente iustitia promulgasti, apostolico dignaremur munimine roborare. Ideoque mandamus, quatinus sententiam ipsam rationabiliter promulgatam facias auctoritate nostra usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari, contradicentes per censuram etc.

Dat. Lateran. X Kal. Febr. anno primo.

In eundem modum eidem; — contra illos et eorum civitates et castra, qui terram tuam hostiliter intraverunt, exigente iustitia promulgasti, etc. usque in finem.

In eundem modum eidem; — ut excommunicationis et interdicti sententias, quas in cives et civitatem Warmacienses tue metropolis, pro eo quod terram tuam intrantes hostiliter, eam rapinis et incendiis in tuum et ecclesie tue maximum preiudicium temeritate propria devastarunt[1], exigente iustitia etc. usque in finem.

In eundem modum eidem; — ut excommunicationis sententiam, quam in .. episcopum Augustensem[2], .. Capidonensem[3], .. Auwensem[4], .. Elwacensem[5], .. Sancti Galli[6] et quosdam alios abbates exemptos, pro eo quod cum nobili viro C[onrado] nato principis terram tuam intrarunt hostiliter, exigente iustitia promulgasti, etc. usque in finem.

50.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino mandat, ut excommunicationis sententiam, quam iudices a sede apostolica delegati in [Conradum] electum Coloniensem propter debitum praedecessoris sui promulgaverint, relaxet. *1244, Ian. 28.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 68; Lib. I, 408.
Berger 410.

a) *B.*; eos *P.* b) In — Florentinos *add. ex B.* c) Eidem *R.*

1) *Duce Conrado rege, qui praesertim ab iis adiutus Aug. 1242 et Aug. 1243 Rhingowiam devastaverat: Böhmer-Ficker, l. c. 4469 a et 4473 b et sqq.* 2) *Sibotonem.* 3) *de Kempten.* 4) *I. e. Augiensem, Conradum.* 5) *Rodgerum.* 6) *Walterum.*

.. archiepiscopo Maguntino.

Cum dilectus filius .. electus Coloniensis negotium ecclesie viriliter prout patet per opera prosequatur, nos, volentes ipsum proinde prerogativa favoris et gratie prosequi specialis, presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus excommunicationis sententias, quas quidam iudices a sede apostolica delegati in ipsum occasione debiti ab eius predecessore contracti promulgasse dicuntur[1], sine qualibet difficultate relaxes, mandans eidem, ut persistat in devotione ecclesie, ut incepit, et mille marcas usque ad plenam solutionem debiti persolvat suis creditoribus annuatim[2].

Dat. Lateran. V Kal. Febr. anno primo[3].

51.

Innocentius IV papa Guidonem dictum Guerram comitem palatinum Tusciae cum omnibus bonis, quae tempore, quo princeps excommunicatus fuerit, possederit et quae nunc possideat, sub protectione sua suscipit. *1244. Ian. 28.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 71; Lib. I, 121.
Berger 423; Potthast, Reg. 11166 male sub a. 1243, Oct. 28.

Nobili viro Guidoni dicto Guerre[a] comiti palatino Tuscie.

Et ratio postulat et equitas persuadet, ut devotorum merita benigna consideratione pensantes, retributionem condignam ipsorum obsequiis rependamus, ut et ipsi per hec ad servitia sedis apostolice fortius animentur, et ad id eorum exemplo ceteros invitemus. Eapropter, dilecte in Domino fili, prout convenit attendentes quod in devotione apostolice sedis illam studuisti servare constantiam, quod nec dampna rerum nec persone pericula te ab ecclesie fidelitate avertere potuerunt, et debitum extimantes ut tuis petitionibus favorabiliter annuamus, tuis supplicationibus inclinati, personam tuam in devotione ecclesie ac defensione catholice fidei et libertatis ecclesiastice persistentem, terras, possessiones, castra, iurisdictiones et alia omnia bona tua, que olim tempore, quo princeps excommunicatus per apostolicam sedem extitit, possidebas et que impresentiarum rationabiliter possides aut in futurum etc. usque: communimus. Sententias quoque, banna, statuta, ordinationes, penas, confiscationes, privilegia et concessiones factas de bonis tuis ab eodem principe vel alio pro ipso quibuscumque communitatibus et personis, necnon pactiones, securitates, dationes, refutationes et instrumenta a te dicto principi vel alicui pro eo ex quacumque causa prestita et alia omnia, que contra te et bona tua generaliter vel specialiter idem princeps statuisse dicitur[4], auctoritate presentium — non obstantibus iuramentis super hiis a te prestitis — revocamus. Nulli ergo — nostre protectionis et revocationis etc. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. V Kal. Febr. anno primo.

In eundem modum nobilibus viris Rainerio, Henrico, Leutio[b] de Vallebona, Iacobo, Ieremie de Bucun.[c], Nicolao Nigro et Ugolino de Pleda[d].

In eundem modum nobilibus viris Fulcerio, Nicolao, Rainerio, Iohanni Guid[onis][e] de Calbulo et Algerio de Ursarola[5].

a) *B.:* Guerra *P.* b) *ita P. et Mau, qui sequentia quoque nomina cum Reg. denuo contulit;* Lentio *B.* c) Bucuñ *P.* d) Pleola *B.* e) Iohanni Guid' *R.:* Iohanni, Guidoni *B.*

1) *Cf. Berger 344.* 2) *Cf. Berger 392.* 3) *Haec epistola a papa Mart. 17 ad verbum repetita est, excepto quod legitur:* debiti tam ab eiusdem predecessore quam eodem electo contracti, *et infra* mille marcas argenti; *Berger 554.* 4) *Cf. Böhmer-Ficker, l. c. 3137.* 5) *Idem, nonnullis vocabulis mutatis, eodem die scriptum est Alberico de Romano: Cod. Trevis. f. 3, n. 9 apogr. in apparatu Monum.*

52.

Innocentius IV papa Rolando Cremonensi de ordine Praedicatorum mandat, ut de vitiis Ezelini de Romano, qui ut asseratur claves ecclesiae contemnat et pravitatis haereticae suspectus sit, inquirat. *1244, Mart. 4.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 84; Lib. I, 517.
Berger 518.

Rolando Cremonensi de ordine fratrum Predicatorum.

Relatu fidedigno percepimus, quod hostis virtutum et fidei persecutor, Ezelinus de Romano, Deum et sedem apostolicam offendit in multis, set in eo precipue, quod contempnit claves ecclesie, receptat hereticos et eisdem indifferenter participat, ut de macula pravitatis heretice sit suspectus et publice infamatus. Verum, ne pestis tam horrida, tam nociva quod absit redundet in discrimen fidelium, nisi apostolice sedis auctoritas super illa remedium acceleret oportunum, per apostolica tibi scripta in virtute obedientie precipiendo mandamus, quatinus habendo pre oculis solum Deum inquiras super hoc diligentius veritatem et quod inveneris nobis tuis litteris fideliter exponere non omittas. Ceterum — non obstante[a] constitutione de duabus dietis edita in concilio generali et eiusdem Ezelini personali absentia — pro eo quod ipse terribilis et fortis esse dinoscitur, in locis vicinis, ubi tutius fieri valeat, astante populo publice cites eundem.

Dat. Lateran. IIII Non. Martii, anno primo.

53.

Innocentius IV papa Henrico comiti Viennensi Treverensis diocesis indulget, ut sibi liceat cum decem militibus in locis interdictis divina officia facere sibi celebrari. *1244, Mart. 22.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 95; Lib. I, 597.
Berger 598.

Nobili viro Henrico comiti Viennensi[1] Treverensis diocesis.

Cupientes personam tuam, quantum cum Deo possumus, honorare, nobilitatis tue precibus libenter in hiis que digne deposcis favorem benivolum impertimur. Eapropter, tuis devotis supplicationibus inclinati, ut liceat tibi in locis interdicto suppositis cum decem militibus te comitantibus, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, ianuis clausis, summissa voce divina officia tibi facere celebrari et eis interesse, dummodo tu vel ipsi causam non dederitis interdicto, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli ergo — nostre concessionis etc. Si quis etc.

Dat. Lateran. XI Kal. April. anno primo[b] [2].

a) *P. B.: an* non obst. = non obstantibus *R.?* b) Dat. ut supra *R.*

1) *Vianden in Lucemburg, ex sept. et occ. cir. Echternach.* 2) *Sub eodem die papa electo Coloniensi mandavit, ut 'Henricum canonicum Leodiensem, natum nobilis viri . . comitis Viennensis, consanguineum suum, in Coloniensi ecclesia recipi faceret in canonicum eique de praebendali beneficio provideri', Berger 597; cf. Cardauns, Konrad v. Hostaden p. 58 et 61.*

54.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino mandat, ut excommunicationis et interdicti sententias, quas contra inimicos ecclesiae promulgaverit, singulis diebus dominicis et festivis per partes vicinas innovari faciat. Cf. n. 49.

1244, Apr. 11.

Inn. IV Reg. Vol. I, 99; Lib. I, 629.
Berger 630.

.. archiepiscopo Maguntino.

Succensa velut ignis quorundam iniquorum iniquitas usque adeo eorum excecat (Ex. 9, 18.) consilia, quod solem iustitie inspicere nequeuntes, necdum quod velint ab hiis, que sunt Christi sponse ecclesie inimica, cessare, verum etiam contra ipsam linguam acuunt, (Ps. 139, 4.) manus armant et vires impudenter effundunt, fidei defensoribus hostiliter occurrendo: propter quod in ipsos, non deferens homini plus quam Deo, excommunicationis et in terras ipsorum interdicti sententias promulgasti, adversus aliquos depositionis sententiam proferendo. Ne igitur eorum immensa temeritas alios exempli pernicie, si impunita remaneat, provocet ad peccandum, nos, dictas sententias auctoritate apostolica confirmantes, mandamus, quatinus ipsas singulis diebus dominicis et festivis facias per vicinas partes pulsatis campanis et accensis candelis sollempniter innovari: contradictores etc.[1].

Dat. Lateran. III Idus April. anno primo.

55.

Innocentius IV papa cum [Henrico] lantgravio Thuringiae dispensat, ut cum Beatrice, non obstante quarta consanguinitatis linea, in matrimonio contracto permanere possit.

1244, Apr. 12.

Inn. IV Reg. Vol. I, 95; Lib. I, 589.
Berger 600.

Nobili viro .. lanthravio Turigie[a].

Qui celestia simul et terrena moderatur, ad hoc beato Petro tanquam vicario suo et successoribus eius post ipsum conferens claves regni celestis ligandi pontificium tradidit et solvendi, ut summus pontifex non humane adinventionis studio sed divine potius aspirationis instinctu leges statuens salutares, quodam necessitatis vinculo liget homines ad observantiam earundem; quod utique nonnunquam, cum urgens necessitas exigit vel evidens utilitas, maxime publica, persuadet, sic laxat provide circa quosdam de sue plenitudine potestatis, ut ceteri nichilominus astricti teneantur eodem, nulla tamen interveniente acceptione indebita personarum, cum non sit reputandum deferri persone, cum pro causa, loco et tempore non privati set publici comodi gratia, et maxime consideratione divini servitii, quicquam alicui sine iuris iniuria indulgetur. Cum igitur zelo fidei Christiane succensus inspirante Domino ardenter aspires ad defensionem catholice fidei et ecclesiastice libertatis, ut ad prosecutionem[b]

a) *ita R.* b) persecutionem *B.*

1) *Sub Febr. 10 papa eidem indulserat, ut absque speciali mandato suo in eum excommunicationis, suspensionis et interdicti sententiae promulgari non possent; Berger 437; cf. 628.*

huiusmodi negotii fortius obligatus alios ad id efficacius exhorteris, nos, provide attendentes quod tanta res, que principaliter noscitur esse Dei, non est impedimento aliquo vel obice retardanda set potius favore benivolo prosequenda, cum olim nobilem mulierem Beatricem[1] duxeris in uxorem, impedimentum consanguinitatis, si quod tunc obstitit, decrevimus submovendum, et nunc, ut — non obstante quod in quarta consanguinitatis linea tibi dicitur attinere — in matrimonio taliter contracto permanere licite valeatis, auctoritate presentium dispensamus. Nulli ergo — nostre dispensationis etc. Si quis etc.

Dat. Lateran. II Id. April. anno primo.

56.

Innocentius IV papa cum Henrico comite de Swarzburch et Sophia uxore eius in eundem modum dispensat. *1244, Apr. 12.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 95; Lib. I, 600.
Berger 601.

Nobili viro Henrico comiti de Swarzburth[a].

Qui celestia etc. ut supra usque: indulgetur. Nos igitur, dilecti filii nobilis viri . . lanthgravii Thoringie et tuis devotis precibus inclinati, cum olim nobilem mulierem Sophiam duxeris in uxorem, impedimentum consanguinitatis, si quod tunc obstitit, decrevimus submovendum, et nunc, ut — non obstante quod in quarta consanguinitatis linea tibi dicitur attinere — in matrimonio taliter contracto permanere licite valeatis, auctoritate presentium dispensamus. Nulli ergo — nostre dispensationis etc.

Dat. ut supra.

57.

Innocentius IV papa [Henrico] lantgravio Thuringiae ad preces eius omnia feuda, quae ab ecclesiis Teutoniae teneat, confirmat. *1244, Apr. 13.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 95; Lib. I, 601.
Berger 602.

Nobili viro . . lanthgravio Thoringie.

Gratias agimus gratiarum omnium largitori, quod, sicut accepimus et utique acceptamus, ipso menti tue timorem sui nominis et amorem misericorditer inspirante, ab eo, qui solus habet in regno hominum potestatem, magnitudinis tue potentiam recognoscens, sponsam eius ecclesiam et personas ecclesiasticas veneraris, et apostolice sedis[b] et nostris beneplacitis prompta fide pronaque devotione te offerens et exponens, voluntate nobis et actione desideras complacere. Quare nos personam tuam prerogativa dilectionis et gratie complectentes, tuis devotis precibus inclinati, feuda omnia, que ab ecclesiis Teutonie tenere dinosceris, sicut ea nunc rationabiliter possides et quiete, tibi auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo — nostre confirmationis etc. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. Id. April. anno primo.

a) *ita R.* b) *B.:* sedi *P.*

1) *Filiam Henrici II ducis Brabantiae; cf. Bohmer-Ficker, l. c. 4860 a et 4865 b.*

58.

Innocentius IV papa eidem usque ad triennium indulget, ut in eum excommunicationis et interdicti sententiae promulgari non possint absque sedis apostolicae mandato. *[1244, Apr. 13.]*

Inn. IV Reg. Vol. I, 95; Lib. I, 602.
Berger 603.

Eidem.

Tue devotionis insignia et obsequia, que Deo et ecclesie Romane matri tue tanquam specialis et devotus filius exhibuisti fideliter et exhibes incessanter, laudabiliter promerentur, ut tuis profectibus, quantum cum Deo possumus, intendentes libenter, tuis supplicationibus annuamus. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis iustis precibus concurrentes assensu, ut nullus in personam tuam excommunicationis vel interdicti sententias pro aliqua causa promulgare presumat absque mandato sedis apostolice, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli ergo — nostre concessionis etc. Si quis autem etc.: presentibus[a] post triennium minime valituris[b].

59.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino mandat, ut de excessibus [Landolfi] episcopi Wormaciensis inquirat. *1244, Apr. 16.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 101; Lib. I, 651.
Berger 652.

. . archiepiscopo[c] Maguntino.

Succensa etc. ut in DCL littera[d] usque: potest . . Warmaciensis episcopus aggregari, qui etiam excommunicationis sententia sedis apostolice vilipensa, divina officia celebrare, immo, quantum in eo est, prophanare presumit, excommunicationis et interdicti a te sententiis innodatus. Ne igitur etc. ut supra usque: procedendum.

Dat. Lateran. XVI Kal. Maii, anno primo.

60.

Innocentius IV papa Henrico et Iacobo nato eius dictis Fraiapane civibus Romanis, qui nuper apud Aquampendentem principi ad instantiam eius medietatem Collisei cum palatio exteriori et omnibus iuribus, quae ab ecclesia teneant in feudum, concesserint, significat se concessionem, quam terrore coacti fecerint, revocare.

1244, Apr. 16 et 19.

Inn. IV Reg. Vol. I, 95; Lib. I, 603; — et Vol. I, 98; Lib. I, 619. Pertzii exemplar epistolae primae suppletum ex Rayn. Ann. eccl. a. 1244, § 19 contulimus cum Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sedis, t. I, p. 118, n. 207.
Potthast, Reg. 11335; Berger 604 et 620.

a) *Haec formula, quae initio omissa, litteris notatis ita addita esse videtur, in authentico sine dubio post verbum* indulgemus *collocata erat.* b) Dat. ut supra *omissum esse putamus.* c) archipresbytero *R., quod corrigendum est propter verba ep.:* excommunicationis et interd. a te sent. innodatus; *cf. n. 49. Etiam duas ep. in Reg. sequentes, sub inscriptione* Eidem *relatas [n. 62, II et 65], 'archiepiscopo' Maguntino missas esse certum est.* d) *n. 64.*

I.

Nobilibus viris Henrico et Iacobo eius nato dictis Fraiapane, civibus Romanis[a].

Etsi ex suscepte servitutis officio teneamur, ut dampnificatis ecclesiis per bonorum ipsarum alienationes seu concessiones illicitas universis congruo remedio succurramus, ecclesie tamen Romane, cum eam sic per aliquorum temeritatem dampnificari contingit, eo succurrere studio propensiori nos convenit, quo ei tanquam precipue sponse nostre sumus quodammodo specialius obligati. Cum igitur[b], sicut lecta coram nobis vestra petitio continebat, nuper apud Aquampendentem in presentia principis constituti[1], eidem ad suam instantiam ipsius timore perterriti medietatem Collisei[c] cum palatio exteriori sibi adiacente et omnibus iuribus ad ipsam medietatem pertinentibus, dilecto filio Anibaldo civi Romano titulo pignoris obligata[d], que ab ecclesia Romana tenetis in feudum, de facto, cum de iure nequiveritis, duxeritis concedenda, prestitis nichilominus iuramentis vos contra concessionem huiusmodi non venturos, prout in instrumento[e] inde confecto plenius dicitur contineri: licet ex hoc essetis non immerito puniendi, attendentes tamen quod coacti quodammodo terrore tanti principis id fecistis, concessionem huiusmodi nullam esse penitus nuntiantes, predicta ad vestrum et ecclesie Romane ius et proprietatem auctoritate presentium[f] revocamus, iuramentis predictis nichilominus relaxatis, eadem auctoritate excommunicationis vinculo ac pene quinque milium marcarum argenti omnes, qui contra hec[g] venire presumpserint, supponentes. Nulli ergo — nostre revocationis, relaxationis et suppositionis etc. Si quis autem etc.

Dat. Lateran. XVI Kal. Maii, pontificatus nostri anno primo.

II.

Nobilibus viris Henrico Fraiapane sacri palatii nostri Lateranensis comiti et Iacobo nato eius.

Cum, sicut nobis exponere curavistis, princeps a vobis licet invitis medietatem Collisei[h] ad vos spectantem cum toto exteriori palatio adherente eidem eorumque pertinentiis sub quadam permutationis specie fecerit sibi dari et de habenda rata permutatione huiusmodi a vobis receperit iuramentum, nos, provide attendentes quod predicta iuris ecclesie Romane ac proprietatis existunt et illa vos vestrique progenitores ab eadem ecclesia tenuistis, quodque huiusmodi datio seu permutatio licite fieri non potuit dicta ecclesia inconsulta, vestris supplicationibus inclinati, iuramento relaxato predicto concessionem, donationem seu traditionem factam a vobis eidem principi de premissis, et quicquid ex ea vel ob ipsam sancitum est aut sequi contigerit, auctoritate presentium totaliter revocamus, decernentes omnes, qui huiusmodi contractu contra vos vestrosque successores uti vel ipsius occasione contractus vobis dictisque successoribus gravamen aliquod inferre presumpserint, excommunicationis sententia, quam super hoc tulimus, subiacere. Nulli ergo — nostre revocationis et constitutionis etc. Si quis etc.

Dat. Lateran. XIII Kal. Maii, anno primo.

a) Romane *R.* b) Cum igitur — supponentes *ex Rayn.* c) *R. MAU*; Colisei *Rayn.* d) *ita T et Rayn.* e) *T.*: iuramento *Rayn.* f) *T.*; predicta *Rayn.* g) *T.*; hec *deest Rayn.* h) *R. MAU*; Colossei *B.*

1) *Imperator a. 1241 ab initio mensis Martii usque ad finem mensis Aprilis apud Aquampendentem morabatur; Böhmer-Ficker, l. c. 3417—3428.*

61.

Innocentius IV papa potestati, consilio et populo Narniensibus scribit se statuisse, ut cives Interamnenses, antequam ipsis de damnis in castris et aliis rebus irrogatis plenarie satisfecerint, ad gratiam ecclesiae non admitterentur. 1244, Apr. 22.

Inn. IV Reg. Vol. I, 97; Lib. I, 617. Pertzii exemplar contulimus cum Theiner, l. c. t. I, p. 118, n. 208. Potthast, Reg. 11346; Berger 618.

.. potestati, consilio et populo Narniensibus.

Quia cuique pro meritis retributione convenit congrua responderi, fideles et devotos ecclesie, maxime quos presentis temporis examinavit necessitas, dignis decet remunerari premiis et infidelium ac indevotorum inconstantiam pena debita castigari, ut et illorum remuneratio inducat alios ad ipsius ecclesie famulatum et istorum vindicta ceteris ausum cohibeat delinquendi. Hinc est, quod cum cives Interamnenses ecclesie Romane fidelitate relicta[1] tanquam filii degeneres vobis, quos ab ipsius devotione prava suggestio vel adversitas aliqua non subtraxit, dampna in castris et aliis bonis vestris gravia irrogarint, nos, ne de illatis vobis offensis relinquantur impunes, de fratrum nostrorum consilio presentium auctoritate statuimus, ut omnia huiusmodi dampna vobis ab eisdem Interamnensibus vel occasione ipsorum illata, et que deinceps, quamdiu in infidelitate perstiterint, inferri contigerit, necnon et ablata omnia vobis a communi Interamnensi integre restaurentur, predictis Interamnensibus, antequam plenarie vobis satisfecerint de premissis, ad gratiam ecclesie nullatenus admittendis. Et quia iidem Interamnenses vos et alios ecclesie prefate fideles impugnare ac offendere non desistunt, eadem vobis auctoritate concedimus, ut de offensis, illatis rebellibus ipsis et etiam de cetero inferendis huiusmodi occasione a vobis, conveniri ab aliquo non possitis, de quibus vos duximus absolvendos. Ut autem fidei vestre puritas semper clarius elucescat, eisdem ac aliis ecclesie rebellibus promptitudine ac fortitudine spiritus premuniti viriliter resistatis, in ipsius ecclesie devotione, que vos inter ceteros eius filios favore ac gratia proponit attollere speciali, stabiles more solito permanentes.

Dat. Lateran. X Kal. Maii, anno primo.

62.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino visitationis et reformationis officium in Maguntina et Trevernsi provinciis committit. — Eidem pro Magdeburgensi provincia idem scribit. 1244, Apr. 27 et 29.

Inn. IV Reg. Vol. I, 99; Lib. I, 626; — et Vol. I, 101; Lib. I, 652. Berger 627 et 653.

I.

.. archiepiscopo Maguntino.

Romanus pontifex, pastoris magni vicarius, quem ecclesiarum omnium cure nexus obligat apostolice servitutis, quia, ne ecclesiis a se distantibus impendat sui ministerii debitum, prohibent intervalla locorum, alios in messem Dominicam operarios compellitur evocare. Hinc est, quod cum status ecclesiarum in Maguntina et Treverensi provinciis multe deformationis tribulis opprimatur, quos expedit falce apostolica resecari, tibi, de cuius discretione confidimus, in dictis provinciis visitationis et refor-

1) *Ab a. 1241, Inn.; Bohmer-Ficker, l. c. 3215 a; cf. 3430 a.*

mationis officium duximus committendum. Quocirca fraternitati tue mandamus, quatinus commissam tibi sollicitudinem sic laudabiliter exequaris, quod gratiam apostolice sedis de bono in melius valeas promereri; contradictores etc.

Dat. Lateran. V Kal. Maii, anno primo.

II.

.. archiepiscopo Maguntino[a].

Romanus pontifex etc. ut supra in DCXXVI littera usque: evocare. Hinc est, quod cum status ecclesiarum Magdeburgensis provincie multe deformationis tribulis opprimatur etc. ut supra usque: confidimus, in dicta provincia etc. usque in finem.

Dat. Lateran. III Kal. Maii, anno primo.

63.

Innocentius IV papa [Henrico] lantgravio Thuringiae notum facit, quomodo princeps post multos tractatus pacis per nuntios suos [Raymundum VII] comitem Tolosanum et magistros Petrum de Vinea et Thaddaeum de Suessa curiae suae iudices coena Domini proxime praeterita [Mart. 31] de stando mandatis ecclesiae super omnibus articulis, pro quibus a Gregorio IX papa excommunicatus fuerit, publicum iuramentum praestiterit, a quo post non multos dies resilierit, adimplere quod sibi mandatum sit renuendo.

1244, Apr. 30.

Inn. IV Reg. Vol. I, 100; Lib. I, 645. Damus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1244, § 21. Potthast, Reg. 11359; Berger 646.

Nobili viro .. lantgravio Turingie.

Ut que noviter nobiscum acta sunt[1], in tuam et omnium principum veniant notionem, dignum duximus intimare, quomodo post tractatus multiplices pacis nobis et amicis ecclesie honorabilis et secure ac promissiones factas a principe divisas per articulos et conscriptas per nuntios suos nobilem virum comitem Tolosanum, magistros Petrum de Vinea et Thadeum de Suessa, curie sue iudices, in die cene Domini proxime preterita, presentibus carissimo in Christo filio nostro Constantinopolitano imperatore illustri[2] ac fratribus nostris, adstante quoque turba non modica prelatorum, coram senatoribus et Romano populo universo et multis aliis, qui de diversis mundi partibus ad diem festum convenerant iuxta morem, de stando mandatis nostris et ecclesie super omnibus articulis, pro quibus per pie memorie Gregorium papam predecessorem nostrum fuit vinculo excommunicationis astrictus, ac dampnis, iniuriis et offensis, ecclesiis et personis ecclesiasticis ante et post excommunicationem illatis, prestitit publice iuramentum, a quo non post multos dies elegit resilire potius quam parere, adimplere quod sibi mandavimus renuendo. Sane, ut devotionis affectum, quem erga Romanam ecclesiam habere diceris, exhibeas laudabiliter in effectu, expedit, ut negotium fidei per te laudabiliter inchoatum promptius exequaris, ut exinde uberior tibi crescat cumulus meritorum et apostolicam sedem ad incrementum tui nominis et honoris fortius habeas obligatam: nos enim in proposito gerimus, quod te in dicto negotio minime deseramus.

Dat. Lateran. II Kal. Maii, anno primo.

a) Eidem *R*; *cf. p. 45, not. c.*

1) *Cf. Böhmer-Ficker, l. c. 3418 a et sequ. et 1865 b.* 2) *Balduino II.*

64.

Innocentius IV papa abbati Eberbacensi et praeposito Sancti Augustini in Erfordia mandat, ut de magistro H[enrico] de Catania, qui excommunicatus ad ecclesiam Bambergensem electus et professus et monachus Sancti Burcardi in Herbipoli fuisse asseritur, factus exinde multis in scandalum, veritatem inquirant. 1244, Mai. 2.

Inn. IV Reg. Vol. I, 101; Lib. I, 650. Pertzii exemplar contulimus cum Baluzii Misc. ed. Mansi t. III, p. 401.
Potthast, Reg. 11362; Berger 651.

.. abbati Elierbacensi[a 1] Cisterciensis ordinis et .. preposito Sancti Augustini in Hecfordia[b 2] Maguntine diocesis.

Succensa velut ignis etc. ut supra in DCXXVIIII littera[c] usque: occurrendo. Horum siquidem rebellium numero, sicut nobis extitit intimatum, potest magister H. de Catania, qui ecclesie Bambebergensis electus dicitur, aggregari[3], qui etiam apostolice sedis excommunicationis sententia innodatus ad dictam ecclesiam electus asseritur, quodque professus et monachus Sancti Buccardi in Herbipoli fuerit, factus exinde multis in scandalum et horrorem. Ne igitur, si tam enormis temeritas remanserit impunita, materiam enormitatum pariat graviorem, mandamus, quatinus habentes pre oculis solum Deum, inquiratis super hiis et aliis sollicite veritatem, et que inveneritis nobis vestris litteris studeatis fideliter intimare, ut per vestram relationem sufficienter instructi procedamus exinde, prout secundum Deum viderimus procedendum.

Dat. Lateran. VI Non. Maii, anno primo.

65.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino, cum pro sedis apostolicae negotiis gravia onera expensarum subierit, indulget, ut quintam omnium reddituum ecclesiasticorum anni proximi futuri in tota provincia sua, Spirensi diocesi excepta, colligere valeat. 1244, Mai. 5.

Inn. IV Reg. Vol. I, 101; Lib. I, 653.
Berger 654.

.. archiepiscopo Maguntino[d].

Dignis in Domino laudibus prudentiam tuam efferimus, quod sicut vetus amator honoris ecclesie te ad omnia exhibuisti paratum et facilem, ad que novisti ecclesie Romane matris tue dirigi voluntatem; quod tanto libentius verbis et scriptura recolimus, quanto in condigna retributione sollicitius cogitamus. Sane cum pro apostolice sedis negotiis te multo labori subdideris, nec persone discrimen fidei succensus zelo vitaveris, ac subieris gravia et iugiter subire cogaris onera expensarum, volentes ad presens alicuius subventionis remedio statum tuum, qui sumptus innumeros exigit, relevare, ut quintam omnium ecclesiasticorum reddituum anni proximi futuri in tota provincia

a) *ita R.* b) *B. Mansi;* Herfordia *P.* c) *n. 54.* d) Eidem *R.; cf. p. 43, not. c.*

1) *Eberbach ex sept. et occ. Moguntiae. Eidem abbati Apr. 26 mandaverat, ut archiepiscopo Moguntino, quotiens ab eo requisitus fuerit, manus absolutionis ad cautelam impendat; Berger 628.* 2) *I. e. Erfurt, ubi monasterium sancti Augustini extitit; Herford in diocesi Paderburnensi situm fuit.* 3) *Imperatori enim favebat; cf. Bohmer-Ficker, l. c. 3305—3307, 3412, 4477—4480.*

Maguntina, Spirensi diocesi dumtaxat excepta, colligere valeas, auctoritate tibi presentium indulgemus: contradictores etc.

Dat. Lateran. III Non. Maii, anno primo.

In eundem modum . . archiepiscopo Coloniensi[1] in provincia sua.

In eundem modum . . episcopo Spirensi[2] in civitate et diocesi sua.

66.

Innocentius IV papa episcopis et universis praelatis et clericis provinciae Maguntinae mandat, ut [Sigefrido III] archiepiscopo pro ecclesia Romana multis expensis involuto quintam omnium reddituum ecclesiasticorum anni proximi futuri assignent. Cf. n. 65.

1244, Mai. 5.

Inn. IV Reg. Vol. I, 101—102; Lib. I, 654.
Berger 655.

Episcopis, abbatibus, prioribus et universis ecclesiarum prelatis et clericis[a] per[b] Maguntinam provinciam constitutis.

Dignis in Domino laudibus prudentiam venerabilis fratris nostri . . archiepiscopi Maguntini efferimus etc. usque: voluntatem. Sane cum etc. usque: relevare, universitatem vestram rogandam duximus et monendam, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus habentes ad dictum archiepiscopum, pro ecclesia Romana expensis multis et laboribus involutum, debitum compassionis affectum, ei quintam omnium reddituum ecclesiasticorum anni proximi futuri liberaliter assignetis. Alioquin eidem nostris damus litteris in mandatis, ut vos ad id monitione premissa submoto appellationis obstaculo[c] auctoritate nostra compellat.

Dat. Lateran. III Non. Maii, anno primo.

In eundem modum eisdem per archiepiscopatum Coloniensem[d].

In eundem modum abbatibus etc. ut supra pro . . episcopo Spirensi in diocesi ac civitate Spirensibus[3].

67.

Innocentius IV papa [Friderico II] duci Austriae concedit, ut matrimonium contrahere possit cum nata [Ottonis II] ducis Bavariae, quae sibi tam consanguinitatis quam affinitatis linea, ex altera parte in quarto gradu ex altera in quinto, attinere dicatur.

1244, Mai. 6.

Inn. IV Reg. Vol. I, 102; Lib. I, 662.
Potthast, Reg. 11371; Berger 663.

Nobili viro . . duci Austrie.

Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum desideres sicut asseris dilectam in Christo filiam nobilem mulierem . . natam dilecti filii nobilis viri . . ducis

a) et clericis *deest B.* b) *B.:* et *P.* c) *B.;* sub apostolica obedientia *P.; cf. t. I, p. 475, not. a.*
d) *P.:* pro archiepiscopo Coloniensi *B.*

1) *Conrado; sub Febr. 5 papa pallium ei assignandum archiepiscopo Moguntino transmiserat; Berger 455 et 456.* 2) *Conrado V.* 3) *Sub Apr. 17 eisdem mandaverat, ut episcopo de redditibus suis 'congruum subsidium' tribuerent; Berger 645.*

Bauwarie ducere in uxorem, quia eadem tam consanguinitatis quam affinitatis linea, ex una parte in quarto et ex alia in quinto [gradu][a], tibi dicitur attinere, ne ex hoc huiusmodi matrimonio possit nota detractionis impingi, a nobis, si id fieri valeat, certiorari humiliter postulasti[b]. Attendentes igitur quod secundum regulam canonum, 'quoto gradu remotior distat a stipite, et a quolibet descendentium per lineam transversalem'[c], quod inter te et ipsam matrimonium legittime contrahi — non obstantibus consanguinitate et affinitate predictis — valeat, auctoritate presentium declaramus.

Dat. Lateran. II Non. Maii, anno primo.

68.

Innocentius IV papa [Alberto] duci Saxoniae, qui pro pace cum O[ttone] duce de Brunsvic reformanda Helenam natam eius, quarta ipsum ex utroque latere consanguinitatis linea contingentem, in uxorem ducere desideret, indulget, ut cum ea, quacum de facto sponsalia iam contraxerit, matrimonium contrahat et in eo licite permaneat. — Idem Helenae scribit. *1244, Mai. 15.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 107; Lib. I, 689 et 690.
Berger 690 et 691.

I.

Nobili viro .. duci Saxonie.

Etsi coniunctio copule coniugalis in quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu sacris sit canonibus interdicta, provide tamen super hiis interdum Romana dispensat ecclesia, maxime cum urgens necessitas vel evidens utilitas id exposcit. Cum igitur, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Helenam natam dilecti filii nobilis viri O. ducis de Brunsvich, quarta te ex utroque latere consanguinitatis linea contingentem, pro reformanda pace inter te et ipsum ducem, cum quo gravem guerram a longis retro temporibus dinosceris habuisse, ducere desideres in uxorem, nos, attendentes bonum, quod exinde potest, sicut a fide dignis accepimus, provenire, et quod grandis ex hoc tranquillitas in illis partibus procuratur, tuis ac prefati ducis precibus inclinati, ut cum ea, cum qua de facto sponsalia iam diceris contraxisse, — predicta consanguinitate nequaquam obstante — matrimonium legitime contrahere ac in contracto licite permanere valeas, plenam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Nulli ergo — nostre concessionis —.

Dat. Lateran. Idibus Maii, anno primo.

II.

Nobili mulieri Helene nate dilecti filii nobilis viri ducis de Brusnich[d].

Etsi coniunctio etc. ut supra usque: exposcit. Cum igitur, sicut ex parte dilecti filii nobilis viri .. ducis Saxonie fuit propositum coram nobis, etc. tuis ac predictorum Saxonie et de Brunsvich patris tui ducum precibus inclinati *etc.*[e]

---

a) gradu *addendum esse ex canone infra citato apparet; nam a stipite, Liutpoldo III marchione Austriae, Fridericus quarto gradu, filia Ottonis quinto distabat: Fridericus II, Liutpoldus VI, Liutpoldus V, Henricus II — Liutpoldus III — Gertruda et Wladislaus II dux Bohemiae, Fridericus II, Ludmilla et Ludowicus dux Bavariae, Otto II. Affines autem erant per Gertrudam, fil. Lotharii imp., quae primo Henrico Superbo, tum Henrico II marchioni Austriae nupserat; v. Voigtel-Cohn, Stammt. 31 et 19.* b) *Scriptor quibus verbis inceperit oblitus est.* c) *intelligas:* quoto quis gradu r. d. a st., toto distat et a quolibet d. p. l. t. ab eodem; *Corp. iur. can. c. 3 et 9 ap. Greg. de consangu. IV, 14; cf. Richter-Dove, Kirchenr. 6. Aufl. § 271, p. 797.* d) *B.* '*(sic)*'; Brunsvich *P.* e) *Ut ex B. cognoscimus, in R. ep. paululo plenior data est.*

69.

Innocentius IV papa ad preces Raymundi VII comitis Tolosani sententiam excommunicationis in ipsum a fratribus Ferrario et G. Raymundi, inquisitoribus contra haereticos deputatis, prolatam revocat, tenore litterarum fratrum illorum inserto.

1244. Mai. 16.

Inn. IV Reg. Vol. I, 108; Lib. I, 696. Authenticum a Teulet, Layettes du Trésor des Chartes t. II, p. 534, n. 3181 editum cum Regestis contulit V. Cl. A. Mau.
Potthast, Reg. 11390; Berger 697.

Nobili viro Raimundo comiti Tolosano[a] [1].

Cum nuper te reconciliatum ecclesie in plenitudinem gratie apostolice sedis et nostre duxerimus admittendum, nobilitatis ac devotionis tue votis libenter annuimus et tibi, quem honorare ac prosequi prerogativa favoris proponimus, in hiis, que digne deposcis, nos favorabiles, quantum cum Deo possumus, exhibemus. In nostra siquidem proposuisti presentia constitutus, quod cum fratres Ferrarius et G. Raimundi ordinis Predicatorum, inquisitores contra hereticos auctoritate apostolica deputati, aliquorum forsitan suggestione malivola circumventi, dum te circa quosdam hereticos puniendos negligentem arguerent, fautorem, defensorem ac receptatorem hereticorum te iniusta interpretatione notarint, ac propter hoc in te post appellationem ad sedem apostolicam legitime interiectam excommunicationis sententiam de facto duxerint promulgandam, nos eandem sententiam, licet eam ex causis legitimis nullam assereres, relaxari per venerabilem fratrem nostrum . . archiepiscopum Barensem[2] fecimus ad cautelam. Ne vero ex hiis aliquid tibi detractionis ab emulis impingi valeat in futurum, nobis humiliter supplicasti, ut predictas interpretationem et sententiam, quatenus processere de facto, eatenus revocare paterna sollicitudine curaremus. Nos igitur, honori tuo, saluti atque fame consulere cupientes, quem filium reputamus catholicum et fidelem, tam predictam interpretationem quam sententiam, et quicquid secutum est ex eis, de fratrum nostrorum consilio auctoritate presentium revocamus, decernentes quod sententia et interpretatio predicte pro nullis in posterum habeantur, eadem auctoritate omnem infamiam, si qua ex premissis orta est, penitus abolentes, ita quod nullum tibi aut heredibus tuis possit in posterum hac occasione preiudicium generari, ac nichilominus statuentes, ut si quid contra hoc a quoquam attemptatum fuerit, nullius penitus sit momenti. Tenor autem predicte interpretationis ac sententie talis est:

In nomine domini nostri Iesu Christi Amen. Sit cunctis presentibus manifestum indubitatumque futuris[b], quod nos, fratres Ferrarius et G. Raymundi ordinis Predicatorum, inquisitores heretice pravitatis in Narbonensi, Biterrensi, Carcasonensi, Ruthenensi, Albigensi, Elnensi diocesibus auctoritate apostolica constituti, habito diligenti consilio et tractatu et specialiter requisito et habito consilio reverendorum patrum P[etri] Dei gratia archiepiscopi Narbonensis et D[urandi] eadem gratia episcopi Albiensis et aliorum prelatorum necnon et aliorum prudentum virorum, per sententiam diffinitivam, meritis suis exigentibus, condempnavimus multos milites et alios homines in terra viri nobilis R. comitis Tolosani tanquam hereticos et in terra regis Francie et aliorum quosdam alios, qui ad terram dicti comitis fugientes ibidem publice receptantur et condempnati in terra eiusdem ibidem publice commorantur, bonis eorum per supradictum comitem minime occupatis. Propter quod ammonuimus diligenter

a) Tholosano A. *semper.* b) futuris *deest A.*

1) *Cf. n. 40 et 45.* 2) *Marinum.*

ac legitime comitem supradictum, ut bonis eorum occupatis de supradictis hereticis condempnatis purgaret legitime terram suam et de ipsis faceret quod deberet. Quod supradictus comes facere non curavit, sed fuit et est in periculum anime sue et contemptum ecclesie et magnum catholicorum scandalum in hoc valde negligens et remissus; quod etiam facere tenebatur proprio iuramento. Cum igitur negligere, cum possit perturbare perversos, nichil aliud sit quam fovere, nec careat[a] scrupulo societatis occulte, qui manifesto facinori desinit obviare, nos, fratres F. et G. supradicti inquisitores, requisito et habito consilio quamplurium archiepiscoporum et[b] episcoporum, aliorum prelatorum necnon et aliorum prudentum[c] virorum, supradictum R. comitem Tolosanum excommunicamus et anathematizamus tanquam fautorem, defensorem et receptatorem hereticorum, tradentes corpus eius Sathane in interitum carnis, ut spiritus I. Cor. 5, 5.
eius salvus sit in die domini nostri Iesu Christi.

Lata fuit hec sententia VIII Idus Iunii apud Carcassonam, presentibus venerabilibus patribus P. Dei gratia archiepiscopo Narbonensi et Guidone archidiacono Carcassone et I. de Gradanno[d], procuratoribus domini C[larini] episcopi Carcassonensis, et capitulo Carcassonensi et . . abbate Sancti Hylarii[e] [1] diocesis Carcassonensis et Pontio priore provinciali fratrum Predicatorum et pluribus aliis, anno Domini M°CC°XL°II.

Nulli ergo — nostre revocationis[f] et constitutionis etc. Si quis etc.

Dat. Lateran. XVII Kal. Iunii, anno I.

70.

Innocentius IV papa [Friderico II] duci Austriae, qui in Prusciae subsidium proficisci proposuit, et cum comitantibus illam indulgentiam elargitur, quae transfretantibus in Terram Sanctam concessa est. *1244, Mai. 16—Iun. 1.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 111; Lib. I, 710.
Potthast, Reg. 11409 a; Berger 711.

Nobili viro . . duci Austrie.

Licet is, de cuius munere venit, ut sibi a fidelibus suis digne ac laudabiliter serviatur, de habundantia pietatis sue, que merita supplicum excedit et vota, bene servientibus multo maiora retribuat, quam valeant promereri, nichilominus tamen, desiderantes reddere Domino populum acceptabilem, fideles Christi ad complacendum ei quasi quibusdam illectivis premiis, indulgentiis scilicet et remissionibus, invitamus, ut exinde reddantur divine gratie aptiores. Cum igitur proposueris in potenti manu in Pruscie subsidium proficisci[2], nos, attendentes quod dignum est, ut hii, qui se divinis exponunt obsequiis, remunerationem recipiant congruentem, ac cupientes ut te ad hoc plurimi comitentur, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius ac ea quam nobis concessit Dominus auctoritate confisi, illam tibi et tecum in subsidium predictum euntibus peccatorum indulgentiam elargimur, que transfretantibus in Terre Sancte subsidium in generali concilio est concessa.

Dat. . . . .[g] Kal. Iunii, anno primo.

---

a) caret *R. A.* b) et *deest A.* c) prudentorum *R.* d) Gradaño *R.*; Gradano *A.* e) Ylarii *A.* f) abolitionis *add. A.* g) *Locus et fortasse numerus ante* Kal. *exciderunt; antecedit in Reg. alia ep. in favorem ducis eiusdem concessa, quae* Lat. VII Kal. Iun. *data est.*

1) *E mer. cir. Carcassonae.* 2) *Cf. Contin. Sancrucensem II, a. 1244; SS. t. IX, p. 641.*

71.

Innocentius IV papa Wladislao nato [Wenceslai] regis Bohemiae indulget, ut cum [Gertruda] nepte [Friderici II] ducis Austriae matrimonium contrahere valeat, quarto consanguinitatis gradu non obstante. *1244, Dec. 8.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 121; Lib. II, 2. Pertzii exemplar contulimus cum Boczek, Cod. dipl. Moraviae, t. III, p. 43, n. 57.

Potthast, Reg. 11469; Berger 749.

Nobili viro Waislao[a] nato carissimi in Christo filii nostri .. illustris regis Boemie.

Cum[b] summus pontifex collatis sibi in persona beati Petri ab eo, qui eterna providentia celestia simul et terrena disponit, clavibus regni celestis ligandi obtineat pontificium et solvendi, nonnumquam, supra ius de iure dispensans, necessitatis vinculum, quo[c] ad ipsius iuris observantiam cuncti tenentur, laxat provide de sue potestatis plenitudine circa quosdam, cum urgens necessitas exigit vel evidens utilitas, maxime publica, persuadet, nulla interveniente acceptione indebita personarum, quia non est reputandum deferri persone, cum pro loco et tempore non privati set publici comodi gratia, et presertim divini consideratione servitii, quicquam alicui sine iuris iniuria indulgetur. Hinc est, quod nos, tuis et carissimi in Christo filii nostri .. illustris regis Boemie patris tui supplicationibus inclinati, tecum, ut cum dilecta in Christo filia .. nepte nobilis viri .. ducis Austrie[1] — non obstante quod es ei quarto consanguinitatis gradu coniunctus — matrimonium licite contrahere valeas, cum speretur gravibus per hoc posse obviari[d] periculis et bonum multiplex procurari, auctoritate apostolica dispensamus[2]. Nulli ergo etc. Si quis autem etc.

Dat. Lugduni, VI Id. Decembr. [anno II][e].

72.

Innocentius IV papa cum [Henrico] marchione Misnensi dispensat, ut cum [Agnete] filia [Wenceslai] regis Bohemiae, ex utroque latere ipsum quarta consanguinitatis linea contingente, matrimonium contrahere possit. *1244, Dec. 9.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 121; Lib. II, 3. Pertzii exemplar contulimus cum Erben, Reg. Bohemiae, t. I, p. 524, n. 1101.

Potthast, Reg. 11470; Berger 750.

Nobili viro .. marchioni Misnensi.

Etsi coniunctio copule coniugalis in quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu sacris sit canonibus interdicta, provide tamen super hiis interdum Romana dispensat ecclesia, maxime cum urgens necessitas id exposcat[f]. Cum igitur, sicut ex parte tua

a) *P.:* Warslao *B.:* Watslao *Bo.* b) *Bo.:* Dum *P. B.; alias quoque in hac formula* Cum. c) quod *P. Bo.* d) obviare *P. Bo.* e) anno II *deest P. B. Bo.* f) *alias in hac formula* exposcit, *ut in n. 68.*

1) *Eandem Gertrudam imperator desponsare cupivit; Bohmer-Ficker, l. c. 3463 a, 3475, 3478 b.*
2) *Alia epistola in favorem regis Bohemiae Nov. 21 data, Potthast, Reg. 11467, in Reg. non extat; mense enim Dec. demum, postquam papa Lugdunum pervenit, hoc anno pontificatus Regesta componi coepta sunt, in quae ex aliquot epistolis antea scriptis paucae tantum receptae sunt; v. Potthast et Berger.*

fuit propositum coram nobis, nobilem puellam natam carissimi in Christo filii nostri .. regis Boemie illustris, ex utroque latere te quarta consanguinitatis linea contingentem, ducere desideres in uxorem, nos, attendentes quod, sicut a fide dignis accepimus, inter alia bona, que inde poterunt provenire, illius ex hoc procuratur pax et tranquillitas regionis, tecum, quod cum predicta nobili — impedimento huiusmodi non obstante — matrimonium libere contrahere ac in contracto licite permanere valeas, auctoritate presentium dispensamus[1]. Nulli ergo etc. nostre dispensationis etc. Si quis autem.

Dat. Lugdun. V Id. Decembr. anno secundo.

73.

Innocentius IV papa natae ducis de Deke scribit se cum Octone comite de Eberstein, germano [Conradi V] episcopi Spirensis, dispensare, ut cum ipsa, quarta consanguinitatis linea non obstante, matrimonium contrahere valeat. 1244, Dec. 13.

Inn. IV Reg. Vol. I, 123; Lib. II, 42.
Berger 789.

.. nate nobilis viri .. ducis de Debae[a][2].

Etsi coniunctio copule coniugalis in quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu etc.[b] usque: circumstantiis personarum. Cum igitur, sicut ex parte dilecti filii nobilis viri Octonis comitis de Eberstein[c][3], venerabilis fratris nostri .. episcopi Spirensis germani, fuit propositum coram nobis, [idem comes] te[d], quarta ipsum consanguinitatis linea contingentem, ducere desideret in uxorem ac super hoc benignitatem apostolice sedis imploret, nos, attendentes quod, sicut ex insinuatione predicti episcopi recepimus[4], magna potest proinde apostolice sedis commoditas provenire ac quod idem comes in ipsius sedis obsequiis se promptum exhibet et devotum, cum ipso, quod tecum — predicto impedimento nequaquam obstante — matrimonium licite contrahere ac in contracto libere permanere valeat, auctoritate presentium dispensamus[5]. Nulli ergo etc. nostre dispensationis etc. Si quis etc.

Dat. Lugduni, Id. Decembr. anno secundo.

74.

Innocentius IV papa abbati Clarifontis Laudunensis diocesis mandat, ut in causa natalium Iohannis et Balduini de Avesnis Willelmum [de Dampetra] et alios fratres et sororem ipsorum ad sedem apostolicam peremptorie citet. 1244, Dec. 18.

Inn. IV Reg. Vol. I, 176; Lib. II, 465. Berger hanc epistolam Regestorum ap. Baluzium, Inn. III ep. t. II, p. 595, legi reputavit ideoque solam epitomen ap. Potthast, Reg. 11479 extantem proposuit; sed ex

a) *in ep. Lib. II, 41 de eadem re scripta* de Debee. b) *scil. ut in n. 68 vel 72 usque:* exposcit, consideratis [diligenter] circumst. p. c) *Lib. II, 41* de Oberstein. d) quod te *P.*

1) *Non multo post, initio a. 1245, idem marchio cum imperatore de matrimonio inter filiam eius Margaretam et Albertum filium suum contrahendo tractasse videtur; Böhmer-Ficker, l. c. 3463 a et sequ.* 2) *Ducem de* Deke, *i. e.* Teck, *sub hoc nomine latere pro certo tenemus; nam ut ipsi in Inn. IV Reg. Lib. VI vidimus, littera* k, *qualis in curia scribi solebat, facile pro* be *et, si minus perspicue scripta fuit, pro* ba *legi potuit et pro* be *a recentioribus saepius lecta est.* 3) *Ex or. cir. Baden-Baden.* 4) *Huic episcopo papa prae aliis favebat et confidebat, sicut ex multis epistolis hoc anno pontificatus scriptis cognoscitur; Berger 790, 791, 803, 804, 948, 949, 974, 983, 984, 1270, 1271.* 5) *Praeter Berger 788 de hoc matrimonio nihil traditum reperimus; cf. Krieg v. Hochfelden, Gesch. d. Grafen v. Eberstein p. 23.*

collatione a V. Cl. A. Mau facta apparet aliam epistolam Regesta, aliam Baluzium praebere. Mirum quidem, quod apud hunc quoque, in citatione Margaritae, quasi ad plures directa esset, verba comparеant, eis, ostensuri *leguntur, unde eum adulteratam formam alterius epistolae habuisse conici potest; cum autem idem se hanc epistolam et alias ad eandem causam spectantes 'in membranis antiquis et authenticis bibliothecae Colbertinae' invenisse asserat, neque res ipsa ullam suspicionem moveat, quin Margarita quoque sub hac forma citata sit, non dubitamus, existimantes ex citatione filiorum prius exarata epistolam matri eorum destinandam minus diligenter transcriptam esse; cf. in ep. a. 1245, Mai. 11* vobis *pro* tibi. — *Ep. a. 1245, Apr. demum in Reg. relata est, certe igitur ex litteris notatis.*

Potthast, Reg. 11479; Berger 1202.

Abbati Clarifontis Premonstratensis ordinis Laudunensis diocesis.

Constitutus in presentia nostra dilectus filius nobilis vir Iohannes de Avesnis Cameracensis dioecesis pro se et Balduino fratre suo nobis humiliter supplicavit, ut cum status eorum super natalibus diffametur[1], ne per hoc posset eis imposterum preiudicium generari, providere ipsis in hac parte paterna sollicitudine curaremus. Mandamus[a], quatinus Willelmum et alios fratres et sororem ipsorum ex parte nostra peremptorie citare procures, ut si voluerint vel sua crediderint[b] interesse, infra mensem post citationem tuam per se vel per procuratores idoneos cum omnibus munimentis et rationibus suis compareant[c] coram nobis, si quid eis[c] super hoc rationabiliter competit ostensuri[c]. Alioquin extunc in eodem negotio, prout de iure fuerit, procedemus. Tu autem infra eundem terminum citationis diem nobis tuis litteris, continentibus tenorem presentium, intimare procures.

Dat. Lugduni, XV Kal. Ianuar. anno secundo.

75.

Innocentius IV papa [Bertholdo] patriarchae Aquilegiensi concedit, ut in vassallos et ministeriales ecclesiae suae, qui contra ipsum conspirationis iuramenta praestiterint, procedat, et eos, qui ad mandatum suum redire velint, ab his iuramentis absolvat iisque poenitentiam competentem imponat. 1244, Dec. 20 et 18.

Inn. IV Reg. Vol. I, 123; Lib. II, 37 et 38.
Berger 784 et 785.

I.

.. patriarche Aquilegensi.

Cum, sicut te accepimus intimante, plerique vassalli et alii nonnulli ministeriales Aquilegensis ecclesie contra te ac ipsam ecclesiam conspirationis iuramenta prestare presumant, contra fidelitatis iuramentum temere veniendo, nos, devotionis tue precibus benignum impertientes assensum, cogendi eos districtione qua convenit ab huiusmodi presumptione desistere ac imponendi redire volentibus ad mandatum ecclesie pro culpe modo penitentiam competentem plenam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem.

Dat. Lugduni, XIII Kal. Ianuar. anno secundo[d].

---

a) *ap. Bal.:* Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus nobilem mulierem Margaritam matrem ipsorum ex parte *etc.* b) voluerit — crediderit *Bal.* c) *ita etiam Bal.* d) Dat. ut in proxima *R.*

1) *De re cf. Kervyn de Lettenhove, Hist. de Flandre, t. II, p. 174, 205 et sequ. et p. 540—558, Baluzium, l. c. t. II, p. 591—596 et epistolas ad hanc causam pertinentes infra proponendas.*

II.

Eidem.

Cum, sicut te accepimus intimante, nonnulli ministeriales Aquilegensis ecclesie contra te ac eandem ecclesiam conspirationis prestiterint illicite iuramenta, iidemque de tante presumptionis excessu inspirati divinitus penitentes desiderent ad ecclesie redire mandatum, nos, devotionis tue precibus benignum impertientes assensum, presentium tibi auctoritate concedimus, ut ipsos hac vice ab huiusmodi iuramentis absolvens et eos ad observationem ipsorum denuntians non teneri, eisdem iniungas pro culpe modo penitentiam competentem.

Dat. Lugduni, XV Kal. Ianuar. anno secundo.

76.

Innocentius IV papa abbati et priori de Rumersdorp Trevercnsis diocesis mandat, ut Lothario praeposito Sancti Cuniberti Coloniensis fructus praebendae ecclesiae Sancti Iohannis Leodiensis, ei postquam in galeis captus fuerit subtractos, restituendos curent. *1244, Dec. 21.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 126; Lib. II, 71.
Berger 821.

.. abbati et .. priori de Rumersdorp[a][1] Trevercnsis diocesis.

Dilectus filius Lotharius[2] prepositus ecclesie Sancti Cuniberti Coloniensis nobis conquerendo monstravit, quod cum ipse in servitio ecclesie captus cum prelatis et aliis fuerit in galeis[3], .. decanus[b] et capitulum Sancti Iohannis Leodiensis, non considerantes quod idem prepositus[c] debebat usque ad reversionem suam residens reputari, fructus prebende sue, quam in eorum ecclesia obtinet, sibi contra iustitiam subtraxerunt. Mandamus, quatinus, si est ita, ipsos, quod predicto preposito plenarie satisfaciant de subtractis ac ei redditus ipsos exhibeant ut tenentur, monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis.

Dat. Lugduni, XII Kal. Ianuarii, anno secundo.

77.

Innocentius IV papa civibus Coloniensibus et universis oppidanis Coloniensis provinciae mandat, ut [Conrado] archiepiscopo Coloniensi ad solvenda debita ecclesiae suae subsidium exhibeant. *1244, Dec. 22.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 129; Lib. II, 96.
Berger 846.

---

a) *ita R. MAU*; Raimerstorp *B.* b) decanum *B.* c) hoc *perscriptum R. MAU pro* prepositus. *In litteris notatis* p̄ = prepositus *extitisse putamus, quam notam scriptor Reg.* h̄ = hoc *legerit.*

1) *Ex sept. civ. Neuwied.* 2) *Hunc in ep. 80 b [Berger 829] 'proximum consanguineum archiepiscopi Coloniensis' appellatum esse Pertzius annotavit.* 3) Capti in galeis *in litteris papalibus ii vocantur, qui per pugnam navalem a. 1241, Mai. 3 factam [cf. t. I, n. 812] in potestatem imperatoris devenerunt.*

Civibus Coloniensibus et universis opidanis per Coloniensem provinciam constitutis.

Si filii, quos matribus natura humana produxit, se ipsis obsequiales exhibent, ut ab eis mereantur iugiter benedici, tanto fortius benedictionis filii spirituali matri, a qua spiritualia dona recipiunt, tenentur obsequi eiusque onera congruis subsidiis relevare, quanto spiritualia sunt corporalibus seu naturalibus digniora. Cum igitur Coloniensis ecclesia, mater vestra, prout ex insinuatione venerabilis fratris nostri . . archiepiscopi Coloniensis accepimus, gravi prematur onere debitorum, universitatem vestram rogandam duximus attentius et hortandam precipiendo mandantes, quatinus, considerato prudenter quod vestra quodammodo interest, ut ipsius ecclesie facultates vorago non absorbeat usurarum, pro apostolice sedis et nostra reverentia eidem archiepiscopo ad solvenda predicta debita de bonis vestris tale studeatis subsidium exhibere, quod idem ad vestra commoda fortius animetur et nos devotionem vestram proinde non immerito commendemus. Alioquin dilectis filiis . . decano Sanctorum Apostolorum Petri et Andree[1], . . preposito et magistro Iohanni canonico Padeburnensibus[a] damus nostris litteris in mandatis, ut vos ad id monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant[b].

Dat. Lugduni, XI Kal. Ianuar. anno secundo.

Illis scriptum est cum: proviso ne in Coloniensem et aliquam universitatem oppidanorum ipsorum excommunicationis vel interdicti sententiam etc. Quod si non omnes etc.

Dat. ut in alia proxima.

78.

Innocentius IV papa [Aegidio] archiepiscopo Senonensi significat se, ut Terrae Sanctae et imperio Romaniae subveniri valeat, remedium contra Tartaros et alios contemptores fidei inveniatur, et pro negotio inter ecclesiam et principem vertente reges terrae, praelatos et alios mundi principes ad se convocandos duxisse, eique mandat, ut ad proximum festum Sancti Iohannis Baptistae [Iun. 24] personaliter veniat, sciens se principem in praedicatione sua citasse. — Idem capitulo Senonensi idemque [Ludovico IX] regi Franciae scribit, mandans ut nuntios destinent. *1245, Ian. 3.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 205; Lib. II, cur. 1, 2 et 3. Pertzii exemplar suppletum ex Rayn. Ann. eccl. a. 1245, § 1 contulimus cum Matth. Paris. Chron. maior. ed. Luard, t. IV, p. 411 [A 1], ubi epistola abbatibus et prioribus per Angliam constitutis *directa sub* III Kal. Febr. *legitur, et cum Ann. Placent. Gib. a. 1244, SS. XVIII p. 488 [A 2], quorum exemplum et inscriptione et nota chronologica caret. Extat epistola etiam in Baumgartenberger Formelb., Font. rer. Aust. 2. Abth. t. XXV, p. 162, in multis ab illis differens, in eo praesertim, quod concilium ibi pro solo negotio inter ecclesiam et imperatorem vertente convocatum apparet.*

Potthast, Reg. 11493; Berger 1354, 1355 et 1356.

I.

. . archiepiscopo Senonensi.

Dei virtus et Dei sapientia, dominus Iesus Christus, cuius ineffabili subiecta sunt omnia maiestati, a fundationis initio splendore virtutum suam illustravit ecclesiam

a) Padeburnen *E.* b) compellat *P.*

1 *Ecclesiae Paderburnensis.*

et sic insignem reddidit singularis privilegio potestatis, ut per eius ministerium suum iustitia consequatur effectum et sedato guerrarum turbine mundo possit tranquillitas provenire. Huius enim preminentiam dignitatis dum nos reverenter attendimus, qui regimini generalis ecclesie licet immeriti divina providentia presidemus, reddimur corde solliciti, quod tempestatis horror, qua ipsa turbatur ecclesia et religio Christiana concutitur, per nostre provisionis auxilium celesti pietate propitia propulsetur. Hinc est[a], quod nos, ut ipsa ecclesia per fidelium salubre consilium et auxilium fructuosum status debiti possit habere decorem, et deplorando Terre Sancte discrimini et afflicto Romanie[b] imperio propere valeat subveniri ac inveniri remedium contra Tartaros et alios contemptores fidei ac persecutores populi Christiani, necnon pro negotio, quod inter ecclesiam et principem vertitur, reges terre, prelatos ecclesiarum et alios mundi principes duximus advocandos. Rogamus itaque fraternitatem tuam et hortamur attente[c] precipiendo mandantes, quatinus ad presentiam nostram omni prorsus occasione postposita usque ad proximum festum sancti Iohannis Baptiste personaliter venire procures, ut ipsa ecclesia ex tue visitationis honore spirituale gaudium et ex tua industria consilium percipiat profuturum; sciturus quod nos dictum principem in predicatione nostra citavimus[1], ut per se vel suos nuntios in concilio celebrando compareat, responsurus nobis et aliis, qui aliquid contra ipsum proponendum duxerint, et[d] satisfactionem idoneam prestiturus. De personarum autem et evectionum moderato numero illam, cum veneris, providentiam habebis, quod tue nimis onerosus ecclesie non existas. Ceterum volumus et mandamus, ut suffraganeis tuis, quod eodem termino pro hiis ad presentiam nostram accedant, eorum vero capitulis, quod mittant providos nuntios et fideles, qui vice ipsorum utile nobis consilium largiantur, auctoritate nostra precipere non postponas.

Dat. Lugduni, III Non. Ianuar. anno secundo.

II.

Capitulo Senonensi.

Dei virtus etc. usque: festum sancti Iohannis Baptiste providos et fideles nuntios destinetis, ut ipsa ecclesia ex huiusmodi visitationis honore spirituale gaudium ac ex illorum industria etc. ut in alia usque: prestiturus.

Dat. ut in proxima.

III.

.. illustri regi Francie.

Dei virtus etc. usque: advocandos. Rogamus itaque serenitatem tuam et hortamur attente, quatinus ad presentiam nostram etc. usque: ad proximum festum sancti Iohannis Baptiste mittas providos nuntios et fideles etc. usque: prestiturus. Huiusmodi

a) Hinc est — prestiturus *ex Rayn.* b) *R. MAU. A 1;* Romano *Rayn. A 2.* c) per apostolica vobis scripta *add. A 1;* per ap. ser. mand. *A 2.* d) *A 1;* et *deest Rayn. A 2.*

1) *Dec. 27; cf. Nicolai de Curbio V. Inn. IV c. 18, Baluze, Misc. VII, p. 371. Papa, ut ipse testatus est, imperatorem alio modo non citavit; Hofler, Alb. v. Beham p. 89; cf. Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 333 et 318, Nicol. de Curb. l. c. Ergo epistola, cuius epitome a Pertzio ex quodam indice archivi pontificalis Arch. VII, p. 30 sic edita est:* 1245 Apr. 18. Innocentius IV Fridericum II ad comparendum Lugduni citat, anno 1° (2°), *a. 1245 missa esse non potest. Neque eam a. 1247 — quo tempore, si ea quae tum acta sunt consideramus [Böhmer-Ficker, l. c. 3626a et 3617], fieri potuisse opinamur, ut papa imperatorem ad se citare intuitu regis Franciae paulisper intenderit — missam esse putamus, cum in tot utriusque partis scriptis nobis relictis citatio tum facta nusquam commemoretur; v. inprimis Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 528 et 536. Insuper, quo modo authenticum huius epistolae, quae Regestis inserta non est, ex archivo Friderici II in curiam papalem redire potuerit, difficile est intellectu.*

autem nostrum desiderium sic, fili benedictionis, adimpleas, ut nos in te gaudentes zelatorem honoris ecclesie repperisse, que secundum Deum in futurum tibi grata senserimus, paternis affectibus prosequamur.

Dat. ut supra in proxima [1].

79.

Innocentius IV papa potestati et consilio Tervisinis nuntiat se cautiones ab iis Ezelino de Romano pro solvenda pecunia praestitas irritasse. *1245. Ian. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 129; Lib. II, 98.
Berger 848.

.. potestati et consilio Tervisinis.

Precibus vestris benignum impertientes assensum, cautiones a vobis vel ab aliis nomine vestro prestitas Ezelino de Romano vel alii loco eius pro solvenda ei quadam pecunie quantitate, pro qua obsides dati fuerunt, etiam iuramento firmatas, denuntiamus auctoritate presentium irritas et inanes.

Dat. Lugduni. Nonis Ianuar. anno secundo.

80.

Innocentius IV papa iisdem banna et statuta, quae contra quosdam de civitate sua, in ea discordiam seminantes, ediderint, confirmat. *1245. Ian. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 129; Lib. II, 100.
Berger 850.

.. potestati et consilio Tervisinis.

Cum, sicut ex parte vestra fuit propositum córam nobis, contra quosdam de civitate vestra, qui discordias seminantes in ea, illam arte proditoria periculis et dissidiis exponere conabantur, banna ediderítis et statuta, nos, vestris precibus annuentes, banna et statuta huiusmodi, sicut provide facta sunt, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Si quis etc.

Dat. Lugduni. Nonis Ianuar. anno secundo.

81.

Innocentius IV papa magistro de la Curre archipresbytero Paduano mandat, ut [Bertholdum] patriarcham Aquilegiensem et episcopum Feltrensem a molestiis Tervisinorum desistere faciat eosque et [Iacobum Teupolum] ducem et consilium Venetorum inducat, ut victualibus et pecunia iisdem subveniant. *1245, Ian. 7.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 129; Lib. II, 99.
Berger 849.

1 *Seriem nominum personarum, ad quas praeterea hae epistolae encyclicae missae fuerint, t. I, n. 784 et 785 subiunctam, hic deesse notandum est; cf. Potthast, Reg. 11497—11500.*

Magistro de la Curre archipresbytero Paduano.

Compatientes angustiis et pressuris, quas dilecti filii cives Tervisini a circumstantibus hostibus patiuntur, venerabilibus fratribus nostris . . patriarche Aquilegensi, . . episcopo Feltrensi et Belunensi[a] necnon et nobili viro . . duci et consilio Venetorum preces porreximus et mandata, ut iidem patriarcha et episcopus ab eorum molestiis desistentes[1], ipsi[b] ac predicti Veneti eis in necessitatibus suis, et maxime in victualibus et pecunia, studeant subvenire, ac alias ipsis se favorabiles exibentes[c], permittant eos[d] aliunde victualia per districtus suos ad civitatem Tervisinam libere asportare. Ideoque discretioni tue mandamus, quatinus personaliter ad partes illas accedens prefatos patriarcham et episcopum et Venetos ad premissa efficaciter moneas et inducas, ipsos ad hec, si expedire videris, districtione qua convenit auctoritate nostra sublato appellationis obstaculo compellendo.

Dat. Lugduni, VII Id. Januar. anno secundo.

82.

Innocentius IV papa [Conrado] archiepiscopo Coloniensi mandat, ut [Engelbertum] episcopum Osnaburgensem, qui inimicis ecclesiae adhaerens, in loco ad ius ecclesiae Coloniensis pertinente castrum ad opus Th[eoderici] nepotis sui, nati Friderici comitis de Isenburg interfectoris Engelberti archiepiscopi Coloniensis, construere non expaverit, ad sedem apostolicam mittat. *1245, Ian. 8.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 129; Lib. II, 95.
Berger 845.

. . archiepiscopo Coloniensi.

Tua nobis fraternitas intimavit, quod . . Osnaburgensis episcopus suffraganeus tuus tergum, non faciem, Romane vertens ecclesie, bonorum immemor que ab ea Ierem. 2, 27
contra opinionem omnium dinoscitur recepisse[2], assumensque ab olim rebellionis ex eo cornua, quod tu tunc in vinculis tenebaris[3], adherendo tunc temporis inimicis eiusdem ecclesie, quibus adhuc favere non desinit, bona Coloniensis ecclesie, cui tamquam matri sue tenebatur adesse subsidio, rapinis et incendiis devastavit, nec hiis contentus sed aspirans ad eius latera more vipereo laceranda, in ventre ipsius, in loco ad ius et proprietatem eiusdem Coloniensis ecclesie pertinente, quoddam castrum ad opus Th. nepotis sui, nati Frederici comitis de Isemburg interfectoris bone memorie Enghelberti predecessoris tui Coloniensis archiepiscopi, construere ipsumque adversus eandem ecclesiam munire de bonis ecclesiasticis non expavit[4]. Quia vero talia conniventibus oculis pertransire nec volumus nec debemus, ne, si dictus episcopus impune ferret excessus huiusmodi, et ipse gloriaretur exinde ac aliis aditus committendi similia preberetur, mandamus, quatinus ipsum ob premissa ad presentiam nostram mittas pro meritis recepturum.

Dat. Lugduni, VI Idus Ianuarii, anno secundo.

a) et . . Belunensi *R.; Feltrensis et Bellunensis sedes ab a. 1197 unitae erant.* b) ipsique *P. B.* c) existentes *R.* d) *P.:* eis *B.*

1) *Cf. iam a. 1243, Nov. 7. n. 56.* 2) *A. 1226 a sede sua amotus, a. 1239 restitutus erat.* 3) *A Wilhelmo IV comite Iuliacensi a. 1242, Febr. — Nov. 2; Cardauns, Konrad v. Hostaden p. 14.* 4) *Ibid. p. 76.*

83.

Innocentius IV papa [Henrico] magistro et fratribus hospitalis Teutonicorum significat se sustinendum duxisse, quod Gerhardus de Malberg quondam magister eorum, qui sine scandalo in ordine non potuisset remanere, Templariorum habitum reciperet.

1245, Ian. 16.

Inn. IV Reg. Vol. I, 154; Lib. II, 291. Pertzii exemplar contulimus cum de Wal, Recherches sur l'ancienne constitution de l'ordre Teutonique t. II, p. 365.
Potthast, Reg. 11505; Berger 1034

.. magistro et fratribus hospitalis sancte Marie Theotonicorum Jerosolimitane[a].

Innocentia vestre pie congregationis audita, cui de religiose vite studio ac impugnatione sollicita hostium Crucifixi clarum testimonium perhibetur, dignum fore providimus, ut ordini vestro quietis et pacis procurare materiam studeremus. Hinc est, quod nos, pensato sollicite quod frater Gerardus de Malberch[1] quondam magister vester sine vestro gravi scandalo non poterat in ordine remanere, sustinendum duximus, quod transiret ad Templarios, ipsorum habitum recepturus[2]. Vos itaque, de huius[b] duri casus angustia feliciter expediti, ut indissolubile inter vos caritatis vinculum habeatur et odor bone fame de vestra semper operatione procedat, omne quod poteritis studium habeatis, secura de nobis concepta fiducia quod ordinem vestrum in Deo sincere diligimus et vos libenter per gratie nostre subsidium in statu prospero conservamus.

Dat. Lugduni, XVII Kal. Februarii, anno secundo[3].

84.

Innocentius IV papa iisdem concedit, ut si Gerhardus de Malberg quondam magister eorum post resignationem magisterii et sigilli debita contraxerit, de ipsis non teneantur respondere.

1245, Ian. 16.

Inn. IV Reg. Vol. I, 154; Lib. II, 291. Pertzii exemplar contulimus cum de Wal, l. c. t. II, p. 367.
Potthast, Reg. 11508; Berger 1037.

.. magistro et fratribus hospitalis sancte Marie Theotonicorum Jerosolimitane.

Exposuistis humiliter coram nobis, quod frater Gerardus quondam magister vester, postquam vobis in castro vestro de Monte forti[4] suum magisterium resignavit, autentico et perpetuo sigillo magistri quod habuerat iuxta morem super altari dimisso, ad domum militie Templi de vestra domo confugiens sibi de novo temere fecit fabricari sigillum. Verum cum vos, sicut asseritis, non modicum timeatis, quod ipse sub eodem novo sigillo domum vestram aliquibus debitis obligarit[c], nos, vestre paci et eiusdem

a) Eisdem *R.* b) *P.*; huiusmodi *W.* c) *W.*; obligaret *P*

1) *Ad Kyll fl., e mer. monast. Pruniensis.* 2) *Id quod alias interdictum erat; v. Inn. IV ep. a. 1245, Ian. 17: Potthast 11510, Berger 1033.* 3) *Idem sub eodem die praeceptoribus et universis fratribus ordinis eiusque fere archiepiscopis, episcopis et aliis praelatis et universis Christi fidelibus scripsit: Potthast 11506, 11507; Berger 1035, 1036.* 4) *Prope Accon.*

indempnitati domus providere volentes, presentium vobis auctoritate concedimus, ut si post predictam resignationem magisterii et sigilli aliqua debita ipse contraxit, nulli de ipsis teneamini respondere, presertim cum tu, fili magister, sibi apud sedem apostolicam quadringentas marcas argenti dederis pro suis debitis persolvendis.

Dat. ut supra in proxima[a].

85.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] Moguntino et [Conrado] Coloniensi archiepiscopis et abbati de Himmerode significat, electione duplici in ecclesia Treverensi olim celebrata, tandem post mortem [Radulfi] praepositi Sancti Paulini Treverensis, electi partis alterius, totum capitulum cum instantia postulasse, ut electio alterius, Arnoldi praepositi Treverensis, confirmaretur; mandat, ut si eam canonice celebratam invenerint, eam confirment. *1245, Ian. 23.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 136; Lib. II, 161. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau. Berger 911.

.. Maguntino et .. Coloniensi archiepiscopis et .. abbati de Hemeroth[b][1] Cisterciensis ordinis Treverensis diocesis.

Ex parte capituli Treverensis fuit propositum coram nobis, quod cum ipsi, eorum ecclesia pastoris solatio destituta, vocatis omnibus qui debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa ad tractandum de futuri substitutione pontificis convenissent, maior et sanior pars capituli dilectum filium Arnoldum, tunc maiorem prepositum eiusdem ecclesie, in Treverensem archiepiscopum canonice ac concorditer elegerunt, nonnullis de capitulo, paucis tamen, in quondam prepositum Sancti Paulini Treverensis dirigentibus vota sua, et licet idem prepositus Sancti Paulini negotium suum a principio fuerit prosecutus, tandem tamen, se non habere ius in electione huiusmodi recognoscens, cessit spontaneus questioni. Cumque postmodum idem prepositus Sancti Paulini et electores ipsius, sopitam contra eum calumpniam suscitantes, nostras ad .. abbatem Frigidi Montis Belvacensis diocesis et collegas ipsius super electionis negotio litteras impetrassent[2], et coram eis fuisset super hoc hinc inde aliquandiu litigatum, causa tandem ad nos post predicti prepositi obitum per appellationem delata ac coram nobis procuratoribus partium constitutis, procurator illorum, qui prepositum predictum elegerant, in nostra presentia cessit liti; et tam ipse quam partis alterius procurator totius capituli nomine a nobis cum instantia postularunt, ut electionem celebratam de predicto Arnoldo confirmare, utpote canonicam, curaremus. Quia vero scriptum est: 'Nemini cito manum imponas', mandamus, quatinus, relaxatis 1 Tim 5. 22.
ad cautelam omnibus excommunicationis, suspensionis et interdicti sententiis, a quibuscunque et cuiuscunque auctoritate [occasione][c] huius negotii sint prolate, ac dantes secundum datam a Deo vobis prudentiam ad plenam pacem in Treverensi ecclesia reformandam opem et operam efficacem, inquiratis de electionis modo, eligentium studiis et electi meritis diligentius veritatem, et si electionem eandem inveneritis canonice de[d] persona idonea celebratam, ipsam auctoritate apostolica confirmantes,

a) *ubi eadem nota chron. atque in n. 83 legitur.* b) *B.:* Hemeroch *M.* c) *tale quid in R. deest.* d) celebratam de *R.*

1) *Himmerode e mer. et or. monast. Prumiensis.* 2) *n. 41.*

faciatis eidem electo a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, recepturi ab eo postmodum nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis solite iuramentum, sub forma quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam. Formam autem iuramenti, quod ipse prestabit, de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo signatas nobis per proprium nuntium studeatis quantotius destinare. Alioquin, ea rite cassata, provideri faciatis prefate ecclesie per electionem canonicam de pastore, contradictores si qui fuerint vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo [1].

Dat. Lugduni, X Kal. Febr. anno secundo.

86.

Innocentius IV papa [Roberto] episcopo Leodiensi in praesentia sua constituto indulget, ut ad conferenda beneficia et praebendas, quae ad collationem suam pertineant, per litteras apostolicas generales procedi non possit. *1245, Ian. 24.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 141; Lib. II, 191.
Berger 941.

.. episcopo Leodiensi.

Promerente tam tue devotionis constantia quam fidei puritate constantis te specialem inter devotos Romane ecclesie reputari, dignum fore providimus, ut te speciali prerogativa favoris et gratie prosequentes, petitionibus tuis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum igitur, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, ecclesia tua super prebendarum et beneficiorum collationibus tam per sedem apostolicam quam legatos ipsius non modicum sit gravata, nos, tuis devotis precibus inclinati, paci et tranquillitati tue ac eiusdem ecclesie paterna inposterum sollicitudine [providere][a] volentes, ut cum alicui scribimus super conferendis in Coloniensi provincia vel tua civitate ac diocesi beneficiis vel prebendis, procedi ad conferenda beneficia seu prebendas, que ad tuam collationem pertinent, per huiusmodi generales litteras impetratas seu etiam impetrandas minime valeat, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis etc.

Dat. Lugduni, VIIII Kal. Februar. anno secundo.

87.

Innocentius IV papa eidem indulget, ut ad provisionem alicuius in beneficiis ecclesiasticis compelli non valeat absque mandato sedis apostolicae speciali.

1245, Ian. 24.

Inn. IV Reg. Vol. I, 141; Lib. II, 192.
Berger 942.

---

[a] providere *deest R.*

1) *Sub Mai. 3 eisdem iterum mandavit, ut sententias in [Arnoldum] 'electum Treverensem' post appellationem ad sedem apostolicam latas ad cautelam relaxarent et cum eo super irregularitate, si quam contraxisset, dispensarent: Berger 1230; cf. 1228 et 1229 et infra sub Mai. 10.*

Eidem.

Promerente etc. ut supra in proxima. Cum igitur, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, ecclesia tua super prebendarum et beneficiorum collationibus tam per sedem apostolicam quam legatos ipsius non modicum sit gravata, nos, tuis devotis precibus inclinati, paci et tranquillitati tue ac eiusdem ecclesie paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut ad provisionem alicuius in pensionibus vel prebendis seu aliis ecclesiasticis beneficiis auctoritate sedis apostolice vel legatorum ipsius compelli non valeas absque mandato sedis apostolice speciali, faciente plenam de hac indulgentia mentionem. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis etc.

Dat. Lugduni, VIIII Kal. Februar. anno secundo[1].

88.

Innocentius IV papa [Conrado] archiepiscopo Coloniensi mandat, ut quattuor clericis [Henrici II] ducis Brabantiae in quattuor ecclesiis terrae ipsius de beneficiis praebendalibus provideat. *1245, Ian. 30.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 160; Lib. II, 350.
Berger 1093.

.. archiepiscopo Coloniensi.

Volentes dilecti filii nobilis viri .. ducis Brabantie honorare personam ac in suis ostendere, quem habemus ad ipsum dilectionis affectum[2], ipsius devotis precibus inclinati, mandamus, quatinus quatuor clericis suis in quatuor ecclesiis terre ipsius, singulis in singulis, auctoritate nostra in beneficiis prebendalibus, dummodo in ipsis pro aliis non scripsimus, facias provideri; contradictores etc. usque: compescendo.

Dat. Lugduni, III Kal. Febr. anno secundo.

89.

Innocentius IV papa [Raynaldo] episcopo Ostiensi mandat, ut cum ad proximum festum sancti Iohannis Baptistae [Iun. 24] concilium convocatum sit, ad iter praesentiam suam adeundi se praeparet et saltem termino memorato veniat. *1245, Ian. 31.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 205; Lib. II, cur. 1. Pertzii exemplar contulimus cum Mansi, Conc. t. XXIII, col. 609.
Potthast, Reg. 11523; Berger 1357.

.. episcopo Ostiensi.

Pro magnis et arduis negotiis, que incumbunt ecclesie, tuam et aliorum fratrum nostrorum absentium[3] habere presentiam nos et fratres nostri iugiter affectamus.

1) *Sub Ian. 23 eidem episcopo concesserat, ne delegato vel subdelegato liceret excommunicationis vel alias sententias in eum promulgare; Berger 943; cf. etiam 966, 967, 969.* 2) *Cf. n. 93 et 107 et Berger 793, 1082, 1096, 1296, 1331.* 3) *Episcopus et cardinales infra nominati de voluntate papae in Italia remanserant; Nicolai de Curbio V. Inn. IV c. 13, Baluze, Misc. t. VII, p. 365.*

maxime cum multum honoris et comodi possit eidem ecclesie per industrie vestre consilium provenire. Cum itaque nos de ipsorum fratrum consilio concilium duxerimus advocandum, proximo festo beati Iohannis Baptiste super hoc termino assignato, fraternitati tue presentium auctoritate mandamus, quatinus te ad iter nostram adeundi presentiam preparare studeas, ut si forte ita cito, sicut in desiderio nostro vertitur, venire non possis, saltem ad nos Deo duce in termino pervenias memorato.

Dat. Lugduni, II Kal. Februar. anno secundo.

In eundem modum S[tephano] tituli Sancte Marie Transtiberim presbytero cardinali[1].

In eundem modum R[aynerio] Sancte Marie in Cosmidin diacono cardinali[2].

In eundem modum R[icardo] Sancti Angeli diacono cardinali[3].

90.

Innocentius IV papa [Gerardo] abbati et priori Sancti Theodorici et Hugoni canonico Remensi mandat, ut feudatarios ecclesiae Leodiensis, qui [Roberto] episcopo, pro eo quod a principe excommunicato regalia non receperit, homagia praestare recusent, ad ea praestanda compellant. *1245, Ian. 31.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 161; Lib. II, 557.
Berger 1100.

.. abbati et .. priori Sancti Theodorici[4] et Hugoni canonico Remensi[a].

Venerabilis frater noster .. episcopus Leodiensis in nostra proposuit presentia constitutus[5], quod nonnulli nobiles Leodiensis ac aliarum diocesum, Leodiensis ecclesie feudatarii, occasionem ex eo frivolam assumentes quod idem episcopus a .. principe, pro eo quod est vinculo excommunicationis astrictus, regalia, sicut nec debuit, non recepit, eidem obedire ac debita prestare homagia pro sua voluntate recusant, in ipsius et ecclesie sue non modicam lesionem[6]; quare nobis humiliter supplicavit, ut providere super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nolentes igitur ipsius episcopi sustinere iacturam, cui adesse proponimus et prodesse, mandamus, quatinus omnes feudatarios Leodiensis ecclesie ad prestanda eidem episcopo ut tenentur debita homagia et alia servitia consueta monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis, — non obstantibus privilegio seu indulgentia, si qua eorum aliquibus, quod excommunicari vel terre ipsorum interdici non valeant, a sede apostolica sit concessa. Quod si non omnes etc.

Dat. Lugduni, II Kal. Febr. anno secundo.

a) Remensibus *B. mendose, cum mon. S. Theodorici in dioc. Remensi situm non fuerit; in Reg.* Remeñ [illegible] *videtur.*

1) *In Urbe vicario, ibid.* 2) *In patrimonio in Tuscia, ducatu Spoletano et marchia Anconitana rectori, ibid.; cf. etiam ep. a. 1244. Ian. 28 in Additam.* 3) *In Campania et Maritima comiti, ibid.* 4) *Ex sept. vic. Rheims.* 5) *Cf. n. 86 et 87.* 6) *Attamen sub a. 1245. Apr. 1 praepositus, decanus et totum capitulum Leodiense imperatorem rogaverant, ut ecclesiae suae contra Margaretam comitissam Flandriae subveniret, quae post mortem Iohannae sororis suae in Hanoniam, feudum ecclesiae suae, quae terra 'descenderet de feudo imperatoriae claritatis', se intrusisset et procuratores episcopi violenter eiecisset. Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 269. Sed hanc epistolam missam non esse opinamur, cum eius authenticum sigillatum, ut H. B. asserit, Leodii conservetur.*

91.

Innocentius IV papa Swantopolcum ducem Pomeraniae vehementer obiurgat, quod cum Letoinis et Prutenis Christi fideles et fratres hospitalis Teutonicorum in terra Culmensi et Prusciae partibus constitutos diris molestiis affligat, eumque obsecrat, ut ad gremium ecclesiae rediens iisdem se reddat affabilem. 1245, Febr. 1.

Inn. IV Reg. Vol. I, 153; Lib. II, 285. Pertzii exemplar contulimus cum Rayn. Ann. eccl. a. 1245, § 85—86.

Potthast, Reg. 11524; Perlbach, Preuss. Reg. n 221; Perlbach, Pommerell. U. B. p. 68, n. 81; Berger 1028.

Nobili viro Swantopolco duci Pomeranie[1] spiritum consilii sanioris.

Potentie tue robur in eo deberes experiri potissime, quod esset Deo placitum et Christiane religionis proferret augmentum. Sed tu, sicut mirantes accepimus, contrarium efficere niteris non absque gravi contumelia Creatoris, fideles eius et dilectos filios, fratres hospitalis sancte Marie Theutonicorum constitutos in terra Culmensi et Pruscie partibus, diris affligendo[a] molestiis et, quod est gravius, invadendo multotiens cum paganis[2]. Stupent, qui audiunt tanti erroris excessum, presertim cum omnem tirampnidem, omnem superet feritatem cum Letoinis et Prutenis familiam Redemptoris impetere et contra peregrinos innoxios dampnate gentis gladium concitare, destruendo negotium fidei, pro quo a longis retro temporibus et ecclesia multum sollicitudinis habuit et Christianus populus cum sui effusione sanguinis labores multiplices toleravit. Videndum est tibi, vir nobilis, ne propter hoc contra te provoces iram Dei et des apostolice sedi presumendi materiam, quod fidei puritate careas et tibi sit in gaudium claves ecclesie deducere in contemptum, sicut patens ex eo coniectura sumitur, quod tu, pro afflictione cleri, ecclesiarum desolatione multiplici ac pro multis horrende impietatis excessibus iam per octo annos, ut asseritur, excommunicatione ligatus[3], redire ad mandatum ecclesie non curasti. Te itaque per domini Iesu Christi crucem et sanguinem obsecramus, quatinus omni dilatione et occasione postpositis ad pium rediens matris ecclesie gremium, negotium Christi, quod in Pruscia geritur, efficaciter habeas commendatum, predictis fratribus et eisdem fidelibus te reddendo affabilem ac eisdem pro divina et nostra reverentia benivolum prestando favorem, ut ex hoc celi regem constituas tibi propitium et apostolica sedes, que Culmensem et acquisitas Pruscie terras in ius et proprietatem beati Petri recepisse dinoscitur, ex hoc tibi ad speciales gratias teneatur. Alias autem, cum non possimus Dei causam negligere, qui ius suum studemus unicuique conservare, contra te, quod absit, in talibus persistentem excessibus, taliter auctore Domino procedemus, ut de necessitate percipias, qualiter ecclesia corde tangitur, quod per te fidei negotium sic dampnabiliter perturbatur[4].

Dat. Lugduni, Kalendis Febr. anno secundo.

a) affigendo *R.*

1 *Pomeraniae orientalis [Pommerellen], princeps de Gdantze [Danzig].* 2 *Primum a. 1242, v. Perlbach, Preuss. Reg. sub n. 191.* 3) *V. ibid. n. 164 et Voigt, Gesch. Preussens t. II, p. 536, not. 1.* 4) *V. mandata [Fulconi] archiepiscopo Gneznensi et suffraganeis eius de ea re eodem die data; Potthast, Reg. 11525, Berger 1031.*

92.

Innocentius IV papa [Popponi de Osterna] praeceptori et fratribus hospitalis Teutonicorum et universis fidelibus exercitus Christiani in terra Culmensi et Prusciae partibus constitutis iniungit, ut perfidos, qui solo nomine Christiani ipsos persequantur, et Letoinos Prutenosque brachio potenti deprimant. *1245, Febr. 1.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 153; Lib. II, 287. Pert.u exemplar contulimus cum Theiner, Mon. Poloniae t. I, p. 40, n. 82, et cum authentico ap. Perlbach, Pommerell. U. B. p. 70, n. 83.

Potthast, Reg. 11530; Perlbach, Preuss. Reg. n. 223; Perlbach, Pommerell. U. B. l. c.; Berger 1030.

Preceptoribus[a] et fratribus hospitalis sancte Marie Theutonicorum ac universis fidelibus Christiani exercitus in terra Culmensi et Prusie[b] partibus constitutis.

Turbat cor nostrum, quicquid impie in offensam Dei presumitur et in suorum discrimen fidelium nequiter attemptatur, quorum nos patres licet immeriti a conditore omnium constituti, debemus circa ipsos illius provisionis adhibere studium, quod eos et a periculo perditionis eripiat et ipsis materiam prosperitatis acquirat. Sane vestris ac peregrinorum laboribus et tormentis in Polonie partibus viget et proficit Christiana religio, que olim quasi finale patiebatur excidium exposita gladiis Prutenorum, qui licet triumphantibus vobis per divini virtutem auxilii multipliciter sint attriti, tamen, hoste humani generis suscitante scandalum, ut fructus vestri operis perferat detrimentum, quidam solo nomine Christiani, Christum persequentes in vobis, cum ferali Letoinorum ac Prutenorum gente vos, sicut accepimus, inmaniter opprimunt et terram vestri pretio sanguinis acquisitam divino cultui subducere moliuntur[1]. Verum cum dignum sit, ut omni virtute talium reprimatur impietas et ab incursu discriminis vestra congregatio preservetur, volumus et mandamus, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatinus huiusmodi perfidos Christianos ac Letoinos et Prutenos eosdem, Dei causam sic dampnabiliter persequentes, brachio potenti deprimere et ipsorum infringere cornua vigilanti sollicitudine studeatis, ita quod vos et ceteri terre Culmensis et Prusie fideles in hiis, que sunt vestre salutis et Christiane respiciunt religionis augmentum, semper possitis Deo propitiante proficere ac tandem perempnis glorie bravium obtinere[2].

Dat. ut supra in proxima[c].

93.

Innocentius IV papa Sophiae ducissae Brabantiae dotalicium ab H[enrico II] duce, marito suo, concessum confirmat. *1245, Febr. 2.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 160; Lib. II, 351.

Berger 1094.

a) *ita R.:* preceptori *A. certe, ut putamus: nam etiam in simili inscriptione ep. Lib. II, 289 [Berger 1032]* preceptori *legitur, et si plures praeceptores ordinis fortuito ibi tunc commorati fuissent, papa alia forma inscriptionis usus esset.* b) *ita R.:* Pruscie *A.* c) *ubi idem atque in n. 91.*

1) *Cf. n. 91.* 2) *Cf. etiam Potthast, Reg. 11529, 11531, Berger 1029, 1032.*

Nobili mulieri Sophie ducisse Brabantie.

Rei, quam rectitudinis rigore muniri conspicimus, digne robur addicimus apostolice firmitatis, ut quo fortius duplicis munimento sustentationis innititur[a], eo, ne cuiusquam contrarietatis obice status ledatur ipsius, potentior habeatur. Cum igitur, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, dilectus filius nobilis vir H. dux Brabantie, vir tuus[1], quedam castra, possessiones, redditus ac alia bona tibi duxerit nomine dotalitii liberaliter concedenda, nos, devotionis tue precibus inclinati, ea tibi, sicut iuste possides et quiete, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Si quis etc.

Dat. Lugduni, IIII Non. Febr. anno secundo[2].

94.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino mandat, ut [Theodorico II] electo Nuemburgensi, cuius metropolitanus excommunicatus sit, consecrationis munus impendat. *1245, Febr. 3.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 151; Lib. II, 298.
Berger 1041.

. . archiepiscopo Maguntino.

Presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus dilecto filio . . electo Nuemburgensi[3], cum eius metropolitanus[4] vinculo sit excommunicationis astrictus, munus consecrationis impendas[5], nullo per hoc eius metropolitane ecclesie preiudicio in posterum generando.

Dat. Lugduni, III Nonas Februarii, anno II.

95.

Innocentius IV papa cum Arnoldo canonico ecclesiae Thenensis Leodiensis dioecesis intuitu M[ariae] relictae Ottonis IV imperatoris, cuius obsequiis insistat, dispensat, ut, non obstante defectu natalium, personatum vel aliam dignitatem ecclesiasticam obtinere valeat. *1245, Febr. 4.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 141; Lib. II, 218.
Berger 968.

Arnoldo canonico ecclesie Thenensis[b][6] Leodiensis diocesis.

Ad tue conversationis et vite merita bone memorie . . Penestrinus episcopus[7], tunc legatus sedis apostolice, sicut accepimus, habendo respectum, tecum, ut — non

---

a) initiur *B.* b) Theriensis *B.*

1) *Cf. n. 107.* 2) *Eodem die [Conrado] archiepiscopo Coloniensi mandavit, ne ducissam super his molestari permitteret; Berger 1095.* 3) *Theodoricus filius naturalis quondam Theoderici marchionis Misnensis erat: de eodem cf. Berger 595 et 687.* 4) *Willbrandus archiepiscopus Magdeburgensis.* 5) *Sub Mai. 18 Theodoricus episcopus appellatur; Berger 1289; cf. 1279.* 6) *Tienen seu Tirlemont ex or. et mer. cir. Loven.* 7) *Iacobus; hic legatus a. 1240, circa Nov. 1 Leodii erat; Aegidii Aureavall. Gesta. SS. t. XXV, p. 127.*

obstante defectu natalium quem patiebaris de subdiacono genitus et soluta — possis in susceptis ministrare ordinibus et ascendere ad maiores ac obtinere beneficium ecclesiasticum, dispensavit. Nos itaque, personam tuam intuitu carissime in Christo filie M. reliete quondam Octonis Romanorum imperatoris[1], cuius insistis obsequiis, volentes prosequi dono gratie specialis, tecum, ut personatum vel aliam ecclesiasticam dignitatem, si tibi canonice offeratur, obtinere valeas, auctoritate apostolica dispensamus, ita tamen quod si te ad pontificalem vocari contigerit dignitatem, illam nequaquam recipias absque mandato sedis apostolice speciali. Nulli ergo etc. nostre dispensationis etc. Si quis etc.

Dat. Lugduni, II Non. Febr. anno secundo.

96.

Innocentius IV papa decano Sanctae Mariae et officiali Tornacensibus mandat, ut praeceptum suum datum de pecunia, in qua [Robertus] episcopus et clerus Leodiensis [Conrado] archiepiscopo Coloniensi ad solvenda debita ecclesiae Coloniensis teneantur, exequi faciant. *1245, Febr. 8.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 117; Lib. II, 242.
Berger 992.

.. decano ecclesie beate Marie et .. officiali Tornacensibus[a].

Cum, venerabili fratre nostro .. archiepiscopo Coloniensi quintam partem reddituum ecclesiasticorum provincie sue unius anni iuxta factam sibi pro solvendis ecclesie Coloniensis debitis ab apostolica sede gratiam[2] colligente, ex parte venerabilis fratris nostri .. episcopi Leodiensis et cleri civitatis et dioecesis Leodiensis fuisset propter hoc ad sedem apostolicam appellatum, nos, eisdem archiepiscopo ac episcopo in nostra presentia constitutis[3], latas ab ipso archiepiscopo hac occasione in eundem clerum suspensionis et excommunicationis sententias relaxantes ac dispensantes cum illis, qui exinde irregularitatem aliquam incurrerunt, pro bono pacis taliter duximus ordinandum: ut idem clerus tria milia marcarum argenti infra octavas instantis pentecostes, dum tamen ordinationi nostre consenserint, eidem archiepiscopo vel procuratori suo nomine nostro persolvant, quam pecuniam predictus episcopus inter ecclesias eiusdem civitatis et diocesis, habita consideratione facultatum earum et etiam gravaminum, que pro Leodiensi ecclesia pertulerunt, taxabit, prout viderit expedire, eodem archiepiscopo restituente vel in solutum iuxta vestrum arbitrium computante, que ab ipsis hac occasione dinoscitur recepisse; qui, si predictus clerus ordinationi huiusmodi, postquam eis per vos exposita fuerit, renuerint consentire, utatur libere gratia sibi facta, et extunc illi, in quos predicte sententie late fuerant, in easdem sententias noverint se reductos; si vero consenserint et tamen in predicto termino eidem archiepiscopo prefata pecunia non fuerit integre persoluta, libera sit ei procedendi secundum tenorem eiusdem gratie contra illos, qui non solverint, reliquis penitus absolutis, de nostra permissione facultas. Quocirca mandamus, quatinus ad Leodiensem ecclesiam sine more dispendio personaliter accedentes et facientes clerum totius civitatis et diocesis

a) Tornacen R.: ecclesia b. Mariae Tornaci extabat.

1) Sororis Henrici II ducis Brabantiae; cf. n. 88, 93 et 98. 2) Cf. n. 65. 3) Initio a. 1245; Cardauns, Konrad v. Hostaden p. 19; cf. n. 86 et 87.

convocari, eis predictam ordinationem diligentius exponatis, exhibituri responsionem eorum redactam in scriptis et sigillis vestris munitam predictis archiepiscopo et episcopo vel procuratoribus eorundem, predictum clerum, si huiusmodi ordinationi consenserint, ad solutionem prefate pecunie monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo[1]. Quod si non ambo etc.

Dat. Lugduni. VI Idus Februar. anno secundo.

97.

Innocentius IV papa [Waltero] episcopo et officiali Tornacensibus mandat, ut sententias, si quas episcopus Cameracensis in praepositos, scabinos et iuratos civitatis Tornacensis, cuius pars altera ad Cameracensem dioecesim, altera ad Tornacensem pertineat, proferat, in sua quoque parte observari faciant. *1245, Febr. 9.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 189; Lib. II, 572. Epistola exeunte mense Mai. in Reg. relata est. Berger 1290, sub Ian. 28.

.. episcopo et .. officiali[a] Tornacensibus.

Ex parte venerabilis fratris nostri .. Cameracensis episcopi[2] fuit propositum coram nobis, quod cum, ex eo quod fere media pars civitatis Tornacensis in diocesi Cameracensi consistit[b], prepositi, scabini et iurati eiusdem civitatis, qui sunt pro tempore residentes, in cives ipsius et omnes ad eorum communiam spectantes pro indiviso iurisdictionem exerceant secularem[3], contingit interdum, quod idem episcopus vel officialis suus in eosdem prepositos, scabinos et iuratos, pro eo quod ab ipsis moniti diligenter aliquem vel aliquos communie ipsorum in predicta diocesi consistentes, qui excommunicati ab eis propter eorum excessus iustitia exigente per annum et amplius excommunicationis sententiam dampnabiliter contempnentes satisfacere contradicunt, aut malefactores alios, contra quos dignum est invocare auxilium brachii secularis, ad id potestate sibi tradita non compellunt, excommunicationis et interdicti sententias profert iustitia mediante. Quare dictus episcopus nobis humiliter supplicavit, ut easdem sententias observari a vobis et a vestris subditis mandaremus. Quocirca mandamus, quatinus huiusmodi excommunicationis et interdicti sententias, quas idem episcopus vel officiales eius propter premissa rite tulerint in predictos, et vos ipsi auctoritate nostra sublato appellationis obstaculo usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observetis et faciatis a vestris subditis observari.

Dat. Lugduni. V Idus[c] Februarii, anno secundo.

In eundem modum .. episcopo et .. officiali Cameracensibus pro .. episcopo Tornacensi.

98.

Innocentius IV papa [Conrado] archiepiscopo Coloniensi obtentu M[ariae] relictae Ottonis IV imperatoris facultatem concedit dispensandi cum Henrico canonico Sancti

a) *ita P., apud quem in fine littera erasa est;* officialis *B.* b) constitit *B.* c) *ita B. MAU;* Kalendas *B.*

1) *Cf. Berger 993.* 2) *Guidonis.* 3) *Haec minus accurate exarata sunt.*

Dionysii Leodiensis, rectore ecclesiae de Horsmale Leodiensis diocesis, ut cum hac ecclesia duas praebendas sine cura animarum, quas se canonice adeptum esse proponat, retinere possit. *1245. Febr. 15.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 160; Lib. II, 351.
Berger 1097.

.. archiepiscopo Coloniensi.

Meritis laudabilis conversationis et vite dilectus filius Henricus canonicus ecclesie sancti Dionisii Leodiensis, rector ecclesie de Horsmale [1] Leodiensis diocesis, iuvari dicitur, ut sibi a nobis specialis gratia concedatur. Hinc est, quod nos intuitu meritorum huiusmodi et obtentu carissime in Christo filie nostre M. relicte Octonis quondam Romanorum imperatoris [2], que ipsum de sacro fonte levasse dicitur et habere dilectum pro devotionis sue meritis perhibetur, ut cum ipso, quod cum eadem ecclesia curam animarum habente duas prebendas sine cura, quas se canonice proponit adeptum, libere retinere possit — non obstante constitutione concilii generalis —, si expedire videris, valeas dispensare, tibi auctoritate presentium concedimus facultatem, ita tamen quod ipse in predicta ecclesia sancti Dionisii personaliter deserviat et ecclesie alie debitis non fraudentur obsequiis et animarum cura nullatenus negligatur.

Dat. Lugduni, XV Kal. Martii, anno secundo.

99.

Innocentius IV papa [Theodoricum II] electum Nuemburgensem a labore itinerandi ad concilium proximo futurum absolvit. *1245. Febr. 20.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 151; Lib. II, 299.
Berger 1042.

.. electo Nuemburgensi.

Licet te ac alios prelatos ad concilium, quod favente Domino celebraturi sumus in proximo, duxerimus evocandos, volentes tamen tibi, quem favore prosequimur [3], facere gratiam specialem ac tuis parcere laboribus et expensis, a labore itinerandi ad nostram presentiam occasione predicti concilii auctoritate presentium te duximus absolvendum.

Dat. Lugduni, X Kal. Martii, anno II.

100.

Innocentius IV papa [Ludolfo] episcopo Monasteriensi mandat, ut praesumptionem quorundam laicorum Frisiae diocesis suae, qui warandi nuncupentur, reprimat. *1245. Mart. 1.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 158; Lib. II, 332.
Berger 1075.

.. episcopo Monasteriensi.

Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod quidam laici Friscie tue diocesis, qui warandi [4] vulgariter nuncupantur, in singulis ecclesiis, in quibus ius obtinent

1) *An Hermalle, Harimalla, ad Mosam ex sept. Heristal?* 2) *Cf. n. 95.* 3) *Cf. n. 94.*
4) *Patroni, eadaces; de eisdem cf. Menkonis Chron. Contin. a. 1283, SS. t. XXIII, p. 561–563.*

patronatus, plures presbyteros ad certos annos, quamquam vix uni una sufficiat, tibi vel loci archidiacono representant, solam super hoc consuetudinem, que dicenda est corruptela potius, allegantes, sicque repelluntur idonei, et indigni non absque symonie vitio inter presentatos et presentatores contracto in grave ipsarum ecclesiarum preiudicium admittuntur. Clerici quoque a talibus ecclesiarum ipsarum ius presumunt emere patronatus seque ad ipsas presentare procurant, interdictum tuum super hoc editum temeritate propria relaxantes: alias etiam tam ipsi quam alii tue diocesis in dicta Friscia commorantes multa enormia, que limam correctionis exposcunt, committere non verentur in animarum suarum periculum et scandalum plurimorum. Quare nobis humiliter supplicasti, ut salubre super hoc remedium adhibere paterna sollicitudine curaremus. Mandamus, quatinus, si est ita, predictos clericos et laicos, quod ab huiusmodi presumptionibus de cetero prorsus desistant, monitione premissa, sicut iustum fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellens, auctoritate nostra statuas super hiis, quod animarum saluti et honestati ecclesiastice videris expedire: contradictores etc. usque: compescendo.

Dat. Lugduni, Kal. Martii, anno secundo.

101.

Innocentius IV papa [Iohanni] decano, Bartholomaeo archidiacono et Iohanni canonico et procuratori ecclesiae Olomucensis concedit, ut pro promovendo negotio electionis in ecclesia sua de Guillelmo celebratae mutuum 160 marcarum sterlingorum contrahant.

1245, Mart. 4.

Inn. IV Reg. Vol. I, 178; Lib. II, 173. Pertzii exemplar contulimus cum Boczek, Cod. dipl. Moraviae t. III, p. 18, n. 64.

Potthast, Reg. 11570; Berger 1210.

.. decano, Bartholomeo archidiacono et Iohanni[1] canonico et procuratoribus[a] ecclesie Olomucensis.

Ex parte vestra nobis extitit humiliter supplicatum, quod cum vos pro electionis negotio, que in Olomucensi ecclesia de dilecto filio Guillielmo extitit celebrata[2], ad sedem apostolicam venientes et moram ibidem diutinam protrahentes gravia subieritis onera expensarum, ita ut omnino vobis defecerint iam expense, providere vobis super hoc, ne pro necessariorum defectu predictum remaneat negotium inexpletum, paterna sollicitudine curaremus. Vestris igitur precibus inclinati, vobis pro expensis necessariis faciendis ad promovendum dictum negotium contrahendi mutuum super bonis eiusdem ecclesie usque ad summam quadringentarum et sexaginta marcarum sterlingorum ac obligandi propter hoc bona predicta liberam concedimus auctoritate presentium facultatem[3].

Dat. Lugduni, IV Nonas Martii, anno secundo.

a) *ita R. MAC:* et *deest B.:* et procuratori *ex n. 104 corrigendum esse putamus.*

1) *Hic Iohannes alibi 'magister' quoque vocatur.* 2) *Cf. n. 21 et 104.* 3) *Sub Mart. 3 Pragensi et Lutomiricensi [Leitmeritz] praepositis et archidiacono Pragensi mandaverat, ut eisdem beneficia sua, postquam sedem apostolicam accesserunt iis temere ablata, restitui facerent; Potthast, Reg. 11569, Berger 1121.*

102.

Innocentius IV papa ad regem et populum Tartarorum fratrem Laurentium de Portugal. et socios eius ordinis Minorum destinat, ut eruditionibus eorum Iesum Christum agnoscant et nomen eius Christianae fidei observatione colant. 1245, Mart. 5.

Inn. IV Reg. Vol. I, 207; Lib. II, cur. 11. Exemplar Rayn. Ann. eccl. a. 1245, § 16—17 cum Regestis contulit et ex eis correxit et supplerit V. Cl. A. Man.

Potthast, Reg. 11571; Berger 1364.

.. regi et populo Tartarorum viam agnoscere veritatis.

Dei patris immensa benignitas humani generis casum, quod primi hominis culpa corruerat, ineffabili respiciens pietate, ac illum, quem diabolica prostravit invidia suggestione dolosa, volens ex caritate nimia misericorditer reparare, filium suum unigenitum, consubstantialem sibi, de celi excelso solio misit ad infimum mundi solum, qui preelecte virginis utero sancti Spiritus operatione conceptus et ibi veste carnis indutus humane indeque postmodum clausa materne porta virginitatis egressus, cunctis visibilem se ostendit. Humana enim natura, cum esset rationalis, erat eterna veritate tanquam optimo suo cibo pascenda; set pena peccati mortalibus detenta vinculis ad hoc est diminutionis redacta, ut per coniecturas rerum visibilium ad intelligenda invisibilia niteretur cibi rationalis. Creature ipsius conditor factus est visibilis habitu nostro non sine commutatione[a] nature, ut visibilia sectantes ad se invisibilem, factus visibilis, revocaret, salubribus homines institutis informans, viamque vite ipsis perfecte indice doctrina demonstrans, dignatus est post sacre conversationis exempla et evangelice instructionis eloquia sub dire crucis supplicio mortem pati, ut penali vite presentis fine penam mortis perpetue, quam prothoplausti posteritas ipsius incurrerat transgressione, finiret, et de amaro sue[b] mortis calice temporalis hauriret homo vite dulcedinem sempiterne. Mediatorem namque inter nos et Deum et mortalitatem habere oportuit transeuntem et beatitudinem permanentem, ut per id, quod transit, congrueret morituris, et ad id, quod permanet, ex mortuis nos transferret.

Pro humani ergo redemptione generis se hostiam exhibens, illud, sue salutis hoste prostrato, de obprobrio servitutis eripuit ad gloriam libertatis, superne sibi patrie ostium reserando; et demum resurgens[c] a mortuis ac in celum ascendens, vicarium sibi reliquit in terris, cui animarum curam, ut earum saluti, pro qua suam humiliaverat altitudinem, vigilanter intenderet et invigilaret attente, amoris eius constantia trine professionis argumento probata commisit, tradens sibi claves regni celorum, per quas ipse suique per eum successores potestatem aperiendi omnibus et claudendi eiusdem regni ianuam obtinerent. Unde predicti vicarii disponente Domino nos licet immeriti successores effecti, super omnia que nobis ex iniuncto incumbunt officio, ad vestram aliorumque salutem nostre intentionis dirigimus aciem, ad hanc precipue mentis nostre destinamus affectum, circa eam diligenti studio et studiosa diligentia sedulo vigilantes, ut errantes in viam veritatis educere omnesque lucrifacere[d] Deo, sua nobis cooperante gratia, valeamus. Verum quia humane conditionis renitente natura uno eodemque tempore diversis locis presentialiter adesse nequimus, ne ullatenus negligere videamur absentes, ad eos viros providos et discretos transmittimus vice nostra, ipsorum ministerio circa illos apostolice servitutis debitum exsolventes; propter quod ad vos

a) diminutione *corr. in marg.* commutatione. b) sue *in marg. add.* c) insurgens *corr. in marg.* resurgens. d) luctifacere *R.*

dilectum filium fratrem Laurentium de Portugal.[a] [1] et socios eius latores presentium ordinis fratrum Minorum, viros religione conspicuos, honestate decoros et sacre scripture scientia preditos, ut ipsum Dei filium Iesum Christum salutaribus eorum eruditionibus agnoscentes, suum gloriosum nomen Christiane fidei observatione colatis, duximus destinandos. Ideoque universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, quatinus eosdem fratres pro divina et nostra reverentia, immo potius nos[b] in ipsis[c], benigne recipientes et honeste tractantes, eis[d] super hiis, que vobis ex parte nostra dixerint, fidem indubitatam adhibere velitis, et cum ipsis de predictis tractatum fructuosum habentes, provideatis eisdem in eundo et redeundo de securo conductu et aliis necessariis, ut ad presentiam nostram, cum voluerint, tute valeant remeare. Memoratos autem fratres, quos tamquam diu sub observantia regulari probatos et plene in scripturis sacris instructos inter alios preelegimus, quia utiliores vobis fore credidimus, tamquam salvatoris nostri humilitatem sectantes, ad vos duximus transmittendos, et si putassemus, quod fructuosiores et gratiosiores vobis existerent, vel aliquos ecclesiarum prelatos ad vos aut potentes alios misissemus.

Dat. Lugduni, III Non. Martii, anno II.

103.

Innocentius IV papa Sanctae Crucis, de Zwetl et de Rune abbatibus mandat, ut de locis et redditibus, quos [Fridericus II] dux Austriae episcopatibus in terra sua creandis assignare proponat, inquirant. *1245, Mart. 8.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 161; Lib. II, 360.
Berger 1103.

.. Sancte[e] Crucis et .. de Zwetil[f] [1] et .. de Rune[2] abbatibus Cisterciensis ordinis Salzeburgensis et Pataviensis diocesum.

Cum dilectus filius nobilis vir .. dux Austrie in terra sua, que diffusa est, episcopatus creare desideret et dotare[3], mandamus, quatinus de locis, in quibus id fieri magis expediat, et de qualitate ac quantitate reddituum, quos idem dux ad hoc assignare proponat[g], inquiratis diligentius veritatem, nobis quod inveneritis fideliter rescripturi, ut exinde quod expedire viderimus disponamus[4]. Quod si non omnes etc.

Dat. Lugduni, VIII Idus Martii, anno secundo[5].

a) Portugal' *R.* b) nos *add. in marg.* c) ipso *R.* d) eisque *R.* e) Eisdem *R.* f) Lwetil *B. 1102.* g) *B.*; proponit *P.*

1) *Fratrem L. in n. 105 commemoratum Iohannem de Plano Carpini esse, qui a. 1245 festo Paschae, Apr. 16, Lugduno exiens per Russiam ad Tartaros Asiae interioris profectus sit et relationem itineris sui adhuc extantem reliquerit, pro certo teneri potest; v. d'Avezac, Jean du Plan de Carpin. Ab hac legationem Laurentii distinguendam putamus, cum hic socius Iohannis, ut relatio eius testatur, non fuerit. A. 1246, Aug. 9 et 1247, Iun. 5 [Potthast, Reg. 12248 et 12549] Laurentius legatus in partibus Orientis vocatur, et cum Reg. Lib. II, car. 9 [a. 1245, Mart. 22; cf. Potthast 11607] Minoritis in terras Orientis seu quarumcumque aliarum partium proficiscentibus privilegia confirmata esse legamus, fortasse conicere licet Laurentio, ut per partes Transmarinas ad regem Tartarorum pervenire studeret, mandatum esse.* 2) *Rein ex sept. et occ. civ. Graz.* 3) *Cf. Potthast 11581, Berger 1102.* 4) *De variis gratiis intuitu ducis eo tempore a papa concessis cf. Berger 1047, 1069, 1070. Quid rationis idem dux simul cum imperatore habuerit, v. ap. Böhmer-Ficker, l. c. 3463 a, 3475, 3478 b.* 5) *Sub Mart. 7 eisdem praelatis mandaverat, ut de criminibus Rudigeri episcopi Pataviensis inquirerent; Winkelmann, Acta Imp. ined. p. 565, n. 717, Berger 1101.*

104.

Innocentius IV papa [Nicolao] episcopo Pragensi et Brennovensi et [Roberto] Gradicensi abbatibus mandat, ut Conradum canonicum Hildeshemensem, in ecclesiam Olomucensem intrusum, qui citatus non venerit, peremptorie citent, ut in festo beati Iohannis Baptistae proximo personaliter coram papa compareat. — Eisdem significat se eundem Conradum suspendendum et bona ecclesiae Olomucensis sequestranda duxisse, mandans ut eadem recipiant et diligenter conservent. *1245. Mart. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 166; Lib. II, 384 et 385. Exempla a Boczek, Cod. dipl. Moraviae, t. III, p. 49—50, n. 65 et 66 edita, qui ad apographa Regestorum authenticam ep. II in archivo capit. Olomuc. conservatam adhibuit, cum Regestis contulit V. Cl. A. Mau.

Potthast, Reg. 11588 et 11587; Berger 1123 et 1124.

I.

Episcopo Pragensi et .. Brennovensi et .. Gradicensi Pragensis et Olomucensis diocesum abbatibus.

Exponentibus coram nobis I[ohanne] decano, B[artholomeo] archidiacono et magistro I[ohanne] canonico et procuratore[a] Olomucensis ecclesie[1], quod Conradus canonicus Ildesemensis, pro eo quod in Olomucensem ecclesiam se procuravit[b] intrudi et se gerit pro episcopo in eadem, fuit auctoritate nostra citatus, ut nostro se conspectui per se vel procuratorem, super hiis secundum iustitiam responsurus, ydoneum presentaret[c], verum quia idem comparere hactenus non curavit, diutius expectatus, mandamus, quatinus auctoritate nostra peremptorie citetis eundem, ut in festo beati Iohannis Baptiste proximo futuro personaliter compareat coram nobis, facturus et recepturus quod ordo dictaverit rationis. Quod autem super hoc feceritis, nobis fideliter rescribatis. Quod si non omnes etc.

Dat. Lugduni, V Id. Mart. anno secundo.

II.

Eisdem.

Exponentibus etc. ut supra in proxima usque: presentaret, verum cum diutius expectatus contempserit comparere, nos, indempnitati eiusdem ecclesie precavere volentes, eam et domos ipsius cum bonis omnibus, que ad ipsam et episcopatum pertinent, sequestranda et predictum Conradum propter suspicionem dilapidationis ac infamiam intrusionis ortam de ipso, et ne scandalum in eodem populus Domini patiatur, ab amministratione spiritualium et temporalium duximus suspendendum. Ideoque mandamus[d], quatinus domos et bona ipsa auctoritate nostra recipere ac diligenter conservare curetis usque ad nostre beneplacitum voluntatis, contradictores etc. usque: compescendo. Quod si non omnes etc.

Dat. ut in proxima.

105.

Innocentius IV papa regem et populum Tartarorum hortatur, ut a persecutione Christianorum desistentes, iram Dei super tantis offensis provocatam per poenitentiam

a) *ita R. et Bo. in II; cf. n. 101.* b) procuraverit *Bo. in II.* c) procuratorem idoneum presentaret, super — responsurus *Bo. in II.* d) Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus *Bo.*

1) *Cf. n. 101.*

complacent, iisque fratrem I[ohannem de Plano Carpini] et socios eius latores epistolae commendat. *1245, Mart. 13.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 208; Lib. II, cur. 11 bis; cf. n. 102. Exemplar Rayn. Ann. eccl. a. 1245 § 18 contulit cum Regestis et ex eis correxit et supplevit V. Cl. A. Mau.

Potthast, Reg. 11572 mendose sub Mart. 5; Berger 1365.

.. regi et populo Tartarorum viam agnoscere veritatis[a].

Cum non solum homines verum etiam animalia irrationalia nec non ipsa mundialis elementa machine quadam nativi federis sint unione coniuncta, exemplo supernorum spirituum, quorum agmina universorum conditor Deus perpetua pacifici ordinis[b] stabilitate distinxit, mirari non inmerito cogimur vehementer, quod vos, sicut audivimus, multas tam Christianorum quam aliorum regiones[c] ingressi, horribili eas desolatione vastatis, et adhuc continuato furore depopulatrices manus ad ulteriores extendere non cessantes, soluto cognationis vinculo naturalis, nec sexui nec etati parcendo, in omnes indifferenter animadversionis gladio desevitis. Nos igitur, pacifici regis exemplo cunctos in unitate pacis sub Dei timore vivere cupientes, universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, quatinus ab impugnationibus huiusmodi et maxime Christianorum persecutionibus de cetero penitus desistentes, super tot et tantis offensis divine maiestatis iram, quam ipsarum exacerbatione vos non est dubium graviter provocasse, per condigne satisfactionem penitentie complacetis; nec ex eo sumere debetis audatiam amplius seviendi, quod in alios potentie vestre furente mucrone omnipotens dominus diversas ante faciem vestram substerni permisit hactenus nationes, qui nonnunquam superbos in hoc seculo corripere ad tempus ideo pretermittit[d], ut si[e] humiliari neglexerint per se ipsos, eorum nequitiam et punire temporaliter non postponat et nichilominus in futuro gravius ulciscatur. Et ecce dilectum filium fratrem I.[1] et socios eius latores presentium, viros religione conspicuos, honestate decoros et sacre scripture scientia preditos, ad vos propter hoc duximus destinandos, quos pro[f] divina reverentia, immo potius nos[g] in ipsis[h], benigne recipiatis et honorifice pertractetis, fidem eis super hiis, que vobis ex parte nostra dixerint, adhibendo, et cum ipsis super predictis et specialiter de hiis que ad pacem pertinent tractatum fructuosum habentes, nobis, quid vos ad gentium exterminium moverit aliarum et quid ulterius intendatis, per eosdem fratres plenarie intimetis[2], providendo ipsis in eundo et redeundo de securo conductu et aliis necessariis, ut ad presentiam nostram tute valeant remeare. Memoratos autem fratres, quos etc. ut in proxima usque: alios misissemus.

Dat. Lugduni, III Idus Martii, anno secundo.

106.

Innocentius IV papa suffraganeis ecclesiae Bisuntinae notum facit, se W[ilhelmum] quondam episcopum Cabilonensem praefecisse ecclesiae Bisuntinae, iisque mandat, ut ei reverentiam et obedientiam exhibeant. *1245, Mart. 21.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 169—170; Lib. II, 129. Pertzii exemplar contulimus cum Gallia Christ. t. XV, instr. 82.

Potthast, Reg. 11605; Berger 1166.

a) Eisdem *R.; antecedit n. 102.* b) ordinis *add. in marg.* c) regione *R.* d) per *corr. in marg.* preter. e) si *deest R.* f) pro *deest R.; cf. n. 102.* g) nos *add. in marg.: idem mendum in n. 102 occurrere animadvertas.* h) ipsos *R.*

1) *V. p. 73, not. 1.* 2) *Responsum regis Tartarorum ap. d'Avezac, l. c. p. 198.*

Suffraganeis ecclesie Bisuntine.

Divine sapientie inscrutabilis altitudo, que sacrosanctam Romanam ecclesiam in huiusmodi latitudine stabilivit, ita regimen et gubernationem ipsius immutabili provisione disposuit, ut ad eam salubriter gubernandam plures assumerentur in partes sollicitudinis, quamvis pro unitatis ecclesie firmamento unus obtineret plenitudinem potestatis. Voluit enim, ut pro eius patribus filii nascerentur, qui super omnes principes constituti essent memores sui nominis et precones incliti evangelice veritatis. Unde nos, qui licet insufficientibus meritis in sublimi sumus eiusdem ecclesie specula constituti, ita intendimus divino adiutorio iniunctum nobis ministerium[a] circa proximas ecclesias gerere, ut in illis etiam, a quibus locorum positione distamus, oportuna debeat providentia non deesse. Cum igitur ecclesie Bisuntine, que diutius pastore vacaverat, fuisset ad nos provisio devoluta, nos, ei de tali persona providere volentes, que meritis vite pollens, placens Deo et hominibus, verbo potens et opere, veluti sidus nitens irradiet subditos lumine verbi Dei, cum super candelabra ecclesie Bisuntine pastoris sui obitu viduate lucerna debeat collocari, que luce doctrine revocet errantes a devio veritatis et zelo iustitie in spiritu iudicii et ardoris absque personarum acceptione contra noxios accendatur, venerabilem fratrem nostrum W. quondam episcopum Cabilonensem, virum utique secundum cor nostrum, fame celebris et note scientie, a vinculo Cabilonensis ecclesie absolutum preficiendum duximus in archiepiscopum et pastorem ecclesie Bisuntine, sperantes firmiter quod sub eius regimine grata in Domino suscipiet in spiritualibus et temporalibus incrementa. Mandamus, quatinus sibi tamquam membra capiti obsequentes, exhibeatis ei obedientiam et reverentiam debitam et devotam, ita quod mutua inter vos gratia gratos sortiatur effectus et nos devotionem vestram possimus in Domino merito commendare.

Dat. Lugduni, XII Kal. Aprilis, anno II[1].

107.

Innocentius IV papa cum [Henrico II] duce Lotharingiae et Brabantiae dispensat, ut in matrimonio contracto cum Sophia nata quondam sanctae Elisabeth, ipsi quarta affinitatis linea attinente, remanere valeat. *1245, Mart. 31.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 178; Lib. II, 467.
Berger 1201.

Nobili viro .. duci Lothoringie[b] et Brabantie[2].

Etsi coniunctio copule coniugalis in quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu sacris sit canonibus interdicta, provide tamen super hiis interdum Romana dispensat ecclesia, maxime cum necessitas vel evidens utilitas id exposcit. Cum igitur cum nobili muliere Sophia nata quondam sancte Elysabeth, quarta tibi affinitatis linea attinente, matrimonium duxeris contrahendum ac liberos genueris ex eadem, nos, considerato quod ex divortio huiusmodi matrimonii multa pericula provenirent, devotionis

a) *Gall.*, misterium *cum coniectura* ministerium *P.* b) Lotharingie *B.*

1. *Eodem die clero et sub Mart. 25 laicis civitatis et dioecesis Bisuntinae archiepiscopum commendavit et eodem Mart. 27 archiepiscopum hortatus est, ut ecclesiae commissae curam fideliter gerat; Berger 1169, 1168, 1167. Idem vero idem personaliter a Conrado rege investituram regalium recepit; Bohmer-Ficker, l. c. 1197, 1198.* 2) *Cf. n. 88 et 93.*

tue precibus inclinati, ut in eodem matrimonio — affinitate non obstante predicta — remanere licite valeas, tecum auctoritate presentium dispensamus, eosdem liberos legitimos statuentes. Nulli ergo etc. Si quis autem —.

Dat. Lugduni, II Kalendas Aprilis, anno secundo.

108.

Innocentius IV papa magistro Bertrammo scholastico Sancti Andreae Verdensis indulget, ut scolastriam suam et ecclesiam in Grevem curam animarum habentem una cum praebenda in Osnaburgensi ecclesia a quondam I[acobo] episcopo Penestrino, tunc apostolicae sedis legato, ei collata retinere valeat. *1245, Apr. 1.*

Inn. IV Reg. Vol. I. 172; Lib. II. 415.
Berger 1182.

Magistro Bertrammo[a] scolastico Sancti Andree Verdensis.

Ad faciendam tibi gratiam spetialem et tue probitatis merita, super quibus tibi laudabile testimonium perhibetur, et grata devotionis obsequia, que bone memorie I. Penestrino episcopo, tunc apostolice sedis legato, cuius fuisti clericus, in ecclesie Romane negotiis laudabiliter impendisti, nec non et persecutiones, quas eidem episcopo fideliter adherendo pertulisse diceris, merito nos inducunt. Hinc est, quod auctoritate tibi presentium indulgemus, ut scolastriam Sancti Andree Verdensis et ecclesiam in Grevem curam animarum habentem, quas te proponis canonice assecutum et quarum redditus ut asseris sedecim marcarum argenti valentiam annis singulis non excedunt, una cum prebenda, quam in Osnaburgensi ecclesia tibi legatus contulit supradictus, possis libere retinere — constitutione generalis concilii super hoc edita non obstante —, proviso quod huiusmodi beneficia debitis non fraudentur etc. usque: negligatur[b]. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis autem etc.

Dat. Lugduni, Kalendis Aprilis, anno secundo.

109.

Innocentius IV papa [Guidoni] episcopo Cameracensi mandat, ut testes super natalitiis Iohannis de Avesnis ab eodem ex parte una et Willelmo [de Dampetra] fratre eius ex altera producendos, si de morte eorum propter infirmitatem formidetur, diligenter examinet. *1245, Apr. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I. 175; Lib. II. 460. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau.
Berger 1197.

.. episcopo Cameracensi.

Dilectus filius Iohannes de Avefnis[c] nobis humiliter supplicavit, ut cum natalicia sua petierit coram nobis legitima declarari[1], et timeat, ne interim sibi super hoc probationis copia fortuitis casibus subtrahatur, curaremus ei providere paterna sollici-

a) Bertrãmo *R.* b) negligantur *P.* c) *ita R.*

1) *Cf. n. 71.*

tudine in hac parte. Mandamus, quatinus testes idoneos, quos dictus Iohannes super hoc coram te duxerit producendos, si de ipsorum morte propter imminentem eis infirmitatem merito formidatur, prudenter recipere ac diligenter examinare procurans, eorum dicta sub sigillo tuo nobis transmittas inclusa, proviso quod nobili viro Willelmo fratri suo, quem huiusmodi contingit negotium, prudentia tua denuntiet, ut receptioni testium si velit intersit, et super denuntiatione sic facta facias autenticum instrumentum confici. Si et ipse super eodem negotio contra hoc pro parte sua testes huiusmodi[a] coram te presentaverit, eos recipere ac examinare sollicite nec non ipsorum dicta sub eodem sigillo nobis transmittere non postponas.

Dat. Lugduni, Non. April. anno secundo.

110.

Innocentius IV papa [Alberto] patriarchae Antiocheno scribit, adhuc acceptare se velle, si princeps pacem iuxta formam anno praeterito ab ecclesia et ipso acceptatam observet, viros ecclesiasticos captos libertati reddat et terram ecclesiae restituat: in concilio vero celebrando super his et aliis, prout de iure fuerit, processurum se esse.

1245, Apr. 30.

Inn. IV Reg. Vol. 1, 205; Lib. II. cur. 6. Pertzii exemplar contulimus cum Rayn. Ann. eccl. a. 1245, § 3—4.

Potthast, Reg. 11614; Berger 1359.

.. patriarche Antioceno[b].

Litteras tuas solita benignitate recepimus et earum tenorem pleno concepimus intellectu. Sane nobis et fratribus nostris olim in nostra et ipsorum constitutus presentia retulisti, quod cum ad sedem apostolicam veniendo transitum per principem habuisses[1], ipsum inveneras pacis avidum, et sicut dixerat idem tibi, paratus erat observare pacem secundum formam ab ecclesia et eodem anno proximo preterito acceptatam, et alia etiam, que cum quorundam fratrum nostrorum adderemus consilio, adimplere. Nos autem nullum specialiter, qui super hiis inter ecclesiam et principem ipsum tractaret, duximus deputandum. Diximus tibi tamen, cum a sede recessisti predicta, quod acceptaret ecclesia, si prefatus princeps vellet premissa effectui demandare, quodque ipsius principis in hac parte nobis rescriberes voluntatem; et certis personis litteris nostris iniunximus, quas per dilectum filium fratrem I. de Boian.[c] familiarem nostrum duximus destinandas, alias tibi super hoc litteras dirigendo, ut si dictus princeps terram ecclesie restitueret, ipsam nostro nomine recipere procurarent. Tu vero nichil certum super hiis penitus rescripsisti, sed quod ad compromittendum super negotio Lombardorum in nos et quosdam alios arbitros idem princeps obtulit se paratum, excepitque[d] pacem Constantie, quam semper se asserit excepisse, ac ut principibus imperii et aliis, clericis et laicis, plenarie nostram restituamus gratiam, in omnem eventum exposcit[2]; de quibus in predicta forma pacis mentio aliqua non

a) huius *M.* b) Eidem *R.; antecedit n. 116.* c) Boiañ *R. MAC*; Boian. *Rayn.* d) excipitque *Rayn.*

1) *Ut videtur exeunte anno praecedente, cum e Terra Sancta rediret. Mense Mart. a. 1245 Lugduno ad imperatorem iam reversus fuerat; Bohmer-Ficker, l. c. 3465, 3466 a et sequ.* 2) *Quaedam alia quoque imperator tunc vel paulo post [initio mensis Apr.] per magistrum Teutonicorum obtulisse videtur; ibid. 3466 a, 3467.*

habetur nec tecum meminimus nos tractasse. Et quamquam olim in tractatu pacis pro huius restitutione gratie predictus princeps apud nos instari fecerit, nequaquam tamen a nobis potuit obtineri, cum nec clericis neque laicis penas spirituales remittere aliquatenus intendamus; unde plurimum possumus admirari. Verum quia pacem diligimus et discordiam cupimus evitare, acceptaremus adhuc, si memoratus princeps pacem iuxta prefatam formam observare studeret et tam viros ecclesiasticos quam alios, qui ecclesie adheserunt et detinentur ab ipso captivi, redderet libertati, cum alias pax eis reddi minime videretur, ac terram ecclesie restituere non differret, ita quod huiusmodi, tam captivorum quam terre, restitutio posset ad nostram pervenire notitiam ante concilium a nobis annuente Domino celebrandum[1], in quo postponere non poterimus, quin super hiis et aliis, prout de iure fuerit, procedamus[a]. Ceterum, sive restitutionem eandem[b] fieri contigerit sive non, ad nos accedere non omittas[2].

Dat. Lugduni, II Kal. Maii, anno II.

111.

Innocentius IV papa priori ecclesiae Duodecim Apostolorum Parmensium ordinis sancti Marci mandat, ut monasterium sancti Prosperi de Faventia, quod a Riccobaldo cive Cremonensi fautore principis occupatum, prorsus collapsum sit, de ordine Maturano Parmensis dioecesis reformet. *1245, Mai. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 182; Lib. II, 506.
Berger 1243.

.. priori ecclesie Duodecim Apostolorum Parmensium ordinis sancti Marci.

Significantibus dilectis filiis conventu monasterii sancti Prosperi de Faventia ordinis sancti Augustini nos noveris accepisse[c], quod monasterium ipsum, quod florere in spiritualibus et habundare in temporalibus consuevit, propter malitiam habitantium in eodem, rapinas et persecutiones nuntiorum principis ad illam est exinanitionem deductum, quod vix adiciet, ut resurgat; nam quondam .. priore ipsius monasterii in carcere principis viam universe carnis ingresso ac Frederico nato Riccobaldi civis Cremonensis, annos septem non habente, in priorem ipsius monasterii per principem instituto, dictus R. predictum monasterium occupans violenter, sic ipsius bona rapit et dissipat et consumit, quod in monasterio ipso dato omnimode vastitati nulla religio penitus observatur. Quare nobis humiliter supplicarunt, ut eidem monasterio succurrere salutari remedio, ne absorbeatur totaliter, misericorditer curaremus. Quocirca mandamus, quatinus personaliter accedens ad locum et habens pre oculis solum Deum, ipsi monasterio officium visitationis impendens, illud de ordine Maturano Parmensis diocesis, prout animarum fratrum saluti et utilitati monasterii expedire videris, reformare procures; contradictores etc.

Dat. Lugduni, III Nonas Maii, anno II.

a) *Rayn.*; procedemus *P.* b) tandem *Rayn.* c) recepisse *B.*, *qui* perc. *coniecit.*

1) *Ian. 24; cf. n. 78.* 2) *Nisi fallimur, scribendi genus huius epistolae ab eo, quod in aliis animadvertimus, aliquatenus discrepat, propter quod credere velimus papam ipsam cum sicut n. 7 exarasse et inde iam, cum eadem semper abbreviatorum copia dicendi in ea non reperiatur, quid papa senserit, apertius revelari. Manifestum enim esse nobis videtur eum nunc, ut de pace tractaretur, invitum permisisse, aut quia pacem quidem desideraverit ita fieri posse non speraverit, aut quia ullam pacem inire cum Frederico amplius non voluerit; cf. n. 116.*

112.

Innocentius IV papa potestatem et commune Vercellenses cum omnibus bonis, quae tempore, quo Fridericus princeps excommunicatus fuerit, possederint et quae nunc possideant, sub protectione sua suscipit, decernens ut nundinae consuetae sicut ab antiquo, non obstante contrario statuto principis, in civitate eorum celebrentur. *1245, Mai. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 189; Lib. II, 573.
Berger 1291.

.. potestati et communi Vercellensibus.

Et ratio postulat et equitas persuadet, ut devotorum merita benigna consideratione pensantes, retributionem condignam ipsorum obsequiis rependamus, ut et ipsi per hoc ad servitia sedis apostolice fortius animentur et ad id eorum exemplo alios invitemus. Eapropter, dilecti in Domino filii, prout convenit attendentes quod in devotione apostolice sedis illam studuistis observare constantiam[1], quod nec dampna rerum nec personarum pericula vos ab ecclesie fidelitate avertere potuerunt[a], et debitum extimantes ut petitionibus vestris favorabiliter annuamus, vestris supplicationibus inclinati, civitatem Vercellensem et personas vestras in devotione ecclesie ac defensione catholice fidei et libertatis ecclesiastice persistentes, nec non castra, villas et possessiones alias, iurisdictiones et cetera bona vestra, que olim tempore, quo Fridericus princeps excommunicatus per sedem apostolicam extitit, noscebamini possidere et que impresentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum iustis modis poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus. Sententias nichilominus, banna, statuta, ordinationes, penas, confiscationes, privilegia et concessiones facta[b] de bonis civitatis eiusdem vel civium aut hominum suorum seu alicuius eorum ab eodem principe vel quolibet alio pro ipso post latam in eum ab eadem sede excommunicationis sententiam quibuscumque civitatibus et personis — non obstantibus iuramentis super hiis prestitis — auctoritate presentium revocamus; nichilominus statuentes, ut nundine, que [fieri][c] consueverunt ab antiquo in civitate predicta et eius districtu, et ille specialiter que dicuntur nundine Omnium Sanctorum et sancti Eusebii, in consuetis locis et temporibus libere ac sine contradictione aliqua celebrentur — non obstante quod de translatione nundinarum ipsarum ad civitatem Taurinensem prefatus princeps, [postquam][d] per sedem eandem excommunicatus extitit, dicitur statuisse. Nulli ergo etc. nostre protectionis, revocationis et constitutionis etc. Si quis etc.

Dat. Lugduni, III Non. Maii, anno secundo[2].

113.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino scribit, se decrevisse, ut litterae a canonicis Maguntinis in concilio Frizlariensi degradatis a sede apostolica

a) *R.:* poterunt *P.* b) factas *R.* c) fieri *deest R.* d) postquam *deest R.*

1) *Civitas a. 1243. Mart. ab imperatore defecerat; Böhmer-Ficker, l. c. 3356 a.* 2) *Eodem die [Petro] episcopo Terdonensi, Sancti Christofori Vercellensis dioc. et Sancti Gratiani Vercellensis ecclesiarum praepositis mandavit, ne Vercellenses contra protectionis huius tenorem molestari permitterent; Berger 1292.*

impetratae vel impetrandae nullius momenti sint, nisi de degradatione fecerint mentionem. *1245, Mai. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 181; Lib. II, 498.
Berger 1235.

.. archiepiscopo Maguntino[a].

Cum, sicut nobis significare curasti, tu Fridericum custodem, Gerardum cantorem, magistrum Philippum, Fridericum Grifinclawe[b], maioris ecclesie, et Bertoldum dictum Mortem, Sancti Iohannis canonicos Maguntinos, pro eo quod Romanam ecclesiam adherendo ipsius persecutoribus impugnabant, primo excommunicaveris et postmodum excrescente ipsorum contumacia privatos beneficiis, que habebant, de consilio concilii apud Frirlariam[c] celebrati[1] a suis ordinibus duxeris degradandos: nos, tuis precibus inclinati, quod littere per eos a nobis, in quibus se clericos appellaverint, impetrate vel etiam impetrande nullius penitus sint momenti, nisi de huiusmodi degradatione seu depositione expressam fecerint mentionem, auctoritate presentium duximus decernendum.

Dat. Lugduni, III Nonas Maii, anno II[d][2].

114.

Innocentius IV papa civibus Maguntinis libertates et immunitates a [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino de novo concessas confirmat. *1245, Mai. 6.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 181; Lib. II, 501.
Berger 1238.

Civibus Maguntinis.

Ut ex honore gratia et ex servitio merces debita rependantur, satis rationi consonum est et equum, quia sic quisque[e] magnanimus ad obsequendum efficitur, sic devotior et ferventior in amici subsidium repperitur. Cum igitur, sicut nobis exponere curavistis, venerabilis frater noster .. archiepiscopus Maguntinus capituli sui accedente consensu vobis, qui ad ipsorum obsequium et ecclesie Romane negotia promovenda vos prona devotione et corde magnanimo accinxistis[f], promittentes firmiter vos habere circa hec perpetuis temporibus promptiores, quasdam de novo libertates et immunitates duxerit concedendas, nos, ex hoc dignos vos apostolice sedis gratia reputantes, vestris precibus inclinati, concessionem libertatum et immunitatum huiusmodi gratam et ratam habentes ac volentes promissa vestra a vobis deinceps inviolabiliter observari, ipsam, prout provide facta est, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc. Si quis autem etc.

Dat. Lugduni, II Non. Maii, anno secundo.

115.

Innocentius IV papa iisdem indulget, ut durante discordia inter principem et ecclesiam per litteras apostolicas extra civitatem suam ad iudicium trahi non possint.
1245, Mai. 6.

Inn. IV Reg. Vol. I, 181; Lib. II, 502.
Berger 1239.

a) Eidem *R.* b) Greifenclawe *B.* c) *ita R.* d) Dat. ut in proxima *R.* e) quis *B.* f) procinxistis *B.*

1) *a. 1244, Mai. 30, Ann. Erphord. a. 1244, SS. t. XVI, p. 34.* 2) *Aliae epistolae papales in favorem ecclesiae et archiepiscopi Maguntini Mai. 5 et 6 datae ap. Berger 1233, 1234, 1236, 1237, 1240, 1241.*

Eisdem.

Volentes ex devotione, quam ad venerabilem fratrem nostrum .. archiepiscopum et dilectos filios capitulum Maguntinum et ad nos per consequens habuistis, dono singularis gratie vos efferre, vestris precibus inclinati, quod extra civitatem Maguntinam durante discordia inter principem et ecclesiam trahi per litteras apostolicas, quamdiu parati fueritis stare iuri coram iudicibus delegatis vel ordinariis vestris[a], ad iudicium nequeatis, auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis etc.

Dat. ut in proxima.

116.

Innocentius IV papa [Alberto] patriarchae Antiocheno mandat, ut principi denuntiet se eum, quam cito de offensis manifestis satisfecerit et de dubiis cautionem praestiterit, ab excommunicatione absoluturum esse. *1245, Mai. 6.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 205; Lib. II, cur. 5. Pertz in exemplar contulimus cum Rayn. Ann. eccl. a. 1245, § 1.

Potthast, Reg. 11656; Berger 1358.

.. patriarche Antioceno[1].

Presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus principi ex parte nostra denunties, quod, quam cito de manifestis offensis, pro quibus excommunicatus esse dinoscitur, satisfecerit et de dubiis sufficientem prestiterit cautionem[2], sibi faciemus munus absolutionis impendi.

Dat. Lugduni, II Nonas Maii, anno secundo.

117.

Innocentius IV papa Arnoldo electo Treverensi indulget, ut cum redditus mensae suae propter guerrarum discrimina valde diminuti sint, beneficia ecclesiastica tempore electionis suae obtenta usque ad beneplacitum apostolicum retineat. *1245, Mai. 10.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 183; Lib. II, 530.

Berger 1250.

Arnoldo electo Treverensi.

Promerente tam tue devotionis promptitudine quam fidei puritate constantis te specialem inter devotos Romane ecclesie reputari, dignum fore providimus, ut te specialis[b] prerogativa favoris et gratie prosequentes, petitionibus tuis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum igitur, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, mense tue redditus propter guerrarum discrimina sint adeo diminuti, quod sufficere nequeunt ad sustinenda onera, que incumbunt pro defensione tue

a) *per lineam parvulam directam [v. t. I, p. XIII] post* iuri *positum scriptor Reg. verba* coram iud. *etc. ad sequentia minus recte retulit; v. a. 1246, Oct. 25.* b) *B.;* speciali *P.*

1) *Cf. n. 110.* 2) *Id ipsum imperator antea saepius obtulerat, dummodo sibi exprimeretur, quae offensae manifestae essent, neque id obtinere potuerat: Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 210, 211, 219. Sed nunc quoque offensae manifestae designatae non sunt; cf. supra p. 79, not. 2.*

ecclesie ac etiam ecclesiastice libertatis, nos, devotionis tue precibus benignum impertientes assensum, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut beneficia ecclesiastica, que electionis tue tempore obtinebas[1], illis dumtaxat exceptis que de mandato nostro aliis sunt collata, retinere libere valeas usque ad nostre beneplacitum voluntatis. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis etc.

Dat. Lugduni, VI Idus Maii, anno secundo[2].

118.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino mandat, ut cum Henrico de Eberstal super matrimonio, quod ad sopiendas discordias cum filia Alberti de Niffen, in quarta consanguinitatis linea ipsum contingente, contraxerit, prout expedire viderit, dispenset. *1245, Mai. 10.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 201; Lib. II, 626 et iterum sub eadem nota chronol. sed sine inscriptione Vol. I, 218; Lib. III, 39 bis. Exemplar ap. Berger 1345 extans cum Reg. contulit et ex iis supplevit V. Cl. A. Mau. Berger 1345 et 1400.

Archiepiscopo Maguntino.

Propositum fuit humiliter coram nobis, quod cum olim inter nobiles viros Henricum de Eberstal[3] et Albertum de Niffen[4] Augustensis diocesis per multum temporis fuissent inimicitie capitales, ex quibus hinc inde multa fuerunt discrimina et pericula subsecuta, tandem, ut super hiis finis laudabilis haberetur, predictus H. sibi prefati Alberti filiam, que in quarta consanguinitatis linea contingit eundem[a], matrimonialiter copulavit, propter quod inter ipsos ad invicem firma pax geritur et amicitia stabilis observatur. Quare pro ipso H. fuit a nobis humili supplicatione petitum, ut super huiusmodi matrimonio dispensare de speciali gratia dignaremur, presertim cum si divortium inter eos fieret, multa exinde gravis et periculose guerre materia prosiliret. Nos itaque fraternitati tue, de cuius industria fiduciam specialem gerimus, per apostolica scripta mandamus, quatinus cum ipso, de cuius devotione ac aliis circumstantiis plenam potes habere notitiam, super matrimonio sic contracto auctoritate nostra dispenses, prout videris expedire.

Dat. Lugduni, VI Idus Maii, anno secundo.

119.

Innocentius IV papa [Hermanno] episcopo Herbipolensi mandat, ut [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino quintam redditnum a sede apostolica concessam persolvat nec litteris et nuntiis principis, quibus ab offensa sedis apostolicae ipsum se redditurum esse impunem promittat, fidem adhibeat. *1245, Mai. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 182; Lib. II, 507—524.
Berger 1244.

[a]) eandem *R.*

1) *Cf. n. 41 et 85.* 2) *Concessionis huius conservator eodem die datus est [Iacobus] episcopus Metensis; Berger 1251.* 3) *Ut videtur Eberstall e mer. cir. Burgau.* 4) *Ex sept. et or. cir. Reutlingen. Idem Albertus a. 1245, Iun. Veronae in curia imperatoris fuit; Böhmer-Ficker, l. c. 3482.*

.. episcopo Herbipolensi.

Attendentes[a] olim quod venerabilis frater noster .. archiepiscopus Maguntinus pro negotio ecclesie, quod totis prosequitur viribus, non rerum formidans pericula nec persone, multa subierat et eum subire oportebat onera expensarum, tibi nostris dedimus litteris in mandatis, ut ipsi quintam omnium tuorum reddituum curares liberaliter exhibere[1]. Verum cum, sicut ex parte ipsius fuit propositum coram nobis, in solutione ipsius quinte te nimis remissum et difficilem habeas, nos, nolentes ut huiusmodi quinte solutio aliquibus tergiversationibus retardetur, fraternitatem tuam rogandam duximus iterato attentius et monendam, per apostolica tibi[b] scripta firmiter precipiendo mandantes, quatinus, attendens prudenter quod in subventione huiusmodi proficis tibi ipsi, quintam ipsam eidem archiepiscopo sine difficultate qualibet persolvas integre liberaliter et libenter, nec litteris vel nuntiis principis, qui promittunt ab offensa sedis apostolice omnino reddere te impunem, velis fidem ullatenus adhibere, quin potius in obsequio[c] ecclesie prout teneris inconcussa constantia persistas, eidem archiepiscopo viriliter assistendo. Alioquin sententias ab eodem archiepiscopo in rebelles rite latas vel etiam proferendas ratas habebimus et faciemus usque ad satisfactionem condignam[d] appellatione remota inviolabiliter observari.

Dat. Lugduni, V Idus Maii, anno secundo.

In eundem modum clero civitatis et diocesis Herbipolensis.

In eundem modum .. episcopo et clero civitatis et diocesis Eihstedensis[e], Verdensis[f].

In eundem modum clero civitatis et diocesis Babenbergensis[g], Augustensis, Constantiensis, Curiensis, Warmaciensis, Hildesemensis, Halverstadensis, Padeburnensis.

In eundem modum .. episcopo Constantiensi spiritum consilii sanioris.

In eundem modum .. episcopo Curiensi, Augustensi, Ildesemensi, Halverstadensi, Padeburnensi, Warmaciensi[h].

120.

Innocentius IV papa [Raymundo VII] comiti Tolosano propter specialem devotionem suam indulget, ut auctoritate sedis apostolice vel legatorum eius in eum excommunicationis vel interdicti sententiae absque speciali sedis eiusdem mandato promulgari non valeant.

1245, Mai. 12.

Inn. IV Reg. Vol. I, 188; Lib. II, 563. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Man. Berger 1283.

.. comiti Tholosano[2].

Apostolice sedis benignitas sincere obsequentium vota fidelium etc. etc. usque: decentius decorare. Ut igitur ex speciali devotione, quam ad nos et Romanam ecclesiam habere dinosceris, favorem apostolicam tibi sentias accrevisse, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut nullus delegatus vel subdelegatus, executor aut

a) Atteadens *P. B.* b) v = vobis *R., quod verbum in hanc epistolam ex exemplari ad plures directo prius exarato transiisse videtur; cf. n. 74.* c) obsequium *B.* d) congruam *B.* e) Einstedensis *B.* f) *Verba* In ... diocesis *in R. repetita sunt; similiter et infra.* g) Rabenbergensis *B.* h) *Verba* In e. m. .. ep. *et* sp. c. s. *in R. semper repetita.*

1) *Cf. n. 66.* 2) *Cf. n. 10, 15 et 69; comes tractatui pacis per patriarcham Antiochenum tunc resumpto [cf. n. 110 et 116] quoad scimus non interfuit.*

etiam conservator auctoritate sedis apostolice vel legatorum ipsius in tuam personam vel terram excommunicationis aut interdicti sententias promulgare vel interdicere tibi ingressum ecclesie valeat absque mandato sedis apostolice speciali, faciente plenam de hac indulgentia mentionem. Quas si forsan per presumptionem cuiuspiam promulgari contingerit[a], decernimus irritas et inanes[1]. Nullus ergo etc. nostre concessionis —. Si quis etc.

Dat. Lugduni. IIII Idus Maii. anno secundo.

121.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino mandat, ut dispenset cum Henrico II comite de Anehalt et Mathilda nata [Ottonis] ducis de Brunswic sibi in quarto gradu consanguinitatis attinentibus, ut matrimonium contrahere possint ad reformandam pacem inter comitem illum et marchiones Brandeburgenses, qui eidem mulierem illam se tradituros esse in uxorem iuraverint. *1245, Mai. 18.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 189; Lib. II, 570. Pertzii exemplar contulimus cum Riedel, Cod. dipl. Brandenb. 2. Hauptth. t. I, p. 25, n. 37.

Potthast, Reg. 11666; Berger 1288.

. . archiepiscopo Maguntino.

Ad hoc Deus in apostolica sede constituit plenitudinem ecclesiastice potestatis, ut Romanus pontifex, qui claves in beato Petro potestatis et discretionis accepit, nunc rigorem exerceat, nunc mansuetudinem anteponat. Idem enim consideratis circumstantiis universis neutrum in altero derelinquens, interdum flectit per mansuetudinem sic rigorem, quod non dissolvitur eius nervus, set prudenter attendit non solum personas set causas etiam, cum quibus videlicet et ex quibus dispensare disponit, ne sic dispenset ut dissipet, immo ne dissipet sic dispenset[b], prout causarum diversitas diversis modis exegerit dispensandum. Sane dilecto filio Henrico comite de Anehalt[2] nobis innotuit intimante, quod, effusa olim una de fialis ire Dei per angelum cui datum est nocere, inter clare memorie patrem suum et nobiles viros marchiones de Brandeburg, dissentionis auctore dissentionis materiam seminante, graves guerre ac inimicitie fuerint exorte, quarum occasione hinc inde strages hominum et nonnulla pericula sunt secuta. Unde, cum pax inter ipsos non potuerit aliter reformari, nisi quod dicti marchiones nobilem mulierem Mathildam, natam nobilis viri . . ducis de Bruneswich, iuraverunt sibi tradere in uxorem, ex parte ipsius comitis fuit nobis humiliter supplicatum, ut

Apoc. 16, 1.

a) *ita apogr.* b) *ita P. et Ried.*

1) *a. 1244, Febr. 27 eandem indulgentiam ei concesserat, ea tamen conditione ut post quinquennium minime valitura sit; Berger 491. — Epistolae in favorem comitis Apr. 27, cuius epistolae duo authentica extant, et Mai. 15 scriptae [Potthast, Reg. 11638 et 11664] in Reg. relatae non sunt.* 2) *Sine dubio hic non Henricus I sed Henricus II fuit; hic enim Mathildam in matrimonium duxit [quae ei in quarto consanguinitatis gradu attinebat: Otto Puer et Mathilda, Albertus II marchio Brandeburg., Otto I — Albertus Ursus — Bernhardus dux Saxoniae, Henricus I comes Ascaniae; de computatione graduum cf. n. 68], neque 'clarae memoriae pater' infra commemoratus Bernhardus dux, qui a. 1212 mortuus erat, fuisse potest. Erraverunt ergo Voigtel-Cohn, Stammt. 150, aliique, qui Henricum I usque ad a. 1251 vel 1252 vixisse contenderunt, cum filius ipse hoc loco contrarium asseveret. Verba chartae a. 1251, Mai. 8 [Cod. dipl. Anhalt. t. II, p. 117, n. 188], in qua Henricus II dicit:* annuentes iustis et piis petitionibus venerabilis patris nostri H., *aut minus diligenter exarata aut male tradita esse putamus. Chartam Henrici I post a. 1211, Oct. 2 datam [Ibid. p. 128, n. 161] non invenimus.*

cum ipse ac eadem M. sibi adinvicem in quarto gradu consanguinitatis attinere noscatur[a], nec prius duxerit ad confirmationem huiusmodi matrimonii procedendum, quam super hoc haberet ad apostolicam sedem recursum, ad sedandas inimicitias supradictas super hoc salubre consilium apponere curaremus. Attendentes igitur quod urgens necessitas et evidens utilitas dispensationem exposcit, mandamus, quatinus, si premissis veritas suffragatur, cum eisdem comite ac M. auctoritate nostra dispenses, ut, si velint, contrahere valeant — impedimento huiusmodi non obstante.

Dat. Lugduni, XV Kal. Iunii, anno secundo.

122.

Innocentius IV papa G[regorio] de Montelongo subdiacono et notario suo, apostolicae sedis legato, personas legationis suae sub ecclesiae protectione recipiendi potestatem concedit. *1245, Mai. 26.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 205–206; Lib. II, car. 8.
Berger 1361 sub Iun. 25.

G. de Montelongo subdiacono et notario nostro, apostolice sedis legato.

Ut commisse tibi legationis officium utilius exercere valeas et ecclesie negotia melius procurare, nos, quod circa receptionem civitatum et baronum aliorumque nobilium tue legationis sub ecclesie protectione per te factum esse dinoscitur, ratum et firmum habentes, discretioni tue recipiendi alios eiusdem legationis sub protectione huiusmodi, prout expedire videris, plenam et liberam concedimus potestatem.

Dat. Lugduni, VII Kal. Iunii[b], anno secundo.

123.

Ayob soldanus Aegypti Innocentio IV papae rescribit se eius nuntium reverenter recepisse, sed cum a tempore Kamel patris sui inter se et imperatorem familiaritas fuerit, sibi cum Christianis aliqua componere non licere nisi cum imperatoris assensu: ideoque responsum nuntii sui apud hunc constituti, quem de ea re certiorem fecerit, expectare se velle. *1245, Iun. 3.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 306; Lib. III, car. 29. Ad exemplar Rayn. Ann. eccl. a. 1246, § 52–53, a V. Cl. A. Mau cum Reg. denuo collatum, ea adhibuimus, quae in Ann. Stadens. a. 1246, SS. t. XVI. p. 370 [St. 1 et 2 = cod. 1 et 2], et in Matthaei Paris. Chron. maior., ed. Luard, t. IV, p. 566 [M.], extant, et apographum a V. Cl. W. Wattenbach ex Cod. bibl. Caes. Vindobon. 389 saec. XIII f. 101' sumptum [V.]. Auctor Ann. Stad. epistolam ex lingua Graeca in Latinam versam esse contendit, sed propter rationem loquendi nobis usitatam Matth. Par. potius sequimur, qui eam a cardinali quodam de Arabico translatam esse asserit. Ex hac una versione omnia exemplaria manasse certum esse nobis videtur, nam plerasque lectiones variantes ex erroribus scriptorum ortas esse putamus, et reliquas ex eo, quod versio correcta fuerit et ex eisdem locis eas nunc altera nunc altera lectio, nunc quoque ambae in authentica receptae sint.

Berger 1991; praeterea Wadding. Ann. Min. a. 1246, § 7 ex Reg.; Bzovius, Ann. eccl. a. 1246, § 6 e Crantz Metrop. l. VIII § 11, qui Ann. Stad. exscripsit.

a) noscuntur *Reg.* b) *ita R. MAU*, Iulii *R.*

Littere soldani misse ad dominum papam.

Presentie pape, nobilis, magni, spiritalis, affectuosi, sancti, tertiidecimi apostolorum, universalis loquele Christianorum, manu tenentis adoratores crucis, iudicis populi Christiani, ductoris filiorum baptismatis, summi pontificis Christianorum — confirmet eum Deus et det sibi felicitatem — a soldano, potentissimo, regnante super colla nationum, continente duas virtutes, gladii et calami, possidente duo precellentia, scilicet doctrinam et iudicium, rege duorum marium, dominatore Austri et Septemtrionis, rege regionis Egyptii[a] et Syrie et Mesopotamie et Medie et Ydumee et Ephir[b], rege Salech[c] Belfet Ayob, [filio soldani][d] Hamel Helmevaffar[e] Mehamed[1], filii soldani regis Hadel[f] Bobecre[g][2], filii[h] Ayob, cuius regnum Deus diligit.

In nomine Dei misericordis et miseratoris. Presentate sunt scripture pape, nobilis, magni, spiritalis[i], affectuosi, sancti, tertiidecimi apostolorum, universalis loquele Christianorum, manu tenentis adoratores crucis, iudicis populi Christiani, summi[k] pontificis filiorum baptismatis — faciat eum Deus de affectantibus bonum et facientibus illud et volentibus pacem et perseverantibus in causis eius, et adiuvet eum Deus in hiis, que decentia sunt ad illos, qui sunt sui cultus sive ritus, et ad alios — et respeximus dictas scripturas studiose, et intelleximus capitula, que in eis inserta erant, et eorum continentia nobis placuit, et delectatus est auditus noster in relatu eorum. Et nuntius venit ad nos, quem misit sanctus papa, et ipsum prevenimus cum honore et dilectione, cum devotione[l] et reverentia, ipsumque convocavimus[m] ad conspectum nostrum, sibi inclinantes intendimus aurem[n] verbis eius et fidem adhibuimus ei[o] nuntianti[p] nobis de Christo, super quem sit salus[q]. De quo Christo plus scimus, quam vos sciatis, et magnificamus eum plus, quam vos magnificetis[r]. Et de hoc, quod dicitis vos desiderare tranquillitatem et quietem[s] et habere materiam convocandi populos ad pacem, similiter nos[t] desideramus, nec[u] volumus contraire, et hoc semper voluimus et desideravimus. Sed papa, quem Deus confirmet, scit, quod inter nos et imperatorem iamdudum fuit familiaritas et dilectio mutua[v] et concordia perfecta a tempore soldani patris nostri[w], quem Deus ponat in claritate[x], et inter nos[y] et imperatorem predictum[z] est, sicut scitis. Unde non licet nobis aliqua componere cum Christianis, nisi prius habuerimus super hiis [ipsius][a] consilium et assensum. Et nos scripsimus nuntio nostro, qui est in curia imperatoris, pro causis, quas detulit nuntius pape, nuntiantes ei[b] capitula et proposita nuntii vestri. Ipse nuntius noster veniet ad presentiam vestram[c], et loquetur vobis[d], et[e] renuntiabit nobis[f], et postquam renuntiaverit, faciemus iuxta tenorem responsi. Nec discrepabimus ab eo, quod videbitur utile universis, ita quod possumus habere meritum a Deo. Hec vobis annuntiamus, et bonum ampliabitur in posterum[g], Deo dante.

a) *ita R.:* Egypti *St. M. V.* b) *ita R.:* Ophir *St. M. V.* c) Fabeth *St.:* Saloph *M.* d) *St. M. V.:* *deest R.* e) Helesmenaphat *St.:* Hemevafar *M.;* Helmevassar *V.* f) Holdal *St.:* Sadel *V.* g) Iobezir *St. 1;* Ioberir *St. 2;* Bobethre *M.;* Bobetre *V.* h) filii primi *St. 1.* i) spiritalis *deest St. V.* k) *pro* summi — baptismatis *ap. M.:* ductoris fil. bap. sum. pont. Christianorum *ut supra.* l) cum devotione *deest M.* m) ipsum vo. *St.:* ipsum convo. *V.* n) autem *St.:* aurem *deest V.* o) ei *deest St.:* verbis eius *M.* p) annunciaanti *V.* q) laus *St.;* salus et laus *M.* r) magnificatis *St.* s) tr. et pacem et qu. *M. V.* t) et nos *St. M.* u) nec — desideravimus *deest V.* v) et dil. mut. *deest St.* w) mei *M. V.* x) sua *add. M.* y) vos *St. 1, M. V.* z) predictum *deest M.* a) *St. M. V.;* ipsius *deest R.* b) ei *deest St.* c) nostram *St. V.* d) nobis *St. V.* e) et ren. no. *deest St.* f) *M. V.;* vobis *R.* g) in posterum *deest M. V.*

1) *El-Kamel mortui a. 1238.* 2) *Fratris Saladini.*

Hoc fuit scriptum in[a] septima[b] die mensis Maharram, que fuit lunatio Augusti[1]. Laus[c] Deo soli et benedictio eius super dominum nostrum Mahaumetum et super genus ipsius. Ipse sit pax[d] nostra.

124.

Innocentius IV papa Fridericum II imperatorem praesente concilio Lugduni congregato omni honore et dignitate sententiando privat, decernens ut qui ei tanquam imperatori pareant, ipso facto excommunicationis vinculo subiaceant. 1245, *Iul.* 17.

Inn. IV Reg. Vol. 1, 208; Lib. II, cur. 13. Haec epistola anni III, quae una cum 'Institutionibus concilii Lugdunensis' [Potthast, Reg. p. 996] post curiales anni II in Regestis legitur, licet saepius edita sit, nusquam tamen satis emendata invenitur, et sincerum exemplar Regestorum nunc primo profertur; quod V. Cl. A. Mau nobis praebuit, qui exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1245, § 33—45, cum Regestis contulit et ex eis correxit [R.]. Raynaldus enim non Regesta exscripsit, sed formam epistolae proposuit simillimam ei, quam Binius, Concil., Coloniae a. 1606, t. III, pars II, p. 1485 imprimi fecerat, in qua verba authentica quasi exornata et amplificata sunt, in eum modum quem in summis dictaminis saepius reperimus. Raynaldum editores Bull. Taur. t. III. p. 540 secuti sunt. Eandem formam amplificatam cum Regestis collatam, sed minus diligenter, Cherubinus, Magn. Bull., Romae 1638, t. I, p. 94, praebere videtur [Ch.]; nam aliquot locis editionis eius verba Raynaldi, quae V. Cl. A. Mau delevit neque authentica continent, inveniuntur, aliis ipsa verba Regestorum comparent. Cum editione Ch., nonnullis levibus variantibus exceptis, concordant: Concil., Paris. a. 1644, t. XXVIII, p. 424; Labbe, Conc. t. XI, p. 640; Hardouin, Conc. t. VII, p. 381; Lünig, Cod. Ital. dipl. t. II, p. 901, n. 27; Dumont, Corps univ. dipl. t. I, p. 192; Mansi, Conc. t. XXIII, p. 613. — Authentica proposuerunt: 1) Matthaeus Paris., Chron. maior. a. 1245, ed. Luard t. IV, p. 445 [A 1], quem Dumont, l. c. p. 190 exscripsit, 2) Bzovius, Ann. eccl. a. 1245, § 3 [A 2], 3) Ann. Placent. Gib. a. 1245 in SS. t. XVIII, p. 490 [A 3]. Haec authentica multis locis inter se discrepant et praecipue A 3 mendis scatet. Litteras notatas correctas ideoque minus faciles lectu et authenticorum et Regestorum fontem fuisse ex aliquot variantibus conici potest.

Potthast, Reg. 11733; Berger 1368.

Sacro presente concilio ad rei memoriam sempiternam.

Ad apostolice dignitatis apicem licet indigni dignatione divine maiestatis assumpti, omnium Christianorum curam[e] vigili sedulaque solertia gerere ac intime considerationis oculo singulorum discernere merita[f] et provide deliberationis statera librare debemus, ut quos iusti vigor examinis dignos ostenderit, congruis attollamus favoribus, quos autem reos, penis debitis deprimamus, appendentes semper meritum et premium equa lance, retribuendo cuique iuxta qualitatem operis pene vel gratie quantitatem. Sane cum dira guerrarum commotio nonnullas professionis Christiane provincias diutius afflixisset, nos, toto cupientes mentis affectu tranquillitatem et pacem ecclesie sancte

a) in *deest M.* b) 7 die mensis Macharon, qui fuit lunatio Augusti *St.*; septima die mensis, que fuit septima lunatio, Augusti, Maharan *M.*; septima die, que est lunatio mensis Augusti, qui dicitur Maharran *V.* c) *antecedit in St.:* Dicit glosa. d) pars *St. M.* e) cura *R. A 3.* f) merita *deest A 1, Rayn.*

1 *Haec epistola sine dubio a. 1245, Iun. 3 scripta est: in bulla enim depositionis, a. 1245. Iul. 17, papa imperatori obiicit, quod nuntios soldani Babyloniae honorifice receperit, et in ep. a. 1246, Mai. 23 eadem verba repetit, sed haec interiicit:* cum quo [soldano] dictus Fridericus, prout ipsius soldani litteris nuper recepimus, a tempore patris eiusdem soldani familiaritatem et dilectionem mutuam et concordiam perfectam habere dinoscitur; *unde sequitur, ut haec epistola inter a. 1245, Iul. 17 et 1246, Mai. 23 ad curiam pervenerit. Cum autem in litteris soldani dies secundum rationem Arabicam adsignatus plus valeat quam computatio mensis Christiani, epistola sub die VII mensis Maharran ponenda est, qui dies a. 1245, Iun. 3 fuit, a. 1246 autem Mai. 24. Epistola papae non extans, cui respondetur, exeunte anno 1244 vel potius ineunte a. 1245 scripta esse videtur, postquam calamitates Terrae Sanctae per partes Occidentis vulgatae sunt; cf. Böhmer-Ficker, l. c. 3447 et 3460, Nicol. de Curbio V. Inn. IV c. 17, Potthast, Reg. 11607.*

Dei ac generaliter cuncto populo Christiano[a], ad precipuum principem secularem, huius dissentionis et tribulationis actorem, a felicis recordationis Gregorio papa predecessore nostro pro suis excessibus anathematis vinculo innodatum, speciales nuntios, magne auctoritatis viros, videlicet venerabiles fratres nostros P[etrum] Albanensem, tunc Rothomagensem archiepiscopum, et G[uillelmum] Sabinensem, tunc quondam Mutinensem, episcopos[b] ac dilectum filium nostrum Guillelmum Basilice Duodecim Apostolorum presbyterum cardinalem, tunc abbatem Sancti Facundi, qui salutem zelabantur ipsius, duximus destinandos[1], facientes sibi proponi per ipsos, quod nos et fratres nostri, quantum in nobis erat, pacem per omnia secum habere nec non cum omnibus hominibus optabamus, parati sibi pacem et tranquillitatem dare ac mundo etiam universo. Et quia prelatorum, clericorum omniumque aliorum, quos detinebat captivos, et omnium tam clericorum quam laicorum, quos ceperat in galeis, restitutio poterat esse pacis plurimum inductiva, eum, ut illos restitueret, cum idem[c] tam ipse quam sui nuntii, antequam ad apostolatus vocati essemus officium, promisissent, rogari et peti ab ipso fecimus per eosdem, ac proponi insuper, quod iidem parati erant pro nobis audire et tractare pacem ac etiam audire satisfactionem, quam facere vellet princeps, de omnibus, pro quibus[d] vinculo erat excommunicationis astrictus, et offerri preterea, quod si ecclesia eum in aliquo contra debitum leserat, quod non credebat, parata erat corrigere ac in statum debitum reformare. Et si diceret ipse, quod in nullo contra iustitiam leserat ecclesiam vel quod nos eum contra iustitiam lesissemus, parati eramus vocare reges, prelatos et principes, tam ecclesiasticos quam seculares, ad aliquem tutum locum, ubi per se vel sollempnes nuntios convenirent: eratque parata ecclesia de consilio concilii sibi satisfacere, si eum lesisset in aliquo, ac revocare sententiam, si quam contra ipsum iniuste tulisset, et cum omni mansuetudine ac misericordia, quantum cum Deo et honore suo fieri poterat, recipere de iniuriis et offensis ipsi ecclesie suisque per eum irrogatis satisfactionem ab ipso. Volebat etiam ecclesia omnes amicos suos sibique adherentes in pace ponere plenaque securitate gaudere, ut nunquam hac occasione posset[e] aliquod subire discrimen. Sed licet sic apud eum pro pace paternis monitis et precum insistere curaverimus lenitate, idem tamen, Pharaonis imitatus duritiam et obturans more aspidis aures suas, huiusmodi Ps. 57, 5.
preces et monita elata obstinatione ac obstinata elatione despexit. Et licet processu temporis in die cene Domini proximo nuper preterita precedente coram nobis et fratribus nostris[f], presentibus karissimo in Christo filio nostro Constantinopolitano imperatore illustri[2], cetu quoque non modico prelatorum, senatoribus populoque Romano et maxima multitudine aliorum, qui eodem die propter sollempnitatem ipsius de diversis mundi partibus ad apostolicam sedem convenerant, quod staret nostris et ecclesie mandatis, per nobilem virum comitem Tholosanum ac magistros P. de Vinea et T. de Suella[g], curie sue iudices, nuntios et procuratores suos[h] speciale super hoc ab ipso mandatum habentes, prestiterit iuramentum: postmodum tamen quod iuraverat non implevit. Quinimmo ea intentione ipsum prestitisse[i] probabiliter creditur, sicut ex factis sequentibus colligitur evidenter, ut eidem ecclesie ac nobis illuderet potius quam pareret, cum anno et amplius iam elapso nec ad ipsius ecclesie gremium revocari[k] potuerit, nec sibi de illatis ei dampnis et iniuriis curaverit satisfacere, licet super hoc extiterit requisitus[3]. Propter quod non valentes absque gravi Christi offensa

a) restituere ac reducere *add. Ch. Rayn.* b) episcopum *R. A 1, 2, 3.* c) hec iidem *A 1;* hoc idem *A 2, 3, Ch. Rayn.* d) ŏmnibus *R.* e) possent *A 1.* f) cardinalibus *add. Ch. Rayn.* g) *ita R.: leg.* Suessa. h) *A 2, 3;* ind. et nuntios et proc. s. *R. Ch.;* ind. et proc. s. *A 1, Rayn.* i) iuramentum *add. Ch. Rayn.* k) revocare *R.*

1) *Cf. n. 7, 9 et 20.* 2) *Balduino II; cf. n. 63.* 3) *Cf. n. 110 et 116.*

eius iniquitates amplius tolerare, cogimur urgente nos conscientia iuste animadvertere in eundem.

Et ut ad presens de ceteris eius sceleribus taceamus, quattuor gravissima, que nulla possunt celari tergiversatione, commisit. Deieravit enim multotiens; pacem quondam inter ecclesiam et imperium reformatam temere violavit; perpetravit etiam sacrilegium, capi faciens cardinales sancte Romane ecclesie ac aliarum ecclesiarum prelatos et clericos, religiosos et seculares, venientes ad concilium quod idem predecessor[a] duxerat convocandum; de heresi quoque non dubiis et levibus sed difficilibus et evidentibus argumentis suspectus habetur.

Plura siquidem eum comisisse periuria satis patet. Nam olim, cum in Sicilie partibus morabatur, priusquam esset ad imperii dignitatem electus, coram bone memorie G[regorio] Sancti Theodori diacono cardinali, apostolice sedis legato, felicis recordationis Innocentio pape predecessori nostro et successoribus eius ecclesieque Romane pro concessione regni Sicilie ab eadem ecclesia sibi facta fidelitatis prestitit iuramentum[1] et, sicut dicitur, illud idem, postquam ad eandem dignitatem electus extitit et venit ad Urbem, coram eodem Innocentio suisque fratribus[b], aliis multis presentibus, ligium hominium[c] in eius faciens manibus, innovavit[2]. Deinde, cum in Alamannia esset, eidem Innocentio[3] et, ipso defuncto, bone memorie Honorio pape[4] predecessori nostro et eius successoribus ac ipsi ecclesie Romane, presentibus imperii principibus atque nobilibus, iuravit honores, iura et possessiones Romane ecclesie pro posse suo servare ac protegere bona fide, et quod quecunque ad manus suas devenirent, sine difficultate restituere procuraret nominatis expresse dictis possessionibus in huiusmodi iuramento; quod postmodum confirmavit, coronam imperii iam adeptus[5]. Sed horum trium iuramentorum temerarius extitit violator non sine proditionis nota et lese crimine maiestatis. Nam contra prefatum predecessorem[d] G. et fratres suos comminatorias litteras eisdem fratribus destinare, ac dictum G. apud fratres ipsos, sicut apparet per litteras ab eodem[e] tunc directas eisdem[6], et etiam, prout fertur, per universum fere orbem terrarum[7] multipliciter diffamare presumpsit; ac venerabilem fratrem nostrum O[ttonem] Portuensem, tunc Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum cardinalem, et bone memorie I[acobum] Penestrinum episcopos, apostolice sedis legatos, nobilia et magna ecclesie Romane menbra, personaliter capi fecit et bonis omnibus spoliatos ac per diversa loca non semel ignominiose deductos carceribus mancipari. Privilegium insuper, quod beato Petro et successoribus eius in ipso tradidit dominus Iesus Christus, videlicet: 'Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in celis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in celis'; in quo utique[f] auctoritas et potestas ecclesie Romane consistit, pro viribus diminuere vel ipsi ecclesie auferre sategit[g], scribens se prefati Gregorii sententias non vereri, latam ab eo excommunicationem in ipsum non solum contemptis ecclesie clavibus non servando, verum etiam per se ac officiales suos et illam et alias excommunicationis vel interdicti sententias, quas idem omnino contempsit, cogendo alios non servare. Possessiones quoque prefate Romane ecclesie, videlicet Marchiam, Ducatum, Beneventum, cuius muros et turres dirui fecit[8], ac alias, quas in Tuscie ac Lombardie partibus et quibusdam aliis optinebat

(Matth. 16, 19.)

a) noster *add. Ch. Rayn.* b) et *add. A 1, 2, 3;* cardinalibus *add. Ch.;* cardin. et *add. Rayn.* c) homagium *A 2, Rayn.;* hominium *cum nota* homagium *Ch.* d) nostrum *add. A 1, 2, Rayn.* e) eo *A 2, Ch.* f) utique *deest A 1, 2, Rayn.* g) satagit *A 1, 2, 3.*

1) *a. 1212, Febr.: Bohmer-Ficker, l. c. 652.* 2) *a. 1212, Apr.; ibid. 660 b.* 3) *a. 1213, Iul. 12: ibid. 705—707.* 4) *a. 1219, Sept.: ibid. 1050; cf. 1051.* 5) *a. 1221, Ian.: ibid. 1276.* 6) *Alludere videtur ad ep. imperatoris a. 1239, Mart. 10 datam; ibid. 2427; cf. 2428.* 7) *V. imprimis a. 1239, Apr. 20: ibid. 2431.* 8) *a. 1241, Apr.; ibid. 3198 a.*

locis, paucis exceptis occupare non metuens, eas adhuc detinet occupatas. Et tamquam ei non sufficeret, quod manifeste contra iuramenta premissa presumendo talia veniebat, per se vel suos officiales earundem possessionum homines deierare compulit, ipsos a iuramentis fidelitatis, quibus Romane tenebantur ecclesie, de facto, cum de iure non posset, absolvens et faciens eosdem fidelitatem nichilominus abiurare predictam sibique fidelitatis huiusmodi iuramenta prestare.

Pacis vero[a] ipsum violatorem existere plene constat, quia cum olim tempore pacis inter ipsum et ecclesiam reformate[b] [1] iurasset coram bone memorie I[ohanne] de Abbatis villa episcopo Sabinensi et magistro Th[omasio] tituli[c] Sancte Sabine presbytero cardinali, presentibus multis prelatis, principibus et baronibus, quod staret et pareret precise absque ulla conditione omnibus mandatis ecclesie super hiis, pro quibus erat vinculo excommunicationis astrictus, causis excommunicationis eiusdem[d] expressis per ordinem coram eo, tunc omnibus Theotonicis, hominibus regni Sicilie ac quibuslibet aliis, qui ecclesie contra ipsum adheserant, omnem remittens offensam et penam, et quod nullo tempore offenderet vel offendi faceret ipsos, pro eo quod ecclesie astiterant, prestari in anima sua per comitem Acerrarum[2] faciens iuramentum, postmodum pacem et iuramenta huiusmodi, nequaquam erubescens irretiri periuriis, non servavit. Nonnullos enim ex ipsis hominibus, tam nobiles quam alios, postea [capi[e] fecit et, eis[f] bonis suis omnibus spoliatis, uxores eorum et filios[g] captivari, ac[h] terras ecclesie contra promissionem, quam eisdem[i] I. Sabinensi episcopo et T. cardinali fecerat,] irreverenter invasit, licet ipsi ex tunc in eum presentem, si[k] contraveniret, excommunicationis sententiam promulgarint[l]. Et cum iidem apostolica sibi auctoritate mandassent, ut nec per se nec per alium impediret[m], quin postulationes, electiones et confirmationes ecclesiarum et monasteriorum in regno prefato libere de cetero fierent secundum statuta[n] concilii generalis, et quod nullus deinceps in eodem regno viris ecclesiasticis ac rebus eorum imponeret tallias vel collectas, quodque nullus ibidem clericus vel persona ecclesiastica de cetero in civili vel criminali causa conveniretur coram iudice seculari, nisi super feudis questio civiliter haberetur, ac Templariis, Hospitalariis et aliis personis ecclesiasticis de dampnis et iniuriis irrogatis eisdem satisfaceret competenter: ipse mandatum huiusmodi adimplere contempsit. Liquet namque undecim aut plures archiepiscopales et multas episcopales sedes, abbatias quoque ac alias ecclesias ad presens vacare in regno[o] predicto easque[p] procurante ipso, sicut aperte patet, fuisse diutius prelatorum regimine destitutas, in grave ipsarum preiudicium et periculum animarum. Et licet forte in aliquibus eiusdem regni ecclesiis electiones sint a capitulis celebrate, quia tamen per illa eiusdem familiares clerici sunt electi, probabili potest argumento concludi, quod facultatem non habuerunt[q] liberam eligendi. Ecclesiarum autem ipsius regni non solum facultates et bona fecit, prout voluit, occupari, sed etiam cruces, thuribula, calices[r] et alios sacros earum thesauros et pannos sericos velut cultus divini contemptor auferri, licet, ut dicitur, ipsis ecclesiis, exacto tamen prius pro eis certo pretio, in parte fuerint restituti. Clerici quippe collectis et talliis multipliciter affliguntur, non solum trahuntur ad iudicium seculare, sed, ut asseritur, coguntur subire duella[s], incarcerantur, occiduntur

a) Pacis quoque vero *R.* b) reformare *R. A 2, 3.* c) tunc *A 1, 2;* tunc temporis *Rayn.* d) eidem *A 3; deest A 1, Rayn.* e) *verba uncis inclusa in Reg. omissa nos ex add. supplevimus;* capi et incarcerari fecit *Ch. Rayn.* f) eos — spoliatos *A 2.* g) postea — filios *deest A 3.* h) insuper *add. Ch. Rayn.* i) eidem *A 1, Ch.* k) ullo modo predictis articulis aut conditionibus *add. Ch. Rayn.* l) *A 2:* promulgarat *R.;* promulgaverint *A 1;* promulgarent *A 3;* promulgarant *Ch.;* promulgaverunt *Rayn.* m) impedirent *R.* n) statutum *A 1. Ch. Rayn.* o) in regno vacare *A 1, 2, 3. Rayn.* p) eosque *R.* q) habent *A 1, Rayn.;* habuerint *A 2.* r) calices, thur. *A 1, 2, Rayn.* s) duello *R.*

1) *Cf. t. I. n. 115.* 2) *Thomasium.*

et patibulis cruciantur, in confusionem et opprobrium ordinis clericalis. Prefatis autem Templariis, Hospitalariis et personis ecclesiasticis non est de dampnis illatis eisdem et iniuriis satisfactum.

Eum quoque certum est fore[a] sacrilegii patratorem: nam cum prefati Portuensis et Penestrinus episcopi et quamplures ecclesiarum prelati et clerici, tam religiosi quam seculares, ad apostolicam sedem pro celebrando concilio, quod prius ipse petiverat convocari, per mare venirent[b], viis terre ipsis de mandato eius omnino preclusis, idem, destinato Ensio[1] filio suo cum multitudine galearum et per alias[c] quamplures longe antea serio preparatas in partibus Tuscie maritimis insidiis positis contra eos, ut gravius posset virus vomere preconceptum, ipsos ausu sacrilego capi fecit, quibusdam prelatorum ipsorum et aliis in huiusmodi captione submersis, nonnullis etiam interemptis et aliquibus hostili insecutione fugatis, reliquis autem bonis spoliatis omnibus et de loco ad locum in regnum[d] Sicilie obprobriose deductis ac ibidem diris carceribus mancipatis: quorum aliqui macerati squaloribus et inedia pressi miserabiliter defecerunt[2].

Merito insuper contra eum de heretica pravitate suspicio est exorta, cum postquam excommunicationis sententiam a prefatis I. episcopo Sabinensi et T. cardinali prolatam incurrit[e] et dictus G. papa ipsum anathematis vinculo innodavit[e'], ac post ecclesie Romane cardinalium, prelatorum et clericorum ac aliorum etiam diversis temporibus[f] ad sedem apostolicam venientium captionem claves ecclesie contempserit et contempnat[g], sibi faciens celebrari vel potius[h], quantum in eo est, prophanari divina; et constanter asseveravit[i], ut superius est narratum, se prefati G. pape sententias[k] non vereri. Preterea coniunctus[l] amicitia[m] detestabili Sarracenis, nuntios et munera pluries destinavit[n] eisdem et ab eis vicissim cum honorificentia et ylaritate recepit, ipsorumque ritus amplectitur, illos in cotidianis eius obsequiis notabiliter secum tenens; eorundem etiam more uxoribus quas habuit de stirpe regia descendentibus eunuchos, precipue[o] quos, ut dicitur serio, castrari fecerat, non erubuit deputare custodes. Et, quod execrabilius est, olim existens in partibus transmarinis, facta compositione quadam, imo collusione verius, cum soldano, Machometi nomen in Templo Domini diebus et noctibus publice proclamari permisit. Et nuper nuntios soldani Babilonie, postquam idem soldanus Terre Sancte ac Christianis habitatoribus eius per se ac suos dampna gravissima et inextimabiles iniurias irrogarat[3], fecit[p] per regnum Sicilie cum laudibus ad[q] eiusdem soldani extollentiam et[r], sicut fertur, honorifice suscipi et magnifice procurari[4]. Aliorum quoque infidelium pernitiosis et orrendis obsequiis contra fideles abutens et illis, [qui][s] dampnabiliter vilipendentes apostolicam sedem ab unitate ecclesie discesserunt, procurans affinitate ac amicitia copulari, clare memorie ducem Bavarie[5], specialem ecclesie Romane devotum, fecit, sicut pro certo asseritur, Christiana religione dispecta[t] per asisinos occidi[6], et Batatio, Dei et ecclesie

a) esse *A 1, 2, Rayn.* b) veniret *R.* c) alios *R. Ch.* d) regno *A 1, 3, Rayn.* e) incurrerit *A 2, Ch. Rayn.* e') innodaverit *A 2, Rayn.* f) div. partibus *A 1;* de div. partibus *A 2;* div. temporibus *cum nota* partibus *Ch.;* div. e partibus *Rayn.; A 3 deest hic locus.* g) contempnit *R.* h) est *add. R.* i) asseruit *A 1, Ch. Rayn.;* asseveraverit *A 2.* k) excommunicationis *add. Ch. Rayn.* l) coniunctos *R.* m) amicitia *R.* n) destinaverit — receperit *R. Ch.* o) Capue *R. Ch.* p) facto *R.;* facit *Ch.;* fecit *hic omissum post* suscipi *pos. A 2.* q) ab *R.* r) et *deest A 1, 2, 3, Rayn.* s) qui *deest R.* t) *ita R.*

1) *Quoad scimus, huic sola cura galearum Pisis praeparandarum commissa erat [Ann. Placent. Gib. a. 1240, SS. t. XVIII, p. 484], neque ipsi pugnae navali a. 1241, Mai. 3 factae interfuit, sed eo tempore in Romaniola vel vicinis partibus Lombardiae erat; v. Bohmer-Ficker, l. c. 3195 et Huillard-Bréholles, l. c. t. V, p. 1117.* 2) *Cf. t. I, n. 812, 813, 820, 827.* 3) *Per captionem Hierosolymae a. 1244 Aug. et victoriam Oct. 17 de Christianis reportatam; cf. Bohmer-Ficker, l. c. 3447 et 3460.* 4) *Cf. n. 123.* 5) *Ludovicum.* 6) *a. 1231, Sept. 16; etiam plerique et gravissimi auctores coaevi imperatorem huius necis arguunt, cf. Winkelmann, Kaiser Friedr. II t. I, p. 399, not.*

inimico a communione fidelium per excommunicationis sententiam cum adiutoribus, consiliatoribus et fautoribus suis sollempniter separato, filiam suam tradidit in uxorem[1]. Catholicorum vero principum actus et mores respuens, neglector salutis et fame, pietatis operibus non intendit. Quinimo, ut de suis nefariis dissolutionibus sileamus, cum didicerit[a] opprimere, non curat oppressos misericorditer relevare, manu eius, ut decet principem[b], ad elemosinas inextenta[c], cum destructioni ecclesiarum institerit [et][d] religiosas ac alias ecclesiasticas ingi attriverit afflictione personas; nec ecclesias nec monasteria nec [hospitalia] seu[e] alia pia loca cernitur construxisse[f]. Nonne igitur hec non levia sed efficatia sunt argumenta de suspitione heresis contra eum? cum tamen hereticorum vocabulo illos ius civile contineri asserat et latis adversus eos sententiis debere succumbere, qui vel levi argumento a iudicio catholice religionis et tramite detecti fuerint deviare[2].

Preter hec regnum Sicilie, quod est speciale patrimonium beati Petri et[g] idem princeps ab apostolica sede tenebat in feudum, iam ad tantam in clericis et laicis exinanitiones[h] servitutemque redegit, quod eis pene penitus nichil habentibus et omnibus exinde fere probis eiectis, illos, qui remanserunt ibidem, sub servili quasi conditione vivere ac Romanam ecclesiam[i], cuius principaliter sunt homines et vassalli, offendere multipliciter et hostiliter impugnare compellit. Posset etiam merito reprehendi[k], quod mille squifatorum annuam pensionem, in qua pro eodem regno ipsi ecclesie Romane tenetur, per novem annos et amplius solvere pretermisit[3].

Nos itaque super premissis et quam pluribus aliis eius nefandis excessibus[l] cum fratribus nostris et sacro concilio deliberatione prehabita diligenti*, cum Iesu Christi vices licet immeriti teneamus in terris nobisque in beati Petri apostoli persona sit dictum: 'Quodcumque ligaveris super terram' etc.[m], memoratum principem, qui se imperio et regnis omnique[n] honore ac dignitate reddidit tam indignum quique propter suas iniquitates a Deo, ne regnet vel imperet, est abiectus, suis ligatum peccatis et abiectum omnique honore ac dignitate privatum a Domino ostendimus, denuntiamus ac nichilominus sententiando privamus, omnes[o], qui ei iuramento fidelitatis tenentur astricti, a iuramento huiusmodi perpetuo absolventes, auctoritate apostolica firmiter

*) *Papa exeunte Aug. vel ineunte Sept. abbatibus Cisterciensibus in capitulo generali congregatis epistolam in Reg. non relatam [Potthast, Reg. 11873] misit, per quam eos rogavit, ne obloquiis eorum moverentur, qui contra imperatorem praecipitanter sententiatum fuisse contenderent, addens:* Non enim meminimus unquam causam cum tanta deliberatione et diligenti examinatione fuisse excussam et peritorum ac sanctorum mentibus libratam extitisse, adeo quod in secretis aliqui fratrum induerunt personam advocati pro ipso, aliqui autem econtra personam adversantis, ut ex obiectionibus et responsionibus inquirentium et disputantium, ut solet in scholis, cause veritas radicitus hinc indeque discuteretur.

a) tantum *add. Ch. Rayn.* b) Christianum *add. Ch. Rayn.* c) non extenta *A 1, 2, 3, Rayn.* d) et *deest R. Ch.: ponatur oportet, nisi forte infra* cernatur *legendum est.* e) *ita A 1. 2, Rayn.;* hospitalia *deest R A 3;* hospitalia seu *deest Ch.* f) contluxisse *R.* g) quod *A 1, Rayn.;* et quod dictus princ. *A 2;* et *deest A 3.* h) exinanitionem *A 1, Ch. Rayn.;* imminutionem *A 2;* exterminationes *A 3.* i) Romane ecclesie *A 1, Rayn.* k) comprehendi *R.* l) ac flagitiis *add. Rayn.; non delevit Man; deest in reliquis.* m) *A 2 versum perscripsit.* n) denique *add. Rayn.; non delevit Man; deest in reliquis.* o) *A 2, 3, Ch.:* omnesque — absolventes *R.;* omnesque — absolvimus *A 1, Rayn.*

1) *a. 1244; Matth. Par. ed. Luard t. IV, p. 299 et 357.* 2) *Verba igitur, quae de tribus barattatoribus eum praedicasse Gregorius IX affirmavit [cf. t. I, p. 653], ei nunc non exprobrantur.* 3) *Cf. Bohmer-Ficker, l. c. 652. Haec expostulatio nunc primo occurrit. Imperator in exemplari epistolae encyclicae, ap. Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 335 proposito, respondit censum ante discordiam, prout litterae suae inter rationes rationalium inventae manifeste declararent, solutum neque unquam requisitum esse, post discordiam sub sigillis praelatorum aliorumque apud sacras aedes depositum. Quae verba in exemplari eiusdem epistolae, quod ap. Matth. Par. ed. Luard, t. IV, p. 538 sub a. 1245, Iul. 31 legitur, et in alio, quod in Reg. Alberti Bohemi, ap. Hofler p. 81, nota chron. destitutum asservatur, deficientia, illi aliisque exemplaribus inserta esse videntur, postquam imperator per rationales suos de hac re certior factus fuit.*

inhibendo, ne quisquam de cetero sibi tamquam imperatori vel regi pareat vel intendat, et decernendo quoslibet, qui deinceps ei velut imperatori aut regi consilium vel auxilium prestiterint[a] seu favorem, ipso facto excommunicationis vinculo subiacere. Illi autem, quibus[b] in eodem imperio imperatoris spectat electio, eligant libere successorem[1]. De prefato vero Sicilie regno providere curabimus cum eorundem fratrum nostrorum consilio, sicut viderimus expedire.

Dat. Lugduni, XVI[c] Kal. Augusti, anno[d] tertio[e].

125.

Innocentius IV papa potestati, consilio et populo Anconitanis concedit, ut mercatores civitatis eorum per civitatem Acconensem et regnum Hierosolymitanum mercaturas facere possint sine cuiuslibet solutione doanae. — Idem eis per totam Apuliam et regnum Siciliae et omnes terras et aquas ecclesiae Romanae concedit. *1245, Iul. 28.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 219; Lib. III, 13 et 16. Pertzii exemplar contulimus cum Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sedis t. I. p. 119, n. 210.

Potthast, Reg. 11757 et 11759; Berger 1404 et 1407.

I.

.. potestati, consilio et populo Anconitanis.

Fidei vestre constantia et sincera devotio, quas habetis ad matrem vestram Romanam ecclesiam, nos inducunt, ut vestris honestis petitionibus, quantum cum honestate nostra possumus, annuamus. Hinc est, quod nos, vestris supplicationibus inclinati, presentium vobis auctoritate concedimus, ut mercatores civitatis Anconitane libere possint emere ac vendere per civitatem Acconensem et regnum Ierosolimitanum ac inde merces extrahere sine cuiuslibet solutione doane. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis etc.

Dat. Lugduni, V Kal. Augusti, anno tertio[2].

II.

.. potestati, consilio et populo Anconitanis.

Fidei vestre constantia etc. ut supra usque: emere ac vendere per totam Apuliam et regnum Sicilie nec non per omnes terras et aquas ecclesie Romane ac inde merces extrahere sine cuiuslibet solutione doane. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, V Kal. Augusti, anno tertio.

a) prestiterit *R.* b) quibus *omissum manu altera in marg. annotatum:* autem in cod. imp. quibus imp. *A 3;* autem ad quos *A 1, 2, Ch. Rayn.* c) decimo septimo *A 1;* VI *A 2; errores, ut credimus. Saepius quidem animadvertimus alia exemplaria litterarum encycl. sub aliis diebus data esse, tum vero eadem aliis quoque personis dirigebantur; sed in inscriptione harum litterarum persona non nominabatur, ita ut eae pluries 'dari' recte non possent.* d) pontificatus nostri anno *A 1, 2, 3, Rayn.* e) *A 3 add.* ab incarnatione Domini MCCXLV, indictione III; *sine dubio nota annalistae.*

1) *Sub Aug. 1 papa Coloniensi et Maguntino archiepiscopis scribit se, cum imperio nunc vacanti per imperatoris electionem mandaverit provideri, archiepiscopum Bremensem et suffraganeos eius monuisse, ut ei, qui fuerit in imperatorem electus, decimam omnium redituum suorum unius anni tribuant; eisque mandat, ut eos ad id compellant; Fantuzzi, Mon. Ravenn. Append. ed. Tarlazzi, t. I, p. 179, n. 112, in Monum. etc. della Romagna Ser. II. Quam ep. in Reg. non relatam electo Ferrariensi, eo fere tempore in Germaniam destinato, commissam esse putamus, sed nescimus, an archiepiscopis illis exhibita non sit; eius enim exemplar, ut videtur, authenticum cum compluribus epistolis electo directis in Archivo archiep. Ravenn., caps. M, n. 5010, conservatur.* 2) *Eodem die [Roberto] patriarchae Hierosolymitano, apostolicae sedis legato, et in eundem modum episcopo Acconensi mandavit, ne mercatores illos indebite molestari permitterent. Berger 1405, 1406; cf. Böhmer-Ficker, l. c. 3531, 3563*

126.

Innocentius IV papa potestatem et commune Terrisinos, qui vi coacti civitatem suam Friderico quondam imperatori olim reddiderint, ab omnibus concessionibus seu contractibus cum eo vel nuntiis eius initis absolvit. *1245, Iul. 29.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 221; Lib. III, 56. Damus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1245, § 65. Potthast, Reg. 11760; Berger 1418.

.. potestati et communi Tervisinis.

Sicut vestra[a] petitio nobis exhibita continebat, olim multis nobilibus per Fredericum quondam imperatorem arcte custodie carceris mancipatis, eadem civitas, velut hostibus circumcincta et exposita conatibus eorundem, nequiens dampna gravia et dolores innumeros et ingentes angustias, quibus ipsam non cessabant opprimere, ulterius sustinere, non sine mentis suspiriis ac propter tunc instans vel futurum periculum trepidatione animi se ipsi Frederico reddidit[1]; qui, vobis seu ambaxatoribus vestris ob metum rerum et corporis non contradicentibus, quod ex vestra vel eorum concessione prefata civitas haetenus sua foret, sive quod in ipsa esset per hoc ius sibi creatum de novo, in vestra presentia confecisse dicitur[b] publicum instrumentum. Unde vos, ex hoc formidantes vobis in posterum preiudicium generari, ut — tali concessione non obstante — civitatem vestram restitueremus libertati pristine, nobis humiliter supplicastis. Nos vero, attendentes quod ea, que vi metusve causa fiunt, carere debent robore firmitatis, si predictus metus talis ac tantus fuit, quod merito potuerit et debuerit cadere in constantem, ab omnibus concessionibus seu contractibus cum eodem F. aut suis nuntiis taliter initis vos auctoritate apostolica decernimus absolutos.

Dat. Lugduni, IIII Kal. Aug. anno III.

127.

Innocentius IV papa [Henrico] magistro et fratribus ordinis Teutonicorum concedit, ut fratrem Gerhardum de Malberg, quondam magistrum eorum, baliva Flandriae et Franciae, ei in praesentia H[ugonis] tituli Sanctae Sabinae presbyteri cardinalis collata, cum ea se reddiderit indignum, privent et contra eum, si resistat, secundum ordinis sui statuta procedant. *1245, Aug. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 222; Lib. III, 65. Pertzii exemplar contulimus cum Voigt, Gesch. Preussens t. III, p. 591. Potthast, Reg. 11787 a; Berger 1425.

.. magistro et fratribus hospitalis sancte Marie Theutonicorum Jerosolimitane.

Sollicite advertentes, quod frater Gerardus de Malberc, quondam magister hospitalis vestri, sine scandalo in ordine vestro remanere non posset, sibi licentiam

a) *B.*; Sicut revera vestra *Rayn.* b) dicuntur *Rayn.*

1) *Deditionem a. 1239, Ian.—Apr. factam [Böhmer-Ficker, l. c. 2416 b et 2429 c] papam dicere putamus; nam civitas, postquam per Albericum de Romano a. 1239, Mai. 11 imperatori subtracta est [ibid. 2439 b], in ditionem eius redacta esse non videtur.*

dedimus ad religionem aliam transeundi, et tu, fili magister, eidem nichilominus quadringentas marcas sterlingorum, de quibus et debita solveret et suis etiam necessitatibus provideret, sicut accepimus, tribuisti[1]. Verum ipso tandem in ordine vestro manere quamplurimum cupiente, tu, sperans sibi et ordini providere salubriter, ipsum affectu pio et benivolo recepisti, maxime cum idem coram nobis et fratribus nostris se voluntati et gratie vestre[a] precise ac sine aliqua conditione committeret, ita quod obediens esset in omnibus ac regulam et constitutiones domus vestre sicut ceteri fratres diligenter ac sollicite observaret. Preterea tu ipse, magister, credens ut de contrito et humiliato corde prorumperent que de fratris eiusdem labiis procedebant, in presentia dilecti filii nostri H. tituli Sancte Sabine presbyteri cardinalis de baliva Flandrie et Francie ac de quibusdam aliis bonis ad domum vestram spectantibus liberaliter providisti sibi, coram eodem cardinali firmiter asserenti, quod nisi ad effectum que promiserat pervenirent, idem et provisione carere et cum fratribus vellet conventualibus commorari[2]. Quia vero dictus frater hoc adimplere postposuit et domum vestram in quibusdam iuxta promissum conservare negligit et neglexit indempnem, tantum in ordine vestro scandalum, prout asseritur, est exortum, ut aliquatenus sedari nequeat, nisi predictus frater huiusmodi provisione relicta sicut alius frater absolute sub observantia vestri ordinis commoretur; in quo ab institutione ipsius aliquem fratrem provisionem habuisse perpetuam nec visum recolitur nec auditum, immo talis semper modus in ipso geritur, ut odie frater prelatus aliis, cras ad nutum magistri alteri sit subiectus, et nunc de uno loco ad alium obedientia suadente sine difficultatis obiectu transeat et, quod excedit metam conditionis humane, ad incursum mortis intrepidus et quasi iocundus obtentu vite perempnis accedat. Nos autem, qui ubique religionem in diebus nostris vigere cupimus et statum ipsius libenter de bono in melius favente Domino promovemus, ordinem vestrum non aliquod[b] indigne dispendium set optate prosperitatis consequi volentes augmentum, presertim cum hiis temporibus tanto maioris auxilio consolationis indigeat, quanto ipsum grave pertulisse nuper exeidium universitas vestra deplorat[3], presentium vobis auctoritate concedimus, ut de provisione ipsa — non obstante quod a nobis extitit confirmata[c], cum pro eo quod ordinis consuetudini contradicit, ac etiam propter turbationem in domo vestra pretextu eiusdem fratris exortam nullius debeat esse momenti —, sublato cuiusque contradictionis et appellationis obstaculo, prout melius utilitati vestri ordinis expedire videritis, disponatis, contra prefatum fratrem, si forte super hoc vobis duxerit resistendum, secundum vestri statuta ordinis libere processuri, cum sit consultius, ut idem frater tali provisione careat et cum benivolentia fratrum sub obedientie iugo salutari consistat, quam quod ipse ordini vestro vertatur in scandalum et perniciosum ab aliis de ipso sumatur exemplum. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis etc.

Dat. Lugduni, Nonis Augusti, anno tertio.

---

a) nostre V. b) aliquid V. c) confirmatus V.

1) *Cf. n. 83 et 84.* 2) *Haec circa mensem Mai. huius anni ordinata esse putamus, cum magister apud curiam esset; hic enim circa Apr. ab imperatore Lugdunum missus erat, unde mense Iun. reversus fuisse videtur [Böhmer-Ficker, l. c. 3467, 3479 et 3480], et Hugo presb. cardinalis, sicut subscriptiones privilegiorum papalium docent, eodem tempore apud curiam morabatur [Potthast, Reg. p. 1284].* 3) *Ad cladem Christianorum Terrae Sanctae a. 1244, Oct. 17 acceptam alludere videtur, cui de toto posse ordinis tres tantummodo servientes evaserunt: Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 255.*

128.

Innocentius IV papa [Roberto] patriarchae Hierosolymitano, apostolicae sedis legato, et episcopo Sidoniensi mandat, ut testes in partibus transmarinis existentes, quos Willelmus de Dampetra contra Iohannem de Avesnis in causa natalíciorum eiusdem producere intendat, infra novem menses examinent. *1245, Aug. 8.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 223; Lib. III, 69. Exemplar a Berger editum cum Regestis contulit et ex eis supplevit V. Cl. A. Mau.
Berger 1429.

Patriarche Ierosolimitano, apostolice sedis[a] legato, et . . episcopo Sindoniensi[b].

Dilectus filius nobilis vir Willelmus de Dampetra nobis humiliter supplicavit, ut cum dilectus filius nobilis vir Iohannes de Avesnis petierit a nobis natalicia sua legitima declarari[1] et propter hoc idem Willelmus, quem huiusmodi contingit negotium, comparuerit coram nobis ac testes quosdam contra eundem I. in ipso negotio intendat producere in illis partibus existentes, eosdem in ipsis partibus recipi faceremus. Ne igitur veritas occultetur, mandamus, quatinus testes ydoneos, quos prefatus Willelmus vel procurator suus, quem illuc propter hoc destinaverit, coram vobis super articulis, quos venerabilis frater . . Portuensis episcopus[c 2] et dilectus filius noster E[gidius] Sanctorum Cosme et Damiani[d] diaconus cardinalis vobis sub sigillis suis transmittunt inclusos, duxerit producendos, prudenter recipere infra novem menses, sive[e] idem Iohannes vel alius pro eo receptioni huiusmodi interfuerit sive non, ac diligenter examinare curantes, eorum dicta sub sigillis vestris nobis fideliter transmittatis inclusa; testes autem etc. Quod si non ambo —, alter etc.

Dat. Lugduni, VI Idus Augusti, anno tertio.

129.

Innocentius IV papa eisdem alia mandata ad eandem causam pertinentia dirigit. *1245, Aug. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 224; Lib. III, 77. Exemplar a Berger editum cum Regestis contulit V. Cl. A. Mau.
Berger 1137.

Patriarche Ierosolimitano, apostolice sedis legato, et . . episcopo Sydoniensi.

Cum nuper ad supplicationem dilecti filii nobilis viri Willelmi de Dampetra vobis dederimus nostris litteris in mandatis, ut testes ydoneos, quos idem Willelmus vel procurator suus contra dilectum filium nobilem virum Iohannem de Avesnis in causa, que super eiusdem Iohannis natalibus coram nobis vertitur, produceret super certis articulis coram vobis, prudenter infra novem menses recipere curaretis, discretioni[f] vestre tenore presentium innotescat, quod nostre intentionis existit, ut iidem menses

a) sede *R.* b) *ita R.* c) episcopus *deest B.* d) Dāmiani *R.* e) sive — sive non *deest B.* f) *ita R.;* fraternitati *ponendum videtur. Cogitari quidem potest in inscriptione epistolae nomen tertii, qui non fuerit episcopus, ex errore aliquo excidisse; sed infra legitur:* Quod si non ambo. *Eundem errorem reperimus t. I, n. 337.*

1) *Cf. n. 74 et 109.* 2) *Otto.*

a tempore, quo predictas dedimus litteras, computentur. Ad hec volumus, ut altera partium, que primo presentiam vestram adierit, non nisi per unius mensis spacium teneatur reliquam expectare. Si vero pars prefati Iohannis testes aliquos ad reprobandum illos, qui fuerint pro ipsius Willelmi parte recepti, producere coram vobis forte voluerit, vos eos, si fuerint ydonei, prudenter infra mensem unum recipere ac diligenter examinare studentes, ipsorum postmodum dicta sub sigillis vestris nobis fideliter transmittatis inclusa. Quod si non ambo etc.

Dat. Lugduni, III Idus Augusti, anno tertio.

130.

Innocentius IV papa [Vitali] archiepiscopo Pisano committit, ut excommunicationis et interdicti sententias in Pisanos latas relaxet, si de stando mandatis ecclesiae super captione praelatorum ad concilium venientium cautionem praestiterint et castra ecclesiae Lucanae detenta alicui cardinali, donec ad quos pertineant cognoscatur, assignaverint.

1245, Aug. 16.

Inn. IV Reg. Vol. I, 301; Lib. III, car. 1. Domas ex Rayn. Ann. eccl. a. 1245, § 66. Potthast, Reg. 11806; Berger 1966.

. . archiepiscopo Pisano.

Luc. 15, 7 Quoniam maius est angelis Dei gaudium super uno agente penitentiam peccatore quam super nonaginta novem iustis, qui noscuntur penitentia non egere, nosque affectamus ex corde conversionem errantium filiorum, te nobis referente comperto, quod cives Pisani ad ecclesie redire desiderant unitatem, ipsius mandatis et nostris stare parati super captione ac spoliatione prelatorum et aliorum etiam, qui olim ad apostolice sedis concilium veniebant, et castrorum ecclesie Lucane detentione, pro quibus iidem cives vinculo sunt excommunicationis adstricti et eorum civitas est supposita ecclesiastico interdicto[1]: fraternitati tue, de qua sinceram in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus si dicti cives de stando et parendo precise et absolute super captione et spoliatione prelatorum aliorumque prescriptis ecclesie mandatis et nostris sufficientem tibi prestiterint nostro nomine cautionem, et quod apostolice sedi cum aliis sibi fidelibus adherebunt, si castra illa ecclesie Lucane predicte, que tenent, alicui ecclesie Romane assignaverint cardinali, quem ipsi duxerint eligendum, per eum tandiu detinenda, donec utrum ea pertineant ad iam dictam Lucanam ecclesiam vel ad ipsos, legitime cognoscatur, prefatis civibus super excommunicatione premissa iuxta formam ecclesie beneficium absolutionis impendas et prelibati relaxes sententiam interdicti[2].

Dat. Lugduni, XVII Kal. Sept. anno III.

131.

Innocentius IV papa [Belam IV] regem Ungariae a iuramento homagii F[riderico] quondam imperatori sub ea conditione praestito, ut ad regnum suum contra Tartaros

1) *Cf. Potthast, Reg. 10336 et 11385 et Berger 712.* 2) *Quod factum esse non videtur; nam Pisani, quibus imperator mense Mai. 'privilegia multa de terra communis Ianuae', ut Ann. Ian. a. 1245, SS. t. XVIII, p. 216 referunt, dederat, per totum a. 1245 contra Ianuenses pugnaverunt et a. 1246 Ian. 9 et 22 a papa 'excommunicati' appellantur; cf. Berger 1917 et 1958 et Bohmer-Ficker, l. c. 3472a et 3558.*

defendendum infra certum terminum accederet vel filium suum mitteret, cum idem, diu expectatus post terminum, nec ipse venerit nec filium destinaverit, absolvit.

1245, Aug. 21.

Inn. IV Reg. Vol. I, 221; Lib. III, 58. Pertzii exemplar, suppletum ex Rayn. Ann. eccl. a. 1245, § 81, contulimus cum Theiner, Mon. Hungar. t. I, p. 199, n. 369.

Potthast, Reg. 11827; Berger 1420.

. . regi Ungarie illustri.

Regie sublimitatis prompta devotio, qua Christum et ecclesiam sponsam eius debita honorificentia veneraris, digne requirit ac laudabiliter promeretur, ut tuis, quantum cum Deo possumus, petitionibus annuamus, tibi deberi merito reputantes quicquid excellentie tue impertiri possumus gratie ac favoris. Ex parte[a] siquidem tua fuit propositum coram nobis, quod cum olim regno Ungarie depopulato a barbaris nationibus et a[b] Tartarorum tyrampnide pene penitus devastato permittente Domino vel iubente, timens ne regnum ipsum ad exinanitionem[c] ultimam deveniret, ac desiderans ut ipsius reliquie salve forent, F. quondam imperatori sub ea conditione prestiteris homagii iuramentum, ut idem in regnum tuum ad defendendum ipsum contra predictorum impetum Tartarorum infra certum terminum potenter accederet vel illuc suum filium destinaret[1], idem F., diu expectatus post terminum, nec venit nec illuc filium suum, ut promiserat, destinavit. Quare nobis humiliter supplicasti, ut ne hac occasione in te vel regnum tuum possit a Romano imperio aliquid in posterum vendicari, providere indempnitati tue super hoc paterna sollicitudine curaremus. Attendentes igitur quod, quotiens aliquid sub conditione conceditur, non extante conditione, perinde ac si concessum non fuerit, sit habendum, considerantes etiam quod non est conquassatus calamus conterendus nec debet afflictis afflictio superaddi, sed E. 42, 3.
eo[d] sunt illis humanitatis solatia impendenda, quo urgentius miserationibus indigent alienis, ut misericordibus uberior inde crescat cumulus meritorum, et maxime quia predictus F. ad id sicut et Christiani ceteri, dictante hoc natura cuiuslibet, tenebatur, propter quod non erat ad illud stipendio conducendus: te huiusmodi iuramento et homagio de fratrum nostrorum consilio denuntiamus auctoritate presentium non teneri, ita quod hac occasione nichil in te vel tuos successores aut regnum possit ab aliquo ullo unquam tempore vendicari. Nulli ergo etc. nostre denuntiationis etc. Si quis etc.

Dat. Lugduni, XII Kal. Septembr. anno tertio.

132.

Innocentius IV papa [Philippo] electo Ferrariensi ad preces [Conradi] episcopi Frisingensis et [Ulrici] electi Secoviensis mandat, ut cum Ulrico marchione de Burgowe et sorore Conradi et Henrici comitum de Urach dispenset, ut in matrimonio pro reformatione pacis contracto, quarta consanguinitatis linea non obstante, remaneant.

1245, Aug. 27.

Inn. IV Reg. Vol. I, 225; Lib. III, 87. Exemplar a Berger editum cum Regestis contulit et ex eis supplevit V. Cl. A. Mon. Hanc ep. et aliquot alias, praesertim ad res Germaniae meridionalis et partium Rhenanarum spectantes, quas Pertzius non descripsit, nos recepimus, quia a cuius partibus quidam nobiles et praelati tunc steterint, indicant.

Berger 1447.

---

a) Ex parte — destinavit *ex Rayn.* b) *T.;* a *deest Rayn.* c) examinationem *T.* d) *supplendum est* magis *vel tale aliquid.*

1) *Cf. Bohmer-Ficker, l. c. 3210 et 3211.*

Electo Ferrariensi.

Etsi coniunctio copule coniugalis in quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu sacris sit canonibus interdicta, provide tamen super hiis interdum Romana dispensat ecclesia, maxime cum urgens necessitas vel evidens utilitas id exposcit. Cum igitur, sicut ex parte dilecti filii nobilis viri Ulrici marchionis de Burgowe[1] fuit propositum coram nobis, idem nobilis [nobilem][a] mulierem . . sororem nobilium virorum Churadi[b] et Heinrici comitum de Urach[2] Constantiensis diocesis, quarta eum consanguinitatis linea contingente[c], multis precedentibus guerris tandem pro reformatione pacis duxerit in uxorem prolemque procreaverit ex eadem: quia si divortium inter eos contingeret celebrari, multa inde discrimina, sicut accepimus, sequerentur, nos, venerabilis fratris nostri . . episcopi Frisingensis[3] et dilecti filii . . electi Secoensis[d] precibus inclinati, mandamus, quatinus cum eisdem, dummodo in ecclesie Romane devotione persistant, auctoritate nostra, si videris expedire, dispenses, quod in contracto matrimonio remanere valeant — impedimento huiusmodi non obstante.

Dat. Lugduni, VI Kal. Septembris, anno tertio.

133.

Innocentius IV papa abbati et conventui Sancti Adalberti Ekmundensis privilegium concedit, quo eorum et Rinisburgense monasteria ad instar Innocentii II papae, cui quondam Theodericus VI comes Hollandiae Hierosolymam proficiscens vice sua et Petronillae, matris suae, eadem proprietario iure obtulit, sub protectione sua suscipit. 1245, Aug. 31.

Inn. IV Reg. Vol. I, 273: Lib. III, 164. Regestorum exemplar a. 1246, post Mai. 10, demum scriptum, ex authentico ut putamus, cum in litteris notatis subscriptiones papae et cardinalium extitisse verisimile non sit, contulimus cum eodem authentico in Oorkondenb. van Holland en Zeeland t. I, pars I, p. 219, n. 411 [A]. Potthast, Reg. 11845; Berger 1805.

.. abbati monasterii sancti Adalberti Ekmundensis[4] eiusque[e] fratribus, tam presentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Clare memorie Theodericus comes de Hollant Ierosolimam proficiscens felicis recordationis Innocentii pape predecessoris nostri presentiam adiit, et inter cetera, que secum de correctione morum et sue institutione vite contulit, idem comes tam vice sua quam etiam inclite memorie Petronille comitisse, matris sue, Ekmundense monasterium atque Rinisburgense[5] beato Petro apostolorum principi devotionis intuitu proprietario

a) nobilem *deest R.* b) *ita R.* c) contingeret *R.* d) *ita R.* e) eiusque *deest A.*

1) *Burgau inter civ. Ulm et Augsburg.* 2) *Ex or. civ. Reutlingen.* 3) *Conradus episcopus, qui huc usque imperatori favebat, Aug. 2 vel paulo ante papae Lugduni se submiserat; Aug. 3 enim papa quibusdam precibus eius 'in praesentia sua constituti' annuit, postquam Aug. 2 ei alia concessit; Potthast, Reg. 11769, 11770; cf. 11780, 11785; de nota chron., quae Meichelbeckio suspicionem movit, cf. t. I, p. X. Episcopum iam antea, Iul. 20, cum ex parte imperatoris ad papam missus fuisset, Lugdunum pervenisse, ut Bohmer-Ficker, l. c. 3490 a et 3494 putat, probabile nobis non est, sed eum et socios eius adhuc in itinere constitutos in Thaddaeum de Suessa de concilio revertentem incidisse et cum eo ad imperatorem Taurini commorantem rediisse, et tum demum episcopum ad papam se contulisse opinamur. Res enim iam propter brevitatem temporis et longitudinem itineris alias se habuisse vix potest. — Sub Dec. 3 papa eisdem episcopo et electo mandatum in favorem Alberti Bohemi dedit [Potthast, Reg. 11966]; quae omnes epistolae, sicut plurimae ad res Bavariae pertinentes tum scriptae, in Reg. relatae non sunt.* 4) *E mer. et occ. civ. Alcmar.* 5) *Ex sept. et occ. civ. Leyden.*

iure obtulit[a] atque contradidit. Quare iamdictus predecessor, cuius precipue intererat iura celestis clavigeri specialius defensare, eadem venerabilia loca in proprietatem atque protectionem sancte ecclesie Romane suscepit eaque cum omnibus suis pertinentiis apostolici scripti patrocinio communivit, statuens ut quascumque possessiones, quecumque bona tam in ecclesiis quam in decimis, terris, vineis, aquis[b], silvis, pascuis aut aliis quibuscumque eadem monasteria tunc temporis iuste et canonice possidebant aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium aut aliis iustis modis possent Deo propitio adipisci, firma et illibata in perpetuum permanerent[1]. Nos itaque ad instar predecessoris eiusdem decernimus, ut nulli omnino hominum liceat prefata monasteria temere perturbare aut eorum possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet molestiis fatigare, sed omnia integra etc.[c] usque: profutura. Ad indicium autem, quod eadem monasteria beati Petri iuris existant, singulis annis tam tu quam successores tui quatuor solidos Frisingensis monete nobis nostrisque successoribus census nomine persolvetis. Si qua sane ecclesiastica[d] secularisve persona, hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere presumpserit venire[e], secundo tertiove commonita, si non reatum suum congrua satisfactione correxerit, a sacratissimo corpore et sanguine Dei atque[f] domini nostri[g] Iesu Christi aliena fiat etc.[h] usque: ultioni subiaceat. Cunctis autem eisdem locis sua iura servantibus etc.[i] usque: pacis inveniant. Amen.[k]

Ego Innocentius catholice ecclesie episcopus[l] subscripsi[m]. Ego[n] Oto Portuensis et[o] Sancte Rufine episcopus subscripsi. Ego Petrus Albanensis episcopus subscripsi. Ego Willelmus Sabinensis episcopus subscripsi. Ego Petrus tituli Sancti Marcelli presbyter cardinalis subscripsi. Ego frater Iohannes tituli Sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis subscripsi. Ego Egidius Sanctorum Cosme et Damiani diaconus cardinalis subscripsi. Ego Octavianus Sancte Marie in Via Lata diaconus cardinalis subscripsi. Ego Petrus Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis subscripsi. Ego Iohannes Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis subscripsi. Ego Guillelmus Sancti Eustachii diaconus cardinalis subscripsi.

Dat. Lugduni per manum magistri Marini Sancte Romane ecclesie vicecancellarii, II Kal. Septembris, indictione III, incarnationis Dominice anno M°CC°XLV°, pontificatus vero domni Innocentii pape IIII anno III[2].

134.

Innocentius IV papa Iohanni dicto Monacho servienti Ae[gidii] Sanctorum Cosmae et Damiani diaconi cardinalis feudum de Beton., armania vulgariter appellatum, usque ad tertiam generationem sub annuo censu concedit. *1245, Sept. 1.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 239—240; Lib. III, 171.
Berger 1530.

a) optulit A. b) agris A. c) conserventur, eorum pro quorum sustentatione et gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura A. d) A.; ecclesia P. e) ve. pres. A. f) ac A. g) domini redemptoris nostri A. h) atque in extremo examine districte ultioni subiaceat A. i) sit pax domini nostri Iesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant A. k) *ter repetitum* A. l) Bene valete *add.* A. m) subscripsi *deest semper in ed.* A. n) *presb. cardinales, utpote in sinistra parte membranae scripti, in ed. A. primo loco positi sunt.* o) et *deest* A.

1) *A. 1140, Febr. 28; Iaffé, Reg. 5759.* 2) *Aliae litterae in favorem mon. Ekmundensis a. 1246, Iun. 4 et 5 datae ap. Potthast, Reg. 12142 et 12144.*

Iohanni dicto Monacho, servienti dilecti filii E. Sanctorum Cosme et Damiani diaconi cardinalis.

Cum feudum de Beton.[a] [1], quod armania vulgariter appellatur, ad donationem nostram pertinens, sit propter guerrarum discrimina, sicut dicitur, devastatum, nos, volentes tibi tue devotionis obtentu beneficentie dexteram liberaliter aperire, ac attendentes quod de feudo ipso nullum vel modicum fructum hiis temporibus consequi poteris, pro cuius reparatione oportebit te facere magnos sumptus, tuis supplicationibus inclinati, feudum predictum cum iuribus et pertinentiis suis tibi tuisque successoribus usque in tertiam generationem sub annuo unius obuli aurei censu in festo Omnium Sanctorum camere nostre solvendo de gratia concedimus speciali. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis etc.

Dat. Lugduni, Kalendis Septembris, anno tertio.

135.

Innocentius IV papa [Philippo] electo Ferrariensi confirmat sententiam, qua idem quondam Salinguerram et filium eius et omnes ei adhaerentes, Friderici quondam imperatoris fautores et ecclesiae Ferrariensis persecutores, feudis et beneficiis, quae ab eadem ecclesia tenuerint, privaverit. *1245, Sept. 4.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 231; Lib. III, 128.
Berger 1488.

. . Ferrariensi electo.

Iustis petentium desideriis etc. usque: complere. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis iustis precibus inclinati, diffinitivam sententiam, quam contra quondam Salinguerram, . . filium eius [2] et omnes alios adherentes eis, privando ipsos et heredes eorum imperpetuum feudis et beneficiis, que ab ecclesia Ferrariensi tenebant, cum iuribus et pertinentiis suis, pro eo quod abnegata fidelitate[b] manifeste te et Ferrariensem ecclesiam hostiliter impugnarant, contra iuramentum proprium temere venientes[c], nec non quia contra Romanam ecclesiam Frederico quondam Romanorum imperatori nequiter adherere presumpserant, auctoritate propria promulgasti, sicut in litteris inde confectis plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem litterarum ipsarum presentibus de verbo ad verbum fecimus annotari: qui talis est:

In nomine Domini. Cum iuri et equitati conveniat debitis penis prosequi delinquentes, ne ipsorum malefitia remaneant impunita, quia mali metu penarum a maleficiis retrahuntur, et quia pena unius, multorum metus, est aliis in exemplum, ideo nos Philippus Dei et apostolica gratia Ferrariensis electus, multorum afflictus iniuriis, qui cum essent vassalli Ferrariensis ecclesie, manifesti extiterunt Romane ecclesie persecutores et nos contempto iuramento, quo nobis et Ferrariensi ecclesie tenebantur astricti, presumpserunt hostiliter impugnare, in personam nostram et res Ferrariensis

a) Beton *R.* b) fide *B.* c) veniendo *B.*

1) *Ut videtur Bettona, e mer. et or. Perusii; de eodem loco cf. Böhmer-Ficker, l. c. 3173.* 2) *Iacobum Taurellum, quem imperator Veronae a. 1245, Ian. de nominatis possessionibus, quas quondam pater eius in Regino, Parmensi, Mutinensi et Bononiensi [neque vero Ferrariensi] episcopatibus habuerat, recepto fidelitatis et homagii sacramento investiverat, ita ut eas ab imperio immediate teneret, Böhmer-Ficker, l. c. 3476; quae concessio fortasse causam dedit, ut papa instrumentum electi infra propositum confirmaret.*

ecclesie nephanda auditu et cogitatu durissima, quanto peiora poterant, perpetrando nec non nuntiis principis quondam eiusque fautoribus contra ecclesiam adherendo, qui etiam, abnegata fidelitate nobis et Ferrariensi ecclesie prestita, feuda, que tenebant a Ferrariensi ecclesia, constituerunt se a quondam principe detinere, illos volentes pena punire legitima, quia notorium est et publice manifestum ipsos, qui declarabuntur inferius, nos et Ferrariensem ecclesiam hostiliter impugnasse et persecutores extitisse Romane ecclesie, quondam principi et eius fautoribus contra ecclesiam adherendo, et multa alia contra debitum fidelitatis contra nos et Ferrariensem ecclesiam commisisse: nos, omnipotentis Dei invocato auxilio, confixi etiam de tutela benignitatis sedis apostolice, ad cuius iniuriam supradicta omnia sunt commissa, ipsos eorumque heredes in perpetuum feudis et beneficiis, que a Ferrariensi ecclesia aut a[a] tenentibus a Ferrariensi ecclesia omni tempore tenuisse noscuntur, cum omnibus iuribus dictis feudis pertinentibus per sententiam diffinitivam privamus. Supradicti autem hii sunt: Salinguerra, et .. eius filius, et omnes sibi adherentes, et qui de parte sua dicuntur, et qui sibi tempore, quo Henricus Testa tamquam potestas regebat civitatem Ferrariensem, adherebant et postea exiverunt civitatem Ferrariensem, principi quondam et eius fautoribus contra Romanam et Ferrariensem ecclesiam adherendo, Ramberti[1], Aldegerius Fante[b], Raynaldinus de Watarella[2], Bosi de Hostilia[c][3], Vicedomini de Mantua et omnes alii similis conditionis, quorum non possunt nomina explicari, et omnes de Melaria[4], Bragantino[5], de Sadriano[6], de Trecenta[7], de Formeniana[8], de Trisegali[9] et de Vignentia[10], qui de predictis terris exeuntes Veronensibus et bannitis Mantuanis, fautoribus quondam principis et sue partis, et ipsi quondam principi et sue parti contra Romanam et Ferrariensem ecclesiam adheserunt[11].

Nulli ergo — nostre confirmationis etc. Si quis autem etc.

Dat. Lugduni, II Nonas Septembris, anno tertio[12].

136.

Innocentius IV papa cum Willelmo de Charner. thesaurario ecclesiae Sonegiensis ad preces [Henrici II] ducis Brabantiae et [Ottonis II] comitis Geldriae, quorum insistat ob-

a) antea *B.* b) Lante *B.* c) Hortilia *B.*

1) *Ramberti aliaeque familiae, postquam Ferraria ab electo et Lombardis a. 1240, Iun. [2, ut videtur,] capta est, et ante Id. Iun. a. 1240 e civitate exierunt; Chron. parv. Ferr. ap. Muratori SS. t. VIII, p. 485, B.* 2) *Nescio an Wardestalla, Guastalla, sub hoc nomine lateat.* 3) *Ostiglia, ad Padum, e mer. et or. civ. Mantuae.* 4) *Mellara, ex occ. civ. Rovigo.* 5) *Ad Padum ex or. Hostiliae.* 6) *Ut videtur Sariano prope Trecentam.* 7) *Ex or. Bragantini.* 8) *Ex or. Ferrariae.* 9) *Tresigallo, ex sept. et or. Ferrariae.* 10) *E mer. Ferrariae.* 11) *Quo tempore hoc instrumentum exaratum sit, pro certo dici non potest. Licet imperator 'quondam' princeps appelletur, id post a. 1245, Iul. 17 collocandum non est, quia Salinguerra vivente, cuius mors Veronae a. 1245, Iun. nota iam erat [v. p. 102, not. 2], scriptum est, et ille post depositionem suam 'F. quondam imperator' vocabatur; propter quod 'quondam' in confirmatione additum putamus. Sub Gregorio IX papa 'F. dictus imperator' scribebatur, neque ipsa verba instrumenti permittere videntur, ut id sub captionem Ferrariae a. 1240 Iun. [2: v. not. 1] et ea quae subsecuta sunt confectum existimemus. Id potius, postquam Innocentius IV sedere coepit, et ante depositionem imperatoris, quo solo tempore hic 'princeps' appellabatur, ponendum videtur, fortasse in aestate vel fine a. 1243, quando electus cum civitate Mantuana aliisque Veronenses et homines de Hostilia impugnavit [Winkelmann, Acta Imp. ined. p. 544, 545, 554]. Difficile quidem est explicatu, quomodo Enzius tunc eosdem Mantuanos 'imperii fideles' alloqui potuerit [ibid. p. 554—556]; sed civitas excommunicata sine dubio non erat [ibid. p. 544 et 559], et aliasque quoque papa, si ut taceret, expedire credebat, tolerasse videtur, ut aliquis cum ipso et cum imperatore simul communicaret; cf. imprimis, quomodo ordo Teutonicorum ab utraque parte honoratus sit.* 12) *Eodem die quosdam cives Ferrarienses ab obligationibus imperatori factis absolvit: Potthast, Reg. 11851.*

sequiis, dispensat, ut, licet illegitimus sit, in aliqua ecclesia regni Franciae in canonicum recipi valeat. *1245, Sept. 4.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 229; Lib. III, 117. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau. Berger 1177.

Willelmo de Charner.[a][1] thesaurario ecclesie Senogiensis[2] Cameracensis diocesis[3].

Cum in aliquibus ecclesiis regni Francie, ut accepimus, sit statutum iuramento firmatum et de consuetudine hactenus observata in eisdem obtentum, ut nullus in ipsis, nisi iuret se de legitimo matrimonio natum, in canonicum assumatur: nos, dilectorum filiorum nobilium virorum .. ducis Brabantie[4] et .. comitis Guelrie[5], quorum insistis obsequiis, supplicationibus inclinati, tecum, ut in aliqua earundem ecclesiarum licite in canonicum et in fratrem recipi valeas — non obstantibus statuto et consuetudine predictis quacumque firmitate vallatis —, auctoritate presentium dispensamus. Nulli ergo — nostre dispensationis etc. Si quis autem etc.

Dat. Lugduni, II Non. Sept. anno tertio[6].

137.

Innocentius IV papa consideratione comitis de Los et de Ceni et comitissae Averniae ac dominae de Moniore cum Iohanne de Dunpirre canonico Sancti Dionysii Leodiensis super pluralitate beneficiorum dispensat. *1245, Sept. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 252; Lib. III, 278. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau. Berger 1637.

Iohanni de Dunpirre canonico ecclesie sancti Dionisii Leodiensis.

Licet propter ambitiones quorundam, nequis plures ecclesias vel ecclesiasticas dignitates habeat, sacri concilii constitutio interdicat, apostolice tamen sedis benignitas, provide pensans merita singulorum, illos nonnumquam gratia prosequitur ampliori, qui nobilibus orti natalibus, alias donis potioribus adiuvantur. Hinc est, quod tam nobilitate generis et meritis probitatis tue, super quibus tibi laudabile testimonium perhibetur, quam consideratione nobilis viri .. de Los et de Ceni[7] comitis[8] ac nobilium mulierum .. comitisse Avernie[9] ac .. domine de[b] Moniore[10] supplicantium pro te

a) Charnẽ *R.* b) ac domine .. de *R.*

1) *Ut videtur Carnières ex or. civ. Mons. Alius locus huius nominis ex or. civ. Cameracensis situs erat.* 2) *I. e. Sonegiensis, Soignies, ex sept. et or. civ. Mons.* 3) *Idem ap. Berger 1588 etiam 'clericus H[enrici] praepositi Xantensis', de quo infra sub a. 1246, Aug. 17, vocatur.* 4) *Cf. Berger 1612.* 5) *Cf. Berger 1580.* 6) *Aliae epistolae in favorem eius datae ap. Berger 1478, 1588, 1630.* 7) *Chiny ad fl. Semoy in prov. Belgica Luxemburg.* 8) *Arnulfi V, de quo cf. Chron. Hanon. quod dicitur Balduini Avenn. SS. t. XXV, p. 429. Eidem comiti et Iohannae uxori eius sub a. 1246, Iun. 22 papa concessit, ut uni ex filiis eorum liceret cum muliere in quarto gradu consanguinitatis vel affinitatis sibi attinente matrimonium contrahere; Berger 1946; cf. etiam Potthast 12183.* 9) *Hanc esse credimus Adalheidam sororem Henrici II ducis Brabantiae, devoti ecclesiae, quae primo Arnulfo IV comiti de Los, aut patruo aut magno patruo Arnulfi V [L'Art de vérifier l. d. t. XIV, p. 263], tum Willelmo XI comiti Alverniae [Auvergne] nupserat et fortasse nuper iterum viduata erat, cum maritus eius a. 1245, Febr. testamentum condiderit et ante a. 1247 mortuus esse dicatur: Baluze, Hist. généal. de la maison d'Auvergne t. I, p. 85 et t. II, p. 90.* 10) *I. e. de Moniore [Monjoie, e mer. civ. Aachen], nomine Elisabeth, viduae Walerammi de Limburg.*

nobis inducti, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut preter ecclesiastica beneficia, que nunc obtines, quorum uni cura est animarum annexa et de quorum proventibus ut asseris non potes iuxta persone tue statum et terre consuetudinem commode sustentari, possis — constitutione predicta [non obstante][a] — unicum beneficium vel dignitatem seu prelaturam, etiam si curam animarum habeat, si tibi canonice offeratur, recipere ac una cum obtentis libere retinere; proviso quod beneficia eadem debitis etc. usque: negligatur. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis autem etc.

Dat. Lugduni, Non. Septembr. anno tertio.

138.

Innocentius IV papa Godefrido de Hubinis canonico Sancti Petri Leodiensis ad preces [Henrici III] comitis Lucemburgensis indulget, ut duo beneficia curam animarum habentia cum aliis quae obtineat sine cura libere retinere possit. *1245, Sept. 8.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 232; Lib. III, 277. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau. Berger 1636.

Godefrido de Hubinis canonico ecclesie sancti Petri Leodiensis.

Ad faciendam tibi gratiam specialem tam tue probitatis meritis et nobilitate morum ac generis, super quibus tibi testimonium laudabile perhibetur, quam consideratione dilecti filii nobilis viri comitis Lusceburgensis nobis pro te supplicantis inducti, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut duo beneficia ecclesiastica, que curam animarum habentia obtines, quorum proventus triginta librarum Parisiensium valentiam sicut asseris annis singulis non excedunt, possis una cum aliis que obtines sine cura libere retinere — constitutione generalis concilii super hoc edita non obstante —; proviso quod beneficia eadem debitis non fraudentur obsequiis etc. usque: negligatur. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis etc.

Dat. Lugduni, VI Id. Septembr. anno tertio.

139.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino concedit, ut cum Bertholdo cantore Spirensi, qui ipsi una cum C. de Scarphenberg, fratre suo, et aliis consanguineis et affinibus in negotiis ecclesiae potenter assistat, super pluralitate beneficiorum dispensare possit. *1245, Sept. 15.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 233; Lib. III, 132. Exemplar a Berger editum cum Regestis contulit et ex iis supplevit V. Cl. A. Mau. Berger 1492.

Archiepiscopo Maguntino.

Cupientes proni ad gratiam inveniri, libenter ipsam illis impendimus, qui eam tamquam sibi debitam suis et suorum meritis student vendicare. Cum igitur, sicut

a) non obstante *deest apogr.*

accepimus, dilectus filius Bertholdus cantor Spirensis, quondam[a] consanguineus bone memorie . . episcopi Spirensis[1], et dilectus filius nobilis vir C. de Scarphenberg[2], frater eius, ac alii sui consanguinei et affines in apostolice sedis negotiis tibi potenter assistant etiam et patenter: nos, intendentes ipsum ob hoc prerogativa gratie prosequi specialis, presentium tibi auctoritate concedimus, ut cum eo iuxta nobilitatem et devotionem suam auctoritate nostra, prout videris expedire, dispenses, quod idem preter beneficia, que obtinet curam habentia animarum, adhuc alia, quamquam unum ex eis fuerit personatus vel ecclesiastica dignitas, etiam si similem curam habeant, recipere licite ac una cum obtentis retinere libere possit — constitutione generalis concilii non obstante —: proviso ut eadem beneficia etc. usque: negligatur.

Dat. Lugduni, XVII Kal. Octobris, anno tertio.

140.

Innocentius IV papa [Philippo] electo Ferrariensi provisionem ecclesiae Olomucensis de Brunone quondam praeposito Lubicensi capellano suo factam nuntiat, eique mandat, ut [Wenceslaum] regem Bohemiae tam per se quam per [Henricum] lantgravium Thuringiae, [Ottonem II] ducem Bawariae et [Henricum] Misnensem et [Iohannem] et [Ottonem III] Brandeburgenses marchiones et alios amicos eius ad Brunonem eundem benigne recipiendum inducat. *1245, Sept. 20.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 239; Lib. III, 167. Pertzii exemplar contulimus cum Boczek, Cod. dipl. Moraviae t. III, p. 56—58, n. 72, 73 et 76. Ille enim eas partes epistolae, quae in Reg., cum in antecedentibus epistolis, Lib. III, 162 et 164, perscriptae sint, more solito verbis etc. ut supra *notatae sunt, ex eisdem epistolis descripsit et cum reliquis, ut epistolam integram praeberet, composuit.*

Potthast, Reg. 11897; Berger 1526.

. . electo Ferrariensi[b].

Cum id, quod de Cunrado factum fuit in ecclesia Olomucensi[3], tamquam minus legitime attemptatum per diffinitivam sententiam duxerimus irritandum, et Willelmus canonicus ipsius ecclesie postmodum in manibus nostris spontaneus cesserit electioni de se facte in ecclesia memorata, nos, attendentes quod de dilecto filio Brunone quondam preposito Lubicensi, capellano nostro, utpote nobiscum laudabiliter conversato, morum honestate conspicuo, litterarum scientia decorato et providentia circumspecto ac accepto nobis et fratribus nostris suorum meritorum exigentia[4], poterat eidem ecclesie utiliter provideri, de ipsorum fratrum consilio de illo predicte ecclesie duximus providendum, spe nobis proposita quod auctore illo, qui dans virtutes premia tribuit et gratiam gratie superaddit, non solum prefata ecclesia per diligentie sue studium in spiritualibus et temporalibus, verum etiam persona[c] carissimi in Christo filii nostri . .

---

a) quondam *quasi supervacaneum esse videtur. Locum ita corruptum esse, ut aliqua verba exciderint, non putamus: nam si nomen patris cantoris eiusdem, tunc mortui, ibi scriptum fuisset, verba infra sequentia* C. de Scarphenberg frater eius *minus apte posita essent. Unde conicimus abbreviatorem* quondam *addidisse, ut episcopum Spirensem non esse Conradum V, nuper [Iun. 25] mortuum, sed Conradum III, praedecessorem eius, significaret: eodem enim modo ap. Berger 2639* quondam *appositum est.* b) *Palacky, Lit. Reise nach Italien p. 30, n. 176 et Berger add.* apostolice sedis legato; *quae verba, V. Cl. A. Mau teste, in Reg. non leguntur; a. 1246, sub Iul. 5 demum [v. infra] electo legationis officium commissum est, neque in ulla ep. Lib. III 'legatus' appellatur.* c) *Bo.;* in persona *P.*

1) *Conradi III de Scarfenberg, imperialis aulae cancellarii, qui ab a. 1200 episcopus Spirensis et ab a. 1213 insuper Metensis, a. 1224 mortuus erat.* 2) *Ex occ. vic. Landau, prope castrum Trifels.* 3) *Cf. n. 101.* 4) *Cf. Potthast, Reg. 11919.*

illustris regis Boemie et regnum eius in honore ac fructificatione bone operationis et fame grata suscipient incrementa[a]. Unde dictum regem attente rogandum duximus et monendum, ut eundem B., electum ecclesie supradicte, ac eius procuratores et nuntios nec non et canonicos, qui pro ecclesie predicte provisione ad sedem apostolicam accesserunt, benigne[b] recipiens et honeste pertractans, ipsos et iam dictam ecclesiam favore regio prosequendo, habeat propensius commendatos, ac iura et possessiones ipsius ecclesie manuteneat et defendat, molestatores eorum, si necesse fuerit, potestate sibi a Domino tradita compescendo, ita quod ex hoc seculorum domino placeat et nos sinceritatis sue[c] zelum possimus dignis in Domino laudibus commendare. Ideoque mandamus, quatinus quod a nobis de prefato capellano provisum est prosequens diligenter, eundem regem ad ea, que ipsum pro dicto electo litteris nostris rogamus, tam per te[d] quam per dilectos filios nobiles viros . . lanthegravium Thuringie, . . ducem Bavarie, . . Misnensem et . . Brandburgenses[e] marchiones ac alios prenominati regis amicos secundum datam tibi a Deo prudentiam moneas efficaciter et inducas, ita quod diligentie tue studium appareat per effectum, et nos sollicitudinem tuam merito commendemus[1].

Dat. Lugduni, XII[f] Kal. Octobris, anno III.

In eundem modum nobilibus viris Wladizlao[2] et Premizl, natis carissimi in Christo filii nostri . . illustris regis Boemie, usque: laudibus commendare. Ideoque nobilitatem vestram monendam duximus attentius et hortandam, quatinus eundem regem ad id moneatis efficaciter et inducere procuretis, ita quod diligentie vestre studium etc. usque: commendemus.

Dat. Lugduni, XIII Kal. Octobris, anno III.

In eundem modum Philippo capellano nostro, nato nobilis viri . . ducis Carinthie[3], nepoti carissimi in Christo filii nostri . . illustris regis Boemie[4].

Dat. Lugduni, XIII Kal. Octobris, anno III[5].

141.

Innocentius IV papa praeposito Argentinensi concedit, ut cum Bertoldo canonico Argentinensi, nato comitis de Wilperc, super pluralitate beneficiorum dispensare possit.

1245, Oct. 11.

Inn. IV Reg. Vol. I, 247; Lib. III, 238. Exemplar a Berger editum cum Regestis contulit et ex eis supplevit V. Cl. A. Mau.
Berger 1597.

. . preposito ecclesie Argentinensis.

Dignum est, ut gratia sedis apostolice uberius extendatur ad illos, qui illam sibi student propriis meritis vendicare. Cum igitur dilectus filius Bertoldus canonicus Argentinensis, natus nobilis viri . . comitis de Wilperc[6], nobis humiliter supplicarit,

a) *hucusque ex Lib. III, 162.* b) benigne — laudibus commendare *ex Lib. III, 164.* c) *vel* eius: tue *ibid.* d) *Bo.;* se *P.* e) Brandburgensem *P.;* Brandenburgensem *Bo.; in Reg.* Brandburgeñ *legi credimus.* f) XIII *Bo., falso; nam in Reg.* Dat. ut in proxima *et ap. Bo. et in omnibus edd. Lib. III, 165* XII *legitur.*

1) *Cf. tamen a. 1246, Apr. 16.* 2) *Marchioni Moraviae.* 3) *Bernhardi II.* 4) *Philippus postea [a. 1246—1256] electus Salisburgensis fuit.* 5) *Aliae epistolae pro eodem Brunone Sept. 19 et 20 scriptae ap. Berger 1522—1525 et 1528; Potthast, Reg. 11891, 11887, 11892, 11893, 11896.* 6) *Hunc esse putamus Mangoldum de Wiltberg [inter comitatum Henneberg et Magum fl.], qui electioni Henrici Raspe regis interfuit; Bohmer-Ficker, l. c. 4867. 'Comes' quidem neque ibi neque sub n. 3897, 3974, 4362 appellatur, sed ibid. 4189 'M. comes de Wilperc' se subscripsit, et temporibus posterioribus 'comites' de W. saepius invenimus; cf. Berger 2277. — Oct. 2 papa cum Hermanno subdiacono suo, nato eiusdem comitis, in eundem modum dispensaverat; Berger 1598.*

ut preter beneficia ecclesiastica curam animarum habentia, que nunc obtinet, super recipiendis aliis beneficiis vel personatibus aut dignitatibus, etiam si similem curam habeant, ac una cum obtentis libere retinendis — constitutione generalis concilii super hoc edita non obstante — dispensare cum eo de gratia curaremus: nos, attendentes quod etsi ad refrenandas ambitiones quorundam, nequis plures ecclesias vel ecclesiasticas dignitates habeat, sacri concilii constitutio interdicat, idem tamen litterarum scientia ac nobilitate morum ac generis, quibus pollere dinoscitur, se reddit abilem ad specialem gratiam obtinendam, et de circumspectione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, presentium tibi auctoritate concedimus, ut super premissis auctoritate nostra dispenses, prout pensatis circumstantiis et eius nobilitate ac meritis secundum Deum videris expedire.

Dat. Lugduni, V Id. Octobris, anno tertio[1].

142.

Innocentius IV papa [Opizoni] abbati de Mezano mandat, ut inter [Michaelem] episcopum Cuiaviensem, fratres domus Teutonicorum in Pruscia et Poloniae et [Casimirum] Cuiaviensem duces ex parte una et [Swantopolcum] ducem Pomeraniae ac Prusciae neophytos ex altera pacem reformare studeat, si vero hoc perficere non possit, partibus terminum peremptorium praefigat, quo apud sedem apostolicam compareant. 1245, Oct. 14.

Inn. IV Reg. Vol. I, 213; Lib. III, 202. Exemplar Rayn. Ann. eccl. a. 1245, § 90, a V. Cl. A. Mau cum Regestis collatum, nos contulimus cum authentico ap. Perlbach, Pommerell. U. B. p. 78, n. 90.

Potthast, Reg. 11934; Perlbach, Preuss. Reg. n. 242; Berger 1561.

.. abbati monasterii de Mezano[2].

Cum inter venerabilem fratrem nostrum .. episcopum Cuiaviensem, fratres domus sancte Marie Theutonicorum in Prussia et nobiles viros Polonie et Caminensem[a] duces ex parte una et nobilem virum .. ducem Pomeranie ac Pruscie neopitos[b] ex altera graves discordie sint exorte[3], nec super hiis, que pro utralibet partium fuere proposita coram nobis, plene scire potuerimus veritatem: nos, huiusmodi dissensionis extinguere fomitem et discordes ipsos ad concordie reducere unitatem optantes, personam tuam, de cuius diligentia et circumspectione firmam in Domino fiduciam obtinemus, ad id exequendum inter alias[c] specialiter duximus eligendam, te propter hoc ad partes illas tanquam pacis angelum dirigentes. Ideoque mandamus[d], quatinus, vocatis auctoritate nostra coram te partibus, tractes sollicite ac prudenter de facienda concordia inter ipsos[e] eamque, si poteris, iuxta datam tibi a Deo industriam studeas reformare. Quod si forte illas pacificare nequiveris, tu, inquisita super omnibus discordie articulis diligentius veritate, quecunque inveneris nobis fideliter referre procures, prefigendo eisdem partibus terminum perhemptorium competentem, quo per procuratores idoneos

a) *ita R. et A.: leg.* Cuiaviensem. b) neophitos *A.* c) alia *R. et A.* d) Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus *A.* e) *ita R. et A.; leg.* ipsas.

1) *A. 1246, Apr. 1 eidem praeposito mandavit, ut cum B. dicto de Bussenanch canonico Curiensi, nepote abbatis Sancti Galli, super pluralitate beneficiorum dispensaret; Berger 1782.* 2) *Ex sept. et or. monast. Bobiensis in terra Placentina.* 3) *Cf. n. 91 et 92.*

nostro se conspectui representent, quod super hiis statuendum duxerimus recepture, contradictores auctoritate nostra etc.

Dat. Lugduni, II Id. Octob. anno tertio[1].

143.

Innocentius IV papa [Liutholdo] episcopo Basiliensi mandat, ut cum Eberhardo archidiacono Argentinensi, fratre comitis de Sulze, super pluralitate beneficiorum dispenset. *1245, Oct. 18.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 213; Lib. III, 211. Exemplar a Berger editum cum Regestis contulit et ex eis supplerit V. Cl. A. Mau.

Berger 1570.

.. episcopo Basiliensi.

Apostolice sedis benignitas consueta sic merita personarum provida deliberatione discernit, ut eos, qui litterarum scientia ac morum ac generis nobilitate precellunt, favoris gratia efferat amplioris et maioribus studeat beneficiis honorare. Hinc est, quod pro dilecto filio Eberardo archidiacono Argentinensi, fratre dilecti filii nobilis viri .. comitis de Sulze[2], de quo laudabile nobis testimonium perhibetur, fraternitati tue presentium auctoritate mandamus, quatinus secum, si est nobilis et litterata persona, ut alia beneficia, etiam si curam habeant animarum annexam, dummodo ipsorum proventus centum marcarum argenti annatim valentiam non excedant, si sibi canonice offerantur, licite recipere et cum archidiaconatu Argentinensi et aliis iam obtentis retinere libere valeat — constitutione generalis concilii non obstante —, auctoritate nostra dispenses; proviso ut idem archidiaconatus et prefata beneficia debitis non fraudentur etc. usque: negligatur.

Dat. Lugduni, XV Kal. Novembris, anno tertio[3].

144.

Innocentius IV papa [Liutholdo] episcopo Basiliensi mandat, ut cum A[lberto] canonico Basiliensi, nato [quondam] A[lberti] comitis de Habesburc, super pluralitate beneficiorum dispenset. *1245, Oct. 21.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 248; Lib. III, 241. Exemplar a Berger editum cum Regestis contulit et ex eis supplerit V. Cl. A. Mau.

Berger 1600.

1) *Sub Oct. 11 eidem abbati mandaverat, ut discordantibus treugas indiceret, donec mandatum apostolicum in hac parte recepissent, observandas; Potthast 11929, Berger 1565 [quae treugae factae sunt, Perlbach, l. c. sub n. 243]. Hae duae epistolae, quarum mandata inter se paululum discrepare videntur, eo consilio scriptae sunt, ut abbas indutias facere inprimis studeret, et tum demum, cum hoc sibi contigisset, auctoritate epistolae, quam integram supra proposuimus, partes coram se vocaret. Aliae epistolae ad hanc rem pertinentes ap. Potthast 11925, 11928, 11929 a, 11939 a; Berger 1567, 1564, 1556, 1566. — Papa abbatem sub a. 1246, Sept. 25 revocavit; Berger 2131.* 2) *Ad Neckar fl. infra cir. Rottweil.* 3) *Sub eodem die episcopo mandavit, ut super eodem cum Bertoldo de Tiersberc [Diersburg e mer. cir. Offenburg] canonico Argentinensi, nepote comitis de Sulze, dispensaret; Berger 1571; cf. 2201.*

.. episcopo Basiliensi.

Apostolice sedis benignitas consueta sic merita personarum etc. usque: invenitur. Hinc est, quod nos pro dilecto filio A., nato nobilis viri A.[a] comitis de Habesburc, canonico Basiliensi, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus secum, ut alia beneficia, etiam si curam habeant animarum annexam, dummodo ipsorum proventus centum marcarum argenti annuatim valentiam non excedant, si sibi canonice offerantur, licite recipere et cum iam obtentis libere retinere valeat — constitutione generalis concilii non obstante —, auctoritate nostra dispenses; proviso ut beneficia ipsa debitis etc. usque: negligatur.

Dat. Lugduni, XII Kal. Novembris, anno tertio[1].

145.

Innocentius IV papa maiori, scabinis, iuratis et populo Metensibus in devotione ecclesiae persistentibus indulget, ut in eos excommunicationis vel interdicti sententiae promulgari non valeant sine sedis apostolicae mandato speciali. *1245, Nov. 9.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 258; Lib. III, 323. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau. Berger 1675.

Maiori, scabinis, iuratis et populo Metensibus.

Cum apostolice sedis insistentes obsequiis digni speciali gratia censeantur, nos, devotionem vestram, quam erga sedem ipsam assidue gessisse vos novimus, non indigne pensantes, ac volentes ex hoc vobis gratiam facere specialem, vestris precibus inclinati, vobis in devotione ecclesie persistentibus auctoritate presentium indulgemus, ut nullus delegatus sedis apostolice vel delegati subdelegatus eiusdem aut executor seu etiam conservator a sede deputatus eadem in universitatem vestram excommunicationis vel interdicti sententiam valeat promulgare sine ipsius speciali mandato, faciente de indulgentia huiusmodi[b] mentionem. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis etc.

Dat. Lugduni, V Idus Novembr. anno tertio[2].

146.

Innocentius IV papa [Arnoldo] archiepiscopo Treverensi mandat, ut magistro Theoderico scholastico Treverensi, beneficia sua, quibus propter homines imperii gaudere non possit, resignare parato, de alio beneficio provinciae suae provideat. *1245, Nov. 15.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 253; Lib. III, 289. Berger 1648.

---

a) nato quondam A. *legendum videtur, cum Albertus comes, pater Rudolfi postea regis, c. a. 1239 iam mortuus fuerit; cf. Lichnowsky, Gesch. d. Hauses Habsb. t. I, p 398, not. 12 et 13. Papam Albertum canonicum 'fratrem Rudolfi comitis' appellare ideo noluisse putamus, quia Rudolfus imperatori adhaerebat; cf. Berger 2837.* b) huius *apogr.*

1) *Alia mandata ei tunc data ap. Berger 1595, 1596, 1601, 1609, 1641, 1695, 1712.* 2) *Sub Nov. 13 eisdem indulsit, ne per litteras apostolicas extra civitatem suam in causam trahi possent, nisi eaedem de indulgentia huiusmodi expressam facerent mentionem; Berger 1676. Aliae gratiae civitati vel singulis civibus eo tempore concessae ibid. 1677, 1678, 1680—1683.*

.. archiepiscopo Treverensi.

Etsi libenter cunctis petentibus gratiam impendamus, illis tamen favorabiliores exhibere nos convenit, qui per grata devotionis obsequia favorem sedis apostolice meruerunt. Cum igitur dilectus filius magister Theodericus scolasticus Treverensis pro fide ac devotione, quam habet ad sedem apostolicam, dampna plurima, prout ex tuo ac aliorum fide dignorum testimonio accepimus, sit perpessus, nos, intendentes ipsum propter hoc prerogativa prosequi gratie specialis, mandamus, quatinus eidem, beneficia sua, quibus propter homines imperii gaudere non potest, resignare parato, in alio equivalenti beneficio seu personatu vel dignitate in aliqua ecclesiarum tue provincie auctoritate nostra provideas vel facias provideri — non obstante[a] aliqua indulgentia sedis apostolice, per quam possit[b] huiusmodi gratia[c] impediri, vel si in ecclesia, in qua ei providendum duxeris, direximus pro aliis scripta nostra, quibus nolumus auctoritate presentium preiudicium generari —; contradictores etc.[1]

Dat. Lugduni, XVII Kal. Decembris, anno III.

147.

Innocentius IV papa [Landulfo] episcopo Wormaciensi mandat, ut Henrico canonico Treverensi, nato comitis Altimontis, in ecclesia Wormaciensi de praebenda et in civitate vel diocesi Wormaciensi de uno personatu vel alia ecclesiastica dignitate provideat.

1245, Dec. 19.

Inn. IV Reg. Vol. I, 253; Lib. III, 287. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Man. Berger 1646.

.. episcopo Warmaciensi[2].

Quia honori ecclesie intendimus et augmento, illos precipue debemus prosequi gratia speciali, per quos et decus augeatur ipsius et utilitas procuretur[d]. Cum igitur dilectus filius Henricus canonicus Treverensis, natus nobilis viri .. comitis Altimontis[3], non habeat beneficia, de quibus iuxta nobilitatem suam et terre consuetudinem, que propter hospitalitatem que ibi viget magnas impensas exigit, valeat sustentari, fraternitati tue ad preces tuas presentium auctoritate mandamus[e], quatinus ipsi in ecclesia Warmaciensi in prebenda, si qua ibi vacat adpresens vel quamprimum ad id se facultas obtulerit, et in uno personatu seu alia ecclesiastica dignitate in civitate vel diocesi Warmaciensi, que[f] recipientem deceat et donantem, auctoritate nostra providere procures — non obstante[g] quod idem alias beneficiatus existit, seu si in ecclesiis, in quibus ei providendum duxeris, direxerimus pro aliis scripta nostra, quibus nolumus auctoritate presentium preiudicium[h] generari, vel statuto de certo canonicorum numero

a) *an* non obst. = non obstantibus? b) possint *P.* c) gratiam *P.* d) procuratur *corr. altera manus* procuretur. e) f. t. ad — auctoritate monemus *apogr.* f) quam *M.* g) *an* non obst. = non obstantibus? h) generari preiudicium *R.*

1) *De eodem Theoderico cf. Berger 1647.* 2) *Episcopus, quem a. 1245, Mai. 11 [v. n. 119] excommunicatum reperimus, hoc tempore papae se subiecisse videtur; cum enim circa mensem Dec. Lugduni fuisse in Ann. Wormat. a. 1245, SS. t. XVII, p. 49, lin. 36 et 52 legimus. Neque vero a parte imperiali omnino recessit; cf. Höfler, Alb. v. Beham p. 122 et Ann. Worm. l. c. p. 50, lin. 38.* 3) *Sub a. 1246 Ian. 23 papa mandavit, ut Godefrido canonico Sancti Simeonis Treverensis, 'quondam comitis Altimontis' nato, praebenda, si qua in ecclesia Treverensi vacaret, conferretur; Berger 1705. Comites Altimontis eosdem fuisse putamus ac de Hoinberch [Homburg, ex sept. civ. Zweibrücken], quos Henricus II archiepiscopus homines ecclesiae Treverensis fecit; Gesta Trev., V. Henrici altera c. 3, SS. t. XXIV, p. 460.*

iuramento aut confirmatione sedis apostolice seu quacunque firmitate alia roborato —; contradictores etc.

Dat. Lugduni, XIIII Kal. Ianuar. anno tertio.

148.

Innocentius IV papa rectori et fratribus hospitalis sanctae Mariae ad Sanctum Gallum Florentinum concedit, ut cum civitatem Florentinam interdicto supponi contigerit, in ecclesia sua divina officia celebrare sibi liceat. *1245, Dec. 20.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 261; Lib. III, 383. Exemplar ap. Lami, Eccl. Florent. mon. t. II, p. 1293 extans cum Reg. contulit V. Cl. A. Mau.
Potthast, Reg. 11969; Berger 1732.

.. rectori[a] et fratribus hospitalis sancte Marie ad Sanctum Gallum Florentinum[b] ordinis sancti Augustini ad[c] Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis.

Hiis, que a nobis ob divini cultus amorem pie ac provide postulantur, favorem benivolum impertimur. Hinc est, quod nos, precibus vestris benignum impertientes assensum, presentium vobis auctoritate concedimus, ut cum civitatem Florentinam ecclesiastico interdicto supponi[d] contigerit[1], liceat vobis in ecclesia hospitalis vestri, clausis ianuis, non pulsatis campanis, excommunicatis et interdictis exclusis, submissa voce divina officia celebrare, dummodo causam non dederitis interdicto nec id vobis contingat specialiter interdici. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, XIII Kal. Ianuarii, anno tertio[2].

149.

Innocentius IV papa abbati Uterinae Vallis ad preces [Matthaei II] ducis Lotharingiae mandat, ut R[icardo] praeposito Sancti Simeonis Treverensis in provincia Treverensi de praelatura, dignitate vel personatu provideat. *1245, Dec. 27.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 262; Lib. III, 356. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau.
Berger 1704.

.. abbati Uterine Vallis[3] Cisterciensis ordinis Spirensis diocesis.

Consuevit sedes apostolica precibus condescendere devotorum ac eorum obtentu facere aliis gratiam specialem, hiis maxime per quos et decus augeatur ecclesie et utilitas procuretur. Precibus itaque dilecti filii nobilis viri .. ducis Lothoringie[4], nobis

a) Eisdem *R.; antecedit Potthast, Reg. 11990.* b) Florentiñ *R.* c) ad — pertinentis *deest B.* d) subiacere *La.*

1) *Id quod non multo post contigisse probabile est: nam inter finem a. 1245 et a. 1246, Febr. civitas Florentina imperatori arte se adiungens, Fridericum de Antiochia, filium eius, in potestatem recepit; Böhmer-Ficker, l. c. 3540.* 2) *Aliae epistolae in favorem eiusdem hospitalis concessae ap. Potthast 11874, 11944, 11990; Berger 1733, 1593, 1731.* 3) *Eusserthal ex sept. et occ. civ. Landau.* 4) *Hunc esse ducem Lotharingiae superioris, non Brabantiae putamus, quia ducem Brabantiae in litteris papalibus aut ducem Loth. et B. aut simpliciter ducem B. appellari hucusque semper invenimus.*

pro dilecto filio R. preposito Sancti Symeonis Treverensis cum instantia supplicantis, benignum impertientes assensum, mandamus, quatinus eidem preposito, pro quo apud nos litterarum scientia, morum honestas et nobilitas generis evidentius intercedunt, in aliqua ecclesiarum Treverensis provincie in prelatura vel dignitate seu personatu, si quis ibi[a] vacat adpresens vel quamprimum ad id se facultas obtulerit, auctoritate nostra providere procures — non obstante[b] si in ecclesia, in qua ei providendum duxeris, direximus pro aliis scripta nostra, quibus nolumus auctoritate presentium preiudicium generari, vel quod idem alias beneficiatus existit, seu qualibet indulgentia, per quam posset huiusmodi[c] gratia impediri —: contradictores etc.

Dat. Lugduni, VI Kal. Ianuar. anno tertio[1].

150.

Innocentius IV papa cum magistro Ulrico rectore ecclesiae de Rectineuwe Constantiensis dioecesis obtentu comitissae de Kiburch super pluralitate beneficiorum dispensat. *1246, Ian. 10.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 260; Lib. III, 343. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau. Berger 1691.

Magistro Ulrico rectori ecclesie [de][d] Rectineuwe[e][2] Constantiensis diocesis.

Apostolice sedis benignitas sic merita personarum provida discernit deliberatione[f], ut eos, qui litterarum scientia et morum nobilitate precellunt, favoris gratia efferat amplioris et maioribus studeat beneficiis honorare. Hinc est, quod nos, probitatem tuam non indigne pensantes, ac obtentu dilecte in Christo filie nobilis mulieris . . comitisse de Kiburch, cuius existis clericus, volentes tibi facere gratiam specialem, tuis supplicationibus inclinati, tecum, ut unicum aliud beneficium vel personatum aut ecclesiasticam dignitatem, etiam si curam habeat animarum[g] annexam, licite recipere et cum obtentis, etiam si eis similis cura immineat, libere retinere valeas — constitutione generalis concilii non obstante —, auctoritate presentium dispensamus: proviso ut beneficia ipsa, personatus aut dignitas debitis non fraudentur etc. usque: negligatur. Nulli ergo etc. nostre dispensationis etc. Si quis etc.

Dat. Lugduni, IIII Idus Ianuar. anno tertio.

151.

Innocentius IV papa magistro Henrico rectori ecclesiae de Wegosteton ad preces Conradi et Henrici comitum de Vriburc et de Urach indulget, ut praeter ecclesiam suam parrochialem unicum beneficium curam animarum habens recipere possit. *1246, Febr. 3.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 262; Lib. III, 362. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau. Berger 1711.

a) vacat ibi *R.* b) *an* non obst. = non obstantibus? c) huius *apogr.* d) de *deest R.* e) Regineuwe *B.* f) discernit deliberatione *R.: sed nota " loco secundo erasa est.* g) animarum habeat *R.*

1) *Sub a. 1247, Ian. 18 papa hoc mandatum innovavit, eidem abbati iniungens, ut 'iuxta priorum continentiam litterarum' preposito provideret; Berger 2410.* 2) *Ut videtur Raitenowe, Reitnau, Cant. Aargau, e mer. et or. cir. Zofingen.*

Magistro Henrico rectori ecclesie de Wegosteton[1] Basiliensis diocesis.

Ad faciendam tibi gratiam specialem dono scientie ac honestate morum, super quibus tibi laudabile testimonium perhibetur, nec non et consideratione dilectorum filiorum nobilium virorum Conradi et Henrici comitum de Vriburc[a] et de Uraly[b] supplicantium pro te nobis inducti, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut preter ecclesiam de Wegosteton parrochialem, quam nunc obtines, liceat tibi unicum beneficium, etiam si curam habeat animarum annexam, si tibi canonice offeratur, recipere ac una cum obtentis libere retinere — constitutione generalis concilii super hoc edita non obstante —: proviso quod beneficia eadem debitis etc. usque: negligatur. Nulli ergo etc. nostre[c] concessionis etc. Siquis etc.

Dat. Lugduni. III Nonas Februarii, anno tertio.

152.

Innocentius IV papa [Henrico III] regi Angliae, querenti quod iura, quae ipse et frater suus R[icardus] comes Cornubiae in comitatu Provinciae habeant, per Carolum germanum [Ludovici IX] regis Franciae laesa fuerint, respondet se Ludovicum et Carolum inducturum esse, ut iura eadem ipsis liberaliter exhibeant, dispensationem de matrimonio contrahendo concessam Carolo secundum morem ecclesiae denegari non potuisse, testamento quondam comitis Provinciae crediturum se non esse, nisi quatenus iustitia suadeat; monet eum, ut sedi apostolicae devotus persistat. 1246, Mart. 1.

Inn. IV Reg. Vol. I, 301; Lib. III, cur. 2. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau. Berger 1967.

.. regi Anglorum illustri.

Dilecti filii nobilis vir Bartholomeus Pesce, tuus, et frater Radulfus de ordine sancte Trinitatis, dilecti filii nobilis viri R. comitis Cornubie fratris tui nuntii, qui nuper ad nostram presentiam accesserunt, tria ex parte tua et eiusdem comitis a nobis humiliter postularunt: primo, ut ius tibi et sibi competens in Provincie comitatu, quod, excepta dotium tibi pro tua et ipsi pro sua coniugibus debitarum et conventionis etiam vel contractus inter te clareque memorie comitis Provintie[2] initi ratione, medietatem contractus continet memorati, conservaremus illesum; secundo, ut e latere nostro aliquem mitteremus, qui ex parte nostra nobili viro Carolo, germano carissimi in Christo filii nostri .. illustris regis Francie[3], prohiberet, ne civitates, villas et castra comitatus Provincie ulterius occuparet[4], donec de iure illo plena fieret discussio coram nobis et huiusmodi negotium finem debitum sortiretur, quatinus tu et idem frater tuus reappropinquari possetis per nostre prohibitionis gratiam ipsi iuri, a quo, sicut nuntii prelibati dicebant, per aliam[d], dispensationis videlicet nostre Carolo nominato concessam, estis gratiam elongati: tertio, ne testamento, de quo per memoratum Provintie comitem ut dicitur condito[5] mentio habebatur, adhibeamus[e], quousque in forma iudicii de

a) Unburc *B.* b) *vel* Uraby *R.* c) S̈i quis etc. n̈ostre concessionis etc. *R.* d) alia *M.* e) adhibemus *M.*

1) *Wegenstetten, Cant. Aargau, e mer. et or. cir. Rheinfelden.* 2) *Raymundus Berengarius IV comes a. 1245, Aug. 19 mortuus erat; cf. etiam Potthast 11831.* 3) *Angliae et Franciae reges, Carolus et Ricardus comes Cornubiae generi quondam comitis Provinciae erant. Carolus Beatricem, filiam eius natu minimam, a. 1246, Ian. 19 in matrimonium duxerat.* 4) *Cf. etiam Berger 1886.* 5) *a. 1238, Iun. 20; Teulet, Layettes du trésor des chartes t. II, p. 378—382.*

ipsius nobis constaret iuribus, ullam fidem, cum idem comes illud revocaverit testamentum et decesserit penitus intestatus. Ad ista igitur, licet dilectus filius magister Laurentius, nuntius tuus, apud sedem apostolicam constitutus, qui super hiis et pluribus aliis, de contingentibus nil omittens, pulsavit sepius aures nostras, intentionem nostram et que iam fecimus circa ea serenitati tue potuerit intimasse, taliter respondemus, quod cum ex suscepto a Domino apostolice amministrationis officio teneamur universos, qui Christiana professione censentur, in eorum iuribus confovere, quanto tuam et prefati tui germani personas, tanquam nobis et ecclesie Romane speciali affectione devotas, plenius in Christo diligimus, tanto libentius ea, que ad ius tuum et eiusdem fratris tui pertinere noscuntur, illesa servare non plus ex debito sollicitudinis pastoralis quam proposito proprie voluntatis intendimus et optamus. Ad faciendam vero prohibitionem superius annotatam iusta deliberatione consilii ad presens non vidimus procedendum, pro eo quod pro parte tua et prefati fratris tui non comparuit hactenus aliquis coram nobis, qui super iure prescripto a nobis in forma iudicii iustitiam postularet, quin immo predicti B. et R., quod secundum formam illam procedere in ipsius iuris prosecutione nolebant, in nostra fuere presentia protestati, et cum causarum merita partium assertione pandantur, de iure illo quicquam certi nequivimus adhuc scire: zelo tamen paterne dilectionis illecti, qua tuum et proximorum tuorum honorem promovere cupimus et augmentum, regem Francorum et Carolum prelibatos precibus et monitis attentius et diligentius inducemus, ut animarum suarum saluti provide consulentes, iura, que ad tuam et predicti fratris tui uxores, ipsorum cognatas, in comitatu pertinent supradicto, eis studeant liberaliter exhibere. Ceterum, quod iuri tuo et prenominati fratris tui per dispensationem prescriptam in aliquo derogetur, non vidimus nec videmus, nec videtur etiam alicui sane mentis, quanquam incentores malorum, emuli veritatis et falsitatis amici, non numquam depravare presumant rectos affectus ac licitas actiones. Et quidem, quamvis cum predicto Carolo, ut alicui mulieri, que in quarta linea consanguinitatis vel affinitatis attineret eidem, posset matrimonialiter copulari, duxerimus[a] dispensandum, illam[b] tamen, cum qua contraxit postmodum copulam coniugalem, vel aliam mulierem in dispensationis nostre pagina non expressimus nominatim; nec decuit Romanam ecclesiam viro tam nobili de stirpe regia procreato dispensationis in ultimo saltem prohibitionis matrimoniorum gradu gratiam denegare, quam minoribus quoque personis consuevit interdum in propinquiori etiam indulgere. Testamento autem, quod supradictus Provincie comes asseritur condidisse, nec credimus nec credemus, nisi quatenus nobis iustitia suadebit. Ex hiis itaque puritatem cordis nostri et sinceritatem dilectionis adtendens, in devotione sedis apostolice, matris tue, que tibi ac tuis in negotiis universis secundum Deum extitit et esse proponit favorabilis et benigna, tamquam filius benedictus inconcusse persistas, et nullis interpretationibus aut suggestionibus iniquorum, qui tui animi firmitatem a fervore devotionis ipsius avertere moliuntur, aliquatenus acquiescas.

Dat. Lugduni, Kal. Martii, anno tertio[1].

In eundem modum nobili viro R. comiti Cornubie per totum, verbis competenter mutatis.

---

a) duximus *M.* b) illa *M.*

1) *a. 1246, Mart. 6 Beatricem comitissam Provinciae, relictam Raymundi Berengarii IV, sub protectione sua recepit; Berger 1739, 1740; cf. 1741.*

153.

Innocentius IV papa [Amadeum III] comitem Sabaudiae monet, ut R[odulfo] electo Tarantasiensi, quem post cessionem [Herluini] archiepiscopi ecclesiae Tarantasiensi praefecerit, in eis, quae bonum statum eiusdem ecclesiae respiciant, potenter assistat.

1246, Mart. 2.

Inn. IV Reg. Vol. I, 265; Lib. III, 390. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau. Berger 1738.

Nobili viro . . comiti Sabaudie.

Licet continuata supervenientium negotiorum instantia[a] nostrum animum, qui disponente Domino universali regimini quamvis inmeriti presidemus, insultibus impetat successivis, sollicitudo tamen omnium ecclesiarum nostris incumbens humeris tanto artius nos cotidiana meditatione perurget, quanto ad id sumus ex iniuncto nobis apostolatus officio specialius, immo principalius deputati. Nuper igitur recepta cessione venerabilis fratris nostri archiepiscopi quondam Tarentasiensis ecclesie, nos, sperantes quod per industrie studium dilecti filii R. Tarantasiensis electi, qui Deo gratus et hominibus acceptus habetur, bonis dotatus naturalibus et gratuitis virtutibus redimitus, debeat eadem Tarantasiensis ecclesia prospere gubernari, ipsum de fratrum nostrorum consilio eidem Tarantasiensi ecclesie in archiepiscopum prefecimus et pastorem, plena sibi tam in temporalibus quam spiritualibus amministratione concessa. Quocirca nobilitatem tuam rogandam duximus attentius et monendam, mandantes, quatinus ipsum favore gratie prosequens speciali, sic eidem ob reverentiam apostolice sedis et nostram assistas in hiis, que bonum statum ecclesie prefate respiciunt, utiliter et potenter, quod eadem ecclesia ministerio ipsius, tuo suffulti suffragio, prosperitatis[b] suscipiat incrementa, et nos devotionem tuam proinde dignis in Domino laudibus commendemus[1].

Dat.[c] Lugduni, VI Nonas[d] Martii, anno tertio[2].

154.

Innocentius IV papa [Henrico III] electo Argentinensi consideratione universitatis civium Argentinensium concedit, ut cum Iohanne canonico Sancti Thomae Argentinensis super pluralitate beneficiorum dispensare possit.

1246, Mart. 20.

Inn. IV Reg. Vol. I, 268; Lib. III, 418. Exemplar ap. Berger extans cum Regestis contulit et ex eis supplerit V. Cl. A. Mau.

Berger 1766.

a) *sequitur in R.:* etc. ut supra usque: administratione concessa. b) prospitatis *R.* c) Dat. ut supra *R.* d) *ita R.;* Idus *M., quem notam chron. ep. 387 [B. 1736] descripsisse putamus.*

1) *Amadeus a. 1245, Iul. a partibus imperatoris stetit, qui ei Sept. quandam gratiam elargitus est; Bohmer-Ficker, l. c. 3490g, 3504. Papa a. 1246, Febr. 14—28 'comiti Sabaudiae' indulsit, ut certum pecuniae summam ab abbate Altaecumbae mutuatam solvere non teneretur; Hist. patriae monum. Chart. t. I, col. 1375. Quae epistola, in Reg. non relata, non Thomae, ut Potthast 12021 vult, sed Amadeo concessa est; nam Amadeus, etiamsi Thomae fratri suo a. 1245, Febr. 18 terram de Pedemontio [Piemont], reservata superioritate, tradidisset [Wurstemberger, Peter v. Sav. t. IV, p. 103, n. 182], solus 'comes Sabaudiae' appellabatur, frater vero eius aut 'Thomas de Sabaudia' aut 'Th. de Sabaudia comes', scil. quondam comes Flandriae. — Amadeus a. 1247, Apr. 21 Beatricem filiam suam Manfredo filio imperatoris despondit; Bohmer-Ficker, l.c. 3626.*

2) *Aliae epistolae in hac causa sub eodem die missae ap. Berger 1737.*

. . electo Argentinensi.

Ex parte universitatis civium Argentinensium fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum dilecto filio Iohanne canonico Sancti Thome Argentinensis super pluribus ecclesiasticis beneficiis[a] cum hiis que obtinet obtinendis[b], etiam curam habentibus animarum, si sibi canonice offerantur, usque ad summam octuaginta marcarum argenti dispensare de speciali gratia curaremus. Licet igitur ad refrenandas ambitiones quorundam, nequis plures ecclesias vel ecclesiasticas dignitates habeat, sacri concilii constitutio interdicat, dictorum tamen civium consideratione ac ipsius canonici probitatis meritis, super quibus ei laudabile testimonium perhibetur, inducti, discretioni tue, de qua plenam fiduciam obtinemus, presentium auctoritate concedimus, ut — constitutione non obstante predicta — super premissis cum eo auctoritate nostra dispenses usque ad quantitatem, quam pensatis[c] circumstantiis et eius meritis secundum Deum videris expedire; proviso quod beneficia eadem debitis etc. usque: negligatur.

Dat. Lugduni, XIII Kal. April. anno tertio.

155.

Innocentius IV papa vassallis et fidelibus ecclesiae Virdunensis mandat, ut [Guidoni] episcopo Virdunensi homagium et fidelitatis iuramenta sine dilatione exhibeant, cum ad praesens in Teutonia imperator vel rex non habeatur, a quo episcopus regalia recipere possit. — Primicerio et capitulo Virdunensibus mandat, ut episcopo regalia assignent.

1246, Mart. 21.

Inn. IV Reg. Vol. 1, 266; Lib. III, 402 et 403. Pertzii exemplaria cum Regestis denuo contulit V. Cl. A. Mau.

Berger 1750 et 1751.

I.

Universis vassallis et fidelibus ecclesie Virdunensis.

Presentium vobis auctoritate districte precipiendo mandamus, quatinus venerabili fratri nostro . . episcopo Virdunensi[1] homagium et fidelitatis debite iuramenta sine dilatione qualibet, cum nullum[d] ad presens in Theotonia imperatorem nullum habeat sive regem, a quo [regalia][e] Virdunensis ecclesie recipere valeat, exhibere curetis. Alioquin sententiam sive penam, quam idem episcopus spiritualiter vel temporaliter rite tulerit in rebelles, ratam habebimus etc. usque: observari.

Dat. Lugduni, XII Kal. Aprilis, anno III.

In eundem modum universis civibus Virdunensibus.

II.

. . primicerio et capitulo Virdunensibus.

Universitati vestre presentium auctoritate firmiter precipiendo mandamus, quatinus regalia Virdunensis ecclesie venerabili fratri nostro . . episcopo Virdunensi absque qualibet difficultate ac dilatione assignare curetis.

Dat. ut supra.

a) beneficiis *in ras.* b) *ita R.;* retinendis *B.* c) quam prout pensatis *R. Duae formulae confusae sunt; nam aut ita ut correximus, aut* dispenses, prout pensatis *etc. scribebatur.* d) *locus corruptus; nescimus an pro primo vel potius secundo verbo* nullum *legendum sit* ille. e) regalia *deest R.*

1) *Postquam duplex electio in ecclesia Virdunensi celebrata fuit, papa a. 1245, Aug. 21 electionem Guidonis confirmaverat; Berger 1424. Aliae epistolae in favorem eiusdem episcopi scriptae ap. Berger 1451—1454, 1803, 1853.*

156.

Innocentius IV papa [Ottoni] Salisburgensi et [Wernhero] Berchtesgadensi praepositis significat, se [Alberto] archiepiscopo Prusciae, Liviniae et Estoniae vacantem episcopatum Chiemensem, nisi quis ad ipsum canonice electus sit, usque ad beneplacitum apostolicum commisisse gubernandum, iisque mandat, ut ei administrationem episcopatus assignent. **1246, Mart. 30.**

Inn. IV Reg. Vol. I, 272: Lib. III, 457. Exemplar ap. Gotze, Albert Suerbeer p. 170, n. 2 extans cum Regestis contulit et ex eis correxit V. Cl. A. Mau.

Potthast, Reg. 12041; Perlbach, Preuss. Reg. n. 250; Berger 1798.

. . Salzeburgensi et . . Pechtersgardmensi[1] Salzeburgensis diocesis ordinis sancti Augustini prepositis.

Cum operosi sollicitudo laboris, quem circa novelle plantationis primordia exerceri oportet, sit oportunis subsidiis relevanda, ut apostolice sedis provisio, unumquemque secundum proprium laborem prospiciens, ex presenti collatione munerum expectationem firmam indicet futurorum, et singuli tanto exurgant utiliter[a] ad labores, quanto unum eundemque[b] sentiunt imponentem onera et ab oneribus relevantem: venerabili fratri nostro . . archiepiscopo Pruscie, Livonie et Estonie, quem a vinculo ecclesie Armachane[2] duximus absolvendum[3], ingredienti terram novo predicationis vomere noviter excolendam archiepiscopalis dignitatis prima sede concessa, quam de fratrum nostrorum consilio primo ibidem statuimus collocandam, ne clare auctoritatis amplitudo sibi credita necessitatis angustiam patiatur et ut nove culture, fructus ubertate carenti, quod deest adiectio suppleat oportuna, Chimensem episcopatum, qui nunc vacat[4], in Salzeburgensi provincia constitutum, si aliquis ad ipsum canonice minime sit electus, tam in spiritualibus quam temporalibus committimus gubernandum, donec de nostro fuerit beneplacito voluntatis, cum illum suo credamus ministerio laudabilibus proficere incrementis. Nostre igitur commissionis mandatum nolentes aliquatenus impediri, mandamus, quatinus eidem archiepiscopo vel eius nuntio amministrationem episcopatus eiusdem iuxta tenorem commissionis apostolice assignantes, contradictores, si qui fuerint, et rebelles monitione premissa per censuram ecclesiasticam a molestatione huiusmodi compescatis. Quod si non ambo etc.

Dat. Lugduni, III Kal. Aprilis, anno tertio[5].

157.

Innocentius IV papa [Brunoni] electo Olomucensi concedit facultatem vocandi religiosos et alios clericos saeculares dioecesis suae ad locum, in quo fuerit extra ipsam, et iniungendi eis illa, in quibus sibi teneantur. **1246, Apr. 16.**

Inn. IV Reg. Vol. I, 273: Lib. III, 460. Pertzii exemplar contulimus cum Boczek, Cod. dipl. Moraviae t. III, p. 62, n. 84.

Potthast, Reg. 12057; Berger 1801.

a) *Haec ratio dicendi minus correcta, cum* utilius *legi debeat, in ep. papalibus saepius occurrit.*
b) idemque *R.*

1) *Berchtesgaden e mer. civ. Salzburg.* 2) *Armagh in Hibernia.* 3) *Eum '[archi]episcopum Prusciae' primo a. 1245, Nov. 30 nominatum legimus: Potthast, p. 1015.* 4) *Albertus episcopus Chiemensis a. 1244 ad instantiam Eberhardi II archiepiscopi Salisburgensis ob debilitatem corporis episcopatum resignaverat: Ann. S. Rudberti Salisb. a. 1244, SS. t. IX, p. 788.* 5) *Eodem die idem ipsi Alberto archiepiscopo scripsit; Potthast 12042, Berger 1779. Aliae gratiae ei factae vel mandata ei directa ap. Berger 1667, 1699, 1726, 1761, 1785, 1817–1819, 1824, 1825, 1870, Potthast 12045 et infra sub Mai. 5.*

.. electo Olomucensi.

Cum, sicut te accepimus intimante, absque culpa tua non possis diocesim Olomucensem intrare[1], ne id tibi cedat in preiudicium et subditis tuis officiat ad salutem, vocandi tam religiosos quam alios clericos seculares dicte diocesis ad locum, in quo fueris extra ipsam, et iniungendi eis illa, in quibus tibi tenentur, auctoritate tibi presentium concedimus facultatem — non obstante constitutione de duabus dietis edita in concilio generali.

Dat. Lugduni. XVI Kal. Maii, anno III.

158.

Innocentius IV papa monasterium monialium de Heegebolxhen. Argentinensis diocesis consideratione I[ohannis] comitis Montis fortis, devoti sui, magistro et priori Teutoniae ordinis Praedicatorum committit. *1246, Apr. 20.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 276; Lib. III, 487. Hanc epistolam, ex Regestis descriptam a V. Cl. A. Mau, contulimus cum authentico epistolae priorisse et conventui monialium monasterii de Cella Dei extra muros Gamundie *a. 1246, Mart. 13 directae, cum illa congruentis, in Wirtemb. U. B. t. IV, p. 130, n. 1069 [A.]; cf. Berger 1768.*

Berger 1827.

.. priorisse et conventui monasterii de Hecgebolxhen.[a 2] Argentinensis diocesis.

Apostolice sedis benignitas prudentes virgines, que se parant accensis lampadibus obviam sponso ire[b], tanto propensiori debet studio prosequi caritatis, quanto maiori propter fragilitatem sexus indigere suffragio dinoscuntur. Cum igitur, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, vos, incluse corpore in castris claustralibus, mente tamen libera devote Domino famulantes, de constitutionibus[c] fratrum ordinis Predicatorum illas, que vobis competunt, hactenus laudabiliter duxeritis observandas et committi .. magistro et .. priori Theutonie ipsius ordinis affectetis: nos, pium vestrum propositum in Domino commendantes, devotionis vestre precibus ac etiam consideratione nobilis[d] viri I.[e] comitis Montis fortis[3], devoti nostri[f], nobis [pro vobis][g] supplicantis inducti, vos et monasterium vestrum auctoritate presentium ..[h] magistro et priori committimus supradictis, eadem auctoritate[i] nichilominus statuentes, ut sub magisterio et doctrina magistri et prioris provincialis Theutonie, qui pro tempore fuerint, de cetero maneatis, illis gaudentes privilegiis, que ordini predicto ab apostolica sede concessa sunt vel in posterum concedentur. Ipsi quoque[k] magister et prior — contraria consuetudine ipsius ordinis vel indulgentia a sede apostolica obtenta seu etiam obtinenda

---

a) Hecgebolxheñ *vel* Hecgebokheñ *R.*; Hecbolxhen *B.* b) *sequitur in R.*: etc. ut supra in secundo folio istius quaterni, in illa que conceditur priorisse et sororibus monasterii sancti Petri in Halmawe ordinis sancti Augustini Salzeburgensis diocesis usque: in Domino commendantes. c) institutionibus *A.* d) dilecti filii nobilis *A.* e) Iohannis *A.* f) devoti nostri *deest A.* g) pro vobis *deest apogr.* h) .. *deest A.* i) *sequitur in R.*: etc. ut in eadem usque: roboratis. k) Ipsique *A.*

1) *Cf. n. 140.* 2) *Ut videtur Herbolzheim in Bad. Bez.-Amt Ettenheim ex sept. cir. Freiburg; hunc enim locum etiam* Herbolezhen *scriptum invenimus.* 3) *Hunc comitem I. et Iohannem in A. commemoratum eundem esse putamus. Num fuerit e genere comitum de Monteforti in Vorarlberg ex sept. cir. Feldkirch sedentium, quod ramus generis comitum palatinorum de Tubingen fuit, nescimus, cum inter hos nomen Iohannis non repererimus. Eum autem Iohannem comitem Montisfortis Amalrici [inter cir. Paris et Chartres] fuisse neque affirmari neque negari potest.*

nequaquam obstantibus — animarum vestrarum sollicitudinem gerentes et curam ac vobis de constitutionibus[a] eiusdem ordinis illas que vobis competunt sine difficultate qualibet exhibentes, eidem monasterio per se vel per alios fratres sui ordinis, quos viderint idoneos[b], quotiens expedierit, officium visitationis impendant, corrigendo et reformando ibidem tam in capite quam in menbris, que correctionis seu[c] reformationis officio noverint indigere, et[d] nichilominus instituant et destituant, mutent et ordinent, prout in aliis monasteriis monialium eiusdem ordinis fieri consuevit. Confessiones vestras audiant et ministrent vobis ecclesiastica sacramenta. Electio[e] tamen priorisse libere pertineat ad conventum. Et ne pro eo quod in monasterio vestro ipsius ordinis fratres residere continue non tenentur, pro defectu sacerdotis possit periculum imminere, predicti magister et prior ad confessiones in necessitatis articulo audiendas et ministranda sacramenta predicta deputent vobis aliquos[f] discretos et providos capellanos. Ad hec liceat vobis redditus et possessiones recipere ac ea libere retinere — non obstantibus contraria consuetudine seu statuto ipsius ordinis confirmatione sedis apostolice aut quacumque firmitate alia roboratis. Nulli ergo etc. nostre commissionis[g] et constitutionis etc. Si quis etc.

Dat. Lugduni. XII Kal. Maii. anno tertio.

In eundem modum per totum .. priorisse et conventui monasterii de Merinbrunne[1] Argentinensis diocesis[2].

159.

Innocentius IV papa archiepiscopos et alios principes Teutoniae habentes potestatem eligendi Romanorum regem hortatur mandans, ut [Henricum] lantgravium Thuringiae, negotium imperii ad praesens vacantis assumere paratum, in regem Romanorum. in imperatorem postmodum promovendum, absque dilatione unanimiter eligant. 1246, Apr. 21.

Inn. IV Reg. Vol. I, 301; Lib. III, cur. 4. Damus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1246, § 2. Potthast, Reg. 12071; Berger 1969.

Archiepiscopis et nobilibus viris aliis principibus Theutonie habentibus potestatem eligendi Romanorum regem, in[h] imperatorem postmodum promovendum.

Quia inter ceteros orbis principes honorem ecclesie ac imperii Romani tenemini specialiter procurare, nosque firma credulitate speramus, quod ad exaltationem utriusque tanquam fide preclari et devotione sinceri sollicite intenditis et ferventer, eo confidentius vos ad id requirimus et hortamur, quo nostris in hac parte beneplacitis libentius et promptius vos credimus parituros. Hinc est, quod cum dilectus filius nobilis vir lantgravius Thuringie ad honorem Dei et ecclesie ac Christiane religionis presidium imperii predicti negotium assumere sit paratus, universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente mandantes, in remissionem peccaminum iniungendo, quatinus de gratia spiritus sancti confisi eundem lantgravium in Romanorum[i] regem, in[k] imperatorem postmodum promovendum, cum prefatum imperium ad presens vacare

---

a) *ita etiam A.* b) quos ad hoc idoneos viderint *A.* c) et *corr. in* seu *R.*; et *A.* d) et *deest A.* e) *verba* Electio — conventum *ante* Confessiones *in A. posita sunt.* f) viros *add. in R., punctis suppositis deletum est; deest A.* g) concessionis *A., male, nam in similibus epistolis semper* commissionis. h) *B.:* et in *Rayn.* i) Romanum *Rayn.* k) et in *Rayn.*

1) *Moerenbrunne, Marienbrunn.* 2) *Eodem Apr. 20 magistro et priori Teutoniae ordinis Praedicatorum scripsit se haec duo monasteria ordini eorum committere; Berger 1828.*

noscatur, unanimiter absque dilationis dispendio eligatis, intendentes sibi fideliter et constanter ac viriliter assistentes ad laudem et gloriam domini Iesu Christi, catholice fidei et ecclesie[a] libertatis augmentum et tranquillitatem totius populi Christiani. Nos enim eiusdem imperii ac vestra et aliorum principum Theutonie negotia curabimus auctore Domino indefessa sollicitudine promovere[1].

Dat. Lugduni, XI Kal. Maii, anno tertio.

160.

Innocentius IV papa [Wenceslaum] regem Bohemiae totius diligentiae studium adhibere iubet, ut electio de Romanorum rege in imperatorem postmodum promovendo, loco Friderici quondam imperatoris celebranda, unanimiter et sine dilatione fiat.

1246, Apr. 21.

Inn. IV Reg. Vol. I, 301—302; Lib. III, cur. 5. Pertzii exemplar, suppletum ex Rayn. Ann. eccl. a. 1246, § 3, contulimus cum Erben, Reg. Bohem. t. I, p. 539, n. 1147, et Riedel, Cod. dipl. Brandenb. 2. Hauptth. t. I, p. 27, n. 39.

Potthast, Reg. 12072; Berger 1970.

.. regi Boemie.

Quia inter ceteros orbis principes etc. ut supra in proxima usque: credimus pariturum. Hinc est, quod serenitatem tuam monemus[b], rogamus et hortamur attente, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatinus pie pensans, quam dura[c] persecutione Dei ecclesiam Fr. quondam Romanorum imperator olim afflixerit et adhuc concepte malitie prosecutor affligere non desistat, et quanta commotione guerrarum, velut fervens pacis emulus, quam plures provincias Christianorum quassaverit et concutiat incessanter, considerans etiam, quod si prefato imperio fuerit divina operante clementia de catholico et devoto imperatore provisum, et ipsius ecclesie cessabit tribulatio et pacis tranquillitas reddetur populis Christianis, totius diligentie studium adhibere procures[d], ut electio de Romanorum[e] rege in imperatorem postmodum promovendo unanimiter absque dilationis dispendio celebretur, ita quod ex hoc grande a Deo premium et uberiorem ab apostolica sede favorem consequi merearis.

Dat. ut in proxima.

In eundem modum episcopo Herbipolensi[2].

a) *an* ecclesiastice? b) monemus — consequi merearis *ex Rayn.* c) dira *Erb.* d) procurares *Rayn., Ried.* e) Romano *Rayn., Ried.*

1) *Singuli principes non nominantur, quia constitutum nondum fuit, qui soli regem eligendi potestatem haberent. Cum autem epistola certae personae, quae eam publicaret, exhibita esse debeat, eam electo Ferrariensi transmissam esse putamus, qui tunc in Germania erat, ut pro electione novi regis laboraret, et probabile est ei commissum esse, quibus principibus 'potestatem eligendi regem' attribuendam duceret. Epistola secreta fuisse videtur, solis principibus ecclesiae devotis aperienda, cum in ea patenter mandatum sit, ut lantgravius eligeretur, in n. 160—162 autem papa, ne eum eligendum diceret, quodammodo caverit. Obstare quidem videtur, quod idem sub Apr. 24, in epistola in Reg. non relata [Potthast 12078], Lubicenses monuit, ut 'lantgravio', postquam in regem electus fuisset, intenderent et assisterent; sed ea quoque epistola et aliae, quae non supersunt, specialibus ecclesiae amicis directae, electo transmissae esse possunt, ut eas illis, si expedire videret, destinaret. Fortasse quoque papa voluit, ut ep. nostra in curia demum pro electione regis congreganda recitaretur. Sine dubio insuper mandatum, cuius notitiam non tenemus, aut per litteras aut per nuntium directum est, per quod quomodo haec ep. publicari deberet, circumscriptum est. — De re cf. Böhmer-Ficker, l. c. 4865 c et d.* 2) *Hermanno. Eidem Iun. 5 mandavit, ut cum O. nepote suo, archidiacono Herbipolensi, nato Hermanni de Lobedenburg [qui electioni Henrici lantgravii interfuit; Böhmer-Ficker. l. c. 4867], super quibusdam beneficiis dispensaret; Berger 1891; cf. etiam 1837.*

In eundem modum duci Bawarie[1].
In eundem modum nobili viro duci Brabantie[2].
In eundem modum nobili viro duci Saxonie[3].
In eundem modum nobili viro duci de Brusuwich[a][4].
In eundem modum nobili viro marchioni Misnensi[5].
In eundem modum nobilibus viris marchionibus Brandeburgensibus[6].

161.

Innocentius IV papa [Philippo] electo Ferrariensi concedit facultatem, ut postquam rex Romanorum electus fuerit, universos praelatos et principes et alios clericos et laicos Teutoniae compellere possit, ut eidem obediant. *1246, Apr. 22.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 302; Lib. III, cur. 6. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1246, § 7.

Potthast, Reg. 12073; Berger 1971.

.. electo Ferrariensi.

Cupientes imperii negotium Romani, suffragante divina gratia, laudabiliter promoveri, discretioni tue, ut postquam de Romanorum rege in imperatorem postmodum promovendo extiterit[b] electio celebrata, universos tam ecclesiarum secularium et regularium prelatos quam principes et alios clericos et laicos per Theutoniam constitutos, ut ei, qui electus fuerit, efficaciter intendant, fidelitatis iuramenta prestent ac omnia exhibeant, que consueverunt ab eis Romanis regibus seu imperatoribus exhiberi, dictos prelatos et clericos monitione premissa per suspensionis ab officio, dignitate, honore ac beneficio sententiam, prefatos vero principes et laicos per penam spiritualem et temporalem valeas, si fuerit necesse, compellere, auctoritate presentium duximus concedendum[c]. Illis autem prelatis et clericis, quos propter hoc suspenderis, districte iniungas, ut infra certum terminum peremptorium, quem eis prefixeris, apostolico se conspectui personaliter representent, depositionis vel aliam, prout qualitas delicti exegerit, sententiam recepturi: denuntians ipsis, quod si forte in prefixo sibi termino non curaverint comparere, nos nichilominus contra eos ad depositionem vel penas alias — non obstante ipsorum absentia corporali —, sicut expedire videbimus, procedemus[7].

Dat. Lugduni, X Kal. Maii, anno tertio.

a) *leg.* Brunswich. b) extitit *Rayn., quod correximus ex n. 162.* c) *Hucusque ex Rayn.*

1) *Ottoni II. Sub Apr. 2 eundem blandè allocutus monuit, ut 'in opportuni temporis articulo contra furentes insultus in matris ecclesiae pietatem viriliter accingeretur'; et eodem die ei concessit, ut in eum in devotione sedis apostolicae permanentem excommunicationis et interdicti sententiae promulgari non possent sine sedis eiusdem mandato speciali; quae epistolae in Reg. non leguntur; Potthast 12046, 12047.* 2) *Henrico II.* 3 *Alberto.* 4) *Ottoni.* 5) *Henrico. Sub a. 1245, Aug. 18 Henrico praeposito Misnensi, fratri eius, quandam gratiam concesserat; Potthast 11813; Berger 1426.* 6) *Iohanni et Ottoni III. Ex eo quod nomina aliorum principum, praesertim archiepiscoporum, adscripta non sunt, minime sequitur, ad eos hanc epistolam missam non esse; nam minorem diligentiam in nominibus tali modo subiungendis adhibitam saepius vidimus; v. n. 51 et 78; cf. etiam t. I, p. XI. Neque concludere licet papam iis principibus, qui nominantur, regem eligendi potestatem attribuere voluisse, cum consulto, ut credimus, verba mandati sui parum definierit neque Henricum lantgravium, ut in n. 159, eligendum dixerit.* 7) *Cf. n. 201 et ep. electi a. 1246, Aug. 13 ap. Hofler, Alb. v. Beham p. 121, n. 37.*

162.

Innocentius IV papa universos fratres Minores Teutoniae monet, ut fideles Teutoniae exhortationibus inducant, ut ei, qui in Romanorum regem electus fuerit, intendant et assistant. *1246, Apr. 22.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 302; Lib. III, cur. 7. Pertzii exemplar contulimus cum Wadding, Ann. Min. a. 1246, § 5.
Potthast, Reg. 12074; Berger 1972.

Universis fratribus de ordine fratrum Minorum per Theotoniam constitutis.

Cum ordinem vestrum inter alios apostolica sedes speciali prosequatur affectu ipsumque pluribus honoraverit privilegiis et multiplici semper intendat communire favore, tanto pleniorem de vobis gerit fiduciam, quanto vos inter religiosos ceteros maiori erga se sperat devotione fervere. Hinc est, quod universitatem vestram monemus et hortamur attente, quatinus postquam electio de Romanorum rege in imperatorem postmodum promovendo extiterit celebrata, Christi fideles per Theutoniam constitutos, quotiens oportunitatem habueritis, attentis exhortationibus iuxta datam vobis a Deo prudentiam tam in occulto quam publico[a] inducatis, in remissionem ipsis peccaminum iniungentes, ut ei, qui electus fuerit, fideliter et efficaciter intendant ac assistant viriliter et constanter.

Dat. ut supra.

In eundem modum universis fratribus ordinis Predicatorum per Theutoniam constitutis.

163.

Innocentius IV papa Friderico comiti de Bichelinge concedit, ut in matrimonio cum Adewic contracto, non obstante quarto affinitatis gradu, remanere possit.
1246, Apr. 24.

Inn. IV Reg. Vol. I, 274; Lib. III, 466.
Berger 1807.

Nobili viro Frederico comiti de Bichekage[b 1] Maguntine diocesis[c].

Cum summus pontifex, collatis sibi in persona beati Petri ab eo, qui eterna providentia celestia simul et terrena disponit, clavibus regni celestis, ligandi obtineat pontificium et solvendi, nonnumquam, supra ius de iure dispensans, necessitatis vinculum, quo ad ipsius iuris observantiam cuncti tenentur, laxat provide de sue potestatis plenitudine circa quosdam, cum urgens necessitas exigit vel evidens utilitas, maxime publica, persuadet, nulla interveniente acceptione indebita personarum, quia non est reputandum deferri persone, cum pro loco et tempore non privati sed publici commodi gratia, et presertim divini consideratione servitii, quicquam alicui sine iuris iniuria indulgetur. Hinc est, quod cum, sicut accepimus, tu, qui ecclesie Romane fuisti et

a) quam in publico *W.* b) *ita R.; leg.* Bichelinge. c) Maguntine diocesis *deest B.*

1) *Beichlingen Prov. Sachsen, Reg.-Bez. Merseburg.*

esse in posterum poteris multipliciter fructuosus[1], cum nobili muliere Adewic, te contingente quarto affinitatis gradu, matrimonium in facie ecclesie duxeris contrahendum, nos, tuis supplicationibus inclinati, ut — gradu huiusmodi non obstante — tu et eadem mulier in matrimonio sic contracto licite remanere possitis, auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo etc.

Dat. Lugduni, VIII Kal. Maii, anno III.

164.

Innocentius IV papa [Raynaldo] episcopo Ostiensi, S[tephano] tituli Sanctae Mariae Transtiberim presbytero et R[icardo] Sancti Angeli diacono cardinalibus scribit, grandem laetitiam consecutum se esse, quod quidam nobiles regni Siciliae Friderico se opposuerint, eosque hortatur, ut eos, qui a parte persecutoris ad ecclesiae praesidium confugerint, benigne foveant. *1246, paulo ante Apr. 26.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 304; Lib. III, cur. 20.
Berger 1985.

.. episcopo Ostiensi, S. tituli Sancte Marie Transtiberim presbytero et R. Sancti Angeli diacono cardinalibus.

Grandem super eo cordis consecuti letitiam, quod institutor ecclesie, dominus Iesus Christus, illius videtur tristitie consolationis remedia contulisse, ad hoc deducto persecutore fidei, ut eos de nobilibus regni Sycilie gemat sibi videre obiees, quos sue voluntatis impie olim habuit promotores[2], iuxta suasum discretionis vestre laudabilem fratrum nostrorum consilio communicato providimus, quod promovendo salutis inchoate negotio vigilem diligentiam apponamus, sub spe divine clementie, quod ex hoc industrie vestre cooperante studio multiplex ad honorem ecclesie debeat utilitas provenire. Ceterum cum corda nobilium regni eiusdem, qui dicti persecutoris iacula fugientes ad ecclesie presidium concurrerunt, per instantiam attentionis provide boni propositi deceat firmitate fulciri, ad hoc intendat vestra sollertia, ut, sicut olim laudabiliter, sic et in posterum ipsos benignis foveatis affectibus, et quod per ministerium eorundem ac aliorum devotorum ecclesie causa Dei proficiat, quam digne poteritis, opem et operam apponatis[3].

165.

Innocentius IV papa R[icardum] Sancti Angeli diaconum cardinalem monet, ut ad id affectum suum convertat, ut per auxilium illorum, qui Friderico quondam faventes nunc ei obsistant, et praecipue per potentiam domus suae, honor ecclesiae proficiat. *1246, paulo ante Apr. 26.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 304; Lib. III, cur. 21.
Berger 1986.

1) *a. 1246, Iul. 21 in charta Henrici regis testis reperitur; Bohmer-Ficker, l. c. 4869.* 2) *Alludit ad coniurationem a quibusdam nobilissimis regni Siciliae ad imperatorem interficiendum factam, quae a. 1246, Mart. Grosseti detecta est, et ad seditionem exinde in regno commotam; Bohmer-Ficker, l. c. 3547a et sequ.* 3) *Hanc ep. et n. 165–167 nonnullis diebus ante Apr. 26 [n. 168] scriptas esse credimus, ubi primum papa de coniuratione deprehensa et seditione exorta certior factus fuerit et priusquam placuerit, quibus cardinalibus legationis officium committeretur. De nota chronol. deficiente cf. p. 127, not. 2. — Imperator papam auctorem ipsius conspirationis postea appellavit, asserens eum mortem suam praedixisse; Bohmer-Ficker, l. c. 3617. Num hoc verum sit, ex hac epistola et sequentibus diiudicari non potest, quia nuntius Grosseto proficiscens infra mensis spatium Lugdunum facile pervenire potuit et iam haec epistola et n. 166 missae sunt, postquam inceptum successu caruisse et conspiratores fugisse apud curiam notum fuit; cf. etiam n. 174.*

R. Sancti Angeli diacono cardinali.

Refecti devotionis odore[a], quem tua nobis pagina presentavit, tenore presentium te cum fiducia duximus ammonendum[b], quatinus sollicita mente considerans, quante affluentia pietatis suam Deus in eo prosequatur ecclesiam, quod perfido et impio Friderico per illos obsistitur, quorum anima pro ipso hactenus ponebatur, ad hoc tuum ex animo convertas affectum, ut per illorum auxilium, quos nosti apostolice sedis devotos, et precipue per domus tue[1] potentiam, honor ecclesie pro voto proficiat et persecutor eius dextera Domini triumphante succumbat, sitque tibi ex hoc apud homines augmentum clari nominis et penes Altissimum perhempnium retributio premiorum.

166.

Innocentius IV papa Pandulfum de Fasanella, Iacobum de Morra et Willelmum Franciscum spe libertatis recuperandae confortat, maxime cum pro salute regni Siciliae procuranda de legatis sollemnibus et oportuno subsidio providerit.

Inn. IV Reg. Vol. I, 304; Lib. III, cur. 18. *1246, paulo ante Apr. 26.*
Berger 1983.

Nobilibus viris Pandulfo de Fasanella, Iacobo de Morra[c] et Willelmo Francisco.

Gratias agimus divine clementie, quod vos de manu Pharaonis eripuit et ad sedis apostolice gremium personas vestras cum salute deduxit[2]. Vos autem, benedictionis filii, constantis animi fortitudinem assumentes, expectetis cum fiducia, quod vos et alios afflictos regni Sycilie cito virtus Altissimi sub iocunda constituet libertate, maxime cum nos fratrum nostrorum communicato consilio pro ipsius regni procuranda salute de legatis sollempnibus et oportuni subventione subsidii duxerimus[d] providendum, sperantes de ipsorum proventurum industria, quod causa Dei et ecclesie ad triumphi gloriam Deo propitio cito debeat pervenire.

167.

Innocentius IV papa Aegidio domine Gaite civi Romano idem fere scribit, mandans ut sicut antea cum sociis suis Friderici tyrannidi resistat. *1246, paulo ante Apr. 26.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 304; Lib. III, cur. 19.
Berger 1984.

Nobili viro Egidio domine[e] Gaite, civi Romano.

Inspecta cum gaudio litterarum serie quas misisti, nobilitatem tuam super eo, quod in reprimendo impii Friderici nequitiam te ad honorem Dei et ecclesie reddis

a) honore *B.* b) commonendum *B.* c) Morr. *B.* d) duximus *P.* e) dñe. *R. MAP*; dne. *B.*, *qui domino legendum esse coniecit. Sed in Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 55, n. 608 civis Romanus ecclesiae fidelis occurrit, qui* Egidius donne Gaite *appellatur, quem eundem atque hic commemoratum fuisse opinamur.*

1) *Annibaldorum, familiae Romanae.* 2) *Pandulfus de Fasanella et Iacobus de Morra, postquam coniuratio deprehensa est, a curia imperatoris Romam confugerant; Bohmer-Ficker, l. c. 3547a. Willelmus Franciscus, quem in aliis fontibus inter conspiratores non reperimus, ut ex hoc loco concludere licet, et ipse Romam fugisse videtur. Cf. n. 174.*

pro posse sollicitum, plenis prosequimur actionibus gratiarum. Cum autem tibi et aliis devotis ecclesie super hoc iam debeat et possit augeri audatia, quia pro regni Sycilie procuranda salute de legatis sollempnibus et alias etiam de subsidio providimus oportuno, sinceritatem tuam affectuose rogandam duximus et monendam, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatinus, sicut laudabiliter incepisti, una cum sociis tuis contra illius tyrampni perfidiam constantiam habeas inconcussam, sperans quod ecclesia, que merita devotorum in sui pectoris secreto constituit, tibi ac eisdem sociis, que sunt condigni favoris et gratie, oportuno tempore compensabit.

168.

Innocentius IV papa archiepiscopis et aliis praelatis et comitibus, baronibus, militibus et populis civitatum, castrorum et locorum regni Siciliae iniungit, ut Friderici quondam imperatoris duro dominio abdicato, cui plures de nobilibus regni iam se opposuerint, ad gremium ecclesiae redeant, scituri se iis subvenire paratum duos legatos, S[tephanum] tituli Sanctae Mariae Transtiberim presbyterum et R[aynerium] Sanctae Mariae in Cosmidin diaconum cardinales, promotioni huius negotii deputasse. *1246, Apr. 26.*

Inn. IV Reg. Vol. I. 302; Lib. III, cur. 8. Damus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1246, § 11—13. Potthast, Reg. 12081; Berger 1973.

Archiepiscopis et episcopis, abbatibus et[a] prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis, ac nobilibus viris comitibus, baronibus, militibus et populis civitatum, castrorum et locorum per regnum Sicilie constitutis.

In omnem terram vestre sonus tribulationis exivit et in fines orbis terre compassione dignissimi vestri gemitus processerunt, multis pro miro vehementi ducentibus, quod pressi tam dire servitutis opprobrio et personarum ac rerum gravati multiplici detrimento neglexeritis habere consilium, per quod vobis sicut gentibus ceteris aliqua provenirent solatia libertatis. Verum super hoc apud sedem apostolicam vos excusante formidine, que corda vestra sub alterius Neronis videbatur dominio possidere, sedis eiusdem pietas sepe multis, que materna suggerere solet affectio, vacavit ingeniis, ut per eius auxilium vel aliqua vobis penarum remissio fieret vel plene redemptionis gaudium proveniret. Propter hoc enim pie recordationis Gregorius papa predecessor noster angustias cordis pertulit, quousque temporalis vite spatium pertransivit, propter hoc etiam nos ipsi, adhuc in minori manentes officio et postquam licet immeriti fuimus in pastorem ecclesie generalis assumpti, profunda fundimus et amara suspiria, voce cordis clamantes ad Dominum, quod vos in diebus nostris dignanter efficeret de numero liberorum. Cum autem nimis in longum fieret desiderii nostri protensio, ut minister fallacie Fridericus, turbator seculi, fidei Christiane contemptor, persecutor ecclesie et humilitatis vestre depressor assiduus, a solite perversitatis operibus fieret alienus, ad remota loca sub laborum et dolorum experientia plurimum[b] elegimus proficisci, ubi post expectationis longe tedia cognoscentes, quod dictus persecutor hoc solum exquireret, ut deleret ecclesiam vel ipsam cum eius filiis astrictam redderet necessi-

a) *B.:* et *deest Rayn.* b) *an* plurimorum?

tatibus lacrimosis, ipsum de sacri approbatione concilii, tanquam obstinato corde nolentem ab iniquitate resurgere, digne privavimus regnorum et imperii dignitate, concepta de divina pietate fiducia, quod vestris precipue ac plurium aliorum angustiis daretur exitus salutaris. Qui cum venturus in proximo per Dei gratiam iam speretur, commoto contra impium orbe terrarum, oppositis ei pluribus regni nobilibus, qui sibi et vobis ac posteris optant solatia libertatis: universitatem vestram per Dei misericordiam obsecramus et in remissionem vobis iniungimus peccatorum, quatinus nobis et fratribus nostris super afflictione vestra gementibus festinam super eo prebeatis letitiam, quod dampnati hominis abdicato dominio, cui penitus in nullo tenemini, per nos a iuramento fidelitatis totaliter absoluti, ad gremium sancte Romane ecclesie matris vestre, cuius estis speciales filii, cessantibus quibuscunque diffugiis redeatis, presertim cum nos, iuxta quod in Deo poterimus vobis semper subvenire parati, duos legatos solemnes, scilicet dilectos filios nostros S. tituli Sancte Marie Transtyberim presbyterum et R. Sancte Marie in Cosmidin diaconum cardinales, viros utique sapientia preditos et conspicuos diversitate virtutum, huiusmodi promotioni negotii duxerimus[a] deputandos, concesso eis plene legationis officio, sicut ex aliis litteris, quas super huiusmodi negotio vobis mittimus[1], plenius colligetis, scituri quod nos pro vestra generali procuranda salute, quod ad presens expedire credimus, subsidium destinamus. Ecce, quid vobis, qui sub laborum penalium pressura gemitis ac per exactiones et collectas assiduas vestram exinaniri substantiam deploratis, ad salutem expediat, quid de vobis anima nostra desideret, aperte cernitis et manifeste sentitis. Cogitate itaque corde vigili, ut a collo vestre servitutis catena decidat et universitas vestra in libertatis et quietis gaudio refloreseat, sitque rumor in gentibus, quod sicut regnum vestrum nobilitate multa et mira est ubertate conspicuum, ita divina favente potentia secura sit libertate decorum.

Dat. Lugduni, VI Kal. Maii, anno III.

169.

Innocentius IV papa eisdem mandat, ut S[tephanum] tituli Sanctae Mariae Transtiberim presbyterum et R[aynerium] Sanctae Mariae in Cosmidin diaconum cardinales, quibus legationis officium in partibus eorum commiserit, devote admittant et mandatis eorum obediant. *1246, Apr. exeunte*[2].

Inn. IV Reg. Vol. 1, 302—303; Lib. III, car. 11.
Berger 1976.

a) duximus *Rayn.*

1) *n. 169.* 2) *Etiamsi pro certo dicere non liceat hanc epistolam, in n. 168 commemoratam, et sequentes usque ad n. 178 sub Apr. 26 ponendas esse, tamen sine dubio eodem tempore scriptae sunt, cum pleraeque tales sint, quales super legationibus huiusmodi dirigebantur, et reliquae ad negotium legatis commissum ita se referant, ut multo post vel ante exaratae esse non possint. — Etiam 'litteras notatas', quas scriptor Reg. prae oculis habuerit, notis chronolog. caruisse putamus nec necessarium visum fuisse, ut notae eaedem, ex actis consiliorum a papa cum cardinalibus de hac re habitorum [cf. t. I, p. XI] excerpendae, singulis ep. adscriberentur, quoniam omnes eodem fere tempore ac n. 168 datae essent: cf. ep. sub a. 1246, Iul. 5.*

Archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis, ac nobilibus viris comitibus, baronibus, militibus et populis civitatum et castrorum et locorum per regnum Sicilie constitutis.

Nostra ferventer ad hoc aspirat affectio, ut divine potentia maiestatis vos a iugo servitutis eripiat et universitas vestra sub tranquilla ubertate respiret. Ut autem affectus huiusmodi possit feliciter ac facile ad metam dirigi complementi, dilectis filiis nostris S. Sancte Marie Transtiberim presbytero et R. Sancte Marie in Cosmidin diacono cardinalibus, viris utique[a] precipuis membris ecclesie, multa sapientia preditis et virtute, plene legationis officium duximus committendum, libera ipsis potestate concessa relaxandi excommunicationis sententiam, quam intendentes Friderico inimico Dei et ecclesie seu quascumque alias incurristis, et remittendi singulas quas eidem ecclesie intulistis offensas, ac vos in sedis apostolice matris vestre gratiam admittendi, et congregandi contra dictum F. ac sibi adherentes exercitum, et omnia tam in spiritualibus quam in temporalibus faciendi, que honori Dei et ecclesie ac vestre in hac parte saluti viderint expedire. Nos autem ratum et gratum habebimus, quicquid super predictis ipsi vel eorum alter duxerint faciendum. Quocirca universitatem vestram affectione paterna rogamus, mandantes quatinus legatos eosdem, in quibus personam nostram recipi volumus et filiali reverentia pertractari, devote ac hilariter admittentes, ipsorum mandatis et monitis super predictis omnibus, et aliis que vobis ex parte nostra iniunxerint, reverenter et efficaciter intendatis. Alioquin sententiam sive penam, que spiritualiter vel temporaliter per ipsos vel alterum eorundem lata fuerit in rebelles, ratam etc. usque: observari.

170.

Innocentius IV papa S[tephano] tituli Sanctae Mariae Transtiberim presbytero cardinali notum facit, se ei et R[aynerio] Sanctae Mariae in Cosmidin diacono cardinali per Patrimonium in Tuscia, ducatum Spoleti, marchiam Anconitanam et totum regnum Siciliae legationis officium commisisse, eique mandat, ut idem prompto affectu suscipiat.

1246, Apr. exeunte.

Inn. IV Reg. Vol. I, 301; Lib. III, cur. 22. Praeter exemplar, quod Berger edidit, adhibuimus apographum e cod. Vallicell. J, 55, in quo excerpta Reg. continentur, a V. Cl. C. Hofler sumptum, quod cum aliis inde mutuatis V. Cl. E. Winkelmann nobis transmisit.

Berger 1987.

S. tituli Sancte Marie Transtiberim presbytero cardinali, vicario nostro in Urbe[1].

P. 11, 16. Dextera Domini faciente virtutem. Fridericus perfidus ecclesie persecutor digne ab illis reprobatur et pungitur, quorum ministerio ministros Dei deprimere aliosque

a) *ita etiam B.; an* nobilibus *vel tale quid exciderit? cf. n. 174; post* ecclesie *nota distinctionis - in apogr. P.*

1) *Pro* vicario nostro in Urbe *legendum est* apostolice sedis legato, *cum iam in ipsa epistola, qua alicui legationis officium committebatur, eidem legati titulus concedi soleret. Quia vero cardinali in causa tam dubia misso litterae incorrectae ideoque inutiles datae esse non possunt, hoc mendum in registratura ortum esse debet, praesertim cum similia menda in aliis epistolis ad hoc negotium spectantibus [n. 171, 174, 177] reperiantur, quas omnes minori diligentia registratas esse iam notae chronol. deficientes demonstrant. Unde credimus hanc inscriptionem ex actis consilii a papa cum cardinalibus de hac re habiti [cf. t. I, p. XI], in quibus 'S. cardinalem, vicarium in Urbe, legatum factum esse', vel verba similia extiterint, sumptam esse et 'litteris notatis' tum demum superscriptam, cum ep. in registraturam mitteretur; qua de re alio loco fusius disputabimus.*

deicere conabatur. Cum autem ex hoc plena fiducia prodeat, quod impio in proximo passuro ruinam, ad honorem et tranquillitatem ecclesie votiva[a] consolatio regno proveniat desolato, habita cum fratribus nostris deliberatione sollempni providimus, quod circa tanti promotionem negotii desudemus animo vigilanti. Propter hoc tibi et dilecto filio nostro R. Sancte Marie in Cosmidin diacono cardinali, tanquam viris a Deo sapientia et virtute preditis, quod fama vestra per orbis latitudinem optinet claritatem, per patrimonium beati Petri in Tuscia, ducatum Spoleti, marchiam Anconitanam et per totum regnum Sycilie plene legationis officium duximus committendum, habituri gratum et firmum quicquid vos duo[b] vel alter vestrum, cum utrumque in solidum legatum esse velimus, in spiritualibus seu temporalibus circa regnum ipsum duxeritis faciendum, sicut patet in litteris super potestate huiusmodi universis de regno Sycilie destinatis[1]. Rogamus itaque discretionem tuam et hortamur attente, mandantes quatinus ipsius legationis officium affectu prompto suscipiens, super illo pro Dei gloria et apostolice sedis honore ac pro statu orbis terre pacifico et precipue pro fine dando lacrimis gementium sub compede servitutis, sic diligentiam vigilem et sollicitudinem habeas efficacem, ut causa Dei, que specialiter in hac parte agitur, finis optati gratiam consequatur.

In eundem modum R. Sancte Marie in Cosmidin diacono cardinali.

171.

Innocentius IV papa S[tephano] tituli Sanctae Mariae Transtiberim presbytero et R[aynerio] Sanctae Mariae in Cosmidin diacono cardinalibus [apostolicae sedis legatis] mandat, ut in regno Siciliae sine speciali mandato suo neque temporalia neque spiritualia cuiquam concedant neve vacantes ecclesias ordinent, donec ipse circa regnum, postquam in statum tranquillum redactum fuerit, ea disponat, quae expediant. *1246, Apr. exeunte.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 302; Lib. III, cur. 9. Pertzii exemplar contulimus cum Höfler, Friedr. II, p. 375, qui cod. Vallicell. J, 55 exscripsit; cf. n. 170.

Potthast, Reg. 12086; Berger 1971.

S. tituli Sancte Marie Transtiberim presbytero et R. Sancte Marie in Cosmidin diacono cardinalibus[2].

Circa regnum Sicilie hunc potissime habet apostolica sedes affectum, quod illud de angustiis ad quietem et de servitutis opprobrio ad libertatis honorem per eiusdem sedis ministerium sua Deus pietate reducat, et illius incole gaudeant, quod in nobis et fratribus nostris salubris providentie studium ac debite invenerint circumspectionis effectum. Hinc est, quod nos digne providere volentes, ut ecclesia circa ea, que in ipso regno facienda imminent, sit a scandalo[c] libera et immunis a nota, quin immo quod vos ipsi eo liberius commisse legationis officium possitis prosequi, quo de hiis, que omitti debent vel fieri, estis plenius informati, volumus et per apostolica vobis scripta mandamus, quatinus sine speciali mandato nostro circa statum prefati regni nichil penitus immutantes, aliqua temporalia, quoad villas, castra, civitates, predia, terras, possessiones et domos, sive aliqua spiritualia, quoad prebendas et ecclesiastica beneficia, nemini concedatis, nec etiam aliquas vacantes ecclesias ordinetis, quousque.

a) votiva *deest B.* b) ambo *Vall.* c) scandalis *H.*

1) *n. 169. Omnes ep. ad hunc causam pertinentes [n. 168—178] legatis transmissas esse putamus; cf. p. 121, not. 1.* 2) *Hoc quoque loco* apostolice sedis legatis *deesse ipsa verba epistolae probant; cf. n. 170.*

prefato regno per Dei gratiam in statu tranquillo et libero constituto, ea circa ipsum disponamus de fratrum nostrorum consilio, que ad decus ecclesie et illius profectum viderimus[a] expedire. Super hiis autem et aliis taliter se habeat vestra circumspecta prudentia, quod ex hoc honor sedis apostolice cum laude vestri nominis augeatur.

172.

Innocentius IV papa eisdem mandat, ut si aliquando opportunum viderint, ut beneficia in regno Siciliae aliquibus conferantur, hoc sibi intiment. 1246, Apr. exeunte.

Inn. IV Reg. Vol. I, 302; Lib. III, cur. 10.
Berger 1975.

Eisdem.

Per speciales litteras[1] illa vobis de causa mandavimus, ne in regno Sicilie prebendas aut ecclesiastica beneficia conferretis, ut decentius defendi possitis ab importuna instantia petitorum. Cum itaque cordi nobis sit in omnibus, que digne possumus, vestras honorare personas, volumus, ut si aliquando vobis oportunum videbitur, quod aliquibus beneficia conferatis, illud nobis vestris litteris explicetis, quia promptum erit nobis concedere, quod vobis ad honorem ecclesie seu profectum commissi prudentie vestre negotii videbitur expedire.

173.

Innocentius IV papa eisdem concedit, ut si ambos vel alterum eorum regnum Siciliae intrare contigerit, in singulis ecclesiis personis devotis unicum dumtaxat conferre possint beneficium vel praebendam. 1246, Apr. exeunte.

Inn. IV Reg. Vol. I, 303; Lib. III, cur. 14. Praeter exemplar, quod Berger edidit, adhibuimus apographum cod. Vallicell. J, 55; cf. n. 170.
Berger 1979.

S. tituli Sancte Marie Transtiberim presbytero et R. Sancte Marie in Cosmidin diacono cardinalibus, apostolice sedis legatis.

Si circumspector Dominus, gemitus afflictorum regni Sicilie aure benigna suscipiens, sua pietate providerit[b], ut pro generali manentium in eodem procuranda salute illius prosperum habeatis ingressum, tenetur presumptione[c] probabili, quod pro conferendis ecclesiasticis beneficiis pati nimie importunitatis instantiam debeatis. Ut autem in hac parte honori ecclesie provideatur et vestro, presentium vobis auctoritate concedimus, quod si ambo vel alter vestrum regnum ipsum intraverit, liceat vobis aut alteri in singulis eiusdem ecclesiis, in quibus visum fuerit expedire, personis devotis et huiusmodi dignis gratia seu promotioni negotii oportunis unicum dumtaxat conferre beneficium vel prebendam, ita tamen quod ecclesia, in qua unus vestrum providerit, sine speciali mandato nostro per alterum non gravetur[2].

a) vidimus *R.* b) providit *R.* c) pro presumptione *B.*

1) *n. 171.* 2) *Si ad hanc epistolam duas antecedentes adhibemus, cognoscimus, quo modo sedes apostolica legatis suis facultatem dederit, ut auctoritate litterarum apostolicarum gratias et conferre et denegare possent, prout expedire sibi videretur.*

174.

Innocentius IV papa senatori et populo Romanis iniungit, ut contra Fridericum ab imperii dignitate repulsum, cui plures de potentioribus regni iam se opposuerint, viriliter consurgant, S[tephano] tituli Sanctae Mariae Transtiberim presbytero et R[aynerio] Sanctae Mariae in Cosmidin diacono cardinalibus, sedis apostolicae legatis, vigilanter intendant et nobiles regni Siciliae, qui ad ipsos confugerint, foveant. *1246, Apr. exeunte.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 303; Lib. III, cur. 12. Pertzii exemplar, suppletum ex Rayn. Ann. eccl. a. 1246, § 16. contulimus cum cod. Vallicell. J. 55, ex quo V. Cl. E. Winkelmann posteriorem partem epistolae nobis praebuit [cf. n. 170], et cum Sarioli, Ann. Bolognesi t. III. II, p. 210, n. 637, qui ep. n. 175 propositurus, etiam primam partem huius ep. ex Reg. descriptam integram dedit.

Berger 1977.

. . senatori et populo Romanis.

Ad mitem[a] et humilem corde Dei filium, dominum Iesum Christum, ascendit in tantum horrenda perfidi superbia Friderici, quod ipsum et ab imperii dignitate repulit et ad ruinam eius corda Deum timentium provocavit, sicut ex eo patenter exultantibus nobis et vobis agnoscitur, quod plures de nobilioribus et potentioribus regni Sicilie, illius fraudes et laqueos fugientes, sibi omni qua sufficiunt virtute animi contradicunt. Cum autem ex hoc claro Dei miraculo sic sedis apostolice matris vestre attollatur honor et dignitas, quod vobis etiam, eius specialibus filiis, decus consequenter acquiritur et utilitas adaugetur: universitatem vestram rogamus et obsecramus in domino Iesu Christo, in remissionem vobis[b] peccaminum iniungentes, quatinus vestrarum mentium presentantes oculis, quantis et qualibus idem perfidus ecclesiam Dei ac vos, sibi carissimos, diu perturbavit iniuriis et iacturis, contra ipsum sic toto cordis consurgatis affectu, quod per vestrarum virium victoriosa subsidia cadat hostis fidei, afflicta vobiscum respiret ecclesia, tranquillitas populo Christiano proveniat et regnum Sicilie, quod miserie iugo comprimitur, redemptionis festine gaudia consequatur, sitque nobis sicut optata sic cita possibilitas, ut qui sedem nostram tam diri tyranni feritate coacti reliquimus, ad eandem feliciter duce salutis angelo redeamus. Ut autem pietas nostri desiderii huiusmodi[c] possit Deo propitio facilius adimpleri, dilectis filiis nostris S.[d] tituli Sancte Marie Transtiberim presbytero ac R.[e] Sancte Marie in Cosmidin diacono cardinalibus, tamquam nobilibus et precipuis[f] membris ecclesie, sapientia quidem conspicuis et virtutum diversitate preclaris, plene legationis officium duximus committendum, quibus in omnibus tanquam nobis sic vestra devotio vigilanter intendat, quod inde processu temporis teneamur vobis ad premia gratie specialis: scituri quod pro tanto negotio magnifice, sicut condecet, promovendo ad presens quod[g] expedire vidimus oportunum subsidium destinamus. Ceterum illos de regni nobilibus, qui ad vestri[h] munimen presidii recurrerunt[1], illius honoris et benivolentie plenitudine foveatis, ut eis gaudentibus ad vos habuisse refugium, in aliis de regno nobilibus consurgat affectio, ut homini dampnato subesse renuant et eius furenti nequitie pro virium qualitate resistant.

In eundem modum potestatibus, rectoribus, consiliis et populis civitatum, castrorum et locorum per Campaniam et Maritimam constitutis. Ad mitem etc. usque: filiis evidens utilitas procuratur[i]: universitatem etc. usque: perfidus ecclesiam Dei perturbavit iniuriis etc. usque: specialis.

a) Ad mitem — redeamus *ex Rayn.* b) vestrorum *Rayn., quod ita correximus ex n. 175; in Reg.* v *tantum legi putamus;* peccatorum vestrorum *Sar.* c) *ita Sar.;* nostri huius *(sic) P.;* huius nostri *Vall.* d) . . *Sar.; deest Vall.* e) [R.] *P.;* . . *Sar.; deest Vall.* f) precipue *R.* g) quos *R.* h) *Vall.;* nostri *P.* i) *ubi in prima:* filiis, decus consequenter acquiritur et utilitas adaugetur.

1) *Cf. p. 124, not. 3.*

In eundem modum potestatibus, rectoribus, consiliis et populis civitatum, castrorum et locorum per patrimonium beati Petri in Tuscia constitutis spiritum consilii sanioris[1].

In eundem modum potestatibus, rectoribus, consiliis et populis civitatum, castrorum et locorum per ducatum Spoleti constitutis spiritum consilii sanioris.

In eundem modum potestatibus, rectoribus, consiliis et populis civitatum, castrorum et locorum per Anconitanam marchiam constitutis spiritum consilii sanioris.

175.

Innocentius IV papa potestatibus, consiliariis et populis civitatum, castrorum et locorum Lombardiae, ecclesiae devotis, idem fere scribit. *1246, Apr. exeunte.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 303; Lib. III, cur. 13. Pertzii exemplar contulimus cum Savioli, Ann. Bolognesi t. III, II, p. 210, n. 637; cf. n. 174.
Potthast, Reg. 12082; Berger 1978.

Potestatibus, consiliariis et populis civitatum, castrorum et locorum per Lombardiam in sedis apostolice devotione constitutis.

Ad mitem etc. usque: procuratur[a], universitatem vestram rogamus et obsecramus in domino Iesu Christo, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatinus vestrarum mentium presentantes oculis, quantis[b] et qualibus idem perfidus ecclesiam Dei ac vos diu perturbavit iniuriis et pupugit detrimentis, contra ipsum sic toto etc. usque: consequatur. Ut autem pietas etc. usque: committendum. Preces autem nostras taliter impleatis, ut vestre causa salutis, que in hac parte quasi specialiter agitur, fine vobis et nobis desiderabili Deo propitio concludatur nostroque infixum existat affectui, ut vos propter hoc[c] processu temporis favore prosequamur et gratia speciali.

In eundem modum potestatibus, consiliis et populis civitatum, castrorum et locorum per marchiam Tervisinam et Romaniolam constitutis.

In eundem modum potestati[2], consilio et populo Ianuensibus. Ad mitem etc. usque: detrimentis, contra ipsum per mare sic toto etc. ut in littera Lombardie.

In eundem modum nobili viro . . duci[3], consilio et populo Venetorum.

In eundem modum potestatibus[4], rectoribus, consiliariis et populis civitatum, castrorum et locorum per patrimonium beati Petri in Tuscia in devotione Romane ecclesie consistentibus. Ad mitem etc. ut in littera Campanie.

In eundem modum potestatibus, rectoribus, consiliis et populis civitatum, castrorum et locorum per ducatum Spoleti in devotione Romane ecclesie constitutis[5].

---

a) *cf. p. 131, not. i.* b) quoties *Sav.; cf. n. 174.* c) hoc *deest R.;* propterea *Sav.*

1) *Ad hos ecclesiae infideles sub forma* Ad mitem *scriptum esse credi non potest, cum epistolam iis destinatam, quae huic respondet, sub n. 176 legamus; neque opponi debet ad Siculos quoque duas epistolas de hac causa missas esse [n. 168 et 169], cum altera ad infideles patrimonii directa, quae deesse videtur, sub n. 177 contineatur; sicut enim — id quod ex loco, quo verbum* quatinus *positum est, sequitur — in n. 168 et 176 in primis mandatur, ut imperatori resistatur, ita in n. 169 et 177, ut legatis obediatur. Hoc loco epistolae ad fideles Patrimonii in Tuscia et Ducatus missae, quae sub n. 175 minus apte collocatae sunt, subiungendae erant. Si has appendices sub verbis* In eundem modum *additas non ex epistolis integris, sed ex actis consiliorum a papa cum cardinalibus habitorum [cf. p. 128, not. 1] conscriptas esse sumimus, sine difficultate intelligitur, quomodo hic error nasci et verba inscriptionum hoc loco et in n. 176 extantium paululum inter se differre potuerint; nam cogitari potest in actis illis verba in inscriptionibus ponenda summatim tantummodo annotata fuisse: cf. n. 177.* 2) *Alberto de Mandello.* 3) *Iacobo Tepolo.* 4) *Hanc ep. et sequentem rectius n. 174 subiungendas fuisse supra demonstravimus.* 5) *Sine dubio etiam fidelibus marchiae Anconitanae in eundem modum scriptum est.*

176.

Innocentius IV papa potestatibus, consiliis et populis civitatum et locorum marchiae Anconitanae, ecclesiae indevotis, iniungit, ut cum Fridericus quondam imperator depositus et multi ab eius latere subducti sint, ad ecclesiam redeuntes eum omni virtute impugnent, maxime cum ut regnum Siciliae de eius manibus eruatur. S[tephanum] tituli Sanctae Mariae Transtiberim presbyterum et R[aynerium] Sanctae Mariae in Cosmidin diaconum cardinales, apostolicae sedis legatos, illuc destinaverit. 1246, Apr. exeunte.

Inn. IV Reg. Vol. I, 303—304; Lib. III, cur. 16.
Berger 1981.

Potestatibus, consiliis et populis civitatum et locorum per Anconitanam marchiam constitutis spiritum consilii sanioris[1].

Per industrie humane subsidium olim provenire non potuit, ut, perfidi Friderici gladio vestris incumbente cervicibus, ad gremium matris ecclesie cum debita possetis devotione redire. Nunc autem plena virtutibus dei nostri dextera, triumphare de superbis et impiis consueta, diademate imperii ablato[a] de capite hominis scelerati et multis miraculose subductis ab eius latere, qui una cum ipso conabantur Dei ecclesiam conculcare, viam parasse dinoscitur, ut universitas vestra multis affecta dispendiis et saucia detrimentis ad sedem apostolicam, eius dulcibus fovenda complexibus, revertatur. Rogamus itaque devotionem[b] vestram et obsecramus in domino Iesu Christo, sub debito fidelitatis districtius vobis precipiendo mandantes ac in remissionem vobis peccaminum[c] iniungentes, quatinus libertatis gaudia, que vobis parasse dinoscitur, de vestris manibus effugere non sinentes, ad hoc unanimiter promptis exurgatis affectibus, quod redeuntes ad matrem, hostem Dei et catholice fidei contemptorem, qui vos ab illa dampnabiliter[d] reddidit alienos, omni virtute qua poteritis, confisi de divine subventionis auxilio, impugnetis, maxime cum nos, ut ipsius cito deprimatur impietas, eum[e] angelo Domini persequente, ac[f] regnum Sicilie de ipsius manibus eruatur, de legatis sollempnibus, prestita nichilominus oportuni subventione[g] subsidii, scilicet de dilectis filiis nostris S. tituli Sancte Marie Transtiberim presbytero et R. Sancte Marie in Cosmidin diacono cardinalibus, duxerimus providendum, spe nobis proposita ut, quo plenius ipsos Dei sapientia virtutum insignibus dotasse dinoscitur, eo facilius que sunt salutis et gratie operentur. Ceterum preces nostras taliter adimpleat vestra sinceritas, ut cum iam nullius excusationis pretendere possitis umbraculum vel formidinis assumere velamentum, nostro infixum existat affectui, ut facti precedentium culparum immemores, vos processu temporis favore prosequamur et gratia tamquam filios ecclesie speciales.

In eundem modum potestatibus, consiliis et populis civitatum et locorum per ducatum Spoleti constitutis spiritum consilii sanioris.

In eundem modum potestatibus, consulibus[h] et populis civitatum et locorum per patrimonium beati Petri in Tuscia constitutis spiritum consilii sanioris.

---

a) abl. imp. *B.* b) *ita P., B.; alias papa excommunicatos non ita alloqui solebat, sed verbo* universitatem; *etiam verbum* sinceritas *lin. 31 positum a forma consueta discedit.* c) vestrorum peccatorum *B.; cf. p. 131, not. b.* d) damp. ab. il. *B.* e) eum — prosequente *B.* f) ac *deest B.* g) subventionem *R.* h) consiliis *B.*

1) *Cf. p. 132, not. 1.*

177.

Innocentius IV papa episcopos aliosque praelatos et laicos per Patrimonium in Tuscia, ducatum Spoleti et marchiam Anconitanam constitutos, ecclesiae indevotos, hortatur, ut S[tephano] tituli Sanctae Mariae Transtiberim presbytero et R[aynerio] Sanctae Mariae in Cosmidin diacono cardinalibus, legatis suis, quibus redemptionem regni Siciliae commiserit, efficaciter intendant, scituri iam plures regni eiusdem Friderico quondam imperatori resistere coepisse. *1246, Apr. exeunte.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 303; Lib. III, cur. 15. Praeter exemplar, quod Berger edidit, adhibuimus apographum cod. Vallicell. J. 55; cf. n. 170.

Berger 1980.

Episcopis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis, ac nobilibus viris comitibus, baronibus, potestatibus, rectoribus, consiliariis, populis, communitatibus civitatum et castrorum et locorum per patrimonium beati Petri in Tuscia, ducatum Spoleti et Anconitanam marchiam consistentibus spiritum consilii sanioris[1].

Anxia corde dudum expectavit ecclesia, quod patris eterni pietas gemitus afflictorum per impium et detestabilem Fridericum aure benigna susciperet ac ipsorum angustiis in consolationis plenitudine subveniret. Expectatio ista siquidem iam per divinam clementiam videtur consequi, quod erat in desiderio populi Christiani. Nam Dei filius, cui placuit, ut coram[a] vi potestatis nobis licet immeritis ab eo clementer indulte dictus F. pro innumeris sue impietatis excessibus ab imperii caderet dignitate, velle conspicitur, ut idem finaliter sub incursu sempiterni opprobrii conteratur, prout ex eo cum multa spiritus exultatione presumitur, quod plures ex lacrimarum filiis in regno Sicilie constitutis, tyrampni perfidi ferale dominium aborrentes, sibi resistunt in faciem, illa concepta fiducia quod una cum ceteris aliis per auxilium matris ecclesie ad optate perveniant gaudia libertatis. Cum itaque in predecessorum nostrorum fuerit et nostra sit affectione precipuum, ut idem regnum, iuris et proprietatis apostolice sedis existens, pedem de compede servitutis excuteret ac sibi possibilitas aliquam habendi requiem proveniret, et hoc Deo celebre faciente miraculum iam clarere incipiat per effectum, ex toto mentis affectu fratrum nostrorum consilio communicato providimus, ut redemptioni regni eiusdem virtutem et diligentiam apponamus. Verum cum tanti exigat natura negotii, ut eius expeditio nulli reddatur obnoxia tarditati, ecce pro redemptione ipsa feliciter procuranda de legatis sollempnibus, prestita nichilominus oportuni subventione subsidii, duximus providendum, scilicet de dilectis filiis nostris S. tituli Sancte Marie Transtiberim presbytero et R. Sancte Marie in Cosmidin diacono cardinalibus, viris utique sapientia conspicuis et virtutum diversitate dotatis. Rogamus itaque universitatem vestram et hortamur in domino Iesu Christo, mandantes quatinus per effectum operis declarare solliciti, quanta vobis circa Deum sit fidei puritas ac devotionis sinceritas erga sedem apostolicam digne continuis honoribus attollendam[b], legatos eosdem, in quibus plene habentibus legationis officium personam nostram recipi

a) eorum *R.* b) *ita R.:* attollenda *Vall.*

1) *Cum complura menda in registrandis his litteris iam animadverterimus [cf. n. 170, 171, 174], registratorem hoc quoque loco errasse putamus, ita ut inscriptionem huius epistolae cum ea, quae infra sub* In eundem modum *data est, permutaverit. Prior enim pars epistolae infidelibus ecclesiae missae cum hac concordaverit licet, hos autem nullo verbo monitos esse, ut ad gremium ecclesiae redirent, credi non potest. Etiam formula* Alioquin sententiam *indicat eos, quibus scribitur,* rebelles *non fuisse. Errorem hoc loco simili modo ortum esse credimus atque in inscriptione ep. n. 170.*

volumus et filiali reverentia pertractari, devote ac ylariter admittentes ac eos omni quo scitis et potestis prosequi studentes honore, ipsis vel eorum alteri super hiis, que Dei gloriam, decus ecclesie ac libertatis ecclesiastice incrementum et precipue inchoatam regni salutem respiciunt, efficaciter intendatis, credentes quod ex hoc et gratie premium celestis acquiritis et nostrum vobis obligatis animum ad compensanda[a] opera gratiarum. Alioquin sententiam, quam ipsi vel alter eorum tulerint in rebelles, ratam habebimus etc. usque: observari.

In eundem modum archiepiscopis[1] et episcopis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis ac nobilibus viris comitibus, baronibus, potestatibus, rectoribus, consulibus, populis et communitatibus civitatum, castrorum et locorum per patrimonium beati Petri in Tuscia, ducatum Spoleti et Anconitanam marchiam constitutis salutem et apostolicam benedictionem.

178.

Innocentius IV papa Theobaldo Francisco et universis aliis de regno Siciliae ad devotionem ecclesiae reversis gratulatur, nuntians se redemptioni regni S[tephanum] tituli Sanctae Mariae Transtiberim presbyterum et R[aynerium] Sanctae Mariae in Cosmidin diaconum cardinales, legatos suos, deputasse. 1246, Apr. exeunte.

Inn. IV Reg. Vol. I, 304; Lib. III, cur. 17. Pertzii exemplar contulimus cum Rayn. Ann. eccl. a. 1246, § 14 et Hofler, Friedr. II. p. 373, qui cod. Vallicell. J, 55 exscripsit; cf. n. 170.
Potthast, Reg. 12085; Berger 1982.

Nobilibus viris Theobaldo Francisco[2] et universis aliis de regno Sicilie ad devotionem Romane ecclesie reversis spiritum consilii sanioris[3].

Illustravit super vos faciem suam Dominus, vestras a Pharaonis dominio subducendo personas et eas illorum operum applicando studiis, in quibus ad salutem regni Sicilie procuratur honor et tranquillitas ecclesie generalis. De hoc autem in consolatore merentium domino Iesu Christo plenam consecuti letitiam, fratrum nostrorum communicato consilio ita providimus, quod pro redemptione ipsius regni omnem diligentiam habeamus. Hinc est, quod tam pio negotio feliciter promovendo legatos sollempnes, scilicet dilectos filios nostros S. tituli Sancte Marie Transtiberim presbyterum et R. Sancte Marie in Cosmidin diaconum cardinales, viros utique sapientia conspicuos et virtutum diversitate preclaros, prestita nichilominus oportuni subventione subsidii, duximus deputandos, per quorum industriam Deo propitio proventurum credimus, ut in illam quam fecit foveam cito decidat inimicus. Vos itaque, de militibus tyrampni reprobi facti pugiles domini Iesu Christi, celebrem in conspectu gentium vestri famam nominis constanti animo et indefesso ampliare spiritu studeatis, in illam spem firmiter exurgentes, quod si virtus Altissimi per vestrum ministerium, devotorum ecclesie cooperante subsidio, finem dederit gemitibus afflictorum, sedes apostolica vos tanquam genere ac virtute nobiles inter caros eius filios habebit assidue speciales.

a) *Vall.;* compensandi *P.;* compensandum *usui curiae magis convenire videtur.*

1) *Sedes archiepiscopales tunc non extiterunt in illis partibus; cf. p. 134, not. 1 et p. 132, not. 1.*
2) *Hic, qui caput fuerat conspirationis p. 124, not. 2 commemoratae, castrum Capuacii [ex or. Paesti] occupaverat, quo Iul. 17 ab imperatore capto, oculis privatus est; cf. Böhmer-Ficker, l. c. 3517a—3569 et 3579.*
3) *Ut verba* spiritum consilii sanioris *mendose adscripta credamus, necesse non est, quia factum esse potest, ut ii quibus scribitur, licet ad ecclesiam redierint, ab excommunicatione rite absoluti nondum fuerint.*

179.

Innocentius IV papa de Kaisheim et de Wibilingin abbatibus et priori de Kaisheim mandat, ut de vita et meritis [Aldrigeti] episcopi Tridentini et super eo, quod Friderico quondam imperatori post latam in eundem excommunicationis sententiam faverit, diligentius veritatem inquirant. *1246. Apr. 27.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 274; Lib. III, 469.
Berger 1840.

.. de Kaisham[1] et .. de Wibilingin[2] abbatibus et .. priori de Kaisham Cisterciensis et sancti Benedicti ordinum Augustensis et Constantiensis diocesum.

Licet omnibus et maxime episcopis tanquam vocatis in partem sollicitudinis deferre, quantum cum Deo possumus, proponamus, cum tamen de ipsis illa sentimus, que divine offendunt oculos maiestatis et aliis sunt perditionis exemplum, sollicitudinis nostre interesse dinoscitur, ut super hoc illud apponamus remedium, quod in Domino credimus oportunum. Cum igitur de nephandis actibus .. Tridentini episcopi quedam sint nobis insinuata sinistra, que cum Deo et honestate nostra dissimulare non possumus nec debemus, nos, volentes super hoc ex nostro officio providere, mandamus, quatinus de vita et meritis ipsius et super eo, quod idem bona Tridentine ecclesie illicite alienasse dicitur et F. quondam imperatori, postquam fuit excommunicationis innodatus sententia, prestitisse consilium, auxilium et favorem[3], inquiratis diligentius veritatem, et que inveneritis fideliter redacta in scriptis nobis sub sigillis vestris quantotius per fidelem nuntium transmittatis, prefigendo eidem episcopo terminum peremptorium competentem, quo nostro se conspectui recepturus pro meritis personaliter representet, alienatione bonorum ecclesie Tridentine predicto episcopo, cum habeatur de dilapidatione suspectus, interim interdicta. Quod si dictus episcopus, non expectato inquisitionis incendio, elegerit cedere, volens honori suo consulere ac saluti, auctoritate nostra cessionem recipiatis eiusdem, provisionem predicte ecclesie sedi apostolice reservantes. Nos enim decernimus irritum et inane, si super provisione ipsius ecclesie per presumptionem cuiuspiam absque speciali mandato nostro aliquid contingeret attemptari.

Dat. Lugduni, V Kal. Maii, anno III.

180.

Innocentius IV papa Alfonso primogenito [Ferdinandi III] regis Castellae et Legionensis promittit, se ei ad prosequendum ius, quod ex quondam Beatrice matre sua in ducatu Sueviae habeat, favoris auxilium largiturum esse. *1246, Mai. 3.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 275; Lib. III, 475.
Berger 1816.

Nobili viro Alfonso primogenito carissimi in Christo filii nostri illustris regis Castelle et Legionensis[a].

Tui honoris augmento digne ac libenter intendimus, cum frequenter famosis agnoscatur indiciis, quod circa virtutum opera diligens et efficax magnanimiter in-

[a]) Legionis *B.*

1) *Kaisheim ex sept. cir. Donauwörth.* 2) *E mer. cir. Ulm.* 3) *Episcopus a. 1245. Iun. Veronae in curia imperatoris fuerat; Bohmer-Ficker, l. c. 3477.*

veniris. Cum itaque tua, sicut asseris, ad hoc dirigatur intentio, ut ius, quod clare memorie Beatrix regina Castelle et Legionis, mater tua[1], in ducatu Suevie dicitur habuisse, ad te perveniat, ipsius heredem, de benignitate sedis apostolice te plenam volumus habere fiduciam, quod si dictum ius assumpseris legitime prosequendum vel eiusdem acquisitio tibi iusto modo provenerit, iamdicta sedes, quantum cum Deo et honestate posse dabitur, tibi super hoc benigni favoris auxilium largietur.

Dat. Lugduni, V Nonas Maii, anno III.

181.

Innocentius IV papa [Alberto] archiepiscopo Prusciae intuitu [Henrici] lantgravii Thuringiae mandat, ut fratrem Guarnerum ordinis Praedicatorum absque dilationis obstaculo terrae Curoniae seu Pomezaniae in episcopum praeficiat. *1246, Mai. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 285; Lib. III, 532. Exemplar, quod Berger edidit, a V. Cl. A. Man cum Regestis collatum et ex eis suppletum, nos contulimus cum Ripoll, Bullar. Praed. t. I, p. 157, n. 121, qui eandem epistolam, quamvis sub a. 1245, Nov. 8 data sit, proposuit. Hic enim exemplar suum ex Libro archivi ordinis sui A fol. 60a deprompsit, qui liber 'transumptus, ut Praefatio p. LX docet, ex Tabulario Vaticano', epistolas Regestorum continet: unde, cum in Regestis talis epistola sub Nov. 8 non legatur, notam chronologicam apud Rip. falso adscriptam esse constat.

Potthast, Reg. 11957; Perlbach, Preuss. Reg. 245; Berger 1871.

.. archiepiscopo Pruscie, Livonie et Eustonie[a].

Decet per apostolice sedis providentiam provenire, ut qui laudabilis conversationis et vite ac scientie iuvantur meritis, ecclesiarum regimini preferantur, et tunc precipue, quando in personis huiusmodi honor illis impenditur, per quos Romane decus ecclesie promovetur. Cum itaque de dilecto filio fratre Guarnero ordinis fratrum Predicatorum evidentibus agnoscatur indiciis, quod amori virtutum libenter invigilat et vite studio religiose desudat, ad hoc pro posse sollicitus, ut sit in causa Dei et ecclesie fructuosus, nos, dignum arbitrantes et congruum ut ipsum propter huiusmodi merita et intuitu dilecti filii nobilis viri .. lantgravii Thuringie[2], cui familiaris et carus esse dinoscitur, speciali prosequamur honore, precipiendo[b] mandamus, quatinus fratrem eundem, cessante cuiuslibet dilationis et difficultatis obstaculo, terre Curonie seu Pomezanie[c] in episcopum preficias et, accersitis duobus vel tribus episcopis[d], ei munus consecrationis impendas, sibi a subditis faciens reverentiam et obedientiam debitam exhiberi; contradictores etc.[3] Nos[e] enim exnunc irritum et inane decernimus, si quid super hoc contra mandatum nostrum contigerit attemptari.

Dat. Lugduni, III Non. Maii, anno tertio[4].

---

a) Eidem *R.; antecedit Potthast, Reg. 12101; cf. infra not. 4.* b) presentibus *Rip., male; nam in Reg. p.., in authentico autem* fraternitati tue per apostolica scripta precipiendo *scriptum esse putamus.* c) Pomesanie *Rip.;* Pomeranie *B.* d) *sequitur in R.:* etc. ut in proxima per totum usque in finem; *ap. Rip.:* etc. munus consecrationis impendas, *et reliqua desunt.* e) Nunc *apogr. M.*

1) *Filia Philippi regis Teutonicorum, mortua a. 1235; cf. t. I, n. 761 et Bohmer-Ficker, l. c. 3491.* 2) *Aliae gratiae intuitu lantgravii tum factae ap. Berger 1427, 1602, 1663, 1848; cf. Potthast 11823 et infra n. 191.* 3) *De eodem Guarnero cf. Potthast 12266, 12289; Berger 2126, 2133.* 4) *Eodem die eidem mandavit, ut aliquem fratrum clericorum ordinis Teutonicorum uni diocesium Prusciae praeficeret in episcopum; Potthast 12101; Berger 1870.*

182.

Innocentius IV papa [Margaritae] comitissae Flandriae et Hanoniae significat, se cum uno de quo maluerit filiorum eius et aliqua nobili muliere, quae ipsum in quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu attingat, dispensare, ut matrimonium contrahere valeant. *1246, Mai. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 281; Lib. III, 499. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau. Berger 1839.

Nobili mulieri comitisse Flandrie et Haynonie[a].

Nonnumquam Romanus pontifex, cui divina providentia ligandi pontificium tradidit et solvendi, dispensatione concedit, quod penitus iura negant, et tunc potissime, cum ingens[b] necessitas vel evidens utilitas id exposcit. Cum igitur, sicut nobis exponere curavisti, pauce in tuis partibus mulieres nobiles habeantur, quibus filii tui possint iuxta sue nobilitatis decentiam matrimonialiter copulari, sitque propter tuum, filiorum et comitatuum tuorum statum prosperum et tranquillum plurimum necessarium et utillimum habeatur, ut de consanguinitate vel affinitate sua ducant aliquas in uxores, nos, vota [tua][c] favoris benivolentia prosequentes ac volentes tibi facere gratiam specialem[1], cum uno de quo malueris filiorum ipsorum et aliqua nobili muliere, que ipsum in quarto gradu consanguinitatis vel affinitatis attingat, quod licite matrimonium ad invicem contrahere valeant, auctoritate apostolica dispensamus. Nulli ergo etc. nostre dispensationis etc. Siquis etc.

Dat. Lugduni, V Idus Maii, anno tertio[2].

183.

Innocentius IV papa [Waltero] episcopo et aliis praelatis et clericis civitatis et diocesis Wigorniensis indulget, ne praeiudicium futuris temporibus iis ex eo generetur, quod ad subsidium Anglicanum et tempore Gregorii IX papae et nuper per distributionem a magistro Martino clerico camerae apostolicae factam plus quam aliae ecclesiae contulerint. *1246, Mai. 18.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 284; Lib. III, 523. Berger 1862.

.. episcopo Wigorniensi, abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum prelatis et clericis per civitatem Wigorniensem et diocesim constitutis.

In exhibitione subsidii olim a prelatis et clericis Anglie per bone memorie Gregorium papam predecessorem nostrum pro apostolice sedis necessitatibus postulati contributio non tam pro ecclesiarum facultatibus quam secundum affectum con-

---

a) Hayon *R.* b) *ita apogr.; alias* urgens *scribitur.* c) tua *deest apogr.*

1) *Cum a. 1245. Iul. imperator comitissam de terris et iuribus suis ad imperium spectantibus investiret, eidem, ne personaliter coram se compareret, remiserat, 'attendens fidem puram et devotionem sinceram, quam ea et antecessores sui sibi et progenitoribus suis exhibuissent'; Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 328. Cf. Berger 2203.* 2) *Sub a. 1246, Iun. 22 papa cum uno filio Arnulfi V comitis de Los simili modo dispensavit; Berger 1946; cf. etiam 1441.*

tribuentium dicitur processisse, quibusdam plus, aliquibus vero minus promittentibus et solventibus, prout maior et minor devotionis dictabat affectio et diligentior per episcopos ad hoc fiebat monitio et efficatior inductio circa clerum. Presens quoque subsidium, quod ab Anglicana nuper ecclesia duximus postulandum, predicte potius contributionis exemplo quam ecclesiasticorum respectu proventuum per dilectum filium magistrum Martinum clericum camere nostre[1], tunc in partibus illis nuntium, intelleximus distributum. Verum cum in priori subventione manus vestra inter alias, consideratis hinc inde facultatibus, sicut datum est nobis intelligi, ex ampliori fuerit devotione uberior, et pro quantitate contributionis preterite presentis sit vobis subsidii portio assignata, vos, inde sentientes dispendium, unde gratiam meruistis, et ne hoc trahatur ad consequentiam metuentes, precaveri super hoc in posterum ecclesiarum vestrarum gravaminibus per apostolice sedis providentiam postulastis. Nos igitur, devotionis vestre precibus inclinati, nolumus, quod exemplo talis distributionis subsidii aliquid vobis seu ecclesiis vestris preiudicium futuris temporibus generetur.

Dat. Lugduni. XV Kal. Iunii, anno tertio.

184.

Innocentius IV papa Friderico rectori ecclesiae de Ostra ad preces H. comitis de Lupere, sororii bonae memoriae C[onradi] episcopi Portuensis, indulget, ut cum ecclesia de Ostra ecclesiam de Beirchaim, constitutione generalis concilii non obstante, retinere possit.
1246, Mai. 21.

Inn. IV Reg. Vol. I, 284; Lib. III, 528. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau. Berger 1867.

Friderico rectori ecclesie de Ostra[2] Constantiensis diocesis.

Ad faciendam tibi gratiam specialem et tue probitatis meritis, super quibus tibi laudabile testimonium perhibetur, et consideratione dilecti filii nobilis viri H. comitis de Lupere[3], sororii bone memorie C. Portuensis episcopi[4], nobis pro te supplicantis inducti, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut ecclesiam de Beirchaim[a][5] una cum ecclesia de Ostra, quas curam animarum habentes te proponis canonice assecutum, possis libere retinere — constitutione generalis concilii super hoc edita non obstante —: proviso quod ecclesie ipse debitis etc. usque: negligatur. Nulli ergo — nostre dispensationis etc. Siquis etc.

Dat. Lugduni, XII Kal. Iunii, anno tertio.

a) *vel* Beirchaum *R.;* Barchaim *B.*

1) *De eodem cf. Matth. Par. Chron. maior. ed. Luard, t. IV, p. 368, 374, 379, 416—422, 443.* 2) *Ostrach e mer. et or. cir. Sigmaringen.* 3) *Comitem huius nominis neque ap. Stalin, Würtemb. Gesch. t. II, p. 451 et sequ., ubi historia comitum de Urach narratur, neque in Wirtemb. U. B., neque in Furstenberg. U. B. invenimus. Nobiles de 'Lupurch' ex sept. et occ. cir. Ratisbonensis sederunt, eos autem comites fuisse nusquam legimus.* 4) *Conradus filius Eginonis IV comitis de Urach fuerat.* 5) *Berkheim in regno Würtemb., aut quod in O. A. Leutkirch, aut quod in O. A. Esslingen situm erat.*

185.

Innocentius IV papa abbati de Wibilingin committit, ut cum S. de Gudilingin canonico Spirensi, pro quo comes de Helfistein nepos eius supplicaverit, super pluralitate beneficiorum dispenset. *1246, Mai. 21.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 281; Lib. III, 529. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau. Berger 1868.

.. abbati de Wibilingun[a] [1] Constantiensis diocesis.

Ex parte dilecti filii S. de Gudilingin canonici Spirensis fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum eo super pluribus ecclesiasticis beneficiis, etiam si curam habeant animarum, si ei canonice offerantur, cum hiis que obtinet usque ad ducentarum marcarum argenti valentiam obtinendis, dispensare de gratia curaremus. Licet igitur propter ambitiones quorundam, ne quis plures ecclesias vel ecclesiasticas dignitates habeat, sacri concilii constitutio interdicat, nobilitate tamen[b] morum ac generis, super quibus ei laudabile testimonium perhibetur, et consideratione nobilis viri .. comitis de Helfistein[2], nepotis sui, nobis super hoc per suas litteras supplicantis inducti, presentium tibi auctoritate committimus, ut cum ipso super premissis auctoritate nostra — constitutione non obstante predicta — dispenses usque ad quantitatem, quam pensatis circumstantiis et eius nobilitate ac meritis secundum Deum videris expedire: proviso quod beneficia eadem etc. usque: negligatur.

Dat. Lugduni, XII Kal. Iunii, anno tertio.

186.

Innocentius IV papa abbati de Bebenhusen ad preces B[ertholdi] comitis de Urach et Radulfi fratris eius, devotorum suorum, committit, ut cum Walterio rectore ecclesiae de Monte super pluralitate beneficiorum dispenset. *1246, Mai. 21.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 284; Lib. III, 530. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau. Berger 1869.

.. abbati de Bebrahusin[c] Constantiensis diocesis.

Ex parte dilecti filii Walterii rectoris ecclesie de Monte Constantiensis diocesis fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum ipso etc. ut in proxima usque: offerantur, una cum prefata ecclesia quam obtinet usque ad centum marcarum argenti valentiam obtinendis, dispensare de gratia curaremus. Licet igitur etc. usque: interdicat, obtentu tamen devotionis et fidei puritatis, quam idem in ecclesie Romane negotiis adhibuisse dicitur, se ac sua multis periculis exponendo, nec non et consideratione dilectorum

a) Wibilingin *B.* b) morum tamen *B.* c) Bebnihusin *B.*

1) *E mer. cir. Ulm; de eodem cf. n. 179.* 2) *In montibus Rauhe Alp, ex sept. et or. cir Geislingen. Papa Ulricum II innuere videtur, qui comes de Helfenstein proprie vocabatur, sed fortasse quoque Godefridum comitem de Sigemaringen, consobrinum eius [de quo cf. Bohmer-Ficker, l. c. 4520 c], cum alii quoque rami huius gentis nomen comitum de Helfenstein retinuisse videantur; id quod tertius consobrinus Ludowicus probat, qui a. 1245, Ian. in privilegiis imperatoris inter testes comes de Helfenstein, a. 1246, Aug. 29 autem in charta Godefridi de Hohenloch comes de Spizenberg appellatur; Bohmer-Ficker, l. c. 3476, 3482, 4511; cf. Stalin, Wurtemb. Gesch. t. II. p. 388 et not.*

filiorum B. comitis de Hurach et Radulfi, fratrum bone memorie C. Portuensis episcopi, devotorum nostrorum, nobis supplicantium pro eodem inducti, presentium tibi auctoritate committimus, ut cum ipso super premissis etc. usque: pensatis circumstantiis et eiusdem rectoris meritis usque ad quantitatem, quam secundum Deum videris expedire: proviso etc. usque: negligatur.

Dat. ut supra in proxima.

187.

Innocentius IV papa universis has litteras inspecturis notum facit, se [Berardum] archiepiscopum Panormitanum, [Rodobaldum] episcopum Papiensem, et Casinensem, Cavensem et Casaenovae abbates, nuntios Friderici quondam imperatoris, qui purgationem eius de haeretica pravitate obtulerint, examinasse, postquam a tribus cardinalibus auditi fuissent, et decrevisse purgationem eius ut temerarie factam irritam esse; sed se ipsum eum auditurum esse promisisse, si personaliter et sine armis veniat. *1246. Mai. 23.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 301; Lib. III, cur. 23. Damus epistolam ex Rayn. Ann. eccl. a. 1246, § 18—20, collatam cum Huillard-Bréholles, l. c. t. VI. p. 426, qui apographum Regestorum in Collect. Laporte du Theil Bibl. Paris. extans adhibuit.

Potthast, Reg. 12120; Berger 1988.

Universis Christi fidelibus has litteras inspecturis.

Cum post latas dudum in concilio Lugdunensi contra Fridericum quondam imperatorem ex manifestis et rationabilibus causis privationis ab imperio et regnis, quibus se indignum reddiderat, ac in ipsum et omnes illos, qui ei ex tunc[a] tanquam imperatori vel regi prestarent consilium[b], auxilium seu favorem, excommunicationis sententias[1] nuper idem Fridericus archiepiscopum Panormitanum et Papiensem episcopum ac Cassinensem[2], Cavensem[3] et Casenove[4] abbates, nec non fratres Rolandium et Nicolaum ordinis Predicatorum ad sedem apostolicam destinarit: licet nec immerito videretur, quod iidem, qui ex eo presumebantur vinculo excommunicationis astricti, quod suscipiendo protectionem seu legationem ipsius cum instrumento et litteris, in quibus idem Fridericus se imperatorem et regem, cum non esset, dicebat, favere sibi contra predictam[c] sententiam videbantur, audiendi non erant, sed potius de tante temeritatis excessu, cum sint viri ecclesiastici, puniendi, quia tamen se ipsius Friderici, non tanquam imperatoris vel regis, sed velut simplicis Christiani nuntios asserebant, eis venerabiles fratres nostros Portuensem[5] et Albanensem[6] episcopos et dilectum filium H[ugonem] tituli Sancte Sabine presbyterum cardinalem concessimus auditores: quibus iidem nuntii instrumentum cuiusdam scriniarii Lucane diocesis et litteras ex parte ipsius Friderici munitas bulla aurea presentarunt, in quibus continebatur, quod cum dictus Fridericus fuisset in eodem concilio habitus de heretica pravitate suspectus, ipse, interrogatus et examinatus a predictis nuntiis super articulis contentis in symbolo et aliis ad fidem catholicam, dixit se firmiter credere ac iuravit, et constituit examinatores eosdem procuratores suos ad iurandum in anima eius, quod eos credebat, et

a) nunc *H. B.* b) consilium *deest H. B.* c) dictam *H. B.*

1) *Cf. n. 123.* 2) *Stephanum.* 3) *Leonardum.* 4) *Quod monasterium huius nominis dictum sit, nescimus; fortasse id, quod e mer. et occ. civ. Penne in prov. Abruzzo situm erat.* 5) *Ottonem.* 6) *Petrum.*

purgationem etiam in presentia nostra in loco idoneo super suspicione[a] huiusmodi offerendam[1]. Hecque dicti nuntii referentes in eorundem auditorum presentia viva voce, quod parati erant sic iurare, ac ex parte ipsius Friderici purgationem huiusmodi obtulere.

Hiis itaque nobis per auditores eosdem fideliter recitatis et instrumento et litteris prefatis ostensis, manifeste comperimus, quod huiusmodi examinatio fuerat per magne presumptionis audaciam, cum iidem examinatores nullam super hoc potestatem habuerint, attemptata, nec erat prefatis[b] instrumento et litteris, cum in eis et bulla ipsa diceretur idem Fridericus imperator et rex, per quod dictus scriniarius sic ei favendo vinculum excommunicationis incurrerat, fides aliquatenus adhibenda. Nos enim ad notandum ipsum suspectum in eodem concilio de vitio heretice pravitatis ex violentis et notoriis, que contra fidem per evidentiam iam ostenderat, argumentis moti nec immerito fuimus contra eum, maxime cum[2] idem Fridericus, tam a canone quam ab homine et precipue a felicis recordationis Gregorio papa predecessore nostro pluribus excommunicationum sententiis innodatus, fecerit in contemptum clavium sibi celebrari divina, patenter asserens se prefati Gregorii sententias non vereri, quas non solum non servavit sed mandavit etiam ab aliis[c] non servari; aliasque coniunctus amicitia detestabili Sarracenis, ritus eorum complectens ac aliquos ex eis in cotidianis eius obsequiis secum tenens, nuntios soldani Babilonie, postquam idem soldanus, cum quo dictus Fridericus, prout ipsius soldani litteris nuper accepimus, a tempore patris eiusdem soldani familiaritatem et dilectionem mutuam et concordiam perfectam habere dinoscitur[3], Terre Sancte et eius habitatoribus Christianis per se ac suos dampna gravissima et inextimabiles iniurias irrogarat, fecerit[d] per regnum Sicilie cum laudibus ad eiusdem soldani extollentiam honorifice suscipi et magnifice procurari; aliorum etiam infidelium perniciosis et horrendis obsequiis contra fideles abutens, illis, qui dampnabiliter vilipendentes apostolicam sedem ab unitate ecclesie discesserunt[e], procurarit[f] affinitate ac amicitia copulari. Propter que et alia contenta in predicta sententia, que ad presens ob sui prolixitatem omittimus, dictus Fridericus est heretici vocabulo secundum sanctiones legitimas nuncupandus.

Nos igitur, protestatione premissa, quod per hec predicte sententie contra eundem Fridericum late, quam firmam et stabilem permanere volumus, nullum debeat preiudicium generari, eosdem examinatores, non tanquam procuratores vel nuntios, qui de tante presumptionis excessu merito puniri debebant[g], astare fecimus coram nobis; quibus in nostra[h] et[i] fratrum nostrorum ac multorum aliorum prelatorum, qui nobiscum erant, presentia constitutis, nos, huiusmodi examinationem et purgationem, cum nec ubi nec de quibus neque coram quibus debuit, presumpta fuerit, cum iidem examinatores et eorum consanguinei sint de ipsius curia seu eius potestati, sed verius tyrannidi sue, subiecti, illusoriam, prout est, et frivolam reputantes, ipsam de predictorum fratrum et prelatorum consilio decrevimus irritam et inanem, processum eorumdem examinatorum super hiis presumptum penitus reprobando. Super eo, quod idem Fridericus obtulit super suspicione predicta in presentia nostra in loco idoneo se purgare, licet idem super hoc propter causas assignatas superius audiendus non esset, non

a) suspensione *H. B.* b) prefato *H. B.* c) *H. B.:* ab aliis *deest Rayn.* d) *H. B.:* fecerat *Rayn.* e) *H. B.:* discesserant *Rayn.* f) *H. B.:* procurarat *Rayn.* g) *H. B.:* debeant *Rayn.* h) nostri *H. B.* i) *H. B.:* et *deest Rayn.*

1) *Litterae et instrumentum non supersunt. Cum instrumentum per scriniarium Lucanae diocesis confectum esse legamus, id a. 1245, Dec. scriptum videtur; hoc enim mense imperator, Parma exiens et per Montem Bardonis in Tusciam intrans, Grossetum profectus est, quo itinere per diocesim illam venit; cf. Bohmer-Ficker, l. c. 3518, 3519, 3543.* 2) *Cf. p. 92.* 3) *Cf. n. 122.*

tamen negamus ei[a], si veniet[b] personaliter infra tempus legitimum sine armis et cum modico comitatu, quin ipsum super hoc, si de iure et sicut de iure fuerit, audiamus; cui, prout eiusdem nuntiis presentibus diximus, faciemus, si voluerit venire, caveri, quod in se vel suis non sustinebit aliquam lesionem.

Dat. Lugduni, X Kal. Iun. anno III.[1]

188.

Innocentius IV papa de Kaisheim et de Zwifalten abbatibus et praeposito ecclesiae de Wettenhusen mandat, ut de vita et meritis [Egenonis] electi Brixinensis inquirant, qui latas in se a magistro Alberto archidiacono Pataviensi suspensionis et excommunicationis sententias sex annos et amplius vilipenderit et totum ducatum ecclesiae Brixinensis Friderico quondam imperatori concesserit, ita ut transitus de Teutonia in Italiam praeclusus sit.
1246, Iun. 1.

Inn. IV Reg. Vol. I, 289; Lib. III, 557.
Berger 1896.

.. de Kersen[2] Cisterciensis et .. Zuilieltim[c 3] sancti Benedicti ordinum abbatibus et .. preposito ecclesie [de][d] Weirenhusen[e 4] Augustensis et Constantiensis diocesum.

Quanto eos, qui nobiscum sunt in partem sollicitudinis evocati, sinceriori caritate diligimus et intendimus honorare, tanto maiori dolore turbamur, cum ea de ipsorum operibus referuntur, que Deum offendunt et homines scandalizant. Sane inter cetera, que de nephandis actibus .. Brixinensis electi nobis sunt insinuata sinistra, idem, latas in eum a magistro Alberto archidiacono Pataviensi auctoritate apostolica exigente iustitia suspensionis et excommunicationis sententias[5] per sex annos et amplius dampnabiliter vilipendens, claves ecclesie contempnendo, et electionis sue confirmatione nequaquam obtenta in spiritualibus et temporalibus administrationi Brixinensis ecclesie se ingerens impudenter, comitatum et districtum, imo totum ducatum ipsius ecclesie cum castris et ministerialibus eius Friderico quondam imperatori et fautoribus eius concessit in enormem predicte ecclesie lesionem et principum Alamannie non modicum preiudicium et gravamen, propter quod transitus de Theutonia in Italiam tam ipsis principibus quam[f] peregrinis et aliis Christi fidelibus est preclusus, aliaque bona eiusdem ecclesie, que olim consueverat bonorum spiritualium et temporalium ubertate florere, adeo dilapidat et consumit, ut verendum sit, quod nisi ei celeri remedio succurratur, irreparabile detrimentum incurret. Quia vero hec cum Deo et honestate nostra dissimulare non possumus nec debemus, nos, volentes super hoc ex officio

a) *H. B.;* ei *deest Rayn.* b) *H. B.:* veniens *Rayn.* c) *ita P. et Mau, qui inscriptionem denuo contulit;* Zuilielnin *B.* d) de *deest R.* e) Weirēhusen *P. et Mau;* Weirehusen *B.* f) quam *deest R.*

1) *Cf. litteras ut videtur encyclicas ab imperatore eodem fere tempore de hac causa missas ap. Böhmer-Ficker, l. c. 3559.* 2) *Hanc esse abbatem de Kaisheim putamus; de eodem cf. n. 179.* 3) *Zwiefalten, in regno Württemb., Donau-Kr., ex mer. et occ. cir. Ehingen.* 4) *Ut videtur Wettenhusen ex or. cir. Ulm.* 5) *Litteras ad hanc rem spectantes neque in Reg. Alberti Behaim neque in excerptis Aventini reperimus. Albertus a. 1240 Sept. 5 Gregorio IX papae scripsit 'Salzburgensem et Brixinensem episcopos omnes vias frenis canalium obstruxisse', ita ut nuntios in Italiam mittere non posset, infra autem eos, quos eodem anno post pascha excommunicasset, enumerans, episcopum [seu potius electum] Brixinensem non nominavit, unde in eum iam antea hanc sententiam latam esse conici potest; Hofler, Alb. v. Beh. p. 19.*

nostro procedere, mandamus, quatinus super premissis et super eo, quod ipse dicto Friderico, postquam fuit innodatus excommunicationis sententia, prestitisse dicitur consilium, auxilium et favorem[1], nec non de vita et meritis eius inquiratis diligentius veritatem, et que inveneritis fideliter redacta in scriptis nobis sub sigillis vestris quantotius per fidelem nuntium transmittatis, prefigendo eidem electo terminum peremptorium competentem, quo nostro se conspectui personaliter representet, pro meritis recepturus, alienatione bonorum ecclesie Brixinensis prefato electo, cum habeatur de dilapidatione suspectus, interim interdicta. Si vero sepedictus electus, anime sue saluti et honori provide consulens, inquisitionis incendium prevenire voluerit cessione, vos, auctoritate nostra ipsius cessione recepta, de tali persona provideatis ecclesie antedicte, per quam auferatur temporis iactura preteriti et futuri commoditas conferatur, ipsaque nobis et ecclesie Romane manifeste fidelis sit et devota, invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii secularis: contradictores etc. Quod si non omnes etc., duo vestrum etc.

Dat. Lugduni, II Nonas Iunii, anno III.

189.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino mandat, ut [Henricum] lantgravium Thuringiae, quem communi consensu principum in regem Romanorum electum laetanter audiverit, moneat, ut negotium imperii viriliter prosequatur, et alios principes Teutoniae animet, ut eidem potenter assistant. *1246, Iun. 9.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 305; Lib. III, cur. 24. Damus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1246, § 5. Potthast, Reg. 12150; Berger 1989.

.. archiepiscopo Maguntino.

Litteris tuis affectuose receptis, ex earum tenore collegimus, quod dilectus filius nobilis vir lantgravius Thuringie communi consensu principum in Romanorum[a] est regem electus[2] et gerit publice se pro rege; super quo ei, qui suorum vota inspirando prevenit et prosequitur adiuvando, dignas gratiarum referimus actiones. Sane imperii Romani negotium successibus dirigi prosperis ardenti desiderio cupientes, sic tota mente stabilique proposito ad illius promotionem, ex quo ipsum idem lantgravius assumpsit, intendimus, ut ad id providentia consilii[b], auxilii robore et favoris vigore volumus perseveranter insistere ac plus etiam factis regi eidem adesse dictumque iuvare negotium, quam promissionibus exprimamus. Ideoque fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente, mandantes quatinus regem ipsum attente monere, efficaciter inducere ac multipliciter confortare procures, ut de virtutis divine suffragio et de sedis apostolice favore confisus, prefatum negotium, quod iam animose suscepit, strenue ac viriliter prosequatur. Alios insuper Theutonie principes, tam ecclesiasticos quam seculares, iuxta datam tibi a Deo studeas prudentiam animare, ut predicto regi plene ac fideliter intendentes, potenter eidem ac patenter assistant, ita quod negotium ipsum.

a) Romanum *Rayn.* b) concilii *Rayn.*

1) *Electus a. 1245, Iun. Veronae ap. imperatorem erat; Böhmer-Ficker, l. c. 3479; a. 1246, Iul. 25 excommunicatus et suspensus ab electo Ferrariensi citatus est, ut infra mensem coram papa compareret; Hofler, l. c. p. 122.* 2) *Mai. 22 in castro Hochheim ad Moenum flumen infra cir. Wurzburg sito: Böhmer-Ficker, l. c. 1865, d. Nuntius igitur, qui epistolam archiepiscopi ad curiam portavit, summa celeritate profectus est.*

annuente Domino prospere inchoatum, possit eiusdem cooperante gratia fine laudabili consummari. Circa exhibitionem quoque promissi a nobis subsidii[1] nullus reperietur ex parte nostra defectus, cum pro consummando eodem negotio intendamus etiam ad maiora. Regi autem prefato nondum scripsimus, pro eo quod solemnes ipsius nuntios expectamus[2], cum quibus de hiis, que ipsi negotio videbimus opportuna, plenarie disponamus.

Dat. Lugduni, V Idus Iun. anno III.

190.

Innocentius IV papa [Philippo] electo Ferrariensi idem scribit, addens ut lantgravio exponat, quam constanter ecclesia ei assistere proponat. *1246, Iun. 10.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 305; Lib. III, car. 25.
Berger 1990.

.. electo Ferrariensi.

Litteris tuis affectuose receptis, etc. ut supra in proxima usque: viriliter prosequatur, exponens ei, quam constanter assistere sibi proponit ecclesia, cum in hoc et regii honoris augmentum et catholice fidei robur ac defensionem consideret ecclesiastice libertatis. Circa exhibitionem[a] quoque promissi a nobis subsidii[b] etc. usque: disponemus.

Dat. Lugduni, IIII Idus Iunii, anno tertio.

191.

Innocentius IV papa [Conrado] archiepiscopo Coloniensi ad preces [Henrici] regis Romanorum mandat, ut praeposito Sanctae Mariae ad Gradus Coloniensis in civitate vel diocesi Coloniensi de redditibus ecclesiasticis provideat, dummodo eorum proventus ducentarum marcarum argenti annuatim valentiam non excedant. *1246, Iun. 13.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 292; Lib. III, 588. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit et ex eis supplevit V. Cl. A. Mau.
Berger 1927.

.. archiepiscopo Coloniensi[c].

Apostolice sedis benignitas consueta sic merita personarum etc. ut supra[d] usque, discernit, ut eos[e], qui litterarum scientia et morum nobilitate precellunt, favoris gratia efferat amplioris et maioribus studeat beneficiis honorare, quia non incongrue tunc uni, quod sufficeret pluribus, etc. usque: invenitur. Hinc est, quod nos, probitatem et nobilitatem dilecti filii .. prepositi ecclesie sancte Marie ad Gradus Coloniensis[3] non indigne pensantes, ac volentes ex hoc sibi facere gratiam specialem, carissimi in

a) exhitionem *R.* b) negotii *R.* c) Eidem *R.* d) *Epistola, quae sic incipit, non antecedit, sed formula saepius legitur.* e) eorum *corr.* eos.

1) *Cf. Böhmer-Ficker, l. c.* 2) *Cf. n. 209.* 3) *Friderici, fratris Conradi archiepiscopi Coloniensis, de quo cf. Berger 868 et 2183.*

Christo filii nostri .. Romanorum regis illustris precibus inclinati, mandamus, quatinus eidem in civitate vel diocesi Coloniensi de redditibus ecclesiasticis, tam in prelaturis quam aliis beneficiis ecclesiasticis, prebendalibus vel aliis, dummodo eorum proventus preter beneficia que nunc obtinet ducentarum marcarum argenti annuatim valentiam non excedant, auctoritate nostra providere procures — non obstantibus si in ecclesiis, in quibus ei duxeris providendum, certus sit canonicorum numerus iuramento vel quacunque alia firmitate vallatus, vel si de mandato nostro super aliorum provisione eedem ecclesie sunt gravate, aut quod idem prepositus alias beneficiatus existit —: contradictores etc.

Dat. Lugduni, Id. Iunii, anno tertio[1].

192.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Moguntino et [Philippo] electo Ferrariensi mandat, ut de electione Bertholdi praepositi Spirensis in episcopum Ratisponensem inquirant, contra quem quidam canonici [Eberhardum] praepositum Ratisponensem elegerint. *1246, Iun. 13.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 290; Lib. III, 564.
Berger 1903.

.. archiepiscopo Maguntino et .. electo Ferrariensi.

Ad nostram noveritis audientiam pervenisse, quod cum nuper Ratisponensis ecclesia pastoris esset solatio destituta[2], .. decanus et capitulum eiusdem ecclesie, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, ad tractandum de futuri substitutione pontificis convenientes in unum, tandem post habitum super ipsa tractatum omnes compromiserunt concorditer in prefatum decanum et Albertum concanonicum eorundem, concessa eis plenaria potestate, ut tres alios eligerent de ipsorum collegio fide dignos, cum quibus de persona idonea de gremio ecclesie vel aliunde viduate ecclesie providerent; promittentes nichilominus prefati capitulum sollempniter coram omnibus, qui erant presentes, se recepturos illum, quem ipsi quinque communiter eligerent in pastorem. Cumque dicti decanus et canonicus huiusmodi compromisso recepto associassent sibi tres alios iuxta compromissi tenorem, ipsi quinque post diligentem tractatum inter se habitum, Spiritus sancti gratia invocata, Bertoldum prepositum Spirensem, virum providum et discretum, in spiritualibus et temporalibus circumspectum, in Ratisponensem episcopum concorditer elegerunt, seque ac electionem ab eis factam protectioni apostolice supponentes appellarunt, ne quid attemptaretur in preiudicium eorundem. Sed quia postmodum S. et quidam alii eiusdem ecclesie canonici, electioni prefate se temere opponentes, .. prepositum Ratisponensem de facto, cum de iure nequiverint, eligere presumpserunt, prefatus prepositus Spirensis electioni de se facte distulit, donec super hoc nostram voluntatem intelligeret, consentire. Nolentes igitur ut occasione huiusmodi ecclesie prefate provisio retardetur, mandamus, quatinus inquisita super hiis diligentius veritate, si

1) *Sub Iun. 20 eidem archiepiscopo mandavit, ut praelatos et clericos Teutoniae, quos circa negotium ecclesiae inveniret tepidos, gratiis a sede apostolica concessis privaret; Berger 1928.* 2) *Sigefridus episcopus, imperialis aulae cancellarius, postquam a. 1245, Aug. 26 vel paulo ante papae se subiecit [cf. Potthast, Reg. 11836. 11837, Bohmer-Ficker, l. c. 3494 et 3516, Schirrmacher, Alb. v. Possemünster, p. 131, not. 2], a. 1246, Mart. 19 mortuus erat.*

electionem prefati prepositi Spirensis inveneritis canonice de persona idonea celebratam, ipsam, postquam idem prepositus eidem electioni consenserit, cassata rite reliqua, confirmetis, ipsumque in corporalem possessionem episcopatus Ratisponensis inducatis et defendatis inductum, facientes ei ab universis et singulis subditis Ratisponensis ecclesie obedientiam et reverentiam debitam exhiberi ac eidem electo per vicinos episcopos munus consecrationis impendi; contradictores etc. Si vero super electionis predicte processu aliquid dubietatis vel difficultatis emerserit, negotium ipsum sufficienter instructum ad nos infra unius mensis spatium remittatis, prefigentes hiis quorum interesse videritis, terminum peremptorium competentem, quo per se vel procuratores idoneos cum omnibus rationibus et munimentis eorum compareant coram nobis, facturi et recepturi quod super hoc duxerimus ordinandum. Interim autem bona episcopatus Ratisponensis ecclesie, que illesa conservari volumus, alienari vel distrahi minime permittatis, temeritatem eorum, qui contravenire temptaverint, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Super expensis vero resarciendis alterutri partium, quod iustum fuerit, statuatis, facientes quod decreveritis etc. Testes autem etc. — non obstante constitutione de duabus dietis etc.

Dat. Lugduni, Idibus Iunii, anno III[1].

193.

Innocentius IV papa [Guidoni] episcopo Cameracensi concedit, ut contra clericos civitatis et diocesis suae, qui litteras apostolicas contra aliquos impetratas vendunt vel conventos per eas vexationem redimere compellunt, procedere possit. 1246, Iun. 14.

Inn. IV Reg. Vol. I, 291; Lib. III, 580.
Berger 1920.

.. episcopo Cameracensi.

Tua nobis fraternitas intimavit, quod[a] nonnulli clerici in civitate ac diocesi tua degentes, abutendo gratia sedis apostolice, litteras, quas contra diversas personas sub suo vel alieno nomine super personalibus vel realibus actionibus ad diversos iudices impetrant ab eadem, interdum vendunt, quandoque vero redimere conventos per ipsas suam vexationem malitiose compellunt. Quare nobis humiliter supplicasti, ut cum ex hoc grave in illis partibus scandalum oriatur, salubre super hoc remedium adhibere paterna sollicitudine curaremus. Gerentes itaque de circumspectione tua fiduciam in Domino pleniorem, fraternitati tue presentium auctoritate concedimus, ut venditores huiusmodi — non obstante frivole appellationis obiectu — valeas de tante presumptionis excessu animadversione debita castigare; contradictores etc.; presentibus post biennium minime valituris.

Dat. Lugduni, XVIII Kal. Iulii, anno III[2].

a) cum *add. R.; mendum, ut videtur, dictatoris, qui verba alio modo componere initio voluerat.*

1) *Cf. infra n. 216 et 217.* 2) *Sub Oct. 9 a. 1246 papa [Waltero] episcopo Tornacensi mandavit, ut nonnullos diocesis suae, qui litteris apostolicis abuterentur, poena debita castigaret: Berger 2112.*

194.

Innocentius IV papa [Henrico] episcopo Constantiensi ad preces Wernheri de Bonlandia, imperialis aulae dapiferi, mandat, ut Iohanni clerico Spirensi de beneficio ecclesiastico competenti in civitate vel dioecesi sua provideat. *1246, Iun. 15.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 297: Lib. III, 615. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau. Berger 1953.

.. episcopo Constantiensi[1].

Cum ex pietatis debito pauperibus compati teneamur, de illorum provisione quasi ex necessitate compellimur cogitare, qui assumpti in sortem Domini nullum sunt beneficium ecclesiasticum assecuti, ut eius sustententur stipendiis, cuius obsequiis ascribuntur. Cum igitur, sicut dilectus filius Iohannes clericus Spirensis proposuit coram nobis, nullum sit beneficium ecclesiasticum assecutus, licet in ecclesia sancti Guidonis Spirensis receptus sit in canonicum et in fratrem, nos, consideratione dilecti filii nobilis viri Wernheri de Bonlandia[2], imperialis aule dapiferi, pro ipso nobis supplicantis gratiam sibi facere intendentes, fraternitati tue mandamus, quatinus eidem in aliqua ecclesiarum civitatis vel diocesis tue auctoritate nostra provideas vel provideri facias in beneficio ecclesiastico competenti, si quod ibidem vacat adpresens vel quamprimum obtulerit se facultas, — non obstante[a] si in ecclesia, in qua ei providendum duxeris vel provideri feceris, sit certus canonicorum numerus iuramento vel alia qualibet firmitate vallatus, seu si pro aliis ibidem direximus scripta nostra, quibus auctoritate presentium nolumus preiudicium generari —; contradictores etc.

Dat. Lugduni, XVII Kal. Iulii, anno tertio.

195.

Innocentius IV papa [Arnoldo] archiepiscopo Trevernsi mandat, ut Werico canonico Treverensi, clerico ipsius, in negotiis sedis apostolicae obsequioso, in ecclesia Treverensi de archidiaconatu vel dignitate vacante provideat. *1246, Iun. 19.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 294: Lib. III, 601. Berger 1939.

.. archiepiscopo Treverensi.

Quia honori Altissimi intendimus et augmento, illos precipue prosequi debemus gratia speciali, per quos et decus augeatur ipsius et utilitas procuretur[b]. Cum igitur dilectus filius Wericus canonicus Treverensis, clericus tuus, in apostolice sedis negotiis se obsequiosum exhibuerit et devotum, nos, intendentes ipsum ob hoc favore gratie prosequi specialis, mandamus, quatinus eidem in ecclesia Treverensi in archidiaconatu vel dignitate, si que ibi vacat ad presens vel quamprimum ad id se facultas obtulerit,

a) *an* non obst. = non obstantibus? b) procuratur *R.; cf. p. 111, not. d.*

1) *Papa hunc episcopo sub a. 1245, Mai. 11 [n. 119] cum verbis* spiritum consilii sanioris *scripsit: Oct. 27 [Neugart, Cod. dipl. Alemanniae, t. II, p. 181, n. 936, Potthast 11948], a. 1246, Febr. 6 [Berger 1756], hoc loco et Iun. 26 [Berger 1948] cum non excommunicatum reperimus, sed a. 1246, Iul. 25 Philippus electus Ferrariensis, apostolicae sedis legatus, cum tanquam excommunicatum et suspensum citavit, ut infra viginti dies coram papa compareret: Hofler, Albert v. Beham p. 122.* 2) *Bolanden in Palatinatu Rhenano, ex or. montis Donnersberg.*

si tibi specialiter super hoc pro aliis scripta nostra non direximus, liberaliter providere procures — non obstante[a] quod idem alias beneficiatus existit, vel si aliis in civitate vel diocesi aut provincia Treverensi generaliter provideri mandavimus, aut alii auctoritate nostra in eadem ecclesia personatus sunt adepti, aut indulgentia ab apostolica sede obtenta, per quam posset huiusmodi gratia impediri —: contradictores etc.

Dat. Lugduni, XIII Kal. Iulii, anno tertio.

196.

Innocentius IV papa archiepiscopo Arborensi mandat, ut matrimonium inter Adelasiam iudicissam Turritanam et Gallurii et Henricum, natum Friderici quondam imperatoris, contractum, si de adulterio eiusdem Henrici sibi constiterit, quoad separationem thori, dirimat.

1246, Iun. 21.

Inn. IV Reg. Vol. I, 306; Lib. III, cur. 30.
Berger 1995.

.. archiepiscopo Arborensi.

Ex parte dilecte in Christo filie Adelasie iudicisse Turritane et Gallurii[1] fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum Henricus, natus Friderici quondam imperatoris, post contractum licet contra inhibitionem ecclesie matrimonium cum eadem maritalem thorum adulterii crimine maculavit, inter eos celebrari divortium mandaremus. Ideoque mandamus, quatinus inquisita super hoc diligentius veritate, si tibi de adulterio ipso constiterit, quoad thori separationem, auctoritate nostra matrimonium, prout iustum fuerit, dirimas supradictum.

Dat. Lugduni, XI Kal. Iulii, anno tertio.

197.

Innocentius IV papa priori de Bonarcanto Arborensis diocesis mandat, ut Bencivenn. clerico Perusinae diocesis, qui propter potentiam Henrici, filii Friderici quondam imperatoris, beneficium ecclesiasticum promissum consequi non potuerit, ecclesiam sancti Petri de Silano Arborensis diocesis conferat. *1246, Iun. 22.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 312; Lib. IV, 29. Haec epistola anni tertii in Libro quarto falso collocata est.
Berger 2024.

.. priori de Bonarcanto[2] Arborensis diocesis.

Sua nobis Bencivenn.[b] clericus Perusine diocesis petitione monstravit, quod cum nos olim venerabili fratri nostro .. Civitatensi episcopo[3] in Sardinia nostris dederimus litteris in mandatis, ut eidem, nullum ut asserit ecclesiasticum beneficium assecuto, in

a) *an* non obst. = non obstantibus? b) Beneciveñ *R.*

1) *De eadem cf. n. 35.* 2) *Bonarcado, prov. di Cagliari, circond. di Oristano, mandam. di S. Lussurgiu.* 3) *Petro, de quo cf. Berger 1937. 1938.*

aliqua ecclesiarum sue civitatis vel diocesis provideret in ecclesiastico beneficio competenti, contradictores etc.: quia Henrius, filius Friderici quondam Romanorum imperatoris, prohibuit, ne per terram suam littere apostolice deferrentur, idem clericus de gratia sibi facta nullum potuit comodum reportare. Nolentes igitur ut idem clericus spe gratie nostre frustretur, mandamus, quatinus ecclesiam sancti Petri de Silano[1] Arborensis diocesis, si ut dicitur tanto tempore iam vacavit, quod ad nos est eius collatio devoluta, dicto clerico auctoritate nostra conferre procures, ipsum inducens in possessionem eiusdem et defendens inductum: contradictores etc.

Dat. Lugduni, X Kal. Iulii, anno tertio[a].

198.

Innocentius IV papa [Martino] electo Vercellensi concedit, ut ad munienda castra ecclesiae suae mutuum centum marcarum argenti contrahere sibi liceat. 1246, Iun. 25.

Inn. IV Reg. Vol. I, 294; Lib. III, 603.
Berger 1941.

.. electo Vercellensi.

Cum, sicut asseris, propter guerram et persecutionem inimicorum ecclesie castra ecclesie Vercellensis oporteat te munire, nec ad id tibi suppetant facultates, presentium tibi auctoritate concedimus, ut liceat tibi propter hoc usque ad centum marcas argenti contrahere mutuum et bona ipsius ecclesie creditoribus obligare.

Dat. Lugduni, VII Kal. Iulii, anno III[2].

199.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino [et suffraganeis eius] mandat, ut contra Friderici quondam imperatoris perfidiam, praesertim cum iam alius sit in Romanorum regem assumptus, in imperatorem promovendus, per civitates et dioeceses suas verbum crucis praedicent. 1246, Iun. 27.

Inn. IV Reg. Vol. I, 306; Lib. III, cur. 28. Pertzii exemplar contulimus cum Hofler, Friedr. II, p. 371, qui cod. Vallicell. J, 55 exscripsit [cf. n. 170], et cum Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 133, qui ad hanc editionem Collect. Laporte du Theil Bibl. Paris. adhibuit.
Potthast, Reg. 12187; Berger 1993.

.. archiepiscopo Maguntino [et suffraganeis eius][b].

Etsi ad defensionem catholice fidei et ecclesiastice libertatis omnes, quos Christiana discernit religio, teneantur, viri tamen ecclesiastici, tam religiosi quam seculares, et

a) tertio *in loco raso, sed eadem manu PERTZ;* quarto, *cum ep. in Libr. IV relata sit, antea scriptum fuisse putamus; cf. t. I, p. XII.* b) *verbo* et suffraganeis eius, *in R. omissa, H. B. et Berger secuti, nos addidimus, cum ep. ad plures directa sit et ii, qui supplendi sunt, propter verba* per vestras civitates et dioceses *alii fuisse non possint.*

1) *Silanus, prov. di Sassari, circ. di Nuoro, mand. di Bolotana.* 2) *Sub a. 1247, Apr. 19 eidem indulsit, ut manus consecrationis ex tunc per annum non teneretur suscipere; Berger 2540.*

presertim ecclesiarum prelati, ad id eo amplius sunt astricti, quo ad Dominice sortis participium specialius evocati, gravius Iesu Christi provocari debent iniuriis et contra persecutores ecclesie, sponse sue, vehementius commoveri. Pre cunctis autem tyrampnus F. quondam Romanorum imperator contra Deum et dictam ecclesiam persecutionis arma incessanter et patenter exercet, qui quanto celsiori hactenus dignitate ipsa ecclesia operante prefulsit, tanto in eam crudeliori animadversione desevit, potentie sue [vires][a] adversus illam nefanda mentis perversitate convertens, acuendo in interitum eius gladium, quem ab ipsa contra eiusdem vibrandum susceperat inimicos. Ut autem sua prava intentio penitus auctore Domino vacuetur et confringatur sue fortitudinis robur, ibi potissime malignitatis ipsius resistendum est studiis suique sunt elidendi conatus, unde propter nominis excellentiam consuevit haberi superior et plus timeri etiam pre magnitudine potestatis. Hinc est, quod universitatem vestram monemus, rogamus[b] et hortamur attentius, mandantes quatinus, considerato sollicite quot[c] tribulationum malleis idem F. non solum ecclesiam set etiam totum fere Christianum populum flagellarit, et quamdiu in viros ecclesiasticos virus sue feritatis effuderit, quodque seviori continue furiat rabie contra eos, propter quod efficax super hiis convenit remedium adhiberi, ad tuendas fidem et libertatem predictas contra ipsius perfidiam ferventibus animis exurgentes, presertim cum iam alius sit in Romanorum regem assumptus[1], in imperatorem auctore Domino promovendus, adversus[d] eundem F. omnesque fautores ipsius crucis signaculum de divino et nostro sperantes auxilio assumatis, et tam per vos quam alios[e], religiosos et seculares, quos ad hoc idoneos esse noveritis, proponentes iuxta datam vobis a Deo prudentiam per vestras civitates et dioceses verbum crucis, eos, quod pensantes attente iamdicti F. detestandam nequitiam et propositum execrandum, contra ipsum suscepto huiusmodi signaculo celeriter et viriliter se accingant, studiosis et sedulis exhortationibus inducere procuretis. Nos enim, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex[f] illa quam nobis licet indignis Deus ligandi atque solvendi contulit potestate, omnibus qui laborem istum in propriis personis subierint et expensis, ac eis qui non in personis propriis laboraverint sed in suis dumtaxat sumptibus iuxta facultatem suam et qualitatem idoneos destinaverint bellatores, nec non illis qui, licet in alienis expensis, in propriis tamen personis onus istud assumpserint, illam suorum peccatorum, de quibus veraciter corde contriti et ore confessi fuerint, veniam indulgemus ipsosque illo privilegio eaque[g] immunitate gaudere volumus, que Terre Sancte succurrentibus in generali concilio sunt concessa. Huius quoque remissionis concedimus esse participes iuxta quantitatem subsidii[h] et devotionis affectum omnes, qui adversus dictum F. et eius fautores de bonis suis congrue ministrabunt aut consilium et auxilium impenderint oportunum[2].

Dat. Lugduni, V Kal.[i] Iulii, anno tertio.

200.

Innocentius IV papa Montanario canonico Aesino et nominatis civibus Aesinis et Philippo de Longan. de Racanate scribit, se decernere, ut pro recompensatione damnorum,

---

a) vires *deest R.* b) rogamus — mandantes *deest Hö., H. B.* c) quod *Hö., H. B.* d) advesus *R.* e) quam per alios *Hö., H. B.* f) *Hö., H. B.;* si ex *P.* g) illaque *Hö., H. B.* h) susidii *R.* i) Id. *Hö.*

1) *Henricus Raspe, Mai. 22.* 2) *Epistola encyclica fuisse videtur, quae ubique per Teutoniam vulgata est; cf. n. 202.*

quae a nuntiis Friderici quondam imperatoris et a quibusdam concivibus suis passi fuerint, horum bona eis obligata sint. *1246, Iul. 2.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 310; Lib. IV, 13. Pertzii exemplar contulimus cum Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sed. t. I, p. 121, n. 215.
Potthast, Reg. 12197; Berger 2008.

Montanario canonico Esino, Manetti[a] Baligano et Guidoni fratribus, filiis quondam Vguicionis, Symonetto, Bartholomeo, Captio Cavalco, Fantibono Gifredi, Bonifatio Transmundi, Raynaldo Mainardi, Marino, Symoni[b] Cerlongi, Iacomello notario, Lombardello et Laurentio de Ripis[c], civibus Esinis, et Phylippo de Longan. de Racanate, fidelibus nostris.

Cum matris ecclesie pietas cunctos relevare studeat, quos premit et opprimit crudelis impietas, illi potissimum sue debent experiri consolationis auxilia, qui dampnosa dispendia sustinent propter ipsam, ut quibus eadem ruine fuit occasio, esse causa debeat et salutis. Oblata sane nobis ex parte vestra petitio continebat, quod cum vos pro fide ac libertate Romane ecclesie tam a nuntiis Friderici quondam imperatoris quam a concivibus vestris et aliis Dei et ecclesie inimicis, videlicet[1] Montefeltrano de Bissazon.[d], Palmerio Palmerii, Accurrimbona[e] Gisserii, Guillielmo Gottiboldi et fratribus eius, . . comite Sancti Petri, Iacobo de Marto, Octaviano Philippi, Dominico Buccanigra, Acto de Massacio, Boninsigna de Presbytero, Todino Iacobelli, Barnaba notario, Arimino[f] Recuperi, Accurribona Palmerii, Matheo Scotti, Alberto Fantolini, Matheo fratre iudicis Pauli, Adammo Fuite, Compagnono, Blasio dompni Azonis de Ruvellian.[g], Corrado filio Francucii, civitatis et diocesis Esine, et Philippo domine Aigane de Plano, Senogaliensis diocesis, dampna gravia sustinueritis et iacturas, indempnitati vestre precaveri super hiis a sedis apostolice providentia humiliter supplicastis. Ut igitur fideles ecclesie, promerente ipsorum fideli constantia, debite sublevationis remedium consequantur et proditores ipsius eam gratis odisse ac eiusdem flagellasse filios ex concepte furore malitie pena docente cognoscant, vestris supplicationibus inclinati, predictorum bona pro debita[h] et integra vestrorum recompensatione dampnorum, que propter ecclesiam occasione huiusmodi passi estis, vobis, in devotione sedis apostolice persistentibus, esse volumus auctoritate presentium obligata, statuentes ut iidem — edicto seu statuto quolibet contrario non obstante — vobis dampna huiusmodi teneantur integre resarcire. Nulli ergo etc. nostre concessionis et constitutionis etc. Siquis etc.

Dat. Lugduni, VI Non. Iulii, anno quarto[2].

201.

Innocentius IV papa [Philippo] electo Ferrariensi, apostolicae sedis legato, mandat, ut praelatos et principes et alios clericos et laicos Teutoniae compellat, ut

a) Manenti *T., B.; B. inscriptionem ap. T. inventam repetivisse credimus; cf. p. 106, not. b.* b) Simioni *T., B.* c) Rivis *T., B.* d) Bissazoñ *R.* e) Acurribona *T.* f) Ariminī *R.* g) Ruvellianī *R.* h) *T.;* debitis *P.*

1) *De eisdem cf. infra ep. sub a. 1247, Mai. 15 et 11, Berger 2736 et 2669.* 2) *Sub a. 1247, Iun. 15 papa, ad hanc epistolam se referens, 'Manenti Huguicionis et aliis civibus de Aesio' indulsit, ut quia illis difficile esset amissionem rerum mobilium et damna probare, ad declarandam aestimationem rerum et damnorum per iuramentum dumtaxat absque alia probatione admitterentur; Berger 2785.*

H[enrico] regi Romanorum efficaciter intendant eique fidelitatis iuramenta praestent. *1246, Iul. 4.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 117; Lib. IV, cur. 3. Ad exemplar Pertzii adhibuimus praeter id, quod Berger edidit, Fantuzzi, Mon. Ravenn. Append. ed. Tarlazzi t. I, p. 187, n. 119 in 'Monumenti etc. della Romagna, Ser. IV, qui authenticum ex Tabul. archiep. Rav. caps. M, n. 5651 proposuit [A].
Potthast, Reg. 12199 a; Berger 2919.

..electo Ferrariensi, apostolice sedis legato[1].

Presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus universos, tam prelatos ecclesiarum secularium et regularium quam principes et alios clericos et laicos per Theotoniam constitutos, ut carissimo in Christo filio nostro H.[a] regi Romanorum illustri efficaciter intendant, fidelitatis iuramenta prestent ac omnia exhibeant, que consueverunt ab eis Romanorum[b] regibus seu imperatoribus exhiberi, dictos prelatos et clericos monitione premissa per suspensionis ab officio, dignitate, honore ac beneficio sententiam, prefatos vero principes et[c] laicos per penam spiritualem vel temporalem, si fuerit necesse, compellas. Illis autem prelatis et clericis, quos propter hoc suspenderis, districte iniungas, ut infra certum terminum peremptorium, quem eis[d] prefixeris, apostolico se conspectui personaliter representent, depositionis vel aliam, prout qualitas delicti exegerit, sententiam recepturi[e], denuntians ipsis[f], quod si forte in prefixo sibi[g] termino non curaverint comparere, nos nichilominus contra eos ad depositionem vel alias penas[h] — non obstante ipsorum[i] absentia corporali —, sicut expedire videbimus, procedemus[2].

Dat. Lugduni, IIII Non. Iulii, anno quarto.

202.

Innocentius IV papa eidem mandat, ut ea, quae fideles Teutoniae pro negotio crucis contra Fridericum quondam imperatorem attollendae erogaverint, colligi et conservari faciat. *1246, Iul. 4.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 117; Lib. IV, cur. 5. Ad exemplar Pertzii adhibuimus praeter id, quod Berger edidit, apographum cod. Vallicell. J, 55; cf. n. 170.
Berger 2921.

Eidem[k].

Cum nos contra F. quondam Romanorum imperatorem mandemus per Theotoniam predicari Christi fidelibus verbum crucis[3], volumus et presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus ea, que iidem fideles de bonis suis pro huiusmodi negotio

a) Henrico *A.* b) *A.*; Romanis *P., B.* c) et *deest A.* d) ei *B.* e) accepturi *A.* f) eis *B.* g) sibi *deest B.* h) pe. al. *A.* i) eorum *B.* k) *antecedit. n. 217.*

1) *Epistola, qua ei legationis officium commissum est, sub Iul. 5 [n. 203] data est, sed cum notae chronol. eum diem indicent, quo epistolae coram papa legebantur [cf. t. I, p. X], ipsa legationis commissio nonnullis diebus ante facta esse et recte ille iam Iul. 4 'legatus' appellari potuit. Unde aperte sequitur, ius non per litteras sed iam per beneplacitum papae creatum esse, et litteras scriptas esse, ut iuri creato testimonio essent; cf. p. 26, not. 7.* 2) *Legatus auctoritate huius epistolae Iul. 25 hos praelatos excommunicatos et suspensos citavit: Salisburgensem et Bremensem archiepiscopos, Patariensem, Frisingensem, Brixi[n]ensem, Pragensem episcopos, ut infra mensem, Traiectensem, Wormatiensem, Constantiensem, Augustensem, Padeburnensem, Hildeshemensem episcopos, Sancti Galli, Elewacensem, Augiensem, Campidonensem, Wizenburgensem abbates, ut infra viginti dies coram papa comparerent; Höfler, Alb. v. Beham p. 122.* 3) *Cf. n. 199 et 211.*

erogabunt, diligenter colligi ac fideliter facias conservari, pro eiusdem promotione negotii iuxta mandatum nostrum postmodum expendenda.

Dat. Lugduni, IIII Non. Iulii, anno quarto.

203.

Innocentius IV papa [Philippo] electo Ferrariensi plenae legationis officium per Teutoniam committit. *1246, Iul. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 117: Lib. IV, cur. 1. Pertzii exemplar supplevimus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1246, § 6.

Potthast, Reg. 12202; Berger 2917.

.. electo Ferrariensi, apostolice sedis legato.

Illius licet immeriti vicarii constituti, qui pro salute humani generis de suppremis celorum ad ima mundi descendens, discipulos quos elegit in universum mundum transmisit omni creature evangelium predicare, nonnumquam viros providos et discretos, cum nequeamus locis singulis corporali presentia imminere, instructi eius exemplo, in partem
E. 40 4. sollicitudinis evocamus pro negotiorum ingentium qualitate, qui prava in directa et aspera convertentes in plana, rectas faciant semitas dei nostri populumque acceptabilem sibi reddant. Hinc est, quod nos tibi, de cuius providentia[a] et discretione firmam in Domino fiduciam obtinemus, plene legationis officium in Theotonie partibus duximus
Ierem. 1 10. committendum, concessa tibi libera potestate, ut evellas et destruas, dissipes et disperdas, edifices et plantes, prout secundum Deum videris expedire. Quocirca mandamus, quatinus legationem ipsam sic studeas iuxta datam tibi a Domino gratiam laudabiliter exercere, quod exinde apud Deum meritum et apud homines tibi compares nomen bonum, nosque diligentiam tuam dignis in Domino laudibus commendemus.

Dat. Lugduni, III Non. Iulii, anno quarto.

204.

Innocentius IV papa eidem varias generaliter per Teutoniam concessiones et dispensationes faciendi et censuram ecclesiasticam ibi exercendi facultatem dat.

1246, Iul. 5.

Inn. IV Reg. Vol. I, 417—418; Lib. IV, cur. 8, 9, 10, 12, 13, 14, 15 et 16. Ep. cur. 11 sub n. 221 proposita est.

Berger 2924—2926, 2928—2932.

1.

Eidem[b].

Licet olim duxerimus statuendum[1], ut legati sedis apostolice, nisi cardinales existant, nullam habeant conferendi beneficia potestatem, nos tamen, volentes tuam in hac parte personam specialiter honorare, discretioni tue, ut generaliter per regnum

a) providentia — expedire *ex Rayn.* b) *antecedit n. 211.*

1) *In concilio Lugdunensi: cf. Mansi, Concil. t. XXIII, p. 653 et Corp. iur. canon. c. 1 de officio legati in 6to, Lib. I, tit. XV.*

Theotonie de personatibus, canoniis, prebendis aliisque beneficiis ecclesiasticis, sive curam habeant sive non animarum annexam, personis idoneis, secundum quod expedire videris, providere[a] et contradictores super hoc per censuram ecclesiasticam appellatione postposita cohibere libere valeas — constitutione a nobis super hoc edita et statuto de certo canonicorum numero et quibuslibet aliis, necnon quibuscumque consuetudinibus ecclesiarum, tam cathedralium quam aliarum, eiusdem regni, iuramento vel qualibet alia firmitate vallatis, seu si eedem ecclesie sunt auctoritate sedis apostolice vel legatorum ipsius super aliorum[b] provisione gravate, vel si forte ab eadem sede indulgentiam habeant, quod eorum prelati sive capitula non teneantur seu compelli non possint ad aliquorum provisionem, quodque interdici, suspendi vel excommunicari non valeant absque speciali sedis predicte mandato, plenam faciente de indulgentia huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis apostolicis indulgentiis[c], per quas super hoc possent forsitan se tueri, aut si etiam prefate persone alias beneficiate fortassis existant, nequaquam obstantibus —, auctoritate presentium duximus concedendum.

Dat. ut supra.

II.

Eidem.

Cum tibi plenam providendi de beneficiis per regnum Theotonie personis idoneis, secundum quod expedire videris, per nostras concedamus litteras potestatem, volumus et presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus circa huiusmodi provisiones[d] illud moderamen servare seu talem diligentiam adhibere procures, ut super receptione vel provisione duorum aut plurium, nisi multum expedire videris[e], per te aliqua ecclesia non gravetur.

Dat. ut supra.

III.

Eidem.

Cum nonnullis personis ecclesiasticis de Theotonie partibus liberales nos exhibuerimus et benignos, eis tam super beneficiis quam aliis specialibus gratiis nostras litteras concedendo, sperantes quod ipsi tamquam beneficiorum sedis apostolice non ingrati, nobis et ecclesie, presertim oportunitatis tempore, grate devotionis obsequia exhiberent et pro ipsius negotiis promovendis diligenti studio laborarent, volumus et presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus omnes illos, quos indevotos et ingratos reppereris in hac parte, privare penitus huiusmodi nostris gratiis non postponas, iniungendo executoribus, quos eis super gratiis eisdem concesserimus, ut per litteras apostolicas super hiis optentas ad eos aliquatenus non procedant, et revocans omnem processum, si quis forte habitus est per eas; contradictores etc.

Dat. ut supra.

IV.

Eidem[f].

Discretioni tue dispensandi cum vigirti clericis de Theotonie[g] partibus, quos dignos et idoneos esse cognoveris, quod eorum quilibet duo beneficia ecclesiastica vel duos personatus aut duas dignitates, etiam si curam habeant animarum annexam, licite recipere, si sibi canonice offerantur, ac libere retinere valeat — constitutione generalis

a) providere *in R. post* cohibere libere *positum est.* b) aliarum *P.* c) audulgentiis *R.* d) provisionem *B.* e) *B.;* videas *P.* f) *Pertzii exemplar contulimus cum authentico in Tabul. archiep. Ravennat. caps. M, n. 5676 conservato, ap. Fantuzzi, Mon. Ravenn. Append. ed. Tarlazzi t. I, p. 195, n. 128.* g) Theutonie *A.*

concilii non obstante —, plenam concedimus auctoritate presentium facultatem: proviso quod beneficia, personatus et dignitates predicta debitis etc. usque: negligatur[a].

V.

Eidem.

Cum tibi de fratrum nostrorum consilio plene legationis officium in Theotonie partibus duxerimus committendum, volentes quedam specialia tibi concedere, per que saluti consulere valeas animarum, discretioni tue dispensandi cum clericis earundem partium defectum natalium patientibus, quod — huiusmodi non obstante defectu — possint in susceptis ministrare ordinibus et ad maiores promoveri ac ecclesiastica beneficia, etiam si curam animarum annexam habeant, obtinere, liberam auctoritate presentium concedimus facultatem[b].

VI.

Eidem.

Cum tibi etc. usque: animarum, discretioni tue presentium auctoritate concedimus, ut cum quibuslibet religiosis personis earundem partium, cuiuscumque sint ordinis, que, dato aliquo pro acquirendis vel recepto pro exhibendis locis in monasteriis, commiserunt symoniacam pravitatem, possis, prout expedire videris, dispensare.

Dat. ut supra.

VII.

Eidem.

Cum tibi etc. usque: animarum, discretioni tue, ut quotiens in eisdem partibus contingerit[c] te fidelibus proponere verbum Dei, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad tuam predicationem accesserint, viginti vel quadraginta dies de iniunctis sibi penitentiis, sicut expedire videris, misericorditer relaxare valeas, ut ex hoc ad audiendum verbum ipsum copiosior populi confluat multitudo, auctoritate presentium[d] duximus concedendum.

Dat. ut supra.

VIII.

Eidem.

Cum tibi etc. usque: committendum, discretioni tue exercendi libere censuram ecclesiasticam in omnes tam cathedralium quam aliarum ecclesiarum prelatos, in universa capitula et conventus, in principes, comites, barones, castellanos, potestates, rectores, balivos et quoslibet alios nobiles, in communitates, universitates, consilia, populos et quascumque personas ecclesiasticas, religiosas ac seculares, publicas vel privatas, illarum partium, cum videris expedire, — indulgentia sedis apostolice, si quam habent, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, et quibuslibet aliis apostolicis vel legatorum sedis eiusdem indulgentiis nequaquam obstantibus — plenam auctoritate presentium concedimus potestatem.

Dat. ut supra.

---

a) Datum Lugduni, VI Idus Iulii, pontificatus nostri anno quarto *add. A. Nihilominus epistolam sub. Iul. 5 ponimus, cum in Reg. sub hoc die legi videatur: nam verba* Dat. ut supra *hoc loco per errorem aliquem excidisse ex ep. sequentibus, quibus adscripta sunt, non iniuste concludere licet. Insuper ne eas quidem epistolas, quae ad hoc negotium spectantes verbis* Dat. ut supra *subsignatae sunt, omnes Iul. 5 datas esse contendi potest, cum authenticum ep. n. 215 sub Iul. 7 legatur. Suspicamur harum epistolarum 'litteras notatas', cum in registraturam mitterentur, nota chronologica caruisse nec necessarium visum fuisse, ut ad eas notae eadem, ex actis consiliorum papae et cardinalium excerpendae [cf. t. I, p. XI], adscriberentur, cum omnes ep. eodem fere tempore exaratae essent [cf. p. 127, not. 2]; qua de re alio loco fusius disputabimus; cf. etiam Delisle, Mém. sur les actes d'Innoc. III, Bibl. de l'École des Chartes, Sér. IV, t. IV, a. 1858, p. 13.* b) *verba* Dat. ut supra *ex errore omissa putamus; v. not. a.* c) *ita R.* d) tibi *add. R.*

205.

Innocentius IV papa universis archiepiscopis et aliis praelatis Teutoniae mandat ut [Philippum] electum Ferrariensem, cui in partibus eorum plenae legationis officium commiserit, benigne recipiant et eius mandatis intendant. *1246, Iul. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I. 417: Lib. IV. cur. 2.
Berger 2918.

Universis archiepiscopis et eorum suffraganeis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prelatis, tam exemptis quam non exemptis, per Theotoniam constitutis.

Cura nobis commissa[a] ecclesie generalis, potestatis ecclesiastice plenitudo concessa, cor nostrum continua pulsat instantia, iugis nos [stimulis][b] cogitationis excitat, ut in omnes Christi fideles, proximos et remotos, attentionis dirigentes oculos, ad singulos considerationis aciem extendentes, sollicitudinis debitum circa eos, quamdiu sub imposito humeris nostris apostolice iugo vivimus servitutis, prout ipsorum saluti expedit, exolvamus. Verum dum sic nos universis debitores accedimus, dum nos cunctorum regimini esse prepositos cogitamus, vehementi non immerito timore terremur et grandi quatimur non sine ratione tremore, ne minus sufficienter susceptum apostolatus impleamus officium, ne circa crediti nobis Dominici gregis curam aliquid ex negligentia omittamus, maxime cum simus impotentes ex nobis ad ferendam tante sarcine gravitatem, et ovibus, ad quarum sumus deputati custodiam, nequeamus pro diversitate locorum simul corporali presentia imminere. Porro, quia id humane conditio nature non patitur, ut dum quis uno comprehenditur loco, alio pariter capiatur, iustam ex hoc excusationem habentes, interdum viros providos et discretos, cum erga ecclesias nos esse intentos oporteat universas et uno eodemque tempore adesse presentialiter singulis non possimus, ne postponamus absentes, in partem sollicitudinis evocamus, instructi eius exemplo, qui de celorum arce ad ima mundi pro generis humani salute descendens, discipulos quos elegit misit in mundum evangelium predicare. De vestra itaque salute paterna diligentia cogitantes, dilecto filio . . electo Ferrariensi, viro litterarum scientia predito et morum honestate decoro ac in consiliis circumspecto, catholice fidei zelatori et propugnatori contra machinamenta libertatis ecclesiastice indefesso, nobis et fratribus nostris accepto sue merito probitatis, plene legationis officium in vestris partibus duximus committendum, concessa sibi etc. ut supra[c] usque: expedire. Quia vero electum ipsum prerogativa gratie prosequimur et favoris, universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, mandantes quatinus eum sicut legatum apostolice sedis, immo potius nos in ipso, benigne recipientes et honorifice pertractantes, impendendo ei consilium, auxilium et favorem, ipsius monitis et mandatis salubribus devote ac humiliter intendatis. Alioquin sententiam, quam idem rite tulerit in rebelles, etc. usque: observari.

Dat. ut supra.

In eundem modum universis principibus, comitibus, baronibus, castellanis aliisque nobilibus, rectoribus, ballivis et ceteris Christi fidelibus per Theotoniam constitutis.

---

a) *B.;* commisse *P.* b) stimulis *deest R.; ita B. coniecit.* c) *scil. in n. 203.*

206.

Innocentius IV papa universis comitibus et aliis nobilibus Teutoniae mandat, ut [Henrico] regi Romanorum viriliter assistant. [1246, Iul. 5.]

Inn. IV Reg. Vol. I. 118: Lib. IV, cur. 24.
Berger 2940.

Universis comitibus et aliis nobilibus per Theotoniam constitutis.

Quia honorem et bonum statum imperii Romani inter ceteros mundi nobiles diligentius procurare ac studiosius conservare tenemini, nos ad id tanto confidentius per nostras litteras vos hortamur, quanto ad exequenda nostra beneplacita in hac parte animos habere vos credimus promptiores. Hinc est, quod cum dilectus filius nobilis vir . . lantgravius Thuringie in Romanorum regem, Dei operante virtute, qui suorum vota inspirando prevenit et adiuvando prosequitur, sit assumptus, nobilitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, mandantes, in remissionem vobis peccaminum iniungendo, quatinus regem ipsum totius honorificentie debito prosequentes, eidem, cuiuslibet contradictionis et difficultatis ammoto repagulo, prompte ac fideliter intendatis et assistatis viriliter et potenter. Alioquin dilecto filio . . electo Ferrariensi, apostolice sedis legato, litteris nostris iniungimus, ut vos ad id spirituali seu temporali districtione, prout viderit expedire, compellat[a] [1].

In eundem modum communitatibus civitatum.

207.

Innocentius IV papa universis principibus Teutoniae iniungit, ut negotium imperii Romani laudabiliter inchoatum prosequantur et H[enrico] regi Romanorum potenter assistant, cum sine ipsis ecclesia pacem cum inimicis regis eiusdem reformatura non sit. 1246, Iul. 5.

Inn. IV Reg. Vol. I, 419: Lib. IV, cur. 26.
Berger 2942.

Universis principibus Theotonie[b].

Quia honoris ecclesie ac Romani imperii vos inter ceteros orbis principes esse credimus precipuos zelatores, ad procurandum augmentum ipsius eo confidentius constantiam vestram nostris inducimus monitis et mandatis, quo apostolicis in hac parte beneplacitis[c] vos speramus promptius et efficatius parituros. Hinc est, quod universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, mandantes, in remissionem peccatorum iniungendo, quatinus imperii prefati negotium iam laudabiliter auctore Domino inchoatum constantibus animis prosequentes, ut possit fine prospero consumari, carissimo in Christo filio nostro H. illustri Romanorum regi potenter et patenter contra quoslibet ipsius adversarios assistatis. Nos enim nec in ipsius regis vita nec etiam

a) *verba* Dat. ut supra *in ep. antecedenti n. 216 et in sequentibus n. 209 et 207 adscripta, ex errore* [illegible] *putamus, cf. p. 156, not. a.* b) *haec forma inscriptionis prorsus insolita est, neque eam in authentico exstitisse putamus; alias enim semper* per Theotoniam constitutis *legitur; cf. infra et n. 208 et p. 151, not. 1.* c) beneplacitos *R.*

1) *Cf. n. 201.*

post eius obitum, si eum forte de hoc seculo interim vocari contigerit, vos aliquatenus in huiusmodi negotio deseremus nec pacem reformabimus cum eisdem[a] adversariis sine vobis[b].

Dat. ut supra[c].

In eundem modum comitibus, baronibus et aliis nobilibus per Theotoniam constitutis.

208.

Innocentius IV papa [Philippum] electum Ferrariensem, apostolicae sedis legatum, laborare iubet, ut principes aliique Teutoniae, quibus promiserit se sine eis pacem cum adversariis H[enrici] regis Romanorum reformaturum non esse, similia sibi repromittant.

1246, Iul. 5.

Inn. IV Reg. Vol. I, 119; Lib. IV, cur. 27.
Berger 2943.

.. electo Ferrariensi, apostolice sedis legato.

Cum dilectis filiis nobilibus viris universis principibus, comitibus, baronibus et aliis nobilibus per Theotoniam constitutis nostris demus[d] litteris in mandatis, in remissionem eis peccatorum iniungendo, ut imperii Romani negotium etc. ut in proxima usque: patenter assistant, et per dictas litteras promittamus eisdem, quod nec in vita ipsius regis etc. usque: nec pacem reformabimus sine ipsis, volumus et presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus studio diligenti labores, ut prefati principes et alii nobis[e] similia repromittant, litteris super hoc ab eis et alia firma, si eam habere poteris, cautione receptis[f].

Dat. ut supra.

209.

Innocentius IV papa H[enrico] regi Romanorum scribit, se eius nuntios hilariter recepisse et petitiones eorum favore benevolo admisisse, eumque scire vult, si eius petitionibus aliquando non annuat, hoc ob id tantum fieri, quia non credat expedire.

1246, Iul. 5.

Inn. IV Reg. Vol. I, 418; Lib. IV, cur. 25.
Berger 2941.

Carissimo in Christo filio nostro H. regi Romanorum illustri.

Dilectos filios Walterum[g] comitem de Atinstein[1] et Theodericum de Gruningin[2] et Henricum[3] fratres hospitalis sancte Marie Theotonicorum, tuos speciales nuntios,

---

a) eiusdem *B.* b) sine vobis *deest B.* c) *antecedit n. 209.* d) dederimus *B.* e) nobiles *B.* f) recepta *B.* g) Wlterum *B.*

1) *Hunc eundem fuisse credimus ac 'W. de Arnstein' [ad Lahn fl. ex or. castri Nassau], qui a. 1246, Dec. 7 de subsidio papali 300 marcas recepit: Bohmer-Ficker, l. c. 4880.* 2) *Nescimus an hic consanguneus comitum de Wirtemberg et de Gruningen fuerit, per quorum proditionem Conradus rex a. 1246, Aug. 5 apud Frankenfurt fugatus est, et idem ac 'frater C. [T.?] de Suecia', qui a. 1246, Dec. 6 sex marcas de subsidio papali recepit; ibid. 4879.* 3) *Hunc fuisse putamus 'fratrem Henricum Bavarum', qui Dec. 7 indidem decem marcas recepit; ibid. 4880. — Tres illi nuntii fuisse videntur, quos papa Iun. 9 exspectavit, cf. n. 189.*

quos ad sedem apostolicam destinasti, hilariter prout decuit recepimus et benigne, et que nobis ex parte tua proponere curaverunt, intelleximus diligenter, petitiones ipsorum favore benivolo admittentes. Sane magnificentiam tuam scire volumus, quod si forte aliquando[a] non annuamus petitionibus, que nobis ex parte regia porriguntur, non ob id non exaudimus easdem, quod velimus nos super hiis difficiles exhibere, cum pre cunctis mundi principibus te in hoc et aliis velimus specialiter honorare, sed quia non credimus expedire.

Dat. ut supra[b].

210.

Innocentius IV papa [Philippo] electo Ferrariensi, apostolicae sedis legato, mandat, ut [Wenceslaum] regem Bohemiae inducat, ut H[enrico] regi Romanorum potenter assistat.

1246, Iul. 5.

Inn. IV Reg. Vol. I, 417; Lib. IV, car. 6. Pertzii exemplar contulimus cum Erben, Reg. Bohem. t. 1, p. 540, n. 1151.

Potthast, Reg. 12201; Berger 2922.

.. electo Ferrariensi, apostolice sedis legato[c].

Presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus carissimum in Christo filium nostrum .. illustrem regem Boemie attente moneas et inducas, ut carissimo in Christo filio nostro H. regi Romanorum illustri ad honorem Dei et ecclesie potenter et patenter assistat, cum ad id, si necesse fuerit, auctoritate nostra compellens[1].

Dat. Lugduni, III Non. Iulii, anno quarto.

211.

Innocentius IV papa eidem concedendi H[enrico] regi Romanorum pro negotiis suis expediendis aliquos religiosos de Teutonia potestatem dat. *1246, Iul. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 117; Lib. IV, car. 7. Ad exemplar Pertzii adhibuimus praeter id, quod Berger edidit, apographum cod. Vallicell. J, 55; cf. n. 170.

Berger 2923.

Eidem.

Discretioni tue concedendi carissimo in Christo filio nostro H. regi Romanorum illustri aliquos religiosos cuiuscumque ordinis de Theotonie partibus, quos idem rex, ut secum maneant, duxerit postulandos, et aliquos etiam destinandi pro instanti negotio, quos ad id rex predictus elegerit, ac contradictores super hoc per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi liberam concedimus auctoritate presentium potestatem.

Dat. ut supra.

a) al. forte *B.* b) *antecedit n. 206.* c) Eidem *R.; antecedit n. 202.*

1) *Cf. n. 157.*

212.

Innocentius IV papa eidem ad preces H[enrici] regis Romanorum mandat, ut Friderico de Drivorle, consiliario ipsius regis, super relaxatione iuramenti cuiusdam provideat. *[1246, Iul. 5.]*

Inn. IV Reg. Vol. I, 418; Lib. IV, cur. 17.
Berger 2933.

Eidem[a].

Ex parte carissimi in Christo filii nostri H. Romanorum regis illustris nobis extitit supplicatum, ut cum nobilis vir Fredericus de Drivorte[1], consiliarius suus, iuraverit, quod pro nullo fideiuberet, dum viveret, et hoc in ipsius regis possit dispendium redundare, dictum nobilem ab huiusmodi iuramento absolvere ac sue saluti, si forsan illud hactenus non servavit, consulere misericorditer curaremus. Ideoque mandamus, quatinus super violatione temeraria iuramenti predicti, quod ad salutem anime ipsius nobilis pertineat, super relaxatione vero eiusdem iuramenti, quod necessitate aut utilitate pensatis expedire videris, auctoritate nostra providere procures[b].

213.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino mandat, ut monasterium de Reinhardsbrunn a progenitoribus H[enrici] regis Romanorum fundatum reformet. *1246, Iul. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 418; Lib. IV, cur. 18.
Berger 2934.

. . . archiepiscopo Maguntino.

Cum, sicut nostris est auribus intimatum, monasterium de Reinherisbrun.[c 2] ordinis sancti Benedicti tue diocesis, quod progenitores carissimi in Christo filii nostri H. regis Romanorum illustris fundasse dicuntur, sit in spiritualibus graviter deformatum, fraternitati tue presentium auctoritate mandamus, quatinus inquisita super hoc diligentius veritate, si rem inveneris ita esse, predictum monasterium in suo, si fieri poterit[d], ordine, alioquin in alio, prout videris expedire, auctoritate nostra reformare procures, eiusdem monasterii monachis in aliis monasteriis sui ordinis collocatis; contradictores etc.

Dat. ut supra.

214.

Innocentius IV papa [Ottoni] episcopo Tusculano, apostolicae sedis legato, iniungit, ut praedicationem crucis pro Terrae Sanctae subsidio per Teutoniam quibusdam commissam secreto inhibeat, cum ut ibidem verbum crucis contra Fridericum quondam imperatorem proponatur, mandaverit. *1246, Iul. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 418; Lib. IV, cur. 19. Ad exemplar Pertzii adhibuimus praeter id, quod Berger edidit, apographum cod. Vallicell. J, 55; cf. n. 170.
Berger 2935.

a) *antecedit n. 204.* b) *verba* Dat. ut supra *in ep. antecedentibus, n. 204, et sequentibus adscripta, ex errore omissa putamus; cf. p. 156, not. a.* c) Reinherisbrun̄ *R.* d) possit *B.*

1) *Treffurt, in Thuringia e mer. et occ. cir. Mühlhausen; de eodem Friderico cf. Bohmer-Ficker, l. c. 4879.*
2) *Reinhardsbrunn, e mer. et occ. cir. Gotha.*

. . episcopo Tusculano, apostolice sedis legato[1].

Volumus et presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus illis, quibus predicationem crucis per Theotoniam pro Terre Sancte subsidio commisisti, iniungere non postponas, ut huiusmodi predicationi temporibus istis supersedere procurent, presertim cum in illis partibus dicatur nunc esse modicum fructuosa, et nos in eisdem partibus verbum crucis contra F. quondam Romanorum imperatorem mandaverimus predicari[2]. Volumus autem, ut ista secreto teneas, nulli penitus revelanda.

Dat. ut supra.

215.

Innocentius IV papa [Philippo] electo Ferrariensi, apostolicae sedis legato, mandat, ut si [Conradum II] episcopum Hildeshemensem cedere contigerit, capitulo praecipiat, ut sibi de pastore idoneo cum suo consilio provideant, alioquin ipse eidem ecclesiae personam providam praeficiat. *1246, Iul. 5 [7].*

Inn. IV Reg. Vol. I, 418; Lib. IV, cur. 22. Ad exemplar Pertzii adhibuimus praeter id, quod Berger edidit, Fantuzzi, l. c. Append. t. I, p. 188, n. 120, qui authenticum ex Tabul. archiep. Rav. caps. M, n. 5653 proposuit [A.].
Berger 2938.

. . electo Ferrariensi, apostolice sedis legato[a].

Cum, sicut accepimus, venerabilis frater noster . . Ildesemensis episcopus cedere regimini[b] ecclesie Ildesemensis intendat, volumus et presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus[c], si eundem episcopum cedere forte[d] contigerit, tu, cessionem eius recipiens vice[e] nostra, capitulo ecclesie dicte[f] precipias, ut infra certum terminum, a te prefigendum eisdem, sibi de pastore idoneo cum tuo consilio et assensu providere procurent. Quod si forsitan taliter sibi non duxerint providendum, tu ex tunc eidem ecclesie personam providam et honestam, prout expedire videris, auctoritate nostra preficias in pastorem, faciens ei a prefato capitulo et ipsius ecclesie subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi; contradictores etc.

Dat. ut supra[g 3].

216.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino mandat, ut causae electionum in ecclesia Ratisponensi factarum, quae sibi et [Philippo] electo Ferrariensi,

---

a) Eidem *R.; antecedit n. 220.* b) regimen *A.* c) Apostolica *A.* d) forsitan *A.* e) auctoritate *A.* f) predicte *A.* g) *i. e.* III Non. Iulii; *in A.:* Datum Lugduni, Nonis Iulii, pontificatus nostri anno quarto; *cf. p. 156, not. a.*

1) *Hic promotioni cruciatae Ludowici IX regis Franciae a. 1245, Aug. a papa deputatus erat; Guill. de Nangiaco Gesta S. Ludovici, Recueil des Hist. des Gaules t. XX, p. 352.* 2) *Cf. n. 202. — Sub Aug. 27 papa electo Ferrariensi legato mandavit, ut collectioni eius partis proventuum Terrae Sanctae, quae subsidiis imperii Romani deputata esset, supersederet, si negotio ecclesiae et imperii expedire videret [Fantuzzi, l. c. Append. t. I, p. 189, n. 122; quae ep. in Reg. non extat], et sub Nov. 6 episcopo Tusculano mandavit, ut in Anglia, Alamannia etc. crucem [pro subsidio Terrae Sanctae] praedicari faceret [Berger 2229]. Interim, Aug. 5, Henricus rex de Conrado rege victoriam apud civ. Frankenfort reportaverat.* 3) *A. 1246, Iul. 25 legatus Conradum episcopum excommunicatum et suspensum cum aliis citavit, ut infra viginti dies coram papa compareret; cf. p. 153, not. 2. Sed hic eodem anno, ut Chron. ep. Hildesh., SS. t. VII, p. 861, refert, 'tum propter senium tum propter scisma, quod fuit inter sedem apostolicam et imperium, ab electo Ferrariensi, tunc apostolicae sedis legato, cessionem petivit et obtinuit, cedens loco non dignitati'.*

apostolicae sedis legato, commissa sit, supersedeat, cum [Otto II] dux Bawariae hac re valde conturbatus sit. *1246, Iul. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 418; Lib. IV, cur. 23.
Potthast, Reg. 12203; Berger 2939.

.. archiepiscopo Maguntino.

Quia negotiorum ecclesie ac imperii Romani te inter alios ecclesiarum prelatos precipuum esse novimus promotorem, super hiis, que credimus ipsis negotiis expedire, confidentius tibi et fiducialius dirigimus scripta. Hinc est, quod cum causam, que super electionibus in Ratisponensi celebratis ecclesia est exorta, tibi et dilecto filio .. electo Ferrariensi, apostolice sedis legato, duxerimus committendam[1], et ob hoc dilectus filius nobilis vir .. dux Bovarie[a], prout accepimus, sit non modicum conturbatus, volumus et fraternitati tue presentium auctoritate mandamus, quatinus, considerato quam utilis idem dux predictis ecclesie ac imperio esse possit, eidem cause supersedere procures[2].

Dat. ut supra.

217.

Innocentius IV papa [Philippo] electo Ferrariensi, apostolicae sedis legato, mandat, ut ecclesiae Ratisponensi, nisi forte aliquam electionum in ea factarum canonicam inveniat, personam idoneam praeficiat in pastorem. *1246, Iul. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 417; Lib. IV, cur. 1.
Berger 2920.

.. electo Ferrariensi, apostolice sedis legato[b].

Cum venerabili fratri nostro .. Maguntino archiepiscopo nostris demus litteris in mandatis, ut cause super electionibus in ecclesia Ratisponensi celebratis exorte, quam tibi et sibi commiseramus, supersedere procuret[3], volumus et presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus eidem ecclesie, nisi forte aliqua ipsarum electionum inveniatur canonica, super quo te volumus diligenter [inquirere][c] veritatem, cum ius suum nequaquam alicui intendamus auferre, personam idoneam auctoritate nostra, prout instanti negotio ecclesie ac imperii expedire noveris, preficias in pastorem[4], faciens ei a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Dat. Lugduni, III Non. Iulii, anno quarto[5].

a) *ita R.* b) Eidem *R.; antecedit n. 201.* c) inquirere *deest R.*

1) *n. 192.* 2) *De eodem duce cf. p. 122, not. 1. Nihilominus Sept. 1 Elisabeth filiam suam cum Conrado rege matrimonio iunxit; Böhmer-Ficker, l. c. 4511a—4513. Oct. 7 quidem Philippo legato, dolens quod excommunicatus esset, obtulit se paratum ad comparendum coram eo, ut de iis, quae contra se proposita essent, responderet; Fantuzzi, l. c. Append. t. I, p. 191, n. 125; cf. p. 182, n. 114. Sed a. 1247 et postea eum parti imperatoris faventem reperimus. Cf. etiam ep., quam Albertus Behaim, in curia Romana constitutus, duci circa finem a. 1246 direxit, ap. Höfler, Alb. v. Beham p. 118, n. 35, cf. n. 36.* 3) *n. 216.* 4) *Cum hoc mandatum cum eo, quod in n. 216 datum est, non omnino concinere videatur, credimus legatum sub certis tantum conditionibus alio modo sibi communicatis auctoritate huius epistolae procedere debuisse, scil. tum demum cum dux Bawariae a parte ecclesiae manifeste recessisset. Ipsae conditiones in epistola expressae non sunt, ne ii, quibus ea praesentaretur, eas cognoscerent; cf. not. 5 et n. 218—220. — Legatus non multo post Albertum de Petinkau ecclesiae Ratisponensi praefecit; cf. Ann. S. Rudberti Salisb. a. 1247, SS. t. IX, p. 789, et infra sub a. 1247, Febr. 25.* 5) *Sub a. 1246, Sept. 25 praeposito et capitulo Eichstetensibus mandavit, ut infra quindecim dies post receptionem epistolae de consilio legati eiusdem et archiepiscopi Maguntini ecclesiae suae viduatae de pastore providerent; Fantuzzi, l. c. Append. t. I, p. 190, n. 124. Quam ep., in Reg. non relatam, et ipsam sub conditionibus, quas nescimus, datam et legato transmissam esse putamus, qui eam retinuerit; nam authenticum in Archivo archiep. Ravenn. conservatur; cf. p. 94, not. 1.*

218.

Innocentius IV papa eidem mandat, ut [Wilbrandum] archiepiscopum Magdeburgensem, de quo quaedam gravia narrentur, inducat, ut H[enrico] regi Romanorum potenter assistat. *1246, Iul. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 419; Lib. IV, cur. 28.
Berger 2944.

Eidem[a].

Cum de venerabili fratre nostro .. Magdeburgensi archiepiscopo quedam intellexerimus gravia[1], ex quibus habere possemus iustam contra ipsum materiam procedendi, volumus et presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus eundem archiepiscopum attente moneas et inducas, ut carissimo in Christo filio nostro H. illustri Romanorum regi ad honorem Dei et ecclesie sic potenter et patenter assistat, quod ex hoc culpam suam purgare omnimode videatur, denuntians ei quod si forte negligens extiterit in hac parte, nos nequaquam poterimus sinistra, que de ipso audivimus, sub dissimulatione transire.

Dat. ut supra.

219.

Innocentius IV papa [Wilbrando] archiepiscopo Magdeburgensi districte praecipit, ut infra unum mensem ad presentiam suam accedat. *1246, Iul. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 418; Lib. IV, cur. 20. Ad exemplar Pertzii adhibuimus praeter id, quod Berger edidit, apographum cod. Vallicell. J, 55; cf. n. 170.
Berger 2936.

.. episcopo[b] Magdeburgensi.

Volumus et presentium tibi auctoritate districte precipiendo mandamus, quatinus ad presentiam nostram infra unius mensis spatium post receptionem presentium accedere personaliter non postponas, super omnibus que contra te proposita extiterint responsurus.

Dat. ut supra[c][2].

220.

Innocentius IV papa [Philippo] electo Ferrariensi, apostolicae sedis legato, mandat, ut [Wilbrandum] archiepiscopum Magdeburgensem infra mensem ad sedem apostolicam

---

a) *antecedit n. 208.* b) *ita B., qui 'sic' addit;* archiepiscopo *P. et Vall. Etiam in ep. a. 1246, Iun. 2 [Potthast 12140] 'episcopo' legitur.* c) *antecedit n. 214.*

1) *Hunc a. 1245, Febr. 3 quidem excommunicatum [cf. n. 94], sed in ep. a. 1245 Oct. 6 et 21 et a. 1246, Iun. 27 [Potthast 11923, 11942, 12000] eum non excommunicatum invenimus, et nuper, sub. Iun. 2, papa ei et praeposito Seburgensi mandaverat, ut burgravium de Donin ad restituendam possessionem, quam ecclesiae Misnensi abstulisset, compellerent [Potthast 12140]. Hae ep., prima nimirum excepta, in Reg. non leguntur.* 2) *Hanc ep. electo Ferrariensi transmissam esse putamus, ut cum archiepiscopo tum demum exhiberet, cum monitiones ei auctoritate ep. antecedentis dirigendae successu caruissent; cf. p. 163, not. 4 et 5. Sed archiepiscopus monitiones easdem exaudivisse videtur, nam inter episcopos Teutoniae, quos legatus Iul. 25 ad sedem apostolicam citavit, nomen eius non reperitur: cf. p. 153, not. 2.*

venire compellat, nisi forte H[enrico] regi Romanorum tam potenter assistat, ut in illis partibus remanere debeat. *1246, Iul. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 418; Lib. IV, cur. 21.
Berger 2937.

. . electo Ferrariensi, apostolice sedis legato.

Cum venerabili fratri nostro . . Magdeburgensi archiepiscopo districte nostris litteris iniungamus, ut ad presentiam nostram infra unius mensis spatium post receptionem earum personaliter accedere non postponat, volumus et presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus eundem archiepiscopum, nisi forte carissimo in Christo filio nostro H. illustri Romanorum regi sic potenter assistere studeat et patenter, ut instantis negotii utilitate pensata, quod in illis remaneat partibus, sit merito permittendum, venire infra dictum spatium ad apostolicam sedem, responsurum super omnibus que proposita extiterint contra ipsum, [per censuram ecclesiasticam][a] appellatione remota compellas[1] — non obstante sedis eiusdem indulgentia, si quam habet, quod interdici, suspendi et excommunicari non possit sine speciali sedis ipsius mandato, faciente de hac indulgentia mentionem.

Dat. ut supra.

221.

Innocentius IV papa [Philippo] electo Ferrariensi, apostolicae sedis legato, committit, ut si instanti negotio ecclesiae et imperii expediat, dispenset cum G[erhardo] de Wassenberg et Elisabeth relicta [Theoderici] primogeniti [Theoderici V] comitis Clevensis, ut, non obstante tertio consanguinitatis gradu, in matrimonio contracto remanere possint.

1246, Iul. 5.

Inn. IV Reg. Vol. I, 418; Lib. IV, cur. 11.
Berger 2927.

Eidem[b].

Ex parte nobilis viri G. de Wassenberg[c] nobis extitit supplicatum, ut cum ipse nobilem mulierem Elisabeth, relictam quondam . . primogeniti nobilis viri . . comitis Clevensis, tertio sibi consanguinitatis gradu coniunctam[2], duxerit in uxorem, dispensare cum eis, quod in matrimonio sic contracto possint licite remanere, misericorditer curaremus. Verum quia nonnullis referentibus intelleximus, quod grave generaretur scandalum, si [non][d] contingeret super huiusmodi matrimonio dispensari, nos discretioni tue presentium auctoritate committimus, ut super hoc auctoritate nostra dispensare valeas, si videris instanti negotio ecclesie ac imperii expedire.

Dat. ut supra[3].

---

a) *haec verba desunt P. et B., sed ea vel similia utique supplenda sunt.* b) *antecedit n. 201 III.* c) Wassenbḡ *R* d) non *deest R.*

1) *Legatus auctoritate huius ep. nimirum tum demum procedere debuit, cum ep. antecedentem archiepiscopo transmisisset.* 2) *Stemma: Gerhardus de W., Gerhardus, Henricus III dux de Limburg — Henricus II — Margarita et Godefridus III dux Brabantiae, Henricus I, Elisabeth.* 3) *A. 1247, Apr. 8 obtentu G. domini de Wassimberch Renero de Traiecto presbytero, familiari eius, vicariam cuiusdam ecclesiae conferri iussit; Berger 2513.*

222.

Innocentius IV papa [Philippo] electo Ferrariensi [apostolicae sedis legato] committit, ut cum Gerberto comite de Stoltenbroke, qui pro H[enrico] rege Romanorum cruce insigniri se velle offerat, et uxore eius dispenset, ut, non obstante quarta consanguinitatis linea, in matrimonio contracto permanere valeant. 1246, Iul. 7.

Inn. IV Reg. Vol. I, 309; Lib. IV, 1. Pertzii exemplar denuo cum Regestis contulit V. Cl. A. Mau. Berger 1996; falso sub Iul. 10.

.. electo Ferrariensi[a].

Ad audientiam nostram dilecto filio nobili viro Gerberto comite de Stoltenbroke[1] intimante pervenit, quod licet ipse, nobili mulieri .. uxori sue per octo annos cohabitans, prolem susceperit ex eadem, ei tamen quarta consanguinitatis linea est coniunctus: quare idem et pro ipso venerabiles fratres nostri Monasteriensis[2], .. Osnaburgensis et .. Mindensis[b][3] episcopi ac dilecti filii .. de Tekeneburch[c][4] et .. de Oldenburch comites[5] nobis humiliter supplicarunt, ut cum idem comes offerat se velle cum suis militibus ac familia pro manutenenda et defendenda iustitia ecclesie, adherendo carissimo in Christo filio nostro H. regi Romanorum illustri, crucis caractere insigniri, permitteremus ipsum cum dicta uxore sua, cum eis de gratia dispensando, in sic contracto matrimonio permanere. Licet autem velimus constitutiones canonicas, que omnes astringunt, ab omnibus inviolabiliter observari, nolumus tamen usque adeo ipsorum nervum extendere, quod vel ipsum rumpi oporteat vel omnino deserere ligaturam, quoniam ad hoc Deus in apostolica sede constituit plenitudinem ecclesiastice potestatis, ut Romanus pontifex, qui claves in beato Petro potestatis et discretionis accepit, nunc rigorem exerceat, nunc mansuetudinem anteponat, prout consideratis circumstantiis universis causarum diversitas diversis modis exegerit dispensandum. Eorundem igitur episcoporum et comitum devotis supplicationibus inclinati, devotioni tue presentium auctoritate committimus, ut, prefato comite de Stoltenbroke fideliter adimplente quod offert, cum ipso et eadem uxore sua auctoritate nostra dispenses, ut — impedimento huiusmodi non obstante — possint in sic contracto matrimonio licite permanere, prolem susceptam ex eis legitimam nuntiando.

Dat. Lugduni, Nonis[d] Iulii, anno quarto.

223.

Innocentius IV papa abbati de Steinvelt Coloniensis dioecesis ad preces scabinorum et universitatis Epternacensium mandat, ut Thelemannum scolarem Epternacensem in aliqua ecclesia civitatis vel diocesis Treverensis, cathedrali excepta, recipi faciat in canonicum. 1246, Iul. 9.

Inn. IV Reg. Vol. I, 321; Lib. IV, 90. Berger 2085.

---

a) apostolice sedis legato *supplendum est: cf. n. 203.* b) *ita R.;* Misnensis *B.* c) *ita R.;* Tekenburch *B.* d) *ita R.;* VI Idus *B.*

1) *Stotel e mer. cir. Bremerhaven.* 2) *Ludolfus. Sub Sept. 18 papa [Engelberto] episcopo Osnaburgensi mandavit, ut eundem a qualibet excommunicationis sententia, sive iudicis delegati, sive canonis, quam forsan incurrisset, recepta prius cautione absolveret; Berger 2089. Aliae gratiae ei tum factae ibid. 1631, 2097, 2098, 2101, 2130, 2396.* 3) *Iohannes.* 4) *Teklenburg, e mer. et occ. cir. Osnabrück.* 5) *Sub a. 1247, Apr. 30 papa decano et capitulo Osnaburgensibus intuitu episcopi Osnaburgensis et O[ttonis V] de Tekeneborg et O[ttonis II] de Aldenborg comitum, sibi et ecclesiae devotorum, mandavit, ut Ertwino presbytero capellae Sancti Pauli Osnaburgensis, ipsorum clerico, unam de sex vicariis antiquis ecclesiae suae conferant; Berger 2682.*

.. abbati de Steinvelt[1] Premonstratensis ordinis Coloniensis diocesis[2].

Nostra circa provisionem illorum cum favore dirigi debet affectio, in quorum desiderio geritur, quod ipsorum humilitas divinis laudibus ascribatur. Hinc est, quod pro dilecto filio Thelemanno scolari Epternacensi, clericali ascribi militie cupiente, de quo nobis laudabile testimonium perhibetur, optentu dilectorum filiorum scabinorum et universitatis Epternacensium Treverensis diocesis, nobis pro ipso preces porrigentium speciales, mandamus, quatinus eundem in aliqua ecclesiarum civitatis vel diocesis Treverensis, cathedrali duntaxat excepta, facias in canonicum et in fratrem recipi ac sibi de prebenda, quamcito se facultas optulerit, provideri — non obstante[a] certo canonicorum numero juramento seu quacumque firmitate vallato, aut si pro aliis in ecclesia, in qua sibi duxeris providendum, direximus scripta nostra, quibus nolumus auctoritate presentium preiudicium generari —; contradictores etc.

Dat. Lugduni. VII Idus Iulii, anno IV[3].

224.

Innocentius IV papa [Roberto] episcopo Leodiensi contrahendi mutuum pro imminente negotio ecclesiae usque ad summam, quam expedire viderit, facultatem concedit.

1246, Iul. 10.

Inn. IV Reg. Vol. I, 309; Lib. IV, 2. Pertzii exemplar contulimus cum Sbaralea, Bull. Francisc. t. I, p. 419, n. 141.

Potthast, Reg. 12210; Berger 1997.

.. episcopo Leodiensi.

Cum, sicut te accepimus intimante, pro imminente negotio ecclesie gravia te subire oporteat onera expensarum, nos, devotionis tue precibus inclinati, contrahendi mutuum de consilio et assensu dilectorum filiorum .. prioris Predicatorum et .. guardiani Minorum fratrum Leodiensium usque ad summam, quam expedire videris, ac illis, cum quibus contraxeris, aliqua[b] propter hoc de tui episcopatus possessionibus obligandi plenam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem.

Dat. Lugduni, VI Idus Iulii, anno quarto[4].

225.

Innocentius IV papa abbati Sancti Georgii Maioris de Venetiis mandat, ut [Philippo] episcopo Firmano, qui de episcopatu suo dudum per balivos F[riderici] quondam imperatoris

---

a) *an* non obst. = non obstantibus? b) aliquam *Sb.*

1) *Reg.-Bez. Aachen, Kr. Schleiden.* 2) *Abbas non multo post mortuus esse vel resignasse videtur: nam sub Nov. 2 papa Gerardo presbytero, canonico monasterii 'Stereldensis' ordinis Praemonstratensis Coloniensis diocesis, indulsit, ut abbas eiusdem monasterii fieri posset, quamvis de diacono et soluta genitus esset; Berger, 2208.* 3) *Ap. Berger 2805, a. 1247, Febr. 5, 'Thelemannus canonicus Sancti Paulini Treverensis' occurrit.* 4) *Sub a. 1246, Sept. 27 abbatibus, prioribus et ceteris personis ecclesiasticis Leodiensis civitatis et diocesis mandavit, ut episcopo pro viribus consilium et auxilium in negotiis ecclesiae praestarent; Berger 2118; cf. 2137. Episcopus eodem anno Oct. 16 mortuus est.*

eiectus apud Venetias moretur, ab aliquibus ecclesiis patriarchatus Aquilegiensis annuatim provisionem congruam exhiberi faciat. *1246, Iul. 14.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 310; Lib. IV, 11. Pertzii exemplar contulimus cum Catalano, De eccl. Firmana p. 366, n. 64.

Potthast, Reg. 12225a — 26358; Berger 2009.

.. abbati Sancti Georgii Maioris de Venetiis.

Consuevit matris ecclesie benignitas indigentibus filiis pietatis gremium aperire illosque precipue oportune subventionis beneficio confovere, qui pro ecclesiastica libertate se corporum exponentes periculis, afflictiones propter hoc pertulisse multiplices dinoscuntur. Cum itaque venerabilis frater noster . . Firmanus episcopus, de episcopatu suo dudum per balivos F. quondam Romanorum imperatoris eiectus, bonis suis omnibus episcopalibus confiscatis, apud Venetias diutinam moram traxerit et gravia subierit onera expensarum: nos, volentes ipsum apostolica gratia prosequi, ut alicuius grate consolationis solatio recreetur, mandamus, quatinus eidem taliter exulanti ab aliquibus ecclesiis Aquilegensis patriarchatus, que minus sunt de mandato apostolico simili provisione gravate, facias annuatim provisionem congruam exhiberi, unde ipse una cum sex personis secum morantibus competenter valeat sustentari: contradictores etc. — non obstante constitutione de duabus dietis edita in concilio generali.

Dat. Lugduni, II Idus Iulii, anno quarto.

226.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino mandat, ut [Henrico] electo Argentinensi, si expedire viderit, usque ad certam summam contrahendi facultatem concedat. *1246, Iul. 14.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 310; Lib. IV, 15.

Berger 2010.

.. archiepiscopo Maguntino.

Cum, sicut ex parte dilecti filii . . electi Argentinensis fuit propositum coram nobis, eundem electum magna pro instanti ecclesie negotio[1] subire oporteat onera expensarum, mandamus, quatinus eidem electo, si expedire videris, contrahendi usque ad certam summam ac illis, cum quibus contraxerit, possessiones Argentinensis ecclesie obligandi concedas auctoritate nostra liberam facultatem: contradictores etc.

Dat. ut supra in proxima.

227.

Innocentius IV papa [Raynaldo] episcopo Ostiensi et S[tephano] tituli Sanctae Mariae Transtiberim presbytero et R[icardo] Sancti Angeli diacono cardinalibus mandat, ut fideiussores, quos Alatrini Ferentinatibus pro servanda pace inter eos inita dederint, ad observationem ipsius compellant. *1246, Iul. 18.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 316; Lib. IV, 50. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau.

Berger 2045.

1) *Cf. Ellenhardi Chron. a. 1246, SS. t. XVII, p. 121, et Böhmer-Ficker, l. c. 4875 et 4876.*

.. episcopo Ostiensi et S. tituli Sancte Marie Transtiberim presbytero[1] et R. Sancti Angeli diacono cardinalibus.

Dilecti filii consules et commune Ferentinatium[a] nobis exponere curaverunt, quod cum vobis nostris dederimus litteris in mandatis, ut fideiussores, quos Alatrini Ferentinatibus ipsis pro servanda pace inter eos inita dederant, ad observationem ipsius compellere curaretis, vos id efficere hactenus omisistis. Quocirca mandamus, quatinus, si est ita, mandatum super hoc apostolicum exequi studeatis iuxta priorum continentiam litterarum[2].

Dat. Lugduni, XV Kal. Aug. anno quarto.

228.

Innocentius IV papa G[regorio] de Montelongo subdiacono et notario suo, apostolicae sedis legato, mandat, ut super petitione [Alberti] episcopi Placentini, frequentibus legatorum et nuntiorum sedis apostolicae procurationibus gravati, provideat, prout viderit providendum. 1246, Iul. 19.

Inn. IV Reg. Vol. I, 310; Lib. IV, 18. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau. Berger 2013.

G. de Montelongo subdiacono et notario nostro, apostolice sedis legato.

Venerabilis frater noster . . episcopus Placentinus nobis humiliter supplicavit, ut cum frequenter plures legati et nuntii apostolice sedis, quibus procurationes debentur, per civitatem transeant Placentinam, propter quod sibi non leve onus expensarum incumbit[3], quod divisum in pluribus potest facilius supportari, vel ei contribui iuxta vires super hiis ab aliis prelatis ecclesiarum et clericis civitatis eiusdem, vel adimpleri huiusmodi ministerium caritatis post ipsum ab eorum singulis in ordine vicis sue iuxta facultates proprias mandaremus. Mandamus, quatinus super hoc auctoritate nostra provideas, prout secundum Deum videris providendum; contradictores etc.[4]

Dat. Lugduni, XIIII Kal. Aug. anno quarto.

229.

Innocentius IV papa [Odoni] episcopo Tusculano, apostolicae sedis legato, mandat, ut [Henrico II] duci Brabantiae, in Terram Sanctam proficisci cupienti, de quibusdam subsidiis provideat. 1246, Iul. 19.

Inn. IV Reg. Vol. I, 311; Lib. IV, 21. Berger 2016.

a) Ferentinăt *R.*

1) *Hic, mense Apr. pro sustentandis Siculis rebellantibus legatus apostolicus factus [cf. n. 170 et sequ.], ut ex hoc loco et Berger 2089 apparet, legationis munere non amplius fungebatur, quamquam seditionem illam compressam esse [Bohmer-Ficker, l. c. 3565] papa scire nondum potuit. Raynerius Sanctae Mariae in Cosmidin diaconus cardinalis, tunc socius eius, legatus adhuc erat [Berger 2066].* 2) *De hac re cf. etiam Berger 2046, 2047, 2062, 2041.* 3) *Cf. Bohmer-Ficker, l. c. p. XXXII in fine.* 4) *Aliae epistolae in favorem eiusdem episcopi scriptae ap. Berger 2029, 2534, 2535, 2536, 2589.*

. . episcopo Tusculano, apostolice sedis legato[1].

Cum dilectus filius nobilis vir . . dux Lothoringie[a] et Brabantie cupiat, sicut asserit, crucis insigniri caractere, in Terre Sancte subsidium profecturus, nos, eius laudabile propositum dignis in Domino laudibus commendantes ac tum ex hoc tum etiam sue devotionis obtentu intendentes eum prosequi gratia et favore[2], mandamus, quatinus de crucesignatorum terre sue, ac illorum maxime qui fuerint in societate sua, bonis, que ipsi decedentes eundo vel redeundo seu inibi morando reliquerint subsidio diete terre, seu alio modo ad manus tuas contigerit devenire, sic in subventionem expensarum suarum faciendarum pro ipso subsidio congrue sibi studeas providere[3], quod idem dux ex hiis congruo subsidio fulciatur et fiat devotior ex devoto.

Dat. Lugduni, XIIII Kal. Augusti, anno IV.

230.

Innocentius IV papa [Guidoni] episcopo Cameracensi mandat, ut cum [Henricus II] dux Brabantiae in Terram Sanctam proficisci cupiat, omnia, quae in terra eius collecta vel legata sint pro subsidio Terrae Sanctae, [Goswino] abbati Loci Sancti Bernardi restituat. — Eidem mandat, ut collectioni decimae in terra ducis eiusdem supersedeat.

1246, Iul. 19.

Inn. IV Reg. Vol. I, 312—313; Lib. IV, 37 et 38.
Berger 2032 et 2033.

I.

. . episcopo Cameracensi.

Cum dilectus filius nobilis vir . . dux Lotharingie et Brabantie cupiat, sicut asserit, crucis caractere insigniri, profecturus in subsidium Terre Sancte, nos, eidem gratificari volentes, mandamus, quatinus quecumque collecta sunt de mandato nostro seu legata de decima vel redemptionibus seu obventionibus votorum crucesignatorum in terra sua per tuas vel cuiuslibet alterius manus pro terre subsidio memorate, dilecto filio abbati Loci Sancti Bernardi[4] Cisterciensis ordinis Cameracensis diocesis restituas et restitui facias, per eum nostro nomine reservanda; contradictores etc.; quantitatem eorum nobis tuis litteris fideliter rescripturus; — non obstante indulgentia etc.[b] usque: mentionem.

Dat. Lugduni, XIIII Kal. Augusti, anno IV.

II.

Eidem.

Cum dilectus filius nobilis vir . . dux Lothoringie[c] et Brabantie terram suam asserat non modicum esse gravatam, ex eo quod decimam pro Terre Sancte subsidio de mandato nostro colligere diceris in eadem, mandamus, quatinus in ipsa terra supersedeas collectioni decime memorate.

Dat. ut supra.

a) *ita R.* b) *ut in n. 232.* c) *ita R.*

1) *De eodem cf. n. 211.* 2) *Cf. n. 136 et ep. n. 1247, Inn. 3 ap. Berger 2351.* 3) *Cf. n. 230 et 232.* 4) *S. Bernardus opt Schelt, prope Antwerpiam; cf. 229 et 232.*

231.

Innocentius IV papa potestati et communi Mediolanensibus confirmat bannum perpetuum, cui quosdam de civitate sua, malexardos vocatos, qui Friderico quondam imperatori adhaeserant, supposuerint. *1246. Iul. 20.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 313: Lib. IV, 41. Ad exemplar Pertzii adhibuimus praeter id, quod Berger edidit, apographum Cod. Vallicell., J. 55, quod V. Cl. E. Winkelmann nobis praebuit: cf. n. 170.
Berger 2036.

.. potestati et communi Mediolanensium.

Cum, sicut intimantibus vobis accepimus, vos quosdam pestilentes de civitate vestra, qui malexardi[1] vulgariter nuncupati, olim concitati spiritu diabolico Friderico quondam imperatori et adherentibus ei arte proditoria adherebant, ad eiusdem civitatis exterminium intendentes, ad sonum campane, prout moris est, convocato et communicato consilio, deliberatione provida, bonis confiscatis eorum, banno perpetuo duxeritis supponendos: nos, vestris supplicationibus inclinati, quia dignum est, ut infideles reportent de infidelitate iacturam, quod per vos super hoc provide factum est ratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Lugduni, XIII Kal. Augusti, anno IIII.

232.

Innocentius IV papa [Gosuino] abbati Loci Sancti Bernardi Cameracensis diocesis mandat, ut vicesimam omnium proventuum ecclesiasticorum terrae [Henrici II] ducis Brabantiae per triennium sibi assignari faciat, de mandato apostolico in subsidium Terrae Sanctae convertendam. — Idem ei de vicesima Leodiensis, Cameracensis et Traiectensis civitatum et diocesium mandatur. *1246, Iul. 21 et 20.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 311; Lib. IV, 23 et 27.
Berger 2018 et 2022.

I.

.. abbati Loci Sancti Bernardi Cisterciensis ordinis Cameracensis diocesis[a][2].

De circumspectione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni tue presentium auctoritate mandamus, quatinus vicesimam proventuum omnium[b] possessionum et bonorum ab ecclesiis et personis ecclesiasticis, tam exemptis quam non exemptis, terre dilecti filii nobilis viri .. ducis Lothoringie[c] et Brabantie per triennium tibi facias assignari et consignatam in loco apto deponi, convertendam de mandato nostro in subsidium Terre Sancte; contradictores etc.; quantitatem eius nobis tuis litteris fideliter rescripturus; — non obstante indulgentia, si qua est aliquibus ab

a) Eidem *R; cf. p. 172, not. 1.* b) omn. prov. *B.* c) *ita R.*

1) *Cf. Ducange, Gloss. et SS. t. XVIII, p. 486, 565, 566, 748, 819. Quae sit notio huius verbi, nescimus; in omnibus locis cit. quadrat ad partem Gibellinam, quae e civitate sua expulsa est.* 2) *Cf. n. 229 et 230.*

apostolica sede concessa, ne interdici vel excommunicari possint per litteras apostolicas, que de indulgentia ipsa plenam et expressam non fecerint mentionem.

Dat. Lugduni, XIII Kal. Augusti, anno IV.

II.

.. abbati Loci Sancti Bernardi Cisterciensis ordinis[a].

De circumspectione etc. [usque][b]: mandamus, quatinus vicesimam proventuum omnium possessionum et bonorum ab ecclesiis et personis ecclesiasticis, tam exemptis quam non exemptis, Leodiensis, Cameracensis et Traiectensis civitatum et diocesum per triennium tibi facias assignari et consignatam in loco apto deponi etc. usque: mentionem.

Dat. Lugduni, XIII Kal. Augusti, anno IV[1].

233.

Innocentius IV papa [Henrico II] electo Spirensi nonnullos Spirensis civitatis et diocesis, qui F[riderico] quondam imperatori hucusque adhaerentes ad ecclesiam redire velint, sub certis conditionibus ab excommunicatione absolvendi facultatem concedit.

1246, Iul. 30.

Inn. IV Reg. Vol. I, 317; Lib. IV, 60.
Berger 2055.

.. electo Spirensi.

Cum, sicut te accepimus intimante, nonnulli Spirensis civitatis et diocesis, qui F. quondam imperatori adheserant[c], redire ad gremium ecclesie concupiscant, nos, devotionis tue precibus inclinati, absolvendi eos iuxta formam ecclesie ab excommunicatione, quam exinde incurrisse noscuntur, et etiam iuramento, si forsan super hoc aliquod prestiterunt, plenam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem, dummodo ipsi tanto tempore ad ecclesie servitium in partibus Theotonie permaneant, sicut deberent iuxta statutum nostrum manere in partibus transmarinis, quanto tempore ad predicti F. obsequium perstiterunt.

Dat. Lugduni, III Kal. Augusti, anno IV[2].

234.

Innocentius IV papa episcopis Frisiae mandat, ut crucesignatos Frisiae compellant, ut a proximo Martio usque ad annum iter arripiant, in passagio cum [Ludovico IX] rege Franciae transfretaturi. *1246, Iul. 28 — Aug. 9.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 317; Lib. IV, 59.
Berger 2054.

a) Cameracensis diocesis *sicut supra supplendum est.* b) usque *deest P.; fortasse locus in R. perperam corruptus est.* c) adheserunt *B.*

1) *Eidem sub eodem die mandavit, ut redemptiones et obventiones votorum crucesignatorum earundem civitatum et diocesium, qui vota sua exequi non possent, per triennium sibi assignari et eodem modo deponi faceret; Berger 2047; cf. etiam 2315.* 2) *Sub eodem die ecclesiam Spirensem sub protectione sua suscepit eiusque bona confirmavit et conservatores huius gratiae constituit; Potthast, Reg. 12243 et 12244; quae ep. in Reg. non exstant.*

Episcopis in Friscia constitutis.

Ut voventes, iuxta prophetarum[a] eximium, reddant Domino vota sua, fraternitati vestre presentium auctoritate precipiendo mandamus, quatinus crucesignatos et quos adhuc crucesignari contigerit de Friscia vestrarum diocesum, in Terre Sancte subsidium profecturos, diligenter monere ac inducere procuretis et, si necesse fuerit, per excommunicationis in personas et interdicti sententias in terras ipsorum, omni tergiversatione cessante, cogatis, illis dumtaxat exceptis quibus tale impedimentum occurrerit, propter quod ex sedis apostolice providentia votum eorum commutari debeat vel differri, ut ita se preparent, quod a Martio proximo venturo usque annum sequentem iter arripiant veniendi, transituri in passagio cum carissimo in Christo filio nostro .. illustri rege Francie annuente Domino, quia tunc utilius et felicius eorum gressus dirigi poterunt ultra mare. Es. 19 21.

Dat. Lugduni, V Nonas[b] Augusti, anno IV[1].

235.

Innocentius IV papa [Arnoldo] decano et capitulo Sancti Victoris Maguntini confirmat arbitrium quondam Sigefridi II archiepiscopi Maguntini, a. 1212, Febr. 4 datum, quo litem, quae inter canonicos et praepositum eorum de bonis ecclesiae suborta fuerat, terminavit. *1246, Aug. 9.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 318; Lib. IV, 66.
Berger 2061.

.. decano et capitulo ecclesie sancti Victoris Maguntini.

Cum a nobis petitur etc. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, compositionem ipsam etc. auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari; qui talis est:

Sifridus[c] Dei gratia sancte Maguntine sedis archiepiscopus. Universis Christi fidelibus presentem paginam inspecturis volumus declarari, quod canonicis Sancti Victoris super prebendarum suarum defectibus contra suum prepositum[2] moventibus questionem, preposito vero econtra defectuum causas multiplices [ex turbatione][d] bellorum et sterilitate temporis pretendente, nos, eorum quieti studere volentes, redditus prepositi a redditibus stipendiorum fratrum distinximus in hunc modum, ut ad prepositum nullus amministrationis respectus in posterum habeatur. Omnibus igitur prefate ecclesie redditibus indagatione discreta tamquam equo libramine trutinatis, presentibus prioribus, prelatis et quampluribus canonicis Maguntinis, ita per nos de

a) prophetam *R.* b) Dat. ut supra *R. Ap. Berger 2053, Lib. IV, 58, haec eadem nota chron. corrupta legitur. Si scriptor in numero* V *erravit, epistola Aug. 2—5, si pro verbo* Nonas *poni debebat* Kal. *vel* Id., *Iul. 28 — Aug. 9 scripta est.* c) *Reg. exemplar contulimus cum authentico ap. Baur, Hess. Urk. t. II, p. 46, n. 35 [A.]; cf. Böhmer-Will, Reg. archiep. Mogunt. Sigfr. II, n. 177. — Antecedit in A.:* In nomine sancte et individue Trinitatis. d) *A.:* ex turbatione *deest R.*

1) *Eodem tempore Willbrandus frater ordinis Minorum de mandato archiepiscopi Maguntini [cf. n. 199] crucem contra imperatorem in Frisia praedicavit; Menkonis Chron. a. 1246, SS. t. XXIII, p. 539—540.*
2) *A. 1246 Christianus praepositus erat, qui insuper maioris ecclesiae praepositus [cf. Berger 1668, 2074, 2657], a. 1249 archiepiscopus Maguntinus factus est.*

partium fuit conniventia ordinatum, ut prepositus vinearum octo iugera in monte sancti Victoris et decimam in Bischoveshim Orientalis Franconie et in Kistene[a] [1] et decimam in Rudesheim perpetuo possideat cum eorum appendiciis universis, ita tamen ut nulla ei vel suis successoribus ea donandi seu modo aliquo alienandi ab ecclesia prelibata relinquatur potestas: quod si fecerit, penis subiaceat a canonibus constitutis. Reliqua vero omnia, que nunc habet ecclesia vel largitione fidelium seu quocumque iusto titulo in posterum poterit adipisci, usibus fratrum, non obstante contradictione prepositi vel successorum suorum, libere et integre pertineant in futurum. Hoc quoque ordinationi predicte pateat accessisse, quod si forte Dominus facultatem contulerit ecclesie prelibate aliqua feuda[b] redimendi, liberam ad hoc habeant potestatem fratres[c] et ea, sicut expedire sibi viderint, propriis usibus deputandi, et prepositus, qui tunc fuerit, hominii vinculum de libera voluntate relaxet, quo fuerat astrictus sibi[d], quicunque redemptum feudum detinebat. Ipse quoque prepositus de proventibus [redemptorum][e] feudorum ratione sui stipendii sicut alius de fratribus ecclesie percipiat portionem. E diverso, si prepositus aliqua de feudis sibi poterit attrahere vel per defectum heredum habuerit, suis et successorum suorum perpetuo sint usibus deputata. In feudis concedendis, ecclesiis conferendis et ceteris officiis hactenus ab eo locatis spiritualibus etiam omni iure velud ante[f] perfruatur. In licentia amplius quam dimidio anno danda assensus prepositi, excluso omni malo ingenio, si ipsius possit haberi presentia, requiratur. Auctoritatem autem, quam usque tunc habuerat in suspensione absentium postulanda, preposito reliquimus[g], ut tamen suspensionum proventus in usus fratrum presentium totaliter convertantur, eo excepto quod preposito ratione sui stipendii tamquam alii fratri cedet. Inter cetera hec[h] nostra deliberatio procuravit, ut prepositus in cellerario fratribus provideat, quem capitulum vel maior et sanior pars sibi preficí postularit. Ne autem in forma prescripta in posterum aliquid possit[i] immutari, presentem paginam totam ordinationis nostre seriem continentem conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari, sub interminatione anathematis artius inhibentes, ne quis ei temere contraire presumat: quod si quis attemptaverit, excommunicationis nostre sententiam se noverit incurrisse. Gerbodus[k] autem prepositus Sancti Petri et Fridericus maioris ecclesie decanus Maguntinus[l] modo et ordine testium in hac pagina non sunt scripti, ne cum de sedium suarum prerogativa contendant, alteri ex hiis preiudicium irrogetur, ex eo quod alii postponatur. Testes alii sunt[m]: Godefridus custos, Ruthardus cellararius, magister Heroldus, Henricus prepositus Pinguensis, magister Obertus, canonici maioris ecclesie, Theodericus decanus, Rifridus scolasticus, Baldemarus cantor, Egelwardus cellararius Sancti Petri, Iohannes decanus, Wernerus scolasticus, Godefridus cantor, Fridericus cellararius Sancti Stephani, Arnoldus decanus, Willehelmus scolasticus, Embrico[n] cantor Sancte Marie ad Gradus, Dimarus decanus, Siweginus[o] cantor, Helwicus custos Sancti Iohannis, Conradus decanus Sancti Mauricii, Rudengerus decanus Sancti Gingolfi, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno incarnationis Dominice MCCXII, indictione XV.

Dat. Maguntie, II Non. Februarii.

Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Si quis etc.

Dat. Lugduni, V Idus Augusti, anno IV [2].

---

a) Kesten A. b) feoda A.; *ita semper et infra.* c) pot. fr. ha. A d) ast. si. fu. A. e) A.: redemptorum *deest R.* f) antea A. g) relinquimus A. h) hoc A. i) al. po. in po. A. k) Gerbodo A. l) dec. ma. eccl. Moguntine A. m) hii *add.* A. n) Embercho A. o) Sigewinus A.

1) *A. 1072 Sigefridus I archiepiscopus Moguntinus eidem ecclesiae 'decimationem in loco, qui dicitur Cista, et decimationem omnium locorum in orientali Germania dispositorum' tradiderat: Ioannis Rer. Mogunt. t. II. p. 580.* 2) *Authentica huius confirmationis et alterius ab Honorio III papa sub a. 1219,*

236.

Innocentius IV papa [Benedicto] episcopo Massiliensi confirmat privilegium a Friderico II imperatore Petro III episcopo Massiliensi a. 1222, Mai. datum, quo privilegium Friderici I imperatoris Petro II praedecessori ipsius episcopi super bonis ecclesiae suae a. 1164, Apr. 17 indultum renovaverat. *1246. Aug. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 326; Lib. IV, 133.
Berger 2128.

.. episcopo Massiliensi.

Que gratia inspirante divina sacris Dei ecclesiis et personis ecclesiasticis principum munificentia elargitur, dignum muniri credimus apostolici roboris firmitate, ut, eis perpetua stabilitate vallatis, possessores eorum, tam presentes quam posteri, pacifica valeant illorum possessione gaudere. Hinc est, quod nos, tuis iustis postulationibus annuentes, libertates et immunitates a clare memorie Friderico Romanorum imperatore tibi et ecclesie Massiliensi pia liberalitate concessas et ab Friderico successore ipsius, tunc imperatore, postmodum confirmatas nec non possessiones et iura, que in privilegiis eorundem expressa perspeximus, sicut ea omnia iuste ac pacifice possides, tibi et per te dicte Massiliensi ecclesie auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Ad maiorem autem cautelam et plenariam firmitatem Friderici secundi tenorem privilegii, totam primi seriem continentis, de verbo ad verbum fecimus presentibus annotari. Qui talis est:

Fridericus[a] secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus et rex Sicilie. Ex consuetudine imperialis clementie ecclesiarum et locorum venerabilium paci intendimus et quieti, ut augustalis potentie communita presidio, tam in se quam in rebus et tenimentis eorum et quiete in presentiarum[b] et securitate in posterum perfruantur. Inde est, quod tu, Petre, venerabilis Massiliensis episcope, dilecte fidelis noster, ad nostram presentiam veniens, privilegium quoddam domini Friderici illustrissimi Romanorum imperatoris semper augusti, carissimi avi nostri inclite recordationis, quod ecclesie tue Massiliensi concesserat et indulserat, nostre curie ostendisti, supplicans humiliter et devote, ut quia privilegium ipsum iam videbatur vetustate consumi[c], renovare et confirmare tibi et ecclesie tue in perpetuum de nostra gratia[d] dignaremur. Nos igitur, supplicationes tuas tanquam favorabiles infra exauditionis nostre thalamum benignius[e] admittentes, considerantes etiam fidem puram et devotionem sinceram, quam erga maiestatem nostram et imperium[f] habere dinosceris laudabiliter et devote[g], privilegium ipsum de verbo ad verbum renovandum duximus, et sicut tempore predicti[h] avi nostri ac postmodum tempore domini Henrici imperatoris, patris nostri, eo[i] uti tua ecclesia consuevit, tibi et successoribus tuis et ecclesie Massiliensi in perpetuum confirmamus. Cuius tenor talis est:

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Maiestatis nostre monet[k] auctoritas et antique in-

a) *Hoc instrumentum contulimus cum Huillard-Bréholles, l. c. t. II, p. 249, qui exemplar suum ex apographo, ex transumpto et ex Regest. spec. arch. praefect. Massil. composuit.* b) qu. presentium *R.*: qu. [in] presentiarum *H. B.* c) consumptum *H. B.* d) de n. gr. *deest H. B.* e) benignus *R.*: benigniter *H. B.* f) et imp. *deest H. B.* g) honeste *H. B.* h) pred. *deest H. B.* i) eo *deest H. B.* k) mos et *H. B.*

Mart. 24 datae commemorat Baur, l. c. t. II, p. 48, not. — Sub Oct. 20 papa capitulo eiusdem ecclesiae concessit, ut ad praepositurum, si eam vacare contingeret, personam idoneam eligere sibi liceret; Potthast, Reg 12312: quae ep. in Reg. non extat.

stitutionis tenor exposcit, ut ecclesiis sub Romano imperio constitutis sollerti debeamus[a] provisione consulere, et ut earum iura sive possessiones sine lesione serventur, imperialis privilegii[b] munimine subvenire. Cunctis igitur nostri imperii fidelibus volumus esse cognitum, quod nos tibi, Petre, venerande Massiliensis episcope, cuncta iura cunctasque possessiones ad te vel ad tuam ecclesiam pertinentes, quas nunc rationabiliter possides aut possidere debes, antiquam et rationabilem predecessorum nostrorum concessionem servantes, tibi confirmamus et presenti privilegio communimus. Ex quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: videlicet civitatem episcopalem de Massilia, Roccam Barbaram, et sicut Rocca Barbara cincta est vallis, et cum aliis vallis et muris eandem civitatem circumeuntibus, cum omnibus territoriis suis, sicut de Plumberiis, de Pratolongo, de Monte Iudaico, de Valle sancti Iusti, de Casa alta, de Guarberiis, de Valle sancti Blausilii[c], de Valle de Moreriis, quidquid in hiis vel in aliis locis et[d] in toto territorio Massilie ecclesia tua iuste per se vel per alium possidet; castellum Babonis, sicut vadit Seta usque ad monasterium monialium, et inde ad thorum de Boscarla usque ad Roccam Barbaram, quidquid inde est versus mare; portum de Porta Gallica, et ut omnes ibidem cargantes aut descargantes[e] sint securi omni tempore; in portu antiquo, qui est inter[f] monasterium et civitatem, quod tu et homines tui, qui habitant vel habitaturi sunt in toto honore ecclesie, in omnibus negotiis et mercationibus, quas ibi facere voluerint, nullum censum vel usaticum solvant; super Iudeos Arelatenses dominium et consuetum censum; Iudeos omnes de Massilia tam de episcopali villa quam de vicecomitali; vineas et terras de Calcadicio ad Arcus in territorio de villa vicecomitali; monasterium monialium sancti Salvatoris de Lasachoas, quod infra muros urbis Massilie situm est, cum omnibus pertinentiis suis; falcones de terra maiori a castello de Vier usque ad Columpnam; dominium et libertatem, quam habes in montibus ultra Vuelnam et in molendinis de toto territorio Massilie et in piscatione maris de delfinis et aliis piscibus et aliis usaticis; in castro de Pennis et eius territorio medietatem in proprietate tua, in alia medietate dominium; castrum de Alarigio[g] cum territorio et pertinentiis, et pedaticum eiusdem castri; villam Sancti[h] Iuliani cum territorio et pertinentiis suis; villam Sancti Iusti cum terris et vineis, quas in eius territorio tam per te quam per tuos homines iuste possides; castrum de Nercio cum territorio et pertinentiis suis, et[i] pedaticum eiusdem castri; castrum Sancti Caimati cum territorio et pertinentiis suis; castrum de Albania cum territorio et pertinentiis suis et duos recetos[1] pro censu eiusdem castri in natale Domini et in pascha; castrum de Marranegas cum territorio et pertinentiis suis; castrum de Melna cum territorio et pertinentiis suis; castrum de Auroneves cum tenimentis[k] et pertinentiis suis; in castro de Evena quartam partem, in villa et in rocca et in territorio eiusdem castri, in terris cultis et incultis; castrum etiam de Balceto[l] cum toto territorio et pertinentiis suis; in stagno de Leonio in proprietate tua totum novenum de salibus et tertiam partem ledde[m] [2] et in toto stagno dominium; in Vitrola et Marignaria[n] et Papia et Sancto Victore de Cella similiter tertiam partem in ledda de salibus venditis vel vendendis, et quotiens tuum salem vendere in eodem stagno volueris, nemini liceat suum salem vendere, dum tui sales vendentur de eodem stagno; in portu de Bagneriis de omnibus navibus et hominibus[o] ibidem applicantibus de

a) studeamus *H. B.* b) *H. B.:* imperii *R.* c) Bausilii *H. B.* d) *H. B.:* et *deest R.* e) decargantes *H. B.* f) intra *H. B.* g) Alaugio *H. B.* h) scilicet *H. B.* i) et — Caimati cum t. et p. suis *deest H. B.* k) territorio *H. B.* l) Banceto *H. B.* m) *add. H. B.:* in reliquis vero duabus partibus ledde. n) Marignana *H. B.* o) et hom. *deest H. B.*

1) *I. e. 'albergarias' vel etiam 'refectiones'; cf. Ducange, Gloss. sub verbo 'receptum', ubi chartae ad* [illegible] *res Massilienses spectantes citantur.* 2) *Tributi, quod pro rebus venditis vel vendendis solvebatur.*

leda[a] et omnibus usaticis, que[b] debent, in tertia parte proprietatem, in reliquis vero duabus partibus et in toto portu dominium. Concedimus etiam, ut in tua civitate Massilia super Roccam Barbaram, et in quacumque possessione tue ecclesie tibi[c] placuerit, liceat tibi tuisque successoribus turrem vel quamlibet munitionem ad honorem imperii et ecclesie tue utilitatem edificare. Et ne aliqua ecclesiastica secularisve persona in eiusdem ecclesie possessionibus turrem seu aliam munitionem sine tuo vel successorum tuorum consensu edificare seu possessiones ecclesie alienare vel auferre presumat, auctoritate imperiali modis omnibus inhibemus, adicientes ut super cunctis possessionibus Massiliensis ecclesie tu et successores tui plenam habeatis iurisdictionem et potestatem disponendi et ordinandi possessiones ecclesiasticas, prout vobis melius visum fuerit ad honorem imperii et ecclesie vestre utilitatem. Preterea perpetua stabilitate sancimus, ut episcopus vel ecclesia Massiliensis nullius[d] unquam dominio vel potestati in rebus temporalibus debeat subiacere, nisi nobis tantum nostrisque successoribus, regibus vel[e] imperatoribus Romanis. Volumus etiam, ut in signum amplioris gratie nostre persona et ecclesia tua specialiter ad cameram imperialem pertineat et sub nostra protectione omni tempore secura permaneat. Statuimus autem, ut quecumque bona, quascumque possessiones impresentiarum iuste possides aut in futurum largitione imperatorum vel regum et aliorum principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis tu vel successores tui poteritis adipisci, firma vobis et illibata permaneant, vestris et ecclesie vestre usibus omni tempore profutura; salva in omnibus supradictis iustitia, honore et auctoritate imperiali. Decernentes igitur firmiter statuimus, ut de cetero nullus princeps, non comes, non vicecomes, non marchio vel capitaneus, non archiepiscopus, nec episcopus vel abbas, nulla potestas, non rectores, non civitas vel consules, nulla ecclesiastica secularisve persona, magna sive parva, predictum episcopum Petrum suosque successores et ecclesiam Massiliensem in hac autentica nostra concessione molestare vel perturbare aut inquietare aliquatenus presumat. Si quis vero huius nostre auctoritatis violator extiterit, procul dubio post nostre indignationis iram centum librarum auri penam sustinebit, cuius medietas fisco nostro et reliqua iamdicto episcopo et eius ecclesie integre persolvetur. Ut autem hec verius credantur et ab omnibus inviolata serventur[f], presentem inde paginam scribi et sigillo nostre maiestatis aureo[g] iniunximus[h] insigniri.

Ego Christianus cancellarius vice domini Raynaldi Coloniensis archiepiscopi et Italie archicancellarii recognovi.

Actum quoque est anno Dominice incarnationis MCXLV[i], indictione duodecima, regnante domino Friderico Romanorum imperatore gloriosissimo, anno regni eius duodecimo, imperii vero octavo.

Data[k] apud Sanctum Salvatorem iuxta Papiam, XV Kal. Maii.

Ad huius autem nostre renovationis et confirmationis memoriam et robur perpetuo valiturum presens privilegium conscribi et bulla aurea tipario nostre maiestatis impressa iussimus communiri.

Data[k] in civitate Cusentie, anno Dominice incarnationis MCCXXII, mense Maii, indictione X, imperii domini nostri Friderici[l] illustrissimi Romanorum imperatoris semper augusti et gloriosissimi regis Sicilie anno II, regni vero Sicilie XXIV, feliciter. Amen.

Nulli ergo — nostre confirmationis etc. Si quis etc.

Dat. Lugduni, III Idus Augusti, anno IV.

---

a) *ita R.* b) *H. B.;* quos *R.* c) que *H. B.* d) nulli *H. B.* e) et imp. Romanorum *H. B.* f) fuerint *H. B.* g) aureo *deest H. B.* h) iniuximus *R.* i) *ita R.;* MCLXIIII *H. B. recte.* k) Datum *H. B.* l) Dei gratia *add. H. B.*

237.

Innocentius IV papa confirmat complures excommunicationis et privationis sententias, quas [Conradus] archiepiscopus Coloniensis in clericos, ecclesiae Romanae assistere nolentes, tulit. *1246, Aug. 17.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 319; Lib. IV, 75, 76 et 77.
Berger 2070, 2071 et 2072.

I.

Henrico preposito Xanctensis ecclesie capellano nostro[1].

Ex parte tua nobis extitit intimatum, quod cum olim venerabili fratri nostro . . Coloniensi archiepiscopo nostris dederimus litteris in mandatis, ut clericos sue provincie moneret et induceret diligenter, quod efficaciter ecclesie Romane assistere procurarent, eos ad id, si necesse fuerit, censura ecclesiastica compescendo, et si eam contempnerent, beneficiis suis ecclesiasticis privaret eosdem, ipsa, prout honori et utilitati eiusdem ecclesie expedire videret, personis idoneis conferendo, dictus archiepiscopus in Gobertum de Perewez[2] quondam maiorem prepositum Traiectensem[3] et Henricum de Breda Daventrensem prepositum et maiorem decanum Traiectensem, quia id efficere sollicite ab ipso moniti contumaciter denegarunt, excommunicationis sententiam exigente iustitia promulgavit. Sed ipsi, maledictionem bibentes ut aquam, redire non curarunt ad mandatum ecclesie anno et amplius iam elapso, propter quod prefatus archiepiscopus predictos prepositos prepositurls privans eorum, illas tibi duxit canonice conferendas. Tuis igitur supplicationibus inclinati, quod per eundem archiepiscopum provide factum est in hac parte, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Si quis etc.

Dat. Lugduni, XVI Kal. Septembris, anno IV.

II.

Enkelberto canonico ecclesie sancti Iohannis Traiectensis.

Ex parte tua etc. ut supra: dictus archiepiscopus in Henricum de Breda Daventrensem prepositum et maiorem decanum Traiectensem et Gilbertum dictum de Amestelle[4] decanum ecclesie sancte Marie Traiectensis etc. ut supra: decanatum ipsius ecclesie sancte Marie Traiectensis tibi duxit canonice conferendum[5]. Tuis igitur etc. ut supra.

III.

Theodorico de Wikerode[a][6] cantori Traiectensi[7], consanguineo venerabilis fratris nostri archiepiscopi Coloniensis.

Ex parte tua etc. ut in LXXVIa: decanatum Traiectensem tibi duxit canonice conferendum. Tuis igitur supplicationibus etc.

a) Wikerod. *B.*

1) *De eodem cf. Berger 1577, 1582—1585, 1628, 1629, 1638, 2091—2096.* 2) *Ut videtur Perwez ex sept. cir. Namur, sed fortasse Peruwelz e mer. et or. cir. Tournay.* 3) *De eodem cf. Berger 1485.* 4) *Amstel e mer. cir. Amsterdam.* 5) *Ipsa quoque collatio iam ante annum facta est, nam sub a. 1245, Oct. 26 papa* Engelberto decano ecclesie sancte Marie Traiectensis *indulsit, ut unum adhuc beneficium retinere valeret; Berger 1581. Collationem in controversiam vocatam esse putamus, propter quod haec confirmatio papae requisita est; cf. n. 241.* 6) *Wickrath e mer. cir. Gladbach.* 7) *De eodem cf. Berger 1579, 1586.*

238.

Innocentius IV papa [Bonifacio] archiepiscopo Cantuariensi mandat, ut Guillelmo cantori Lausanensi, nato comitis Grueriae, in regno Angliae de beneficio ecclesiastico provideat. *1246, Aug. 17.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 319; Lib. IV, 72. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau. Berger 2067.

.. archiepiscopo Cantuariensi.

Cum in amplexu dulcedinis et mansuetudinis alloquio apostolice sedis benignitas nonnullos suscipiat, prerogativa eos favoris prosequens et gratie specialis, dignum fore providimus, ut personis nobilitate generis, litterarum scientia et bonis moribus insignitis, quorum provisio ecclesiarum utilitatibus expedit et honori, aperiamus favorabiliter beneficientie nostre manus. Attendentes itaque laudabile testimonium, quod de persona dilecti filii Guillelmi cantoris Lausanensis, nati nobilis viri .. comitis Gruerie[1], perhibetur, ac per hoc inducti speciali eum prevenire gratia cupientes[a], fraternitati tue per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatinus eidem in regno Anglie in ecclesiastico beneficio, quod sexaginta marcas argenti valeat annuatim, auctoritate nostra liberaliter providere procures — non obstante[b] si ecclesia, in qua sibi providendum duxeris, curam habeat animarum, aut in ea sit statutum de certo canonicorum numero iuramento vel confirmatione sedis apostolice seu quacumque firmitate alia roboratum, vel si pro aliis in eadem direximus scripta nostra, quibus nolumus auctoritate presentium preiudicium generari, vel si eius rectori vel capitulo, quod ad provisionem seu receptionem alicuius per litteras apostolicas minime compelli valeant, expressam non facientes de hac indulgentia mentionem, a sede apostolica est indultum, seu aliis quibuscumque privilegiis, indulgentia, consuetudine vel constitutione, per que posset huiusmodi provisionis gratia impediri —: contradictores etc.

Dat. Lugduni, XVI Kal. Sept. anno quarto.

239.

Innocentius IV papa [Liutholdo] episcopo Basiliensi obtentu Ulrici comitis de Ferreto et Hermanni subdiaconi sui, nati [Manegoldi] comitis de Wiltperc, concedit, ut cum Henrico dicto Suelle rectore ecclesiae de Muzeche super pluralitate beneficiorum auctoritate apostolica dispensare possit. *1246, Aug. 19.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 318; Lib. IV, 292. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit et ex eis supplerit V. Cl. A. Mau. Ep. circa finem mensis Nov. in Reg. relata est. Berger 2288.

.. episcopo Basiliensi.

Dilectus filius Henricus dictus Suelle[c] rector ecclesie de Muzeche[2] Argentinensis diocesis in nostra constitutus presentia nobis humiliter supplicavit, ut cum eo, quod preter beneficia ecclesiastica, que curam animarum habentia obtinet, possit alia ecclesiastica beneficia, etiamsi similem curam habeant, usque ad summam centum

---

a) cupiamus *M.* b) *an* non obst. = non obstantibus? c) Snelle *B.*

1) *Gruyères, in Cant. Freyburg prope flumen Sarine.* 2) *Mutzig in Alsatia, ex occ. cir. Molsheim.*

marcarum argenti, computatis premissis, si ei canonice offerantur, recipere ac una cum obtentis libere retinere, dispensare de benignitate sedis apostolice curaremus. Quamvis igitur ad refrenandas ambitiones quorundam, ne quis plures ecclesias vel dignitates ecclesiasticas habeat, sacri concilii constitutio interdicat, ipsius tamen probitatis meritis et obtentu dilectorum filiorum nobilis viri Ulrici comitis de Ferreto[1], nepotis bone memorie C[onradi] episcopi Portuensis, et Hermanni subdiaconi nostri, nati nobilis viri . . comitis de Wilpere[2], nobis super hoc supplicantium pro eo inducti, fraternitati tue presentium auctoritate concedimus, ut super premissis — constitutione non obstante premissa — cum ipso auctoritate nostra dispenses usque ad quantitatem, de qua pensatis circumstantiis et eius meritis secundum Deum videris expedire; proviso ut beneficia eadem debitis etc. usque: negligatur.

Dat. Lugduni, XIIII Kal. Septembris, anno quarto.

240.

Innocentius IV papa Gregorio de Montelongo subdiacono et notario suo, apostolicae sedis legato, mandat, ut generaliter interdicat, ne in ecclesia Veronensi, si eam vacare contigerit, absque mandato apostolico ad electionem procedatur. *1246, Sept. 4.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 321: Lib. IV, 86.
Berger 2081.

G. de Montelongo subdiacono[a] et notario nostro, apostolice sedis legato.

Cum expediat universali ecclesie, hoc tempore maxime, tales in pastores preffici ac rectores, qui Deo grati et accepti hominibus Romanam ecclesiam venerentur, presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus capitulo Veronensi ac omnibus aliis, ad quos Veronensis episcopatus electio dinoscitur pertinere, quominus[b] si Veronensem ecclesiam contigerit pastore vacare, ad electionem alicuius procedere absque mandato sedis apostolice speciali presumant, auctoritate nostra generaliter et, si expedire videris, specialiter interdicas, decernens irritum et inane quidquid contra interdictum tuum contigerit attemptari; contradictores etc.

Dat. Lugduni, II Nonas Septembris, anno IV.

241.

Innocentius IV papa [Philippo] electo Ferrariensi, apostolicae sedis legato, mandat, ut generaliter inhibeat, ne ecclesiae Teutoniae vacantes absque assensu apostolico vel suo per electionem vel postulationem sibi provideant. *1246, Sept. 9.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 326: Lib. IV, 130.
Berger 2125.

a) subdiacono — legato *deest B.* b) quo *P.*

1) *Pfirt er occ. civ. Basel, in Alsatia. Fridericus, pater Ulrici, Hilwidim sororem Conradi episcopi Portuensis in matrimonium duxerat. — Alia gratia eidem Henrico intuitu Ulrici comitis facta a. 1247. Febr. 9 cp. Berger 2411.* 2) *Manegoldi; cf. n. 111, 259 et Berger 2278.*

. . electo Ferrariensi, apostolice sedis legato.

Vacantibus ecclesiis personas dignas prefici cupientes, volumus et presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus generaliter per universas tam regulares quam seculares Theutonie ecclesias inhibere procures, ne ipsarum capitula vel conventus, cum eas vacare contigerit, de pastore aliquo vel prelato sibi per electionem seu postulationem providere presumant absque nostro vel tuo consilio et assensu, decernens, si contra forsitan egerint, irritum et inane[1].

Dat. Lugduni, V Idus Septembris, anno III[a].

242.

Innocentius IV papa priori Sanctae Mariae foris portam Lucanae mandat, ut Andreae clerico ecclesiae sancti Iohannis de Gaetan. in Pisana provincia de beneficio provideat, quod idem hucusque non obtinuerit, quia executor primo datus prae timore potestatis Pisanae, quae inhibuerit, ne quis civitatis vel diocesis Pisanae apostolicae sedis vel legatorum eius litteris uteretur, in ea re non processerit. *1246, Sept. 9.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 324; Lib. IV, 118. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau. Berger 2113.

. . priori Sancte Marie foris portam Lucane[b].

Dilectus filius Andreas clericus ecclesie sancti Iohannis de Gaetan.[c] exhibita nobis petitione monstravit, quod cum nos olim dilecto filio . . plebano de Pugnan.[d] nostris dederimus litteris in mandatis, ut ei in aliqua ecclesiarum Pisane provincie provideret in ecclesiastico beneficio competenti, contradictores etc. usque: compescendo, idem plebanus, licet mandaverit . . plebano et capitulo plebis de Bluiti Pisane diocesis, ut ipsum recipientes in canonicum et in fratrem plebis eiusdem, in qua nec certus numerus canonicorum habetur nec sunt prebende distincte, sibi providerent in beneficio competenti, vel coram eo comparerent[e], causam ostensuri quare id facere non deberent, in ipso tamen negotio, incusso sibi timore ex eo quod . . potestas Pisana sub certa pena inhibuit, ne quis civitatis et diocesis earundem apostolice sedis vel legatorum ipsius uteretur litteris[2], ulterius non processit. Ceterum, nolentes quod prefati clerici, qui per potestatem eundem[f], quia ipsius noluit obedire mandatis, de Pisana civitate ac diocesi extitit forbannatus, provisio aliquatenus retardetur, mandamus, quatinus in negotio ipso procedas iuxta directarum ad eundem plebanum continentiam litterarum — non obstante quod idem clericus alias beneficiatus existit.

Dat. Lugduni, V Id. Sept. anno quarto.

---

a) *Ita etiam B., qui propterea ep. ad a. 1245 refert. Sed scriptorem errasse putamus: nam a. 1245 electus legati titulum non habuit; cf. n. 205. Verba quoque ep. a. 1246, Iul. 7 [n. 215] permittere non videntur, ut inhibitionem generalem iam tum pronuntiatam fuisse putemus, quae in causa simili ep. a. 1247, Febr. 25, ipsis verbis huius epistolae commemoratur. Legas igitur* anno IIII. b) Lucañ *R.: ecclesia huius nominis Lucae extabat:* Lucan[am] *B.* c) Gaetan *R.* d) Pugnañ *R.* e) id facere non deberent, comparerent *R. Cum verbum* comparerent *loco non iusto scriptum sit, neque ante* id *recte poni possit, id post* eo *collocamus.* f) *ita R.*

1) *Cf. inhibitionem ep. antecedentis.* 2) *De simili inhibitione cf. ep. a. 1247, Mai. 28, Berger 2749. — Sub Oct. 15 papa episcopo Massano mandavit, ut sententias a iudicibus et officialibus Pisanorum contra archiepiscopum et capitulum Pisanos promulgatas irritas denuntiet; Berger 2198, cf. 2268. — Licentiae commercium cum Pisanis excommunicatis habendi quibusdam concessae ap. Berger 2031 et 2142; cf. supra sub n. 130.*

243.

Citationes, quibus abbas Sancti Prosperi Regini et quidam alii per Marinum ecclesiae Romanae vicecancellarium a. 1246, Sept. 11, Oct. 2 et 12 ad praesentiam papae vocati sunt.

Inn. IV Reg. Vol. I, 328; Lib. IV, 149.
Berger 2144.

Citatio facta in publica audientia[1] .. abbatis Sancti Prosperi Regini et quorundam aliorum.

Dominus Marinus sacrosancte Romane ecclesie vicecancellarius de mandato domini pape III Idus Septembris, pontificatus eiusdem domini pape anno IV, in publica audientia citavit sub pena depositionis .. abbatem Sancti Prosperi Regini, .. prepositum Sancti Prosperi de castello Regino, .. archipresbyterum de Campiliola[2] canonicum Reginum, Phylippum de Saxo archipresbyterum de Herberia[3], Guillielmum de Apulia canonicum Reginum, .. archipresbyterum de Monatius, .. archipresbyterum de Fabrica[4], Hugonem dictum Papa archipresbyterum de Bibiano[5], .. archipresbyterum de Sancto Vitali[6], .. archipresbyterum de Bartolo, .. archipresbyterum de Sucaria[7], .. abbatem de Caranna Parmensis diocesis, ut ad festum sancti Martini proximo venturum representent se coram dicto domino papa.

Iterum citavit eos in publica audientia VI Nonas Octobris, et tertio citavit eos in publica audientia IIII Idus Octobris.

244.

Innocentius IV papa [Philippo] electo Ferrariensi, apostolicae sedis legato, mandat, ut quotienscumque requisitus fuerit, [Henrico] praeposito Traiectensi et Xantensi super beneficiis, quae in regno Teutoniae obtineat, auctoritate apostolica iustitiae complementum exhibeat.

1246, Sept. 27.

Inn. IV Reg. Vol. I, 324; Lib. IV, 114.
Berger 2109.

.. electo Ferrariensi, apostolice sedis legato.

Turbamur plurimum et movemur, cum aliqui ecclesiis et personis ecclesiasticis molestias inferre presumunt, sed gravius non immerito provocamur, si officiales et familiares nostri, presertim illi quos sue nobilitatis et probitatis obtentu gratia et favore ampliori prosequimur, ab aliquibus offendantur, cum, quanto magis nostris et apostolice sedis insistunt obsequiis, tanto sint ab aliis potius honorandi et fortius eorum iniurie nos contingant. Cum itaque dilectus filius .. prepositus Traiectensis et Xanctensis, capellanus noster[8], sicut eo referente accepimus, super beneficiis, que in

1) *His verbis locus quidam domus, in qua papa residebat, significatus esse videtur; cf. Ducange, Gloss. ed. L. Favre sub verbo 'audientia' n. 8, et c. 1 in Clem. de iudiciis [Lib. II] et c. un. in Extrav. de dolo et cont. [Lib. II], ubi etiam legitur, quo modo ii, ad quos secure adiri non posset, temporibus posterioribus citati sint; cf. etiam c. ult. in X de dolo et cont. [Lib. II, tit. XIV]. De Regiensibus cf. Berger 2015. Fortasse citationes sub hac forma scriptae ianuis ecclesiae maioris, sicut postea fieri solebat, affixae sunt.* 2) *E mer. castri Canossae.* 3) *Inter civ. Reggio et Modena.* 4) *In dominatu Correggio.* 5) *E mer. et occ. civ. Reggio.* 6) *Carpineto e mer castri Canossae.* 7) *Suzzara ex sept. civ. Guastalla.* 8) *De eodem cf. n. 237.*

regno Teotonie obtinet, a nonnullis multipliciter molestetur[1], et durum sit ei, quotiens super iuribus et proventibus beneficiorum ipsorum iniurias ab aliquibus patitur, ad prefatam sedem habere recursum: nos, volentes super hiis capellano predicto remedio consulere oportuno, mandamus, quatinus ipsi vel eius procuratoribus, quotienscumque ab eis fueris requisitus, super premissis iuribus et proventibus contra quoslibet iniuriatores capellani predicti exhibeas auctoritate nostra iustitie complementum; contradictores etc.: — non obstante constitutione de duabus dietis edita in concilio generali.

Dat. Lugduni, V Kal. Octobris, anno IV.

245.

Innocentius IV papa [Arnoldo] archiepiscopo Treverensi indulget, ut archidiaconatum Transrhenanum, [Henrico] praeposito Coloniensi collatum, in quo castrum munitissimum contra hostes ecclesiae habeat, mensae suae uniat, si id per amicabilem concordiam obtinere possit. *1246, Sept. 28.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 324; Lib. IV, 119.
Berger 2114.

. . archiepiscopo Treverensi.

Circa negotia ecclesie, que intrepide ac magnanimiter assumpsisti, sic te perpendimus ferventem, ut dignum, immo debitum reputemus petitiones tuas ad gratiam celeris exauditionis admitti[2]. Cum igitur, sicut nobis exponere curavisti, dilecto filio . . maiori preposito Coloniensi archidiaconatum Transrenanum ecclesie Treverensis, ad donationem tuam spectantem, in quo quoddam castrum obtines contra hostes ecclesie munitissimum et famosum, ad cuius custodiam sumptus non modici requiruntur, per quod toti contrate ac ecclesie Treverensi immineret periculum grande nimis, si, quod absit, ad manus inimicorum quomodolibet deveniret, duxeris conferendum, sisque paratus archidiaconatum alium sibi dare non minus illo in redditibus habundantem: nobis humiliter supplicasti, ut tibi applicandi redditus archidiaconatus eiusdem Transrenani mense tue usibus licentiam largiremur. Nos igitur, petitionibus tuis nec indignis gratia nec favore vacuis inclinati, quod predictum archidiaconatum Transrenanum, si id per amicabilem concordiam a predicto preposito poteris obtinere, retinere valeas usque ad nostre beneplacitum voluntatis, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli ergo omnino — nostre concessionis etc. Si quis etc.

Dat. Lugduni, IV Kal. Octobris, anno IV.

246.

Innocentius IV papa [Roberto] episcopo Leodiensi mandat, ut inderotos civitatis et diocesis suae gratiis a sede apostolica concessis privet. *1246, Oct. 3.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 326; Lib. IV, 128. Contulimus hanc epistolam cum alia ad verbum cum hac concordante, quam papa electo Ferrariensi, cum legatus apostolicus per Teutoniam fieret, sub Iul. 5 misit; v. n. 204, III [1].
Berger 2123.

1) *Cf. p. 178, not. 5.* 2) *Cf. Potthast, Reg. 12101 a—c et Berger 2264, 2303.*

.. episcopo Leodiensi.

Cum nonnullis personis ecclesiasticis tue civitatis et dioecesis liberales nos exhibuerimus et benignos, eis tam super beneficiis quam aliis specialibus[a] gratiis nostras litteras concedendo, sperantes quod ipsi, tanquam beneficiorum sedis apostolice non ingrati, nobis et ecclesie, presertim oportunitatis tempore, grate devotionis obsequia exhiberent et pro ipsius negotiis promovendis diligenti studio laborarent: volumus et presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus omnes illos, quos indevotos et ingratos reppereris in hac parte, privare penitus huiusmodi nostris gratiis non postponas, iniungens[b] executoribus, quos eis super gratiis eisdem concessimus[c], ut per litteras apostolicas super hiis optentas ad eos aliquatenus non procedant, et revocans omnem processum, si quis forte habitus est per eos: contradictores etc.[1]

Dat. Lugduni, V Nonas Octobris, anno IV.

247.

Innocentius IV papa S[tephano] tituli Sanctae Mariae Transtiberim presbytero cardinali, vicario suo in Urbe, mandat, ut per Urbem, Campaniam et Maritimam et loca vicina contra Fridericum quondam imperatorem per se vel per alios crucem praedicet.

1246, Oct. 11.

Inn. IV Reg. Vol. I, 419; Lib. IV, cur. 29. Ad exemplar Pertzii adhibuimus praeter id, quod Berger edidit, epistolam a. 1247. Mart. 18, Lib. IV, cur. 18, infra proponendam [Berger 2964], quae cum hac aliquot locis concordat [2].

Berger 2945.

S. tituli Sancte Marie Transtiberim presbytero cardinali, vicario nostro in Urbe[2].

Cum fidelium omnium sancta Romana ecclesia mater sollicita illos de patrimonio beati Petri affectionis prerogativa maioris inter ceteros amplectatur et tanquam speciales filios ampliori prosequatur gratia et favore, saluti eorum sollicitudine invigilans indefessa ipsorumque commoda studio attentiori procurans, est et decens et debitum, ut ipsi eidem ecclesie inter fideles alios sincerioris devotionis obsequiis placeant et assistant virtute constantie firmioris, ad ipsius defensionem, cum oportunitas suggerit, promptius et efficacius assurgentes, pro sui honoris augmento vires suas totaliter exponendo. Pre cunctis autem tyrampnis Fredericus quondam Romanorum imperator contra Deum et predictam ecclesiam persecutionis arma incessanter et patenter exercet, qui quanto celsiori hactenus dignitate ipsa ecclesia operante prefulsit, tanto in eam crudeliori animadversione desevit, vires potentie sue adversus illam nefanda mentis perversitate convertens, acuendo in interitum eius gladium, quem ab ipsa contra eiusdem vibrandum susceperat inimicos. Unde, ut sua intentio prava auctore Domino vacuetur et confringatur sue fortitudinis robur, ab universis Christi fidelibus, et potissime ab illis de patrimonio ipso, malignitatis ipsius obviandum est studiis eiusque conatibus constantissime repugnandum. Hinc est, quod providentie tue presentium auctoritate

a) *ita I;* spiritualibus *P.* b) iniungendo *I.* c) concesserimus *I.*

1) *Cf. n. 221 et Berger 2635.* 2) *De hoc cf. n. 227.*

mandamus, quatinus tam per te quam per ecclesiarum prelatos illarum partium ac alios, religiosos et seculares, quos ad hoc ydoneos esse cognoveris, proponens iuxta datam tibi a Deo prudentiam per Urbem, Campaniam et Maritimam ac alia loca vicina fidelibus verbum crucis, eos studiosis et sedulis exhortationibus inducere ac animare procures, ut ipsi, considerato sollicite quot tribulationum malleis idem F. non solum ecclesiam sed etiam fere totum Christianum populum flagellarit, et quandiu in viros ecclesiasticos virus[a] sue feritatis effuderit, quodque seviori[b] continue furiat rabie contra eos, propter quod efficax super hiis convenit remedium adhiberi, ad fidem catholicam et libertatem ecclesiasticam defendendas contra ipsius perfidiam ferventibus animis exurgentes, presertim cum iam alius sit in Romanorum regem assumptus in imperatorem auctore Domino promovendus[1], adversus eundem F. omnesque[c] fautores ipsius crucis signaculum, de divino et nostro auxilio sperantes, assumant. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli eius apostolorum auctoritate confisi, ex illa quam nobis licet indignis Deus ligandi atque solvendi contulit potestate, omnibus qui laborem istum in propriis personis subierint et expensis, ac eis qui non in personis propriis laboraverint set in suis dumtaxat sumptibus iuxta facultatem et qualitatem suam ydoneos destinaverint bellatores, necnon illis qui, licet in alienis expensis, in propriis tamen personis onus istud assumpserint, illam suorum peccatorum, de quibus veraciter corde contriti et ore confessi fuerint, veniam indulgemus ipsosque illo privilegio eaque immunitate gaudere volumus, que Terre Sancte succurrentibus in generali concilio sunt[d] concessa. Huius quoque remissionis concedimus esse participes iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum omnes, qui adversus dictum F. et eius fautores de bonis suis congrue ministrabunt, aut consilium et auxilium impenderint oportunum.

Dat. Lugduni, V Idus Oct. anno quarto.

248.

Innocentius IV papa [Philippo] electo Ferrariensi, apostolicae sedis legato, ad preces Henrici domini de Isenburg, devoti ecclesiae, et Mathildis uxoris eius, sororis [Conradi] archiepiscopi Coloniensis, mandat, ut Henrico de Vetericuria clerico Coloniensis diocesis in aliqua ecclesiarum legationis suae de praebendali beneficio provideat. 1246, Oct. 12.

Inn. IV Reg. Vol. I, 366; Lib. IV, 118. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit et ex eis supplevit V. Cl. A. Mau. Epistola circa mensem Mart. a. 1247 demum in Reg. relata est. Berger 2444.

.. electo Ferrariensi, apostolice sedis legato.

Pium est et quasi quodam debito iuris exigitur, ut clerici, qui assumuntur in sortem Domini, ad hereditatis ipsius participium admittantur, et patrimonii eius sustententur stipendiis, cuius obsequiis ascribuntur. Cum igitur dilectus filius Henricus de Vetericuria clericus Coloniensis diocesis, de cuius vita et morum honestate laudabile nobis testimonium perhibetur, non habeat, unde secundum sue merita probitatis valeat

a) *ita etiam 2:* vires *B.* b) *ita etiam 2:* feriori *B.* c) *B. et 2:* eiusque *P.* d) *pro* concilio sunt *ap. B.:* fuerit.

1) *Henricum Raspe regem etiam ad res Italicas spectasse ex eius epistolis ap. Bohmer-Ficker, l. c. 1870—1872 et 1878 comperimus.*

sustentari, sicut idem clericus in nostra proposuit presentia constitutus, nos, qui benefacere cupimus universis, nobilis viri Henrici domini de Isenburch[1], ecclesie Romane devoti, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Mettildis uxoris eius, sororis venerabilis fratris nostri . . Coloniensis archiepiscopi, precibus inclinati, presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus eidem clerico, nullum ut asserit ecclesiasticum beneficium assecuto, in aliqua ecclesiarum tue legationis — non obstante[a] si in ecclesia, in qua sibi providendum duxeris, sit certus canonicorum numerus institutus iuramento vel quacunque firmitate vallatus, aut si pro aliorum provisione direximus scripta nostra, quibus nolumus per presentes litteras preiudicium generari, seu si ecclesie ipsi a sede apostolica sit indultum, ut in ea nulli debeat provideri, — in beneficio prebendali, si vacat ad presens vel quam cito ad id obtulerit se facultas, provideas vel facias provideri: contradictores etc.

Dat. Lugduni, IIII Id. Octobris, anno quarto[2].

249.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino de flagitiis monachorum monasterii Bosaviensis Nuemburgensis diocesis scribit, mandans, ut si vera ea invenerit, eos inde removeat et alios in eodem loco instituat. *1246, Oct. 15.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 330; Lib. IV, 164. Pertzii exemplar contulimus cum Cherrier, Hist. de la lutte des papes et des empereurs de la maison de Souabe t. III, p. 522.
Potthast, Reg. 12304; Berger 2159.

. . archiepiscopo Maguntino.

Claustralium orrenda crudelitas, non solum in se ipsos sed etiam in alios sevientium, usque adeo in monasterio Pusavigensi[3] ordinis sancti Benedicti Nuemburgensis diocesis metam omnis humanitatis excessit, quod, sicut olim venerabili fratre nostro Nuemburgensi episcopo[4] intimante didicimus, discipline iugo deiecto, et[b] in necem bone memorie . . Nuemburgensis episcopi predecessoris ipsius, dicti monasterii fundatoris, manus sacrilegas extenderunt[5], et hoc nequaquam contenti, . . abbatem eorum, salutem animarum ipsorum zelantem ac volentem iuxta officii sui debitum excessus ipsorum corrigere, ligatum manibus et pedibus inter duas mulieres populo extra ipsum monasterium exponere presumentes, eum afflictum verberibus et vulneribus sauciatum interficere conabantur, nisi eundem prefatus populus de ipsorum manibus liberasset. Cum autem idem episcopus, ad cuius notitiam clamor populi huiusmodi excessum detulerat, ad prefatum monasterium, impensurus in eo correctionis officium, accessisset, eiusdem loci monachi, quin potius demoniaci, non solum eum admittere denegarunt,

a) *an* non obst. — non obstantibus? b) *ita P. et Ch.*

1) *Ex or. cir. Neuwied ad Sayn flumen; cf. Cardauns, Konrad von Hostaden, p. 60.* 2) *Henricus de Vetericuria*, quia litteras ipsas ante legati eiusdem revocationem propter impedimenta viarum presentare nequivit, nullum de gratia sibi facta commodum reportavit, *unde papa sub a. 1247, Apr. 11 P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato, mandavit, ut iuxta hanc epistolam eidem provideret; Berger 2693.* 3) *Bosau e mer. et or. cir. Zeit;* 4) *Theoderico II; cf. p. 67, not. 3 et 5.* 5) *Papa duas res confundit: Theodericus I episcopus, fundator monasterii, a converso eius a. 1123 interfectus est, Ekkehardi Chron. a. 1123, SS. t. VI, p. 262; sed quae hic narrantur, sine dubio ad Engelhardum [a. 1207—1242] referenda sunt. Extat epistola eius a. 1228, Sept. 6 abbati et conventui Bosaviensi de visitatione facienda directa; Lepsius, Gesch. der Bisch. des Hochst. Naumburg, p. 72.*

verum etiam postposito habitu regulari recurrentes ad arma, sibi et ecclesie sue dampna gravia intulerunt per incendia et rapinas. Verum cum nos flagitiis huiusmodi intellectis correctionem et reformationem predicti monasterii tibi sub certa forma duxerimus committendam, teque, quia illuc accedere absque periculo persone non poteras, venerabili fratri nostro . . episcopo Nuemburgensi et eius collegis, cum id tibi ex directarum ad te litterarum nostrarum tenore competeret, committente super hoc totaliter vices tuas, iidem, ad iamdictum monasterium personaliter accedentes, inter cetera usum carnium in refectorio interdixerint monachis supradictis; ipsi, hoc eis licere de gratia sedis apostolice asserentes, quasdam falsas litteras, utpote que, licet in eis vere bulle filum esset immissum, nonnullas tamen rasuras suspectas habebant, in sue assertionis testimonium produxerunt. Et licet inquisitores et episcopus memorati propter hoc iuxta constitutionem apostolicam contra falsarios editam vellent procedere contra eos, ipsi tamen, ut penam falsariorum effugerent, easdem litteras lacerantes, carnes in refectorio publice commedere non verentur, et a suis insolentiis minime desistentes, abbatem ipsorum, eos ab invio ad viam salutis redigere affectantem, capientes non absque iniectione manuum violenta, eundem vivum inhumane voluerunt tradere sepulture. Cum igitur culpe sint, in quibus culpa est relaxare vindictam, et mali debeant male perdi ac vinea Domini locari agricolis, qui fructum (Matth. 21, 41) temporibus suis reddant, mandamus, quatinus per te vel alios, habentes pre oculis solum Deum, personaliter ad monasterium ipsum accedens, si rem inveneris ita esse, amotis exinde pestilentibus sepedictis et in aliis monasteriis eiusdem ordinis intrusis ad perpetuam in eis penitentiam peragendam, alios instituas in eodem, qui sibi per vite meritum et aliis proficiant per exemplum, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; contradictores etc.

Dat. Lugduni, Idibus Octobris, anno IV.

250.

Innocentius IV papa decano Sancti Andreae Hildesemensis et praeposito Montis Sancti Petri Gosluriensis ad preces [Henrici II] comitis Ascariae, nepotis [Henrici] regis Romanorum, mandat, ut ecclesiam sancti Stephani Helmestadensis, de cuius iure patronatus abbas Werdinensis et ecclesia sanctae Mariae de Monte apud Helmestad contendunt, magistro Iohanni canonico Sancti Bonifatii conferat. *1246, Oct. 18.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 337; Lib. IV, 198.
Berger 2194.

. . decano ecclesie sancti Andree Ildesemensis et . . preposito ecclesie Montis Sancti Petri Gosluriensis[a] Ildesemensis diocesis.

Volentes indempnitati ecclesie sancti Stephani Helmestadensis, que sicut accepimus propter altercationem inter abbatem Werdinensem[1] ex parte una et . . prepositum et conventum ecclesie sancte Marie de Monte apud Helmestat ex altera super iure patronatus ipsius ecclesie diutius agitatam, utraque parte ad se ius huiusmodi asserente, in spiritualibus et temporalibus non modicum patitur detrimentum, paterna sollicitudine

[a] Coslariensis *B.*

[1] *Gerhardum; cf. Schunken, Gesch. d. Reichsabtei Werden a. d. Ruhr, p. 101—103.*

precavere, ac obtentu dilecti filii nobilis viri .. comitis Ascharie, carissimi in Christo filii nostri .. regis Romanorum illustris avunculi[a][1], ex ea dilecto filio magistro Iohanni canonico Sancti Bonifatii, pro quo nobis supplicationes porrexit, gratiam facere intendentes, mandamus, quatinus, vocatis qui fuerint evocandi, eandem ecclesiam ipsi magistro, si absque scandalo fieri poterit, auctoritate nostra conferatis et assignare curetis, ac faciatis eum illius pacifica possessione gaudere, salvo utrique parti in posterum iure suo; contradictores etc.

Dat. Lugduni, XV Kal. Novembris, anno IV.

251.

Innocentius IV papa [Uffoni] archiepiscopo Lundensi mandat, ut iuxta priorum continentiam litterarum [Eskillum] episcopum Slesvicensem inducat, ut [Erico IV] regi Daniae homagium et fidelitatem praestet et ab eo regalia recipiat, vel sibi rescribat, quare id fieri non debeat. *1246, Oct. 18.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 349; Lib. IV, 300. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit V. Cl. A. Mau.

Berger 2296.

.. archiepiscopo Lundensi.

Ex parte carissimi in Christo filii nostri .. regis Datie illustris[2] nobis extitit intimatum, quod cum olim tibi nostris dederimus litteris in mandatis, ut venerabilem fratrem nostrum .. episcopum Sleswicensem[b] monere ac inducere procurares, ut homagium et fidelitatem regi prestaret eidem et ab eo regalia reciperet, prout de antiqua et hactenus pacifice observata consuetudine fieri consuevit, eum ad id, si necesse foret, auctoritate nostra cogendo, tu id efficere non curasti. Quocirca mandamus, quatinus, si est ita, mandatum apostolicum in hac parte iuxta priorum litterarum continentiam exequaris vel rescribas nobis, quare id fieri non debeat vel non possit.

Dat. Lugduni, XV Kal. Novembris, anno quarto.

252.

Innocentius IV papa Sanctae Mariae Maioris, Sancti Martini et Sancti Lazari prioribus Tervisinis mandat, ut clericos et laicos marchiae Tervisinae, Friderico quondam imperatori et Ezelino de Romano adhaerentes, beneficiis et feudis ecclesiasticis privent eaque devotis ecclesiae assignari faciant. *1246, Oct. 20.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 337; Lib. IV, 199.

Berger 2195.

a) *ita R. MAU.* b) Fleswicensem *R.*

1) *Immo* nepotis; *rex enim avunculus comitis erat, cum Henricus I comes Ascaniae, pater Henrici II comitis, Irmengardem, sororem Henrici Raspe regis, in matrimonium duxisset.* 2) *Sub Dec. 4 papa magistro Petro, cancellario eius, quandam indulgentiam concessit; Berger 2299. Sub Sept. 8 regem ipsum rogaverat, ne impediret, quin Lubicenses, si vellent, Henrico regi Romanorum servirent et assisterent, praesertim cum dicerentur ad imperium pertinere; Potthast, Reg. 12268, cf. 12268 a et 12206; quae epistolae in Reg. non extant. Conradus rex eosdem Lubicenses, fideles suos, Sept. 26 a theloneo apud Werdam super flumine Rheni solvendo exemit; Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 880 et not. 1. Cf. infra p. 189, not 2.*

.. Sancte Marie Maioris, .. Sancti Martini et .. Sancti Lazari prioribus Tervisinis[a].

Cum, sicut ad audientiam nostram pervenit, nonnulli clerici beneficiis ecclesiasticis et milites ac laici marchie Tervisine feudis, que ab ecclesiis [et personis][b] ecclesiasticis obtinent, adherendo et favendo dampnabiliter contra ecclesiam F. quondam imperatori et Ezelino de Romano et fautoribus eorundem[1], suis culpis exigentibus ab ecclesiastica unitate precisis, reddiderint se indignos: mandamus, quatinus predictos clericos beneficiis et milites ac laicos feudis eisdem, si vobis eos prefatis excommunicatis adherere ac favere constiterit, perpetuo auctoritate nostra privantes, faciatis ea per illos, ad quos eorundem collatio pertinet, personis idoneis et devotis ecclesie assignari; contradictores etc. Quod si non omnes etc.

Dat. Lugduni, XIII Kal. Novembris, anno IV.

253.

Innocentius IV papa communi Maguntino, ecclesiae contra Fridericum quondam imperatorem constanter assistenti, indulget, ut cives ipsius per litteras apostolicas extra civitatem suam ad iudicium trahi non possint. *1246, Oct. 25.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 339; Lib. IV, 216. Pertzii exemplar contulimus cum Senckenberg, Meditationes ius publicum etc. concernentes p. 491, qui authenticum praebere videtur [A.].
Potthast, Reg. 12325; Berger 2212.

Communi Maguntino.

Apostolice sedis benignitas sincere obsequentium[d] vota fidelium favore benivolo prosequi consuevit et illorum personas, quas in sua devotione promptas invenit[e] et ferventes, quibusdam titulis decentius decorare. Ut igitur ex devotione, quam ad nos et Romanam ecclesiam habere noscimini, maxime in negotio imminenti, in quo ei adversus Fridericum quondam imperatorem[f] et alios ipsius ecclesie inimicos astitistis et assistitis fideliter et constanter, sentiatis vobis favorem apostolicum accrevisse, vestris precibus inclinati, quod auctoritate litterarum sedis apostolice, que de hac indulgentia mentionem non fecerint, trahi extra civitatem Maguntinam ad iudicium nequeatis inviti, quamdiu parati fueritis coram vestro[g] ordinario de vobis conquerentibus stare iuri, dummodo in ecclesie Romane[h] ac venerabilis fratris nostri .. archiepiscopi Maguntini fidelitate et servitio persistatis, auctoritate vobis presentium indulgemus[2]. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, VIII Kal. Novembris, anno IV[3].

a) Tervisinis, *V. Cl. A. Mau teste in marg. additum, deest B.* b) *ita P.; neque B. neque Mau verba* ie Tervisine — obtinent *legere potuerunt, cum versus fere extinctus esset.* c) communitati *A.* d) *A.;* obsequium *R.* e) invenerit *A.* f) qu. Romanorum imper. *A.* g) nostro *A.; fortasse erratum ed.* h) Ro. eccl. *A.*

1) *Quomodo Ezelino in marchia Tervisina hoc tempore res bene successerint, videas in Rolandini Chron. a. 1246, SS. t. XIX, p. 83—84.* 2) *Cf. n. 115.* 3) *Sub a. 1247. Ian. 11 electo Ferrariensi commisit, ut Lubicensibus, in devotione sedis apostolicae persistentibus, similia concederet, Potthast, Reg. 12394, quae ep. in Reg. non extat; cf. p. 188, not. 2.*

254.

Innocentius IV papa Iohanni de Montefuscolo Barensis diocesis, in praesentia sua constituto, restituit bona a Riccardo patruo donata, quibus Fridericus quondam imperator eum spoliaverit. *1246, Oct. 26.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 411; Lib. IV, 892. Epistola circa finem demum quarti anni pontificatus in Reg. relata est.
Berger 2890.

Nobili viro Iohanni de Montefusculo[1] Barensis diocesis.

Circa subditorum et presertim nobilium relevanda gravamina diligentie studium adhibentes, quod in affectu gerimus circa ipsos, libenter ducimus ad effectum, ut oppressores confusionis stuporem sentiant ac oppressi gaudii et obsequendi devote materiam ex hoc sumant. Cum igitur, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, quondam Riccardus de Montefusculo[2], patruus tuus, Beneventane diocesis, omnia bona sua tibi donaverit inter vivos, ac Fridericus quondam Romanorum imperator te bonis eisdem pro sue voluntatis libito spoliarit, nos, tuis supplicationibus inclinati, ea tibi tuisque successoribus, presertim cum regnum Sicilie rege ad presens careat, restituimus de gratia speciali, dummodo ad alium in devotione ecclesie persistentem non pertineant dicta bona. Nulli ergo — nostre restitutionis etc.

Dat. Lugduni, VII Kal. Novembris, anno IV[3].

255.

Innocentius IV papa [Conrado] archiepiscopo Coloniensi mandat, ut collationes, quas Otto praepositus Aquensis eo tempore, quo contra [Willelmum II] electum Valentinum de ecclesia Leodiensi litigaret, nesciens se omnibus dignitatibus privatum esse, fecerit, cum iam restitutus sit, confirmet. *1246, Oct. 28.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 335; Lib. IV, 190. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau.
Berger 2186.

.. archiepiscopo Coloniensi.

Ex parte Octonis prepositi Aquensis ecclesie nobis extitit intimatum, quod, olim inter bone memorie .. Valentinum electum[4] et eum super electione de ipso et postulatione de prefato electo in Leodiensi ecclesia celebratis[5] lite pendente, tandem eius electione cassata venerabilis frater noster .. Tornacensis episcopus[6] et dilectus filius .. prepositus ecclesie Sicliniensis[7], asserentes se ipsum auctoritate apostolica monuisse, quod nichil disponeret de redditibus episcopalibus ipsius Leodiensis ecclesie, ac ad

1) *Monte Fusco e mer. et or. Beneventi.* 2) *De hoc cf. Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 491—497.* 3) *Aliae restitutiones vel confirmationes bonorum nobilibus regni Siciliae sub eadem fere forma tum factae: eidem Iohanni sub Oct. 26, Dec. 5 et a. 1247, Ian. 28 ap. Berger 2891—2894, cf. etiam 2902; Ricardo de Marmonte Hydrontinae diocesis, in praesentia papae constituto, sub Sept. 22 et Oct. 10 ap. Berger 2116, 2117, 2145; Ricardo militi, Landulfo clerico et Adelizae mulieri, natis quondam Roberti de Aquila, Fundanensis diocesis sub a. 1247, Apr. 22 ap. Berger 2578; cf. infra sub a. 1247, Mart. 14.* 4) *Willelmum II de Sabaudia.* 5) *A. 1238, Ian. 25; cf. Alberici Triumf. Chron. a. 1238, SS. t. XXIII, p. 943, et Aegidii Aureaevall. Gesta ep. Leod. SS. t. XXV, p. 126.* 6) *Walterus Marvisius.* 7) *Séclin e mer. cir. Lille.*

eorum presentiam, quamquam citatus fuisset ab eis, accedere contumaciter noluisse[a], eum, ad quem huiusmodi monitio et citatio non pervenerant, omnibus dignitatibus et beneficiis suis ecclesiasticis sententialiter privaverunt, et excommunicationis tulerunt sententiam in eundem. Sed quamcito intellexit, quod taliter processum extiterat contra ipsum, petiit per procuratorem idoneum ab eisdem, ut processum huiusmodi revocarent, presertim cum paratus esset de stando iuri coram eis prestare idoneam cautionem; quod ei[b] facere penitus denegarunt. Unde nobis humiliter supplicavit, ut cum eidem dignitates et beneficia predicta mandemus restitui de gratia speciali, et idem nonnulla beneficia ad donationem suam ratione prepositurarum Aquensis et Sancti Servatii Traiectensis et aliarum dignitatum suarum spectantia medio tempore nonnullis personis contulerit, consulere personis ipsis super beneficiis eisdem paterna sollicitudine curaremus. Ideoque mandamus, quatinus, si est ita et idem prepositus beneficia ipsa de novo eisdem voluerit conferre personis, tu, nisi sint aliis de mandato nostro collata, collationem suam auctoritate nostra confirmes.

Dat. Lugduni, V Kal. Novembr. anno quarto.[1]

256.

Innocentius IV papa decano Concordiensi mandat, ut cum bona ecclesiae Tervisinae per Fridericum quondam imperatorem et ei adhaerentes valde sint diminutae, sex canonicis, primicerio et totidem capellanis eiusdem ecclesiae in centum marcis argenti ab ecclesiis et monasteriis Carinthiae et Stiriae faciat provideri. *1246, Nov. 3.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 339; Lib. IV, 218.
Berger 2214.

.. decano Concordiensi.

Etsi sedes apostolica quibuslibet indigentibus consueverit pietatis gremium aperire, illis tamen facilius ac libentius subvenire tenetur, qui pro ecclesiastica libertate tuenda destructis fere omnibus bonis suis persecutiones ab inimicis ecclesie continuas patiuntur. Cum igitur, sicut accepimus, bona ecclesie Tervisine per Fridericum quondam imperatorem et adherentes eidem adeo sint destructa[2], ut canonici residentes in ipsa non habeant, unde valeant sustentari, nos, gerentes super hoc circa ipsos pie compassionis affectum, mandamus, quatinus sex canonicis, .. primicerio et totidem capellanis in eadem ecclesia continue servituris facias auctoritate nostra in centum marcis argenti pro sustentatione ipsorum hac vice ab aliquibus ecclesiis vel monasteriis Carinthie et Stirie provideri — non obstante[c] si ecclesie[d] et monasteria eadem, in quibus eisdem providendum duxeris, sint auctoritate nostra super simili provisione gravata, seu aliqua sedis apostolice indulgentia ipsis concessa, quod non possint ad receptionem seu provisionem alicuius compelli per litteras apostolicas, nisi expressam de ipsa indulgentia fecerint mentionem, vel qualibet alia, per quam posset huiusmodi gratia impediri vel etiam retardari, aut constitutione de duabus dietis edita in concilio generali —; proviso ne fratres militie Templi et Hospitalis Ierosolimitani ad provisionem huiusmodi compellantur.

Dat. Lugduni, III Nonas Novembris, anno IV.

a) ipsum *vel tale quid, quod desideratur, non ex neglegentia scriptoris sed ex errore abbreviatoris omissum esse videtur.* b) eis *R.* c) *an* non obst. = non obstantibus? d) ecclesia *P.*

1) *Aliae gratiae eidem Ottoni sub Oct. 15 et 20 factae ap. Berger 2156, 2157, 2160; cf. 2143.*
2) *Cf. n. 252.*

257.

Innocentius IV papa [Ludowico IX] regi Franciae, ad pacem inter ecclesiam et Fridericum quondam imperatorem reformandam partes suas interponere parato, respondet, se, licet in tractatu proficere se posse non speret, tamen, cum eiusdem Friderici salutem appetat, eum recipere desiderare, si forsan ad unitatem ecclesiae redire velit.

1246, Nov. 5.

Inn. IV Reg. Vol. I, 419; Lib. IV, cur. 32. Damus ex Rayn. Ann. eccl. a 1246, § 25. Potthast, Reg. 12341; Berger 2918.

.. regi Francie illustri.

Illius devotionis ardore progenitores tui erga ecclesiam ferbuisse noscuntur, quod, inter ceteros orbis principes ipsius ecclesie defensores precipui, libertatem eius non solum conservare, sed augere multipliciter studuerunt. Super eo igitur, quod tu eisdem progenitoribus propagatione sanguinis et devotionis imitatione succedens prefate honorem ecclesie ferventer appetere illumque solicite procurare operis exhibitione probaris, celsitudinem tuam dignis in Domino laudibus efferentes, gratiarum tibi quas possumus actiones referimus. Sane venerabilis frater noster episcopus Silvanectensis[1] et dilectus filius G. custos Baiocensis, tui nuntii, quos nuper ad nostram presentiam destinasti, inter alia nobis ex parte tua proponere curaverunt, quod inter ecclesiam et Fridericum quondam imperatorem pacem desideras reformari, ad quam tractandam paratus es ob zelum Dei et reverentiam ecclesie, ex quo tibi tenemur non modicum, instanter interponere partes tuas. Verum scire te volumus, quod nos et fratres nostri ab eo tempore, quo fuimus supra regimen universalis ecclesie constituti, usque ad tempus concilii Lugdunensis toto ingenio totaque sollicitudine instantes opportune ac importune laboravimus, in vanum tamen, ad pacem huiusmodi obtinendam. Unde amodo per ea, que precesserunt, non speramus posse proficere in tractatu. Sed quia ecclesia non consuevit claudere gremium redeunti, nos eius exemplo, cuius sumus licet immeriti vicarii constituti, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, prefati Frederici salutem appetimus ipsumque desideramus recipere, si forsan inspiratus divinitus redire velit ad ecclesiasticam unitatem, et ob specialis dignationis affectum, quem ad tuam personam habemus et de quo speramus, quod non permitteres in aliquo decipi sacrosanctam ecclesiam matrem tuam, agemus, quanto mitius et benignius cum Deo et honore ecclesie sine peccato poterimus, cum eodem.[2] Super facto vero subsidii Terre Sancte prefati nuntii tibi responsionem nostram referent viva voce.

Dat. Lugduni, Non. Novemb. anno IV.[3]

258.

Innocentius IV papa scholastico et Landulfo canonico ecclesiae Sanctorum Apostolorum Petri et Andreae Paderburnensis mandat, ut si decanus et capitulum Novae Ecclesiae Paderburnensis diocesis mandatum apostolicum, ad preces comitum de Everstein et de

1) *Adam.* 2) *Cf. epistolam ab imperatore regi de hac re mense Dec. vel postea missam ap. Böhmer-Ficker, l. c. 3590.* 3) *Sub Nov. 6 in eundem modum reginae Franciae scripsit; Berger, l. c., ubi non satis aperte cognoscatur, utrum epistola Blanchae matri regis, id quod nobis verisimilius est, an Margaritae uxori eius directa sit.*

Waldeke super provisione Conradi clerici Paderburnensis sibi datum, neglexerint adimplere, ipsi illud exequantur. *1246, Nov. 15.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 347: Lib. IV, 278. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit et ex eis supplerit V. Cl. A. Mau.

Berger 2274.

. . scolastico et Landulfo canonico ecclesie Sanctorum Apostolorum Petri et Andree Padeburgensis[a].

Dilectorum filiorum nobilium virorum . . de Eversten.[b] [1] et . . de Waldeche[2] comitum precibus inclinati, dilectos filios decanum et capitulum Nove Ecclesie Padeburnensis diocesis rogandos duximus et monendos, dantes sibi nostris litteris in mandatis, ut dilectum filium Corradum clericum Padeburnensem, devotum ipsorum comitum, nullum sicut asserit ecclesiasticum beneficium assecutum, ob reverentiam apostolice sedis et nostram recipientes in canonicum et in fratrem, prebendam [ei][c], si qua in eorum ecclesia vacat ad presens vel quam primum ad id se facultas obtulerit, liberaliter conferre procurent — non obstante[d] certo canonicorum numero iuramento vel confirmatione sedis apostolice seu quacunque alia firmitate vallato, aut si eis direximus scripta nostra pro aliis, quibus auctoritate litterarum ipsarum nolumus preiudicium generari. Quocirca mandamus, quatinus, si dicti decanus et capitulum mandatum nostrum neglexerint adimplere, vos illud exequi procuretis, contradictores etc.

Dat. Lugduni, XVII Kal. Decembris, anno quarto.

259.

Innocentius IV papa Manegoldo comiti de Wilpere [et Manegoldo] et Marquardo filiis eius indulget, ut sine speciali sedis apostolicae mandato excommunicari non possint. *1246, Nov. 22.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 347: Lib. IV, 281. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit et ex iis supplerit V. Cl. A. Mau.

Berger 2277.

Nobilibus viris Manegoldo comiti de Wilpere[e] [et Manegoldo][f] ac Marquardo filiis suis Herbipolensis diocesis.

Devotionis sinceritas, quam ad nos et Romanam ecclesiam habere vos credimus, promeretur, ut vos favore prosequamur gratie specialis[3]. Hinc est, quod vobis auctoritate presentium indulgemus, ut nullus a sede apostolica delegatus vel subdelegatus ab ipso, executor aut conservator, a sede datus eadem, in personas vestras excommunicationis sententiam valeat promulgare absque speciali apostolice sedis mandato, faciente de hac indulgentia mentionem. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis etc.

Dat. Lugduni, X Kal. Decembris, anno quarto.

a) *ita R.* b) Everstēn *R.* c) ei *deest M.* d) *an* non obst. = non obstantibus? e) Wilpere *R.* f) *id per errorem excidisse putamus, quia* filiis suis *adscriptum est et Manegoldus, maior ut videtur natu inter fratres, et ipse ecclesiae favebat [Böhmer-Ficker, l. c. 4867].*

1) *Nomina Conradi et Everhardi comitum de Everstein [prope Wisurgim fl. ex sept. cir. Holzminden] sub charta Henrici Raspe regis a. 1246, Mai. 25 data leguntur: cf. Böhmer-Ficker, l. c. 4868.* 2) *Adolfus comes de Waldeke ibidem invenitur.* 3) *Cf. n. 141 et 239.*

260.

Innocentius IV papa decano et capitulo de Winpina Wormaciensis diocesis obtentu A. comitissae de Lewenstein, devotae ecclesiae, mandat, ut Reinardum rectorem ecclesiae in Seeltburnen in fratrem et canonicum admittant. *1246, Nov. 24.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 348: Lib. IV, 288. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit et ex iis supplevit V. Cl. A. Man.

Berger 2284.

.. decano et capitulo de Winpina[1] Warmaciensis diocesis.

Laudabilis conversationis et vite meritis dilectus filius Reinardus rector ecclesie in Seeltburnen[2] Spirensis diocesis iuvari dicitur, ut apud nos specialiter[a] gratiam consequatur. Hinc est, quod nos intuitu meritorum huiusmodi et obtentu dilecte in Christo filie nobilis mulieris A. comitisse de Lewensten[3], nobis et ecclesie Romane devote, cuius in illo volumus honorare personam, universitatem vestram rogamus et hortamur attente, mandantes quatinus eundem pro apostolice sedis et nostra reverentia in fratrem et canonicum admittatis, sibi de prebenda, quam cito se facultas obtulerit, liberaliter providentes, — non obstante[b] certo canonicorum numero iuramento seu quacumque firmitate vallato, seu quod idem alias beneficiatus existit, vel si vobis pro aliis scripta nostra direximus, quibus auctoritate presentium nolumus preiudicium generari, aut aliqua indulgentia, de qua specialem in litteris nostris oporteat fieri mentionem —; mandatum nostrum taliter impleturi, ut, eo quod intendit gaudente consequi, digna favore nostro vestra possit sinceritas reputari. Alioquin dilectis filiis .. preposito, .. thesaurario maioris ecclesie et .. decano Sancti Germani Spirensis per litteras nostras iniungimus, ut super hoc mandatum apostolicum exequantur: contradictores etc.

Dat. Lugduni, VIII Kal. Decembris, anno quarto.

Illis scriptum est.

261.

Innocentius IV papa decano et capitulo Columbariensis ecclesiae obtentu [Ulrici] de Ferreto et [Hugonis] de Parva Petra comitum, devotorum ecclesiae, mandat, ut Ulricum rectorem ecclesiae de Turinchem in fratrem et canonicum admittant. *1246, Nov. 27.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 348: Lib. IV, 295. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit et ex eis supplevit V. Cl. A. Man.

Berger 2291.

.. decano et capitulo Columbariensis[4] ecclesie Basiliensis diocesis.

Affectionis paterne studium habere nos condecet in provisionibus clericorum, ut sic in nobis condigna dona gratie gaudeant invenisse, quod virtutum incremento proficiant et ad divine laudis frequentiam invalescant. Hinc est, quod pro dilecto filio Ulrico rectore ecclesie de Turinchem[c][5] Basiliensis diocesis, qui meritis laudabilis

a) specialem *in hac formula alibi legitur: cf. p. 195, lin. 1.* b) *an* non obst. = non obstantibus? c) Turinch' *R.*

1) *Wimpfen ad Neckar flumen, cf. Berger 2285. 2287.* 2) *Schellbronn e mer. et or. civ. Pforzheim. Idem rector ap. Berger 2286 Bernardus vocatur.* 3) *Loewenstein e mer. et or. civ. Heilbronn. Comites de L. consanguinei comitum de Calwe erant. Nomen comitissae ignoramus.* 4) *Colmar.* 5) *Turingheim, Turkheim ex occ. civ. Colmar.*

conversationis et vite iuvari dicitur, ut apud nos specialem gratiam consequatur, universitatem vestram rogandam duximus et monendam, mandantes quatinus eundem, in quo dilectorum filiorum nobilium virorum . . de Ferreto[1] et . . de Parva Petra[2] comitum, nobis et Romane ecclesie devotorum, volumus honorare personas, pro apostolice sedis et nostra reverentia in fratrem et canonicum admittatis, sibi de prebenda, quam cito se facultas obtulerit, liberaliter providentes, — non obstante[a] certo canonicorum numero iuramento seu quacumque firmitate vallato, aut quod idem alias beneficiatus existit, vel si vobis pro alio scripta nostra direximus, cui nolumus auctoritate presentium preiudicium generari, aut aliqua indulgentia sedis apostolice, de qua specialem in litteris nostris oporteat fieri mentionem —: mandatum nostrum taliter impleturi, quod propter hoc digna favore nostro vestra sinceritas habeatur. Alioquin dilecto filio . . thesaurario ecclesie sancti Petri Argentinensis per litteras nostras iniungimus, ut super hoc mandatum apostolicum exequatur; contradictores etc.

Dat. Lugduni, V Kal. Decembris, anno quarto.

Illi[b] scriptum est.

262.

Innocentius IV papa praeposito Sancti Stephani Constantiensis mandat, ut Burcardo subdiacono, nuntio [Henrici] episcopi Constantiensis, quem obtentu episcopi eiusdem honorare intendat, ab [Anselmo] abbate et conventu Heremitarum in beneficio ecclesiastico provideri faciat. *1246, Dec. 3.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 351; Lib. IV, 345. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit et ex eis supplevit V. Cl. A. Mau.

Berger 2341.

. . preposito ecclesie sancti Stephani Constantiensis.

Supplicavit nobis dilectus filius Burcardus subdiaconus, nuntius venerabilis fratris nostri . . Constantiensis episcopi[3], ut eidem, nullum ut asserit ecclesiasticum beneficium assecuto, provideri de Christi patrimonio faceremus. Nos igitur, eiusdem subdiaconi, obtentu ipsius episcopi, quem, et suos etiam, honorare intendimus, supplicationibus annuentes, mandamus, quatinus ab . . abbate ac conventu Heremitarum[4] ordinis sancti Benedicti Constantiensis diocesis prefato B. auctoritate nostra provideri facias in ecclesiastico beneficio competenti ad eorum collationem spectante, quod conferri clericis secularibus consuevit, si vacat ad presens vel quam primum ad id obtulerit se facultas, — non obstante si eis direximus scripta nostra pro aliis, quibus auctoritate presentium nolumus preiudicium generari —; contradictores etc.

Dat. Lugduni, III Non. Decembris, anno quarto.

263.

Innocentius IV papa praeposito Augiensi mandat, ut Bertholdum plebanum ecclesiae Seconiensis, procuratorem [Bertholdi] abbatis Sancti Galli, cui obtentu abbatis eiusdem

a) *an* non obst. = non obstantibus? b) Ill' *R.*

1) *Pfirt; cf. n. 239.* 2) *Lutzelstein in Alsatia septentrionali.* 3) *De eo cf. p. 148, not. 1. Per Burcardum illum una cum abbate Sancti Galli [cf. n. 263] absolutionem petiisse et impetrasse videtur. Sub a. 1247, Ian. 28 papa ei quoddam mandatum direxit; Berger 2370.* 4) *Einsiedeln.*

gratiam facere velit, in ecclesia Episcopalis Cellae recipi faciat in canonicum et in fratrem. *1246, Dec. 3.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 351; Lib. IV, 311. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit et ex eis supplevit V. Cl. A. Mau.
Berger 2310.

.. preposito Augensis monasterii ordinis sancti Benedicti Constantiensis diocesis.

Dilectus filius Bertoldus plebanus Seconiensis[1] ecclesie, procurator dilecti filii .. abbatis Sancti Galli[2], nobis humiliter supplicavit, ut eum specialis favoris gratia prosequentes, ipsum in ecclesia Episcopalis Celle[3] Constantiensis diocesis recipi faceremus. Nos igitur, eidem plebano obtentu abbatis eiusdem, quem, et suos etiam, honorare intendimus, volentes gratiam facere specialem. mandamus, quatinus plebanum prefatum a dilectis filiis preposito et capitulo ecclesie supradicte auctoritate nostra recipi facias in canonicum et in fratrem sibique conferri prebendam, si qua in ipsa ecclesia vacat ad presens vel quam primum ad id obtulerit se facultas, — non obstante[a] certo canonicorum numero iuramento seu alia firmitate vallato, aut si eis direximus scripta nostra pro aliis, quibus auctoritate presentium nolumus preiudicium generari, sive quod idem B. alias beneficiatus existit —; contradictores etc.

Dat. Lugduni, III Non. Decembris, anno quarto.

264.

Innocentius IV papa [Fulconi] episcopo Regiensi mandat, ut [Raymundo II] episcopo Foroiuliensi coadiutorem deputet, et si idem episcopus, animae suae consulens et honori, cedere voluerit, eius cessionem recipiat eique honeste provideat. *1246, Dec. 13.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 350; Lib. IV, 316. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau.
Berger 2312.

.. episcopo Regensi[4].

Intellecto dudum quod venerabilis frater noster .. episcopus Foroiuliensis[5] adeo gravi et incurabili corporis infirmitate gravatur, quod nequit ut expedit pastorale officium exercere, nos, ne Foroiuliensis ecclesia propter hoc pati posset defectum in spiritualibus et in temporalibus lesionem, venerabili fratri nostro .. Crassensi episcopo[6] nostris dedimus litteris in mandatis, ut si res taliter se haberet, coadiutorem ipsi episcopo deputaret. Et licet idem Crassensis fratrem Pontium priorem fratrum Predicatorum Massiliensium huiusmodi auctoritate mandati coadiutorem deputarit eidem, ipso tamen priore onus huiusmodi suscipere renuente, dictus Crassensis ei postmodum de adiutore alio non providit, in grave ipsius ecclesie detrimentum, sicut nuper dilecto filio Octone Fornarii ecclesie predicte preposito nobis innotuit exponente. Volentes igitur indempnitati eiusdem ecclesie paterna sollicitudine precavere, fraternitati tue mandamus, quatinus personaliter ad ecclesiam prefatam accedens, si tibi constiterit de

a) *an* non obst. = non obstantibus?

1) *Sackingen.* 2) *Cf. p. 195, not. 3 et p. 153, not. 2. Eidem Bertholdo plebano papa ad preces Gebehardi capellani sui, fratris Conradi et Henrici comitum de Friburc, iam sub Nov. 19 quandam gratiam fecerat; Berger 2261. Abbati Sancti Galli sub a. 1247, Ian. 17 quaedam mandata direxit; Berger 2353 et 2354.* 3) *Bischofszell in Thurgau, ubi Sitter fl. in Thur fl. effunditur.* 4) *Riez in comitatu Provinciae.* 5) *Fréjus.* 6) *Bertrando.*

premissis, aliquem virum providum et discretum supradicto Foroiuliensi episcopo coadiutorem in spiritualibus et temporalibus studeas deputare. Quod si iam dictus Foroiuliensis episcopus prudenter anime sue consulens et honori, episcopatui corpore cedere sponte voluerit[1], cui videtur utilitate cessisse, cessionem eius recipiens vice nostra, facias ei pro sustentatione sua de bonis episcopalibus provisionem honestam et congruam assignari ac provisionis ipsius pacifica possessione gaudere; contradictores etc.

Dat. Lugduni, Id. Decembr. anno quarto.

265.

Innocentius IV papa [Philippo] electo Ferrariensi, apostolicae sedis legato, mandat, ut fratri Henrico de ordine Minorum, nepoti [Sigefridi III] archiepiscopi Maguntini, aliquem episcopatum infra fines legationis suae vacantem conferat. *1246, Dec. 16.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 352; Lib. IV, 330. Epistolam ex Regestis a V. Cl. A. Man descriptam contulimus cum Sbaralea, Bull. Francisc. I, p. 444, n. 177.

Potthast, Reg. 12373; Berger 2326.

.. electo Ferrariensi, apostolice sedis legato.

Ita claret et claruit venerabilis fratris nostri .. archiepiscopi Maguntini devotio probata in necessitate, qua cognoscuntur amici, ut non tantum legitimus sed etiam specialis sit apostolice sedis filius reputandus, qui plene illi sicut matri exhibens, quod affectui filiali debetur, eidem in necessitatis tempore astitit et assistit viriliter et potenter; quare nos specialis[a] caritatis prerogativa diligentes eundem, sic affectionis dulcedine ipsum prosequi cupimus, quod ad suos etiam dilectionem, quam habemus ad eum, ostendere volumus per effectum. Attendentes igitur non solum magna verum etiam grata et utilia obsequia, que idem archiepiscopus et per eum sui ecclesie Romane tam fideliter quam efficaciter impenderunt, ac per hoc volentes ipsum in dilecto filio fratre Henrico, nepote suo, de ordine fratrum Minorum, quem etiam sue religionis, honestatis et probitatis intuitu gratia et favore prosequi cupimus, honorare, mandamus, quatinus si quis episcopatus infra legationis tue fines vacat ad presens vel vacabit in proximo, de quo sibi et illi de ipso possit et debeat congrue provideri, eidem auctoritate nostra de ipso fratre studeas providere[2]; contradictores etc.

Dat. Lugduni, XVII Kal. Ianuar. anno quarto.

266.

Innocentius IV papa [Iohanni] archiepiscopo et aliis praelatis provinciae Arelatensis mandat, ut excommunicationis et interdicti sententias in Fridericum quondam imperatorem et fautores eius latas publicari et observari faciant. *1246, Dec. 20.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 355—356; Lib. IV, 348.

Berger 2344.

a) *Sb.:* speciali *M.*

1) *Sub Oct. 8 papa episcopo, cedere cupienti, mandaverat, ut ecclesiae curam gereret, donec successorem invenisset; Berger 2196.* 2) *De eodem cf. infra sub a. 1247, Aug. 24 et Potthast, Reg. 12776.*

.. archiepiscopo Arelatensi et suffraganeis suis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis et aliis ecclesiarum prelatis, tam exemptis quam non exemptis, in Arelatensi provincia constitutis.

Illius vices licet immeriti gerentes in terris, qui unicuique pro meritis condigna retributione respondet, benemeritis et indignis iuxta suorum actuum exigentiam compensamus, utrisque meritorum suorum stipendia inferendo. Ut igitur, hiis, qui ob culparum suarum immensitatem feriri maledictionis gladio meruerunt, ab ecclesia denotatis, alii cavendo sibi a communione illorum discant se maledictione huiusmodi
f. 64 a non involvi, et sic, illis traditis secundum apostolum in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat in die Domini, isti a pena serventur immunes: universitati vestre mandamus, quatinus sententias excommunicationis in Fr. quondam imperatorem et fautores eius ac alios violatores pacis inite per legatos apostolice sedis nec non et interdicti in terras adherentes et faventes eisdem, tam ab eadem sede quam ab aliis auctoritate ipsius rite latas, singuli vestrum in suis civitatibus, diocesibus atque locis singulis diebus Dominicis et festivis sollempniter publicantes, eas et vos ipsi usque ad satisfactionem condignam auctoritate nostra appellatione postposita observetis et faciatis a vestris subditis inviolabiliter observari, exhibituri vobis ad invicem contra predictos consilium, auxilium et favorem.

Dat. Lugduni, XIII Kal. Ianuarii, anno IV [1].

In eundem modum .. archiepiscopo Viennensi et suffraganeis suis et abbatibus et prioribus, decanis etc. ut in alia, in Viennensi provincia constitutis.

In eundem modum .. archiepiscopo Aquensi et suffraganeis suis et abbatibus, prioribus etc. ut supra in alia, in Aquensi provincia constitutis.

In eundem modum .. archiepiscopo Narbonensi et suffraganeis et abbatibus, prioribus, decanis etc. ut in alia, in Narbonensi provincia constitutis.

In eundem modum .. Ebredunensi archiepiscopo et suffraganeis suis, abbatibus, prioribus etc. ut supra in alia, in Ebredunensi [a] provincia constitutis.

267.

Innocentius IV papa [Alberto] archiepiscopo Prusciae, apostolicae sedis legato, mandat, ut, quaestione inter [Willelmum] episcopum Caminensem ex parte una et [Conradum] Misnensem et [Rutgerum] Brandeburgensem episcopos ex altera super limitibus episcopatuum orta, causam concordia vel iustitia mediante decidat. 1246, Dec. 23.

Inn. IV Reg. Vol. I, 351; Lib. IV, 340. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau. Berger 2336.

.. archiepiscopo Pruscie, Livonie et Eustonie, apostolice sedis legato.

Cum, sicut accepimus, inter venerabiles fratres nostros Caminensem [b] ex parte una et .. Misnensem ac .. Brandenburgensem episcopos ex altera super limitibus

a) Narbonensi *R.* b) Camnensem *R.*

1) *Sub Dec. 15 eidem archiepiscopo et suffraganeis eius mandaverat, ut eos, qui in provincia sua nova pedagia et exactiones indebitas contra Lateranense concilium et statuta legatorum sedis apostolicae edita super pace imponerent, ab hac re conquiescere facerent; Berger 2338.*

eorum episcopatuum sit orta materia questionis[1]. mandamus, quatinus visis privilegiis eorundem et ipsorum rationibus, quibus partes super hoc uti forte voluerint, diligenter auditis, causam ipsam concordia vel iustitia mediante decidas, faciens, quod decreveris, auctoritate nostra firmiter observari; testes autem etc.

Dat. Lugduni, X Kal. Ian. anno quarto[2].

268.

Raban Ara catholicus Armeniae Innocentio IV papae pro epistola sibi missa summas gratias agit eumque rogat, ut imperatori peccatum, de quo anathematizatus sit, propter stragem et captivationem Christianorum Orientis, destructionem civitatis sanctae et tentationem, quae acciderit in conculcationem sepulcri Dominici, dimittat.

sub fine a. 1246 — initio a. 1247.

Inn. IV Reg. Vol. I, 431: Lib. IV, cur. 119. Damus epistolam ex Rayn. Ann. eccl. a. 1247, § 32—35, collatam cum Wadding. Ann. Min. ed. sec. t. III, p. 177, § 13. Primam formam ep. non Latine exaratam fuisse ex ratione loquendi, quam in ep. reperimus, apparet. Probabile autem nobis est, eam non in Armenia translatam et Latine papae transmissam esse, cum, sicut credimus, in curia Romana nonnullae res aliis verbis dictae fuissent.

Berger 3035.

Littere transmisse ad dominum papam ex parte catholicon.

Ad presentiam pape magnifici ex parte illius, qui petit orationes eius in subsidium debilitatis sue, Raban Are, vicarii Orientis, adorantis inter manus eius, patri patrum, decori pastorum, misericordie, vite, fonti pietatis et indulgentie, intercedenti pro populo Domini, perfecto in divinis, excellenti in spiritualibus, soli iustitie, cuius lux oritur super quatuor mundi climata, qui lucet et splendet in ecclesiis catholicis sanctis, cherubim corporeo et seraphin carneo, tenenti sedem beati Petri, domino meo, sanctissimo pape urbis Rome et omnium climatum mundi: coram Deo sit vita eius temporibus longis, quousque cesset mundus iste admiratione sua, orationibus prophetarum et apostolorum, sociorum eius, et nos confidimus eius orationibus adiuvari. Amen.

Pervenit ad nos epistola vestra elegans, que ex ore vestro sancto prodiit et mandato vestro excelso conscripta est, et suscepimus eam manibus nostris debilibus, et eam super oculos nostros posuimus. Et sicut Simeon senex, qui portavit dominum nostrum Iesum Christum in ulnis suis, sic diximus[3]: 'Quia viderunt oculi nostri pietatem vestram immensam, nunc igitur, domine mi, dimitte servo vestro peccata sua, sicut posita est in manibus vestris potestas ligandi atque solvendi et omnium mysteriorum'. Legimus eam siquidem cum letitia et intelleximus, quod in ea scriptum est, cum gaudio, et mandatum vestrum attendimus[4], et non habemus os, quod sufficiat ad commendationem vestram, neque linguam, que possit exprimere gloriam vestram, et nos contremiscimus excellentiam vestram, quia Dominus magnificavit vos.

1) *De eadem re cf. t. I, n. 712 et 775.* 2) *Sub eodem die papa confirmavit consecrationem Willelmi episcopi Caminensis, quam Albertus archiepiscopus, cum per episcopatum Caminensem transiret, ad preces cleri et populi fecerat, addens episcopum Misnensem [cf. Potthast, Reg. 11488; Berger 800], cui ut eum vice apostolica consecraret, mandatum fuisset, certis causis impeditum fuisse: Potthast, Reg. 12378; Berger 2328.* 3) *Cf. Luc. 2, 29.* 4) *Eam ad ep. a. 1246, Aug. 9. alludere putamus, qua papa patriarchae Graeco Antiocheno et suffraganeis eius, et in eundem modum catholico Armeniae et suffraganeis eius, nuntiavit se fratrem Laurentium de ordine Minorum legatum suum ad eos transmittere, mandans ut eum benigne reciperent; Potthast, Reg. 12248; Berger 3046.*

Insuper audivimus de anathemate, quo anathematizastis imperatorem, et intelleximus hoc factum esse propter transgressionem eius et peccatum. Nostis tamen, quod [Matth. 18. 15.] dominus noster Iesus Christus precepit et dixit: 'Si peccaverit in te frater tuus, [Matth. 5. 9.] dimitte ei'. Et etiam dixit: 'Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur'. Et in alio [Matth. 18. 21—22.] loco dixit Simon Petrus: 'Domine, usque septies, si peccaverit in me frater meus, dimittam ei?' Et dixit ei Dominus: 'Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies'. Sic precepit fundamento ecclesie, ut dimitteret fratri suo ignorantiam suam et non recordaretur peccatorum suorum. Et nunc peto, domine mi, a sanctitate vestra et a patribus patriarchis, episcopis et regibus subditis baculo paternitatis vestre, ut dimittatis dicto[a] imperatori peccatum suum et delicta sua. Et hoc tribus de causis, propter stragem et captivationem fratrum nostrorum Christianorum, et propter destructionem civitatis sancte, et propter tentationem, que accidit in conculcationem sepulchri domini nostri Iesu Christi[1], qualis ab initio non est audita. Propter hec igitur porreximus hanc petitionem, et ex zelo, quem habemus propter Deum, et ex dolore cordis scripsimus hec, quia necessitas urget nos, ut simus solliciti pro ecclesiis Iesu Christi. Oporteret autem, ut omnes ecclesie Iesu Christi et monasteria et omnes fideles, qui sunt in Oriente et Occidente, induerent se ciliciis et sederent in dolore et plangerent super Ierusalem, super iis, que acciderunt in ea in diebus nostris. Intimavimus hec siquidem dominationi vestre. Nunc autem isti fratres, filii vestri speciales, religiosi, virtuosi in omnibus operibus suis, quos oportet honorari ab omnibus [Matth. 25. 23.] hominibus, qui sunt digni audire, quod dixit os Vivificantis: 'Euge serve bone et fidelis' etc., ipsi, inquam, missi a vobis Andreas et socius eius, conservati a Domino, notificabunt vobis ore ad os, que viderunt et audierunt apud nos: et cum hoc presentabunt salutationem debilitatis nostre et universis patribus et sacerdotibus et monachis, regibus subditis sedi dominationis vestre pariter et omnibus Christianis obedientibus paternitati vestre.

Misimus autem vobis per manus dictorum fratrum, nuntiorum vestrorum, libellum, quem attulimus de pectore Orientis, scilicet de terra Sin[2], et libellum alium de fide ex parte archiepiscopi Nesibini[3], cui subscripserunt alii duo archiepiscopi et tres episcopi. Et nos una cum eis in spiritu petimus iterum a paternitate vestra petitionem secundam pro I. archiepiscopo Ierosolimitano, qui est de gente nostra, et pro fratribus nostris orientalibus Christianis, qui sunt Antiochie, Tripoli et Accon et in aliis terris vestris, ut recommendetis eos, ne aliquis eos offendat[4], et sint apud vos, sicut dixit [Matth. 25. 40.] dominus noster Iesus Christus: 'Quodcunque uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis', [Matth. 7. 12.] et 'quod vultis, ut faciant vobis homines, hoc facite illis'. Hec sufficiant. Gratia autem divina residens in habitaculo cordis vestri, que operatur virtutes et curationes in omni hora per manus vestras sanctas, custodiat vos per virtutem apostolorum, sociorum vestrorum, die et nocte usque in sempiternum. Amen.

---

a) domino W.

1) *De eadem re soldanus quidam, ut videtur David de Krak [cf. Wilken, Kreuzz. t. VII, p. 10, not. 84], a. 1246, Aug. 15 papae se excusans scripserat; Rayn. l. c. a. 1247, § 74—75, Berger 3034.* 2) *China.* 3) *Nestorianorum; Reg. Lib. IV, cur. 121 legitur. Ibidem cur. 122 et 123 confessiones Ignatii patriarchae et Iohannis primatis Iacobitarum et cur. 120 litterae catholici Iacobitarum extant; Rayn. l. c. a. 1247 § 36—43, Wadding. l. c. § 14—18, Berger 3036—3039.* 4) *A. 1247, Ian. 5 papa fratri Laurentio de ordine Minorum super omnes Graecos Antiocheni et Hierosolymitani patriarchatuum et regni Cypri et super Iacobitas, Maronitas et Nestorianos plenae legationis officium commisit, mandans ut Graecos illarum partium turbari non permitteret et offensas iis a Latinis illatas emendari faceret; Potthast, Reg. 12549, Berger 3047. Ex his et antedictis, quo tempore ep. catholici scripta sit, collegimus.*

269.

Innocentius IV papa archiepiscopis et aliis praelatis, qui Parisius vel alibi pro honore Dei et ecclesiae congregati fuerint, mandat, ut barones Franciae, qui statuta contra libertatem ecclesiasticam ediderint, moneant, ut ab hac praesumptione desistant, et si flecti nequiverint, in defensionem ecclesiae se statuant. *1247, Ian. 4.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 420; Lib. IV, cur. 35. Exemplar Rayn. Ann. eccl. a. 1247, § 49—52 contulimus cum edd. epistolae episcopo Tusculano directae [n. 270] ap. Duchesne, Hist. Franc. scr. t. V, p. 714 [D.] et ap. Varin, Arch. adm. de Reims, t. I, pars II, pag. 691, qui cart. lacratum Laudunense n. 5 exscripsit [V.]. Exemplum V. ex Reg. depromptum est, cf. p. 203, not. b: et cum D. compluribus locis easdem lectiones habeat, id ex eodem apographo atque V. manasse videtur.

Potthast, Reg. 12386; Berger 2951.

Archiepiscopis et episcopis, abbatibus et prioribus et aliis ecclesiarum prelatis ac universis, qui Parisius[a] vel alibi pro honore Dei et ecclesie fuerint congregati.

Angustie nobis sunt undique, dum persecutoris ecclesie crudelem impietatem attendimus, dum eiusdem opera, qui ad absorbendum eam per se ac membra sua totis conatibus inhiat, cogitamus. Sed illud nos pungit profundius, ferit acerbius, quod illi, de quibus, utpote catholicis, maximam habebamus fiduciam et in quibus precipue vigere tam fides quam devotio credebatur, quorumque progenitores fide ferventes, devotione sinceri, ecclesiam non solum defensarunt ab aliis, verum etiam et ampliarunt divitiis et multis libertatum privilegiis munierunt, contra eandem ecclesiam nove ac prorsus insolite adinventionis genere machinantur. Nec est mirum, si de hoc dolemus potissime, tum propter exempli perniciem, quam assument[b] exinde alie nationes, tum pro eo quod amicorum offense plus aggravant plusque ledunt, testante Domino per prophetam: 'Si inimicus meus maledixisset mihi, supportassem[c] utique'. Satis quidem Ps. 54 13.
sufficiebant ad presens afflictiones, quas ecclesia patitur, insultus, quibus impetitur, et turbationes, quibus iugiter ab inimico homine ubilibet superseminante zizania molestatur. Non erat necesse, ut quidam ex baronibus Francie afflicte afflictionem adicerent, ipsam novis constitutionibus, vel potius destitutionibus[d] perturbantes; qui, sicut dolentes audivimus et miramur, ecclesiam, que ipsos ex utero sanctificationis regeneravit in filios ac pro eorum salute immaculatum agnum offert iugiter Deo patri, in servitutem cupientes redigere, ut iam nolint vocari filii libere sed ancille, immo sponsam regis eterni, qui ipsos suo sanguine a servitute perpetua liberavit, conantes miserabiliter ancillare, communi coniuratione et conspiratione contra libertatem ipsius plura, sicut dicitur, gravia et enormia statuerunt, que ius et consuetudinem predicte libertatis absorbent, ecclesie honorem elidunt, scandalum pariunt et pericula generant animarum[1]. Sane si negotii qualitas diligenter attenditur, si status rerum qualiquali[e] meditatione pensatur, honori vel strenuitati eorundem baronum non expediebat hoc tempore aggredi sanctam ecclesiam in tali articulo constitutam, cum ingenui[f], circumscripto timore divino, ex magnanimitate quadam oppressis, eorum etiam si que forte[g]

a) *ita B.:* Parisiis *Rayn.* b) *D. V.:* afferent *Rayn.* c) substinuissem *V.: ita etiam psalmista.* d) *D. V.:* detestationibus *Rayn.* e) equali *D.* f) *D. V.:* in gentibus *Rayn.* g) forte *deest D.: verba* etiam *et* forte *desunt V.*

1) *Barones statuerant, 'ut nullus clericus vel laicus alium traheret in causam coram ordinario iudice vel delegato [i. e. iudicibus ecclesiasticis], nisi super haeresi, matrimonio vel usuris': cf. statutum baronum et litteras de confoederatione inter eos facta a. 1246. Nov. lingua Gallica scriptas ap. Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 467—469.*

precesserint non memorantes iniurias, subvenire soleant eisque in necessitate manum porrigere adiutricem. Verum si dicti barones diligenter attenderent, quod Carolus Magnus[1] ecclesiam, a qua omnem honorem susceperat, cupiens honorare, perpetua lege decrevit, ut omnes ipsius iurisdictioni subiecti statutum a Theodosio imperatore pro ecclesie libertate editum inviolabiliter observarent, videlicet ut 'quicunque litem habens, sive petitor fuerit, vel in[a] initio litis, vel decursis temporum curriculis, sive cum negotium peroratur, sive cum iam ceperit promi sententia, si iudicium elegerit sacrosancte sedis antistitis, illico sine aliqua dubitatione, etiamsi pars altera refragatur, ad episcoporum iudicium cum sermone litigantium dirigatur, et omnes cause, que pretorio et etiam civili iure tractantur, episcoporum terminate[b] sententiis, perpetue robur obtineant firmitatis, et negotium, quod iudicio ipsorum deciditur, nequaquam ulterius ab aliquo retractetur'. Ex quo manifesta potestis ratione perpendere, quam iniquum videatur et absonum, si honor ecclesie, que tam grandis libertatis privilegio donata dinoscitur, in illis immunitatibus, que multo predictis noscuntur esse minores, nostris temporibus decurtetur.

Si alias barones ipsi pensarent, quod omnes, qui presumunt statuta condere contra ecclesiasticam libertatem, sunt ipso facto excommunicationis sententia innodati, forsitan non processissent ad talia nec etiam persisterent in eisdem; sed quia fortassis ad eorum non pervenere[c] notitiam, ut occasio de ignorantia et quod non fuerint moniti omnino tollatur, ipsa eis, quod desistant ab huiusmodi, per aliquos vestrum, quos ad hec idoneos videritis, nuntiari volumus et exponi ac eos ad id sollicitis monitis et exhortationibus diligenter induci. Quod si forte ad hoc prefati barones flecti nequiverint, aliquid de insufflate ipsorum auribus fermento nequitie retinentes, cum scriptum sit:
E[illegible] 6. 'Ne prospera te allevent nec adversa demittant', vos, sperantes in illo, qui colligationes impietatis et fasciculos deprimentes sua virtute dissolvit, ac considerantes quod
Ps. 4, 2. ecclesia, contra quam etiam porte inferi non prevalebunt, consuevit in tribulatione iuxta verbum propheticum dilatari, statuatis vosmetipsos in defensione ecclesiastice
Ierem. 1, 18. libertatis exemplo prophete civitatem munitam et columnam ferream, nichil penitus metuentes; sed cordis armati constantia, quam nulla possit persecutionis penetrare sagitta, murum pro domo Domini vos viriliter opponentes, ea libertate, in cuius possessione adhuc extitistis et qua hactenus usi estis, confidenter utamini, et contra rebelles procedentes prout convenit, statuta contra libertatem ecclesiasticam attemptata irrita nuntiando, vos aut subditos vestros ipsius non permittatis commodo spoliari, pro firmo scientes, quod cum ecclesiam Gallicanam speciali affectione inter ceteras orbis ecclesias diligamus, vobis omnimodum in conservatione iurium et libertatum vestrarum, dante Domino, consilium et auxilium impendemus.

Ceterum, cum olim felicis recordationis Honorius papa predecessor noster in omnes aliqua statuta contra ecclesiasticam libertatem edentes excommunicationis sententiam tulerit, et super hoc canonem late sententie promulgarit[d], nos ipsius tenorem, ut eum solempniter publicari et servari in vestris diocesibus — non obstantibus indulgentiis vel privilegiis quibuscunque ab apostolica sede concessis — appellatione postposita faciatis, vobis duximus transmittendum; qui talis est[2]:

Noveritis, quod nos in basilica principis apostolorum etc. usque: iudicata.

Dat. Lugduni, II Non. Ianuar. anno IV.

a) in *deest D.;* in medio *V.* b) *D. V.;* terminare *Rayn.* c) *D. V;* pervenit *Rayn.* d) promulgavit *Rayn.*

1) *Cf. ep. Ludovico IX regi sub a. 1236, Febr. 15 de eadem causa missam, t. I, p. 568, n. 672.*
2) *Cf. t. I, p. 570 in ep. cit.*

270.

Innocentius IV papa [Odoni] episcopo Tusculano, apostolicae sedis legato, mandat, ut barones Franciae, qui statuta contra libertatem ecclesiasticam ediderint, et omnes, qui eadem servari fecerint, excommunicet. *[1247, Ian. 4.]*

Inn. IV Reg. Vol. I, 421; Lib. IV, cur. 36. Pertzii exemplar suppletum ex Rayn. Ann eccl. a. 1247, § 53—54 contulimus cum edd. ap. Duchesne, l. c. et Varin, l. c.; cf. n. 269.
Potthast. Reg. 12385; Berger 2952.

. . episcopo Tusculano[a], apostolice sedis legato.

Angustie nobis sunt undique etc. ut in proxima usque: retractetur. Ex quo manifesta potest ratione perpendi, quam iniquum videatur et absonum, si honor ecclesie, que tam grandis libertatis privilegio donata dinoscitur, in illis immunitatibus, que multo predictis noscuntur esse minores, hiis temporibus decurtetur. Si alias barones ipsi etc. usque: tollatur, fraternitati tue per apostolica scripta[b] mandamus, quatinus ipsa eis, quod desistant ab huiusmodi, per te vel alium, prelatorum requisito consilio, nuntians et exponens ac eos ad id monens attentius et inducens, congregationi eorundem prelatorum, qui ob hanc causam, sicut accepimus, convenire debent, studeas sublato cuiuslibet difficultatis et more dispendio interesse, prelatos eosdem, quod viriliter in defensione libertatum et iurium suorum se habeant, ad quod eis, cum nos tamquam caput tangat principaliter, omnimodum impendimus[c] consilium et auxilium, inducturus. Ceterum cum[d] per predicta ab eisdem baronibus attemptata videatur non tam libertas ecclesiastica quam status totius ecclesie immutari, idque credatur ab inimico homine aspirante ad subversionem fidei procuratum[1], volumus et de consilio fratrum nostrorum mandamus, ut super hoc procedere debeas isto modo:

Primo denunties et denuntiari facias excommunicatos omnes illos, qui servari fecerint statuta edita et consuetudines, vel potius abusiones introductas contra ecclesie libertatem.

Item excommunicatos nunties et nuntiari facias statutarios et scriptores statutorum ipsorum, necnon barones et dominos terrarum ac alios nobiles et[e] potestates, consules, rectores et consiliarios locorum, ubi huiusmodi statuta vel consuetudines edita fuerint vel servata, necnon et illos, qui secundum ea presumpserint iudicare vel in publicam formam scribere iudicata.

Item nunties et nuntiari facias predicta statuta nullius esse momenti et iuramenta super eis observandis prestita prorsus illicita et ideo illos qui prestiterunt ad observationem iuramenti huiusmodi non teneri.

Item excommunices omnes illos, qui societatem coniurationis huiusmodi intraverunt vel intrabunt aut procuraverunt vel procurabunt aliorum ingressum, nisi penitus resipiscant.

Item excommunices omnes illos, qui pro huiusmodi statutis servandis centesimam redditutum suorum solvent[2] vel colligent aut recipient per se vel alium, ad[f] solvendum inducent alios vel compellent, vel ad id dederunt aut dabunt consilium, auxilium[g] vel iuvamen.

a) Tusculanensi V. b) fraternitati tue per ap. s. *apogr. P.; in R.* fr. t. per ap. s. *legi videtur;* frater. tibi per apostolicam sedem V.; *D. recte.* c) impedimus *R.* d) *quae sequuntur, ex Rayn.* e) et *deest D. V.* f) vel per alium seu ad *D. V.* g) auxilium *deest V.*

1) *Cf. Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 468, not. 1. — Etiam Ludowicus IX rex Franciae, qui cum imperatore amicitia coniunctus erat, baronibus favebat: cf. n. 257, Böhmer-Ficker, l. c. 3584 et 3585. Matth. Par. Chron. maiora ed. Luard t. IV, p. 614.* 2) *Cf. Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 469.*

Item excommunices omnes illos, qui occasione coniurationis[a] huiusmodi prelatos impedient uti iurisdictione ecclesiastica in casibus, in quibus eis competit de iure vel consuetudine approbata.

Item excommunices omnes illos, qui impedient, turbabunt seu molestabunt agentes, respondentes, assistentes, patrocinantes vel iudicantes in foro ecclesiastico in casibus supradictis, necnon et illos, qui eorum propinquos in personis vel rebus presument occasione huiusmodi molestare — non obstantibus aliquibus indulgentiis seu privilegiis quibuscunque personis ab apostolica sede concessis, ut in eas vel earum[b] terras excommunicationis vel[c] interdicti sententie ferri non valeant absque ipsius sedis licentia speciali. Quod si forsan inventi fuerint aliqui pertinaces, noverint, quod omni privilegio ab apostolica sede obtento et feudis, si qua tenent ab ecclesiis, privabuntur eorumque proles ad clericatum vel ecclesiasticum beneficium seu dignitatem minime assumetur. Clerici quoque, qui cum predictis permanent, nisi incontinenti post publicam monitionem tuam ab eorum recedant obsequio et consilio, omnibus ecclesiasticis beneficiis et etiam clericatus privilegio nudabuntur.

Dat.[d]

271.

Innocentius IV papa [Henrico III] episcopo Argentinensi dispensandi cum Radulfo de Usemberg et Helica nata quondam Henrici, fratris Ludovici advocati de Litembere, ut non obstante quarto consanguinitatis et affinitatis gradu in matrimonio contracto remanere possint, facultatem concedit, cum dicti nobiles H[enrico] regi Romanorum viriliter assistant. *1247, Ian. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 357; Lib. IV, 359. Pertzii exemplar contulimus cum Schoepflin, Alsat. dipl. t. I, p. 395, n. 522.

Potthast, Reg. 12387; Berger 2355

. . Argentinensi episcopo.

Romani pontificis providentia, tradita sibi ligandi atque solvendi a Domino potestate, dispensationis adauget gratiam tunc potissime circa quosdam, cum id evidens blanditur utilitas vel necessitas persuadet. Cum igitur, sicut nobis exponere curavisti, dilectus filius nobilis vir Radulfus de Usembere[1] ad sedandas graves discordias et grandes inimicitias sopiendas, dudum inter ipsum ex parte una et dilectum filium nobilem virum Ludovicum advocatum de Litembere[2] et quondam Henricum, fratrem eius, Argentinensis dioecesis ex altera agitatas, dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Helicam[e], natam prefati Henrici, ducere desiderans in uxorem, contraxerit sponsalia cum eadem, nec possit huiusmodi matrimonium consumari, ex eo quod quarto consanguinitatis et affinitatis gradu ad invicem se attingunt, nec etiam ab ipso retrahi absque gravi et grandi periculo plurimorum: nobis humiliter supplicasti, ut huiusmodi obviando periculis consumandi sic contractum matrimonium et remanendi in eo licentiam eis de consueta sedis apostolice misericordia largiremur. Nos igitur, attendentes quod nisi predictum consumaretur[f] matrimonium, possent pericula gravia suboriri, quodque etiam dicti nobiles, sicut asseris, se promptos exhibuerint in negotiis ecclesie

a) coniurationum V. b) *D.:* eorum *Rayn. V.* c) et *D. V.* d) *ita R.:* Datum Lugduni, II Nonas Ianuarii, pontificatus nostri anno quarto *D. V.* e) Heliam *B. et S.; B. epitomen tantum praebuit.* f) *S.;* confirmaretur *P.*

1) *Ex sept. cir. Breisach.* 2) *Lichtenberg, ex sept. et occ. cir. Hagenau. — Advocatus civitatis Argentinensis erat.*

ac paratos, carissimo in Christo filio nostro H. regi Romanorum illustri assistendo viriliter et potenter, propter quod apostolice sedis favorem et gratiam meruerunt, tuis precibus inclinati, dispensandi cum prefatis Radulfo et Helica[a], quod huiusmodi possint matrimonium consumare ac in eo — impedimento non obstante predicto — licite remanere, dummodo prefati nobiles in ecclesie devotione persistant, liberam tibi, si expedire videris, auctoritate presentium concedimus facultatem.

Dat. Lugduni, Nonis Januarii, anno IV.

272.

Innocentius IV papa abbatissae et capitulo saecularis ecclesiae Seconiensis ad preces Hartmanni comitis de Kirchbere [?], negotium ecclesiae fideliter prosequentis, mandat, ut Suigero plebano ecclesiae de Keinz in ecclesiastico beneficio provideant.

1247, Ian. 8.

Inn. IV Reg. Vol. I, 356; Lib. IV, 356. Exemplar ap. Berger editum, quod V. Cl. A. Mau misimus, ab eo ita recepimus, ut infra propositum est, neque collatum cum Regestis neque ex eis suppletum. Cum autem Archivum Vatic. adiri nunc non possit, ne opus nostrum nimis retardetur, epistolam ita truncatam praebemus, praesertim cum ea, quae desiderentur, magni momenti esse probabile non sit.

Berger 2352.

. . abbatisse et capitulo secularis ecclesie Seconiensis Constantiensis diocesis.

Cum dilectus filius nobilis vir Harmannus comes de Hirebere[1] negotium ecclesie, sicut accepimus, devote ac fideliter prosequatur, nos, ad eius supplicationem dilecto filio Suigero plebano ecclesie de Keinz volentes facere gratiam specialem, universitatem vestram monendam duximus attentius et hortandam, mandantes quatinus eidem[b] — in competenti ecclesiastico beneficio vel prebendali ad collationem vestram spectante — providere curetis —.

Dat. Lugduni, VI Idus Ianuarii, anno quarto.

273.

Innocentius IV papa G[regorio] de Montelongo subdiacono et notario suo, apostolicae sedis legato, mandat, ut cum decanus et capitulum ecclesiae Feltrensis et Bellunensis Tisonem canonicum Cenetensem, natum Biaquini de Camino, apostolicae sedis devoti, in episcopum postulaverint et a se petiverint, ut cum eo super defectu ordinum et aetatis dispensaret eique administrationem ecclesiae committeret, de administratione ei committenda provideat, sicut expedire viderit. *1247, Ian. 15.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 356; Lib. IV, 353. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau.

Berger 2349.

a) Helia *S.* b) *quae fere verba omissa esse possint, ex n. 149 colligas.*

1) *Hartmannum comitem de Kirchberg [e mer. civ. Ulm. quam civitatem Henricus rex versus finem mensis Ian. frustra obsedit,] sub hoc nomine latere putamus.*

G. de Montelongo subdiacono et notario nostro, apostolice sedis legato.

Ex parte dilectorum filiorum . . decani et capituli Feltrensis et Bellunensis ecclesie nobis extitit intimatum, quod dudum ecclesia ipsa pastoris solatio destituta, iidem, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, ad tractandum de futuri substitutione pontificis in capitulo convenerunt et per viam scrutinii procedentes elegerunt tres de dicto capitulo fide dignos; quibus secreto et singillatim vota omnium exquirentibus diligenter et in scriptis redacta mox publicantibus in communi, prefati decanus et capitulum collatione prehabita dilectum filium Tisonem canonicum Cenetensem[1], natum nobilis viri Biaquini de Camino[2], apostolice sedis devoti, virum utique providum et discretum, in spiritualibus et temporalibus circumspectum, per cuius industriam et providentiam eadem ecclesia, ut speratur, suscipere poterit incrementa, cum in eum unanimiter consensissent, in episcopum postularunt; cuius postulationem cum tibi, ut eam admitteres, presentassent, tu dilectis filiis . . electo Ceneteusi[3] et . . abbati Sane Vallis per tuas litteras iniunxisti, ut inquisita super premissis et cognita veritate, si postulationem ipsam invenirent concorditer esse factam, eam admittere procurarent. Qui ad dictam ecclesiam personaliter accedentes, et inquisitione super premissis habita diligenti, postulationem predictam iuxta formam eis traditam admiserunt. Quare nobis dicti decanus et capitulum humiliter supplicaverunt, ut cum prefatus T. defectum patiatur ordinum et etatis, dispensare secum super hiis et confirmare, quod per dictos electum et abbatem factum est in hac parte, ipsi T. liberam amministrationem prefate ecclesie tam in spiritualibus quam temporalibus committendo, de benignitate sedis apostolice curaremus. Nos igitur, quia tu de huiusmodi negotio et ipsius circumstantiis habere poteris notitiam pleniorem, discretioni tue presentium tenore committimus, ut super amministratione ipsius ecclesie committenda eidem auctoritate nostra provideas, sicut videris expedire; contradictores etc.

Dat. Lugduni, XVIII Kal. Febr. anno quarto[4].

274.

Innocentius IV papa [Manzino] episcopo Caesenati pro ecclesiastica libertate exulanti indulget, ut extra diocesim suam constitutus in clericos et laicos civitatis et diocesis eiusdem officii sui debitum exercere valeat. *1247. Ian. 20.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 358; Lib. IV, 366. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit et ex eis supplevit V. Cl. A. Mau.

Berger 2362.

. . episcopo Cesanati[a].

Exulantes pro ecclesiastica libertate[4] eo magis nos decet prerogativa gratie prosequi ampliori, quo ipsorum ignominia nostris appropinquat visceribus pietatis et ad illam removendam mente sollicita laboramus. Cum igitur speculator[b] in domo

a) *ita R.* b) specialiter *B.*

1) *Cenela, ex sept. Terrisii.* 2) *Ex sept. et. or. Terrisii; de eodem Biaquino cf. t. I, p. 683.* 3) *Guarnerio.* 4) *Sub Apr. 17 papa decano et capitulo Sancti Martini Bellunensis mandavit, ut Tisonem scholarem, natum Gerardini de Piro Terrisinae diocesis, qui pro eo quod contra F. quondam imperatorem adhaesisset ecclesiae, bonis propriis spoliatus esset, in canonicum reciperent; Berger 2625.* 4) *Civitas Caesenas certe ab a. 1241. Mai. 1 in potestate imperatoris erat; Bohmer-Ficker, l. c. 3199a.*

Domini constitutus, in gregem tuum commisse tibi sollicitudinis debitum nequeas exercere malitia temporis faciente, ne idem grex tanquam cura pastoris proprii destitutus per abrupta[a] progredi valeat vitiorum, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut extra tuam dioecesim in clericos et laicos civitatis et diocesis Cesanatis officii tui debitum ratione previa valeas exercere. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, XIII Kal. Februarii, anno quarto.

275.

Innocentius IV papa Conrado rectori ecclesiae in Buesingen Herbipolensis dioecesis ad preces [Henrici] episcopi Babenbergensis, cuius clericus sit, ecclesiam in Buesingen confirmat. *1247, Ian. 21.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 358: Lib. IV, 371. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit et ex eis supplerit V. Cl. A. Mon.
Berger 2367.

Conrado rectori ecclesie in Buefingen[b] Herbipolensis diocesis.

Ex parte venerabilis fratris nostri . . Babembergensis episcopi[1] fuit propositum coram nobis, quod cum Rudegerius canonicus ecclesie Sancti Iohannis in Houge Herbipolensis ecclesiam in Buesingen Herbipolensis diocesis, que fuit primo quondam Henrici diaconi, patris tui, libere resignasset, tu, cum quo erat ut asseris ad omnes ordines et ecclesiasticum beneficium, etiam si curam animarum haberet, per sedem apostolicam dispensatum, supradictam ecclesiam canonice postmodum es adeptus et eam per plures annos pacifice possedisti. Quare idem episcopus, cuius clericus diceris, nobis humiliter supplicavit, ut cum hereditarie successionis vitium, quod in ecclesiasticis beneficiis reprobatur[2], interveniente persona media sit purgatum, aliasque de vite merito et conversatione laudabili commenderis, predictam ecclesiam confirmare tibi de benignitate sedis apostolice curaremus. Ipsius igitur episcopi precibus inclinati, ecclesiam ipsam tibi, sicut eam iuste possides et quiete, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Si quis etc.

Dat. Lugduni, XII Kal. Februarii, anno quarto[3].

a) abruta *R.* b) Buesingen *B.; ita etiam alibi.*

1) *Hunc papa a. 1244, Mai. 2, cum electus adhuc esset, excommunicatum appellarit: cf. n. 64. A. 1245 Iun.-Iul. apud imperatorem erat; Böhmer-Ficker, l. c. 3479—3494. A. 1245, Sept. 8 capitulum Babenbergense procuratores ad papam misit, ut electionem Henrici rite et concorditer celebratam confirmaret; Ussermann, Episc. Bamb. Cod. prob. p. 154, n. 175, sub a. 1244, sed cum ind. III. A. 1245, Oct. 2 papa decano et capitulo Babenb. nuntiavit se Henricum confirmasse eique consecrationis munus suis manibus imposuisse, Potthast, Reg. 11917. A. 1246, Iun. 22 papa electum Ferrariensem monuit, ut pro liberatione Henrici eiusdem laboraret, qui olim ad vocationem Henrici regis, tunc lantgravii, et archiepiscopi Moguntini pro ecclesiae et imperii honore accedens a comite Gunthero de Kevernberg captus, adhuc ab eodem detineretur carceribus mancipatus; Potthast, Reg. 12170a, cf. 12059: quae ep. in Reg. non extant; cf. etiam Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 405.* 2) *Corp. iur. can. Decr. c. 7, C. 8, qu. 1.* 3) *Cf. Berger 2368. Aliae gratiae eidem Conrado factae ap. Berger 2412, 2435, ubi 'notarius episcopi Bambergensis' appellatur.*

276.

Innocentius IV papa [Henrico] marchioni Misnensi mandat, ut a gravaminibus [Theoderici II] episcopi et ecclesiae Nuemburgensis conquiescat. 1247, Ian. 22.

Inn. IV Reg. Vol. I, 359; Lib. IV, 373. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit V. Cl. L. Mau.
Berger 2369.

Nobili viro . . marchioni Misnensi[1].

Quanto maiores creduntur potentie tue vires, tanto amplius te decet et convenit, ut ab ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum abstineas iniuriis et offensis, cum in ipsarum molestiis offendatur et persequi[a] videatur ipse dominus Iesus Christus. Cum igitur, sicut venerabili fratre nostro . . episcopo Nuemburgensi accepimus intimante, procurante seditionis actore ipsum et Nuemburgensem ecclesiam dampnis impetiveris pluribus et pressuris, nos, tuum zelantes honorem et comodum affectantes, devotionem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, mandantes quatinus prudenter attendens, quam grave sit et indecens censeatur, ut dicaris ecclesie persecutor, quantum etiam ex hoc tue nobilitati detrahatur[b] et honori, ob reverentiam regis eterni, apostolice sedis et nostram ab eorundem episcopi et ecclesie gravaminibus penitus conquiescas. Alioquin non tibi grave sit vel feras moleste, si eidem episcopo adhibeamus iustitiam, quam sibi negare nec possumus nec debemus, cum in ea simus omnibus debitores[2].

Dat. Lugduni, XI Kal. Februarii, anno quarto.

277.

Innocentius IV papa [Henrico III] episcopo et civibus Argentinensibus affirmat, si inter ecclesiam et F[idericum] quondam imperatorem pacem aliquo tempore reformari contingat, quod numquam fiat eo remanente imperatore vel rege, ecclesiam ipsos in pace posituram esse eadem. 1247, Ian. 28.

Inn. IV Reg. Vol. I, 359; Lib. IV, 377. Exemplar, quod Wencker, Apparat. archiv. p. 163, n. IV edidit, cum Regestis contulit V. Cl. A. Mau.
Potthast, Reg. 12404; Berger 2373.

. . episcopo et civibus Argentinensibus.

Ut in negotio ecclesie, quod assumpsistis ex animo prosequendum, de quo vobis gratiarum referimus actiones, sitis firmi, nullatenus hesitantes, devotionis vestre precibus inclinati, scire vos pro certo volumus et tenere, quod si contingat inter ecclesiam et F. quondam imperatorem pacem aliquo tempore reformari, quod numquam erit eo remanente imperatore vel rege[3], vos ecclesia in pace ponet eadem.

Dat. Lugduni, V Kal. Februarii, anno quarto[4].

a) *ita R.* b) detrahitur *R.*

1) *Hic simul imperatori familiariter utebatur; cf. infra sub Mai. 7.* 2) *Aliae gratiae episcopo et capitulo Nuemburgensibus tum concessae ap. Berger 2383 et 2384.* 3) *Sub Mai. 4 papa scripsit:* . . . nec cum Fr . . . . . pacem aliquatenus reformabimus, ita quod ipse vel aliquis filiorum eius rex aut imperator existat; *v. infra ep. cur. 108.* 4) *Episcopo aliisque personis ecclesiasticis Argentinensibus hoc tempore permultas gratias fecit vel, ut eas facerent, commisit; cf. n. 226, 271, 278, 286 et ap. Berger passim. De civibus Argentinensibus cf. n. 154 et Berger 2300, 2301, 2375, 2382, 2431, 2545.*

278.

Innocentius IV papa [Henrico III] episcopo Argentinensi absolvendi cives Argentinenses, qui durantibus treugis contra fautores F[riderici] quondam imperatoris processerint, facultatem concedit. *1247, Ian. 28.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 359; Lib. IV, 378. Pertzii exemplar contulimus cum Schoepflin, Alsat. dipl. t. I. p. 395, n. 523, qui cod. bibl. civit. Argent. saec. XIV exscripsit, [S.].

Potthast, Reg. 12403; Berger 2374.

.. episcopo Argentinensi.

Cum, sicut te accepimus intimante, cives tui, durantibus treugis inter ipsos ex parte una et quosdam fautores F. quondam imperatoris ex altera[a] initis et iuramento firmatis, treugas ipsas non servaverint, sed graviter processerint contra eos, propter quod periurii se timent[b] incurrisse reatum, nos, devotionis tue precibus inclinati, absolvendi eos ab hiis plenam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem.

Dat. Lugduni, V Kal. Februarii, anno IV[1].

279.

Innocentius IV papa [Henricum] regem Romanorum hortatur, ut cum ecclesiae persecutor ad occupandum ducatum Austriae aspiret et eundem ducatum [Bela IV] rex Ungariae, salvo iure cuiuscunque, ad manus suas recipere velit, ei ad hoc auxilium praestet. *1247, Ian. 29.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 121; Lib. IV, cur. 10. Pertzii exemplar contulimus cum Theiner, Mon. Hungar. t. I, p. 202, n. 375.

Potthast, Reg. 12405; Berger 2956.

.. regi Romanorum illustri.

Cum ad occupandum ducatum Austrie aspiret tuus et ecclesie persecutor[2], ipsumque ducatum carissimus in Christo filius noster .. rex Ungarie illustris, salvo in omnibus iure ac honore tuo[3] et imperii et carissimi in Christo filii nostri .. regis Boemie illustris[4] natique sui[5] ac aliorum amicorum tuorum, velit ad manus suas recipere ac tenere; quia per hoc predicti persecutoris ac ei adherentium potentiam minui credimus et honorem tuum non diminui sed augeri, celsitudinem tuam rogandam duximus attentius et hortandam, quatinus eidem regi Ungarie prestes ad hoc consilium, auxilium et favorem[6].

Dat. Lugduni, IIII Kal. Febr. anno quarto[7].

a) alia *S.* b) ti. se *S.*

1) *Episcopus auctoritate huius mandati cives a reatu periurii absolvit per litteras 'V Id. Febr. a. MCCXLVIII' datas; quem anni numerum vitiate emendare et 'a. 1247' legendum esse pro certo teneri potest: Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 490.* 2) *Postquam Fridericus II dux Austriae a. 1246. Iun. 15 sine liberis decessit, imperator Ottonem comitem de Eberstein 'sacri imperii per Austriam et Stiriam capitaneum et procuratorem' constituerat; Bohmer-Ficker, l. c. 3559 a.* 3) *Henrici regis uxor secunda fuerat Gertruda soror Friderici II ducis.* 4) *Wenceslai.* 5) *Wladislai marchionis Moraviae, qui Gertrudam filiam Henrici fratris Friderici II ducis in matrimonium duxerat, sed Ian. 3 anni 1247 mortuus erat.* 6) *Cf. Berger 2953—2958.* 7) *Ep. Henrico regi post hanc directa non superest, qui Febr. 16 mortuus est. — Sub Mart. 12 papa viduam regis de morte eius consolatus est, et in ep. paulo post destinata, nota chron. destituta, Mediolanenses monuit, ne ex morte eius deprimerentur, sed fortiores contra imperatorem exurgerent; Potthast, Reg. 12414 et 12466; quae ep. in Reg. non extant.*

280.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino concedit facultatem dispensandi cum Conrado comite Hirsuto, ut obsequia ecclesiae prompto et utili, et Iunota, nata comitis Silvestris, ut in matrimonio contracto, quarto consanguinitatis gradu non obstante, remaneant. *1247, Ian. 30.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 361; Lib. IV, 393. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit et ex eis supplevit V. Cl. A. Mau.
Berger 2389.

.. archiepiscopo Maguntino.

Romani pontificis providentia, tradita sibi ligandi atque solvendi a Domino potestate, dispensationis adauget gratiam tunc potissime circa quosdam, cum id evidens blanditur utilitas vel necessitas persuadet. Cum igitur, sicut nobis exponere curavisti, dilectus filius nobilis vir Corradus comes Hirsutus[1] dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Iunotam, natam comitis Silvestris[2], duxerit in uxorem, ac ipsam postmodum sibi in quarto consanguinitatis gradu noverit attinere, nec sine guerrarum discrimine et periculo plurimorum huiusmodi matrimonio posset dissolutio provenire: nobis humiliter supplicasti, ut cum idem nobilis ad ecclesie obsequia promptus et utilis habeatur, prefatis obviando periculis memorato comiti et dicte I. remanendi in sic contracto matrimonio licentiam de consueta sedis apostolice misericordia largiremur. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, dispensandi super hoc cum eisdem liberam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem.

Dat. Lugduni, III Kal. Februarii, anno quarto.

281.

Innocentius IV papa [Arnoldum] archiepiscopum Treverensem monet, ne homines [Sigefridi III] Maguntini et [Conradi] Coloniensis archiepiscoporum, extorquendo ab eis telonea et pedagia, indebitis exactionibus aggravet, alioquin super his aliter provisurum se esse. — Maguntinum et Coloniensem archiepiscopos de iis, quae in hac epistola continentur, certiores reddit. *1247, Ian. 31.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 361; Lib. IV, 394 et 395. Exemplaria, quae Berger edidit, cum Regestis contulit et ex eis supplevit V. Cl. A. Mau.
Berger 2390 et 2391.

I.

.. archiepiscopo Treverensi.

Etsi nos gravent iniurie quorumlibet prelatorum, venerabilium tamen fratrum nostrorum .. Maguntini et .. Coloniensis archiepiscoporum gravaminibus eo fortius propulsamur, quo ipsos sincerioris dilectionis brachiis amplexamur. Cum igitur, sicut iidem archiepiscopi nobis exponere curaverunt, tu ipsorum homines, extorquendo ab eis tholonia[a] et pedagia, indebitis exactionibus aggraves et molestes, nos, tam tui quam ipsorum in hac parte dispendiis precavere ac gravaminibus obviare volentes,

a) *ita R.*

1) *Raugraf, in castro Altenbaumburg e mer. civ. Kreuznach.* 2) *Conradi III.*

ne possit propter hoc inter te et ipsos aliqua suboriri, quod absit, materia questionis, fraternitatem tuam rogandam duximus attentius et monendam, quatinus attendens prudenter quam inhonestum sit afflictionem superaddere prefatis hominibus afflictis occasione discordie imminentis, a predictorum hominum vexatione de cetero penitus conquiescens, eis ablata restituere non postponas; preces nostras taliter admissurus, quod devotionem tuam proinde merito commendantes, providere super hiis aliter non cogamur, quia prefatis archiepiscopis in suo iure nullatenus deesse possumus, sicut etiam nec debemus.

Dat. Lugduni, II Kal. Februarii, anno quarto.

II.

.. archiepiscopo Maguntino.

Etsi nos gravent iniurie etc. ut in proxima usque: amplexamur. Cum igitur, sicut nobis exponere curavisti, venerabilis frater noster .. archiepiscopus Treverensis vestros homines, extorquendo ab eis tholonia et pedagia, etc. usque: nec debemus, verbis competenter mutatis. Quocirca fraternitatem tuam effici volumus tenore presentium certiorem, quod si predictus archiepiscopus mandatis nostris non curaverit obedire, nos eum ad premissa districtione qua convenit compellemus.

Dat. ut in proxima.

In eundem modum .. archiepiscopo Coloniensi[1] sicut Maguntino.

282.

Innocentius IV papa praeposito Sancti Petri de Vinialibus Furconensis dioecesis mandat, ut Gualterum de Ocra, notarium Friderici quondam imperatoris, ab ecclesia sancti Eusanii Furconensis dioecesis amoveat eamque Berardo de Furconio clerico, scriptori suo, conferat. *1247, Febr. 1.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 360; Lib IV, 389. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit et ex eis supplevit V. Cl. A. Mau.

Berger 2385.

.. preposito ecclesie sancti Petri de Vinialibus Furconensis diocesis.

Indignum est, ut eos gratie nostre relinquamus expertes, quorum devotionem[a] continuis obsequiis experimur, cum nonnunquam illos beneficiorum nostrorum faciamus participes, quorum sunt nobis merita inexperta. Digne igitur notos prosequimur gratia, cum interdum ea preveniamus ignotos. Hinc est, quod cum Gualterus dictus de Ocra, notarius Frederici quondam Romanorum imperatoris[2], ecclesiam sancti Eusanii[3] Furconensis diocesis obtinere dicatur, nos, dilectum filium Berardum de Furconio clericum, scriptorem nostrum, quem propter multa eius obsequia nobis et ecclesie Romane impensa gratum habemus plurimum et acceptum, intendentes favore prosequi

a) devotionem quorum *R.*

1) *Aliae gratiae ei et ecclesiae eius tum factae ap. Berger 2091—2093 = Potthast, Reg. 12261, 12261c et d, et Potthast, Reg 12261a et b, 12165, 12165a, 12730a, quae ep. in Reg. non extant.* 2) *Hunc imperator eo tempore electum Capuanum nominavit; cum Apr. 21 primo ita appellatum invenimus; Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 527; cf. etiam p. 516, not.* 3) *S. Eusanio Forconese, non multum a civ. Aquila.*

speciali, mandamus, quatinus amoto ab ecclèsia ipsa Gualtero predicto, cum ea reddiderit se indignum, illam prefato Berardo auctoritate nostra conferre procures, inducens ipsum in possessionem eiusdem ecclesie et defendens inductum, ac faciens eidem vel procuratori suo eius nomine de ipsius proventibus integre responderi: contradictores etc.

Dat. Lugduni, Kal. Februarii, anno quarto.

283.

Innocentius IV papa [Guidoni] episcopo Clugiensi indulget, ut in eum excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiae promulgari non possint absque sedis apostolicae licentia speciali. *1247. Febr. 14.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 370; Lib. IV, 486. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau. Berger 2482.

.. episcopo Clugiensi.

Apostolice sedis benignitas sincere obsequentium vota fidelium favore benivolo prosequi consuevit et devotorum personas, quas in sua devotione promptas invenerit et ferventes, quibusdam titulis decentius decorare. Ut ergo ex speciali devotione, quam ad nos et Romanam ecclesiam habere dinosceris, sentias tibi favorem apostolicum accrevisse: ut nullus delegatus vel subdelegatus, conservator aut etiam executor auctoritate sedis apostolice vel legatorum ipsius in te vel ecclesiam tuam excommunicationis, suspensionis aut interdicti sententias valeat[a] promulgare absque mandato speciali sedis eiusdem, faciente plenam de hac indulgentia mentionem, auctoritate [tibi][b] presentium indulgemus[1]. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis etc.

Dat. Lugduni, XVI Kal. Martii, anno quarto[2].

284.

Innocentius IV papa plebano ecclesiae de Liciguiano Senensis diocesis mandat, ut Petro Guarnaldi clerico Perusinae diocesis, cum occasione discordiae imminentis ipse ac fratres eius detrimenta bonorum perpessi sint, in civitate vel diocesi Grossetana provideri faciat. *1247. Febr. 14.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 381; Lib. IV, 600. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit et ex eis supplevit V. Cl. A. Mau. Epistola mense Mai. demum in Reg. relata est. Berger 2597.

.. plebano ecclesie de Liciguiano Senensis[c] diocesis.

Ascriptis militie clericali de bonis debet ecclesiasticis provideri, ut mercedis et oneris effecti participes, ad suum desiderium laudabiliter consummandum operam exhibere studeant efficacem. Hinc est, quod nos, volentes dilecto filio Petro Guarnaldi clerico

a) valeas *R.* b) tibi *deest R.* c) Senon *R.*

1) *Abbreviator ad hanc epistolam exarandam formam adhibuit saepius usitatam, quam, prout res poposcit, immutavit, cf. n. 120.* 2) *De eodem episcopo cf. Berger 2200, 2483, 2598, 2599.*

Perusine diocesis facere gratiam specialem, cum occasione discordie imminentis [1] ipse ac fratres ipsius suorum detrimenta bonorum et dispendia sint perpessi, mandamus, quatinus eidem de aliqua ecclesiarum civitatis vel diocesis Grossetane, etiamsi curam habeat animarum, auctoritate nostra providere procures vel in ecclesiastico beneficio competenti, si vacat ad presens vel quamprimum ad id obtulerit se facultas, — non obstantibus si in ecclesia, in qua sibi duxeris providendum, sit certus canonicorum numerus iuramento vel confirmatione sedis apostolice seu quacunque firmitate alia roboratus, aut si pro aliis in ea direximus scripta nostra, quibus nolumus etc. usque: generari, vel indulgentia seu privilegio, si qua sunt eidem ecclesie ab apostolica sede concessa, per que posset huiusmodi impediri provisio vel differri, seu quod alias scripserimus pro eodem —; contradictores etc.

Dat. Lugduni, XVI Kal. Martii, anno quarto.

285.

Innocentius IV papa Paganello de Camerino et fratribus eius significat se statuere, ut homines castri Sancti Severini, Friderico quondam imperatori faventes, pro recompensatione damnorum illatorum ipsis in devotione ecclesiae persistentibus obligati sint.

1247, Febr. 15.

Inn. IV Reg. Vol. I, 410; Lib. IV, 880. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit et ex eis supplevit V. Cl. A. Mau. Epistola circa finem demum huius anni pontificatus in Regesta relata est. Berger 2878.

Paganello de Camerino et fratribus suis.

Oblata nobis ex parte vestra petitio continebat, quod cum vos pro fide ac devotione Romane ecclesie, quam inconcussa firmitate servatis [2], ab hominibus castri Sancti Severini [3] Camerinensis diocesis faventibus Frederico quondam imperatori, ecclesie inimico, dampna sustinueritis et iacturas, precaveri vobis super hiis per sedis apostolice providentiam humiliter supplicastis. Ut igitur fideles ecclesie, ipsorum promerente constantia, debite sublevationis remedium consequantur, et infideles ipsius eam gratis Ps. 34, 19.
se odisse [a] ac eiusdem filios ex innata flagellasse malitia saltem pena docente cognoscant, vestris supplicationibus inclinati, homines dicti castri pro debita et integra vestrorum

a) gratis edisse *B.*

1) *Haec res ad ea referenda esse videtur, quae ap. Böhmer-Ficker, l. c. 3609 disserta sunt. — In litteris papalibus non solum eae res 'imminentes' vocantur, quae instant vel futurae sunt, sed eae quoque, quae tempore praesenti molestiam afferunt vel laborem exposcunt.* 2) *Robertus de Castilione, sacri imperii in Marchia vicarius generalis, a. 1246. Apr. 6 Camerinenses in plenam imperialem gratiam receperat, remittens eis omnes culpas et offensas; Ficker, Forsch. z. Reichs- u. Rechtsgesch. Italiens t. IV, p. 411, n. 398; cf. Böhmer-Ficker, l. c. 3555. A. 1247. Dec. 5 papa Camerinenses, cum civitas eorum 'ad ecclesie sinum, extra quem diu errasset, salubriter esset reversa', a quibusdam pedagiis exemit; v. infra. Unde epistola non registrata, qua papa eisdem propter pressuras, quas pro devotione ecclesiae passi essent, bona, quae a XXX annis citra possiderent, sicut ea tempore motae discordiae inter ecclesiam et F. 'quondam imperatorem' possedissent, 'Lugduni. Id. Iunii. a. IV' confirmavit [Potthast, Reg. 12564], ad hunc a. 1247 pertinere non videtur, quamquam in Lilii Istoria di Camer., p. 252, idem annus legitur. Cum autem ep. neque ad a. 1246, propter ea quae supra diximus, neque ad a. 1245, quia F. 'quondam imperator' tunc appellatus non sit [cf. p. 103, not. 11], referri possit, eam a. pontif. V—VII, fortasse a. VI, scriptam esse putamus.* 3) *Ex sept. civ. Camerinensis.*

recompensatione dampnorum, que propter ecclesiam passi estis, vobis in devotione sedis apostolice persistentibus esse volumus obligatos, statuentes ut iidem homines — edicto contrario[a] vel alio quolibet non obstante — vobis dampna huiusmodi debeant integre resarcire. Nulli ergo etc. nostre constitutionis etc.

Dat. Lugduni, XV Kal. Martii, anno IIII[1].

286.

Innocentius IV papa [Henrico III] episcopo Argentinensi concedit, ut in omnes, qui eum impedierint, ne castrum de Kaiserspere ab ecclesiae inimicis occupatum caperet, excommunicationis et interdicti sententias promulget. 1247, Febr. 19.

Inn. IV Reg. Vol. I, 361: Lib. IV, 133. Pertzii exemplar contulimus cum Schoepflin, Alsat. dipl. t. I. p. 396, n. 525 [S].

Potthast, Reg. 12421: Berger 2429.

.. episcopo Argentinensi.

Cum, sicut te accepimus [intimante][b], te castrum de Keiserspere[2], quod tenebatur ab inimicis ecclesie, non sine multo exercitu obsidente, quidam, ne castrum ipsum caperes[c], impedierint, presentium tibi auctoritate concedimus, ut in personas omnium illorum generaliter, quorum consilio, auxilio vel favore fuisti, ne predictum castrum caperes, impeditus, nisi moniti castrum prefatum tibi restituerint, excommunicationis et [in][d] terras eorum interdicti sententias valeas promulgare — non obstante aliquo privilegio eis ab apostolica sede concessa, ut non possint in ipsos vel terras eorum huiusmodi sententie promulgari.

Dat. Lugduni, XI Kal. Martii, anno IV.

287.

Innocentius IV papa decano et capitulo Sancti Iohannis Osnaburgensis intuitu [Engelberti] episcopi Osnaburgensis, L[udovici I] comitis de Ravensberg et comitissae de Wloton., neptis [Henrici] regis Romanorum, mandat, ut Segueardum presbyterum Osnaburgensis dioecesis in fratrem et canonicum admittant. 1247, Febr. 22.

Inn. IV Reg. Vol. I, 361: Lib. IV, 121. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit et ex eis supplevit V. Cl. A. Mau.

Berger 2420.

.. decano et capitulo Sancti Iohannis Osnaburgensis.

Benignitatem sedis apostolice multis in provisione propitiam repperisse gaudentibus, decens est et equitati consonum, ut is, quem fama laudabilis dignum favore constituit, letetur nostro subsidio congruam percepisse gratiam, quam intendit. Hinc

a) econtrario *R.* b) intimante *deest P. S.* c) caperent *P. S.* d) in *deest P. S.*

1) *Sub Apr. 22 papa eidem Paganello, 'militi, familiari suo', aliam gratiam concessit: Berger 2577; cf. etiam 2263.* 2) *Ex sept. et occ. cir. Colmar. Castra ab episcopo hoc tempore expugnata v. in Ellenhardi Chron. SS. t. XVII, p. 121.*

est, quod pro dilecto filio Segueardo presbytero diocesis Osnaburgensis, apud nos de vita et moribus commendato, in quo venerabilis fratris nostri .. Osnaburgensis episcopi[a] ac nobilis viri L. comitis Ravensberghe[1] et dilecte in Christo filie nobilis mulieris .. comitisse de Wloton.[b 2], neptis carissimi in Christo filii nostri .. illustris regis Romanorum, volumus honorare personas, universitatem vestram rogamus et hortamur attente, mandantes quatinus eundem, nullum prout dicitur ecclesiasticum beneficium assecutum, pro nostra et apostolice sedis reverentia in fratrem et canonicum admittatis et de prebenda, quam cito se facultas obtulerit, liberaliter provideatis eidem — non obstante[c] certo canonicorum numero iuramento seu quacunque firmitate vallato, vel si vobis pro aliis scripta nostra direximus, quibus nolumus auctoritate presentium preiudicium generari, aut aliqua indulgentia, de qua specialem in litteris nostris oporteat fieri mentionem —: preces et mandatum nostrum taliter impleturi, ut, eo gaudente consequi quod in hac parte desiderat, digna nostri favoris augmento vestre sinceritas devotionis existat. Alioquin dilectis filiis .. scolastico, .. thesaurario et Bertramo canonico Sancti Anschari Bremensis nostris damus litteris in mandatis, ut super hoc mandatum apostolicum exequantur; contradictores etc.

Dat. Lugduni, VIII Kal. Martii, anno quarto.

288.

Innocentius IV papa commune Ferrariense ab omni obligatione, qua Friderico quondam imperatori teneatur, absolvit. *1247, Febr. 25.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 365; Lib. IV, 137. Pertzii exemplar contulimus cum Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sedis, t. I, p. 122, n. 219, qui epistolam ex instrumento Rambertini notarii a. 1247, Mai. 6 facto, quod continetur in Lib. concord. inter Ferrarienses et Venetos f. 80, edidit (A.).
Potthast, Reg. 12423; Berger 2453.

Comuni Ferrariensi.

Exigentibus devotionis vestre[d] meritis, votis vestris libenter annuimus et petitiones vestras, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris supplicationibus inclinati, vos universos et singulos ab omni obligatione, qua Friderico quondam imperatori vel alii eius nomine pro quavis causa, et specialiter pro expensis ad defensionem civitatis vestre factis, tenebamini eo tempore, quo ipsa civitas ad ecclesie manus pervenit[3], auctoritate presentium duximus absolvendos. Nulli etc.

Dat. Lugduni, V Kal. Martii, anno IV[4].

a) episcopi Osnab. episcopi *R.* b) Wloton *R.* c) *ita* non obst. — non obstantibus? d) ve. dev. *A.*

1) *Ex sept. et occ. civ. Bielefeld.* 2) *Vlotho ad Wisurgim flumen e mer. civ. Minden. Comitissa, Sophia nomine, vidua Ottonis II comitis de Vlotho erat, qui frater Ludowici comitis de Ravensberg fuerat. Qua ratione autem neptis Henrici Raspe regis fuerit, reperire non potuimus. —* A. 1244. *Apr. imperator eidem Ottoni, 'consanguineo et fideli suo', concesserat, ut feudum, quod in Frisia ab imperio teneret, Sophiae uxori et [Iuttae] filiae eius, si eum ipsis praemori contingeret, ad vitam utriusque earum successive tenendum relinquere posset; Böhmer-Ficker, l. c. 3425. — Sub a. 1247. Mart. 15 papa quandam gratiam elargitus est obtentu 'comitissae de Ravensbergene', quae fortasse eadem Sophia erat; Berger 2467.* 3) A. *1240. Iun. [2 ut videtur]; cf. p. 103, not. 1.* 4) *Eodem die papa eisdem, qui castrum Argentae Ravennatis dioc. cepissent, ne ad manus imperatoris et fautorum eius perveniret, et in captione castri hominibus eius et ecclesiae Ravenn., ad quam pertineret, damna irrogassent, indulsit, ne de his damnis conveniri possent; ex Libro supra cit., Potthast, Reg. 12421; quae ep. in Reg. non exstat.*

289.

Innocentius IV papa capitulo Salisburgensi nuntiat se ecclesiae eorum vacanti Burcardum praepositum Frizlariensem de consilio fratrum suorum et plenitudine potestatis praefecisse in pastorem, eisque mandat, ut eum devote recipiant et ei obediant.

1247, Febr. 25.

Inn. IV Reg. Vol. I, 365: Lib. IV, 410.
Berger 2436.

Capitulo Salseburgensi.

Ad culmen summi apostolatus assumpti generalis ecclesie regimini presumus, illius licet immeriti vices gerentes in terris, qui sine fine regnat in celis, unigenitus Dei filius, Iesus Christus. Verum magni nobis ex hoc timoris materia imminet, et dum incumbentis sollicitudinis attendimus sarcinam, mens nimirum nostra stupescit: nam cum suscepta cura debitum[a] pastoralis officii continua instantia exigat et nos ex nostra simus insufficientia non solvendo, possumus non immerito formidare, ne minus plene commissam nobis potestatis[b] plenitudinem exequamur, quamquam circa crediti nobis Dominici gregis custodiam, quantum ex infirmitate valemus humana, negligentie sompno ab oculis cordis excusso, diligentia sedula vigilemus; firmam tamen spem fiduciamque tenentes, quod ille, qui nos voluit suos fieri vicarios, nobis ad portandum utiliter impositum humeris nostris onus virtutis gratiam assidue largiatur, ecclesiis omnibus solertia indefessa prospicimus, earum providere utilitatibus et indempnitatibus precavere studentes, in eo potissime ut talibus gubernatio committatur ipsarum, quorum studio laudabilibus in spiritualibus et temporalibus proficiant incrementis, et illarum precipue, que Romane noscuntur ecclesie nullo medio subiacere, cum, quanto specialius subsunt[c] ei, tanto de ipsis teneamur sollicitius cogitare. Sane, ecclesia vestra pastore vacante[1], nos, considerato quod ipsa inter alias regionis illius et eminentia presidet et potestate prefulget, ac ob hoc nolentes quod absque presule diutius remaneret, cum eo periculosior sua esset vacatio, quo pastori, qui preest in ipsa pro tempore, plurium cura imminet subditorum, sed eidem de tali pontifice, cuius industria et sollicitudo tanto congrueret oneri et honori, providere volentes, presertim cum universis capitulis cathedralium ecclesiarum Alamanie tam per nostras litteras quam per dilectum filium . . Ferrariensem electum, apostolice sedis legatum, ne ipsis ecclesiis, cum eas vacare contingeret, pastores eligere absque nostro consilio et assensu presumerent, duxerimus inhibendum[2], dilectum filium Bruccardum Salseburgensem electum, tunc Frixilariensem prepositum[3], virum utique probate vite, magne scientie ac circumspectionis experte, nobis et fratribus nostris sue probitatis et devotionis meritis carum quamplurimum et acceptum, ipsi ecclesie de predictorum fratrum consilio et plenitudine potestatis in archiepiscopum preficimus et pastorem, decernentes irritum et inane, si quid aliud super eiusdem ecclesie provisione vos forsitan attemptastis[d 4], firma spe fiduciaque concepta quod diligentie sue studio sepedictam ecclesiam in spiritualibus et tempora-

a) et debitum *B.* b) pastoralis *B., qui* [officii] *ex coniectura adiecit.* c) subeunt *B.* d) attemptaretis *B.*

1) *Eberhardus II archiepiscopus a. 1246. Dec. 1 mortuus erat.* 2) *Cf. n. 241.* 3) *Burcardus praepositus Frizlariensis, e genere comitum de Zigenhagen natus, in chartis Henrici Raspe regis a. 1246, Mai. 23 et 25 datis 'vicem Sifridi Moguntini archiepiscopi et archicancellarii' gerens appellatur; Bohmer-Ficker, l. c. 4867 et 4869; cf. 4865d. De eodem B. cf. Berger 1663.* 4) *Capitulum interim Philippum, filium Bernhardi II ducis Carinthiae, elegerat, qui administrationem archiepiscopatus obtinuit, sed per decem annos non consecratus, a. 1256 depositus est; cf. p. 233, not. 1.*

libus laudabiliter[a] auctore Domino augmentabit. Ideoque mandamus, quatinus memoratum electum tamquam fratrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes, eidem obedientiam et reverentiam sibi debitam humiliter impendatis, eius monita et mandata salubria efficaciter adimplendo. Alioquin sententiam, quam idem rite tulerit etc. usque: observari.

Dat. Lugduni, V Kal. Martii, anno IV.

In eundem modum clero civitatis et diocesis Salseburgensis.

In eundem modum universis suffraganeis ecclesie Salseburgensis.

In eundem modum universis comitibus, baronibus, castellanis ceterisque nobilibus ecclesie Salseburgensis vassallis usque: mandamus, verbis competenter mutatis, quatinus memoratum electum etc. usque: suscipientes, eidem obsequia sibi debita humiliter impendatis, eius monita et mandata salubria efficaciter adimplendo. Alioquin sententiam etc. ut supra.

In eundem modum populo civitatis et diocesis Salseburgensis.

In eundem modum .. episcopo Gurcensi[1] et .. Ratisponensi[2] et .. Secowiensi[3] electis ut supra usque: augmentabit, verbis competenter mutatis. Unde nos venerabilibus fratribus nostris universis Salseburgensis ecclesie suffraganeis et dilectis filiis capitulo Salseburgensi ac clero civitatis et diocesis Salseburgensis litteris nostris iniungimus, ut memoratum electum etc. usque: adimplendo[b]. Ideoque mandamus, quatinus si dicti suffraganei, capitulum et clerus mandatum nostrum neglexerint adimplere, vos eos ad id monitione premissa auctoritate nostra appellatione remota cogatis. Quod si non omnes etc. duo vestrum etc.[4]

In eundem modum .. Ferrariensi electo, apostolice sedis legato.

In eundem modum .. episcopo Gurcensi et .. Ratisponensi et .. Secowiensi electis usque: augmentabit. Unde nos dilectis filiis universis comitibus, baronibus, castellanis ceterisque nobilibus ecclesie Salseburgensis vassallis, nec non ipsius ecclesie ministerialibus litteris nostris iniungimus, ut memoratum electum etc. usque: suscipientes, obsequia sibi debita humiliter impendant eidem, ipsius monita etc. usque: mandamus, quatinus si dicti comites, barones, castellani ceterique nobiles ecclesie Salseburgensis vassalli, necnon ipsius ecclesie ministeriales mandatum nostrum neglexerint adimplere, vos eos ad id monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Quod si non omnes etc.

290.

Innocentius IV papa [Philippo] electo Ferrariensi, apostolicae sedis legato, mandat, ut [Ulricum] episcopum Gurcensem et [Albertum] Ratisponensem et [Ulricum] Secoviensem electos, si necesse fuerit, ad exequendum mandatum apostolicum pro Burchardo electo Salisburgensi datum compellat. *1247, Febr. 25.*

Inn. IV Reg. Vol. I. 365; Lib. IV. 111. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit V. Cl. A. Mau.

Berger 2437.

a) laudabiliter *deest B.* b) *verba* adimplendo — neglexerint *desunt B.*

1) *Ulrico: cf. Berger 2411.* 2) *Alberto: cf. p. 163, not. 4.* 3) *Ulrico; cf. n. 152 et Berger 2426. 2427. 2633. 2634.* 4) *Cf. n. 290.*

.. electo Ferrariensi, apostolice sedis legato.

Cum venerabili fratri nostro .. Gurcensi episcopo et dilectis filiis .. Ratisponensi et .. Secowensi electis nostris litteris iniungamus, ut universos ecclesie Salseburgensis suffraganeos et clerum et populum tam civitatis quam diocesis Salseburgensis necnon comites, barones ceterosque nobiles ecclesie predicte vassallos et eiusdem ministeriales, quod dilectum filium Burchardum Salseburgensem electum tanquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipiant eiusque monita et mandata salubria studeant efficaciter adimplere, auctoritate nostra appellatione remota compellant[a]: volumus et presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus predictos episcopum, Ratisponensem et Secowensem electos, si necesse fuerit, ad exequendum nostrum in hac parte mandatum monitione premissa auctoritate eadem sublato appellationis impedimento compellas.

Dat. Lugduni, V Kal. Martii, anno quarto[1].

291.

Innocentius IV papa Henricum regem Cypri a iuramento quolibet, quo Friderico quondam imperatori tenebatur, absolvit, eumque cum regno Cypri sub protectione sua suscipit, decernens, ut de cetero sedi apostolicae tantum subsit.

1247, Mart. 5.

Inn. IV Reg. Vol. I, 366; Lib. IV, 445. Pertzii exemplar contulimus cum Mas Latrie, Hist. de Chypre t. II, p. 63 [M].
Potthast, Reg. 12433; Berger 2441.

Henrico illustri regi Cipri.

Ad gremium matris ecclesie, sub cuius umbra quiescitur, tibi, cuius mens ex Friderici quondam imperatoris olim infecta contagio fluctuat, nunc velud devotionis filio humiliter recurrenti libenter occurrimus, et ut hominis utriusque[2] quiete perfrui valeas, affectione paterna libentius procuramus. Ex parte siquidem tua lecta coram nobis petitio continebat[b], quod olim eidem Friderico prestitisti fidelitatis et homagii iuramentum[3]; unde timorem Domini pariter et amorem in animo tuo figens et ab omni eiusdem F. cupiens participatione seiungi, ad sedem apostolicam, cui tantum subesse desideras, humiliter confugisti, eidem cum instantia supplicans, ut te, a iuramento huiusmodi absolutum, et regnum tuum sub sua protectione suscipere dignaretur. Cum igitur idem F., qui de patrono ecclesie persecutor effectus et de filio degenerans in privignum, matrem ecclesiam, que ipsum a cunabulis aluit et super omnes orbis principes exaltavit, ancillare[c] totis viribus nititur et nomen Christi portans in vanum[d] catholicam fidem impugnat, in sacro[e] Lugdunensi concilio a nobis sit, deliberato existentium inibi omnium prelatorum consilio, imperio, regnis omnique alia dignitate privatus.

a) compellat *R.* b) petitione cognovimus *M.; in R.* pe. co. *legitur.* c) *M.;* anullare *P.* d) vacuum *M.; cf. Exod. 20, 7.* e) sancto *M.; cf. n. 124.*

1) *Philippus non multo post legationis munere fungi desiit; nam epistolae sub titulo legati ei post hanc directae non extant et sub Mart. 11 iam Petrus S. Georgii ad Velum Aureum diac. card. legatus vocatur. Qua de causa revocatus sit, nescimus, sed notandum esse nobis videtur Conradum archiepiscopum Coloniensem post mortem Henrici Raspe regis [Febr. 16] Lugdunum profectum esse, unde Mart. 23 redierat: Cardauns, Reg. Conr. v. Host. in Ann. d. hist. Ver. f. d. Niederrh. Heft 35, p. 24, n. 163.* 2) *Scil. Christiani et regis.* 3) *A. 1228; Winkelmann, Friedr. II, t. I, p. 294.*

omnibus, qui ei iuramento fidelitatis seu quocumque alio titulo tenebantur, generaliter absolutis: te, quem ut carissimum filium sinceritatis brachiis amplexamur, devotionis tue inclinati precibus, a iuramento quolibet, quo Friderico tenebaris eidem, duximus specialiter absolvendum, et personam tuam cum regno Cipri quod obtines sub sedis apostolice protectione suscipimus atque nostra, cui tantum decernimus auctoritate presentium de cetero te subesse, presertim cum regni ratione predicti predecessores tui, ut asseris, nulli seculari subfuerint potestati. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, protectionis et constitutionis etc. Si quis etc.

Dat. Lugduni, III Nonas Martii, anno quarto.

292.

Innocentius IV papa O[ctaviano] Sanctae Mariae in Via Lata diacono cardinali, apostolicae sedis legato in Lombardiam destinato, largiendi militantibus secum contra Fridericum quondam imperatorem eandem peccatorum veniam ac Terrae Sanctae succurrentibus facultatem concedit. *1247, Mart. 8.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 125; Lib. IV, cur. 86.
Berger 3002.

O. Sancte Marie in Via Lata diacono cardinali, apostolice sedis legato[1].

Cum te in Lombardiam, commisso tibi[a] plene legationis officio, destinemus, discretioni tue concedendi militibus et aliis, qui tecum pro servitio ecclesie venerint vel ipsi contra Fridericum quondam Romanorum imperatorem in exercitu seu alias astiterint, illam peccatorum veniam, que Terre Sancte succurrentibus in generali concilio est concessa, plenam auctoritate presentium concedimus potestatem.

Dat. Lugduni, VIII Idus Martii, anno IV.

293.

Innocentius IV papa eidem committendi administrationem ecclesiae Tridentinae [Egenoni] episcopo Brixinensi vel alii potestatem concedit. *1247, Mart. 8.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 125; Lib. IV, cur. 87.
Berger 3003.

Eidem.

Discretioni[b] tue committendi amministrationem ecclesie Tridentine[2] in spiritualibus et temporalibus usque ad nostre beneplacitum voluntatis venerabili fratri nostro .. episcopo de Prissineto[3] vel alii, prout expedire videris, — non obstante quod ipsi ecclesie de pastore minus canonice sicut dicitur est provisum, super quo veritatem te inquirere volumus ac statuere, quod de iure noveris statuendum, — plenam auctoritate presentium concedimus potestatem.

Dat. ut supra[4].

---

a) tibi *deest B.* b) Devotioni *B.; c. n. 292 et 303.*

1) *Epistola, qua ei legationis officium commissum est, non superest; cf. p. 221, not. 1 et 225, not. 1.*
2) *Cf. n. 179.* 3) *Cf. n. 188 et p. 153, not. 2.* 4) *De nota chron. cf. p. 221, not. 1.*

294.

Innocentius IV papa [Leonardo] Gradensi et [Bertholdo] Aquilegiensi patriarchis et praelatis Lombardiae et Romaniolae mandat, ut quotiens ab O[ctaviano] Sanctae Mariae in Via Lata diacono cardinali, apostolicae sedis legato, requisiti fuerint, ecclesias suas earumque bona pro promovendo negotio ecclesiae et imperii obligent. 1247. Mart. 8.

Inn. IV Reg. Vol. I. 126; Lib. IV, cur. 88.
Berger 3004.

.. Gradensi et .. Aquilegensi patriarchis et archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus etc. per Lombardiam et Romaniolam constitutis.

Cum dilectum filium nostrum O. Sancte Marie in Via Lata diaconum cardinalem, virum utique scientia preditum, honestate decorum etc. ut supra in littera legationis P. Sancti Georgii[a] etc. usque: destinemus, universitatem vestram rogamus et hortamur attente, mandantes quatinus ecclesias vestras earumque bona pro eodem negotio promovendo etc. ut in eadem per totum.

Dat ut supra[1].

In eundem modum nobilibus viris marchionibus, comitibus, baronibus et aliis nobilibus per Lombardiam constitutis usque: destinemus, nobilitatem vestram rogamus et hortamur attente, mandantes quatinus ipsum, imo potius nos in eo, devote suscipientes etc. ut in eadem usque: promittimus, quod quicquid secum super omnibus, que negotium respiciant memoratum, diffiniendum seu ordinandum duxeritis etc. ut in eadem per totum.

295.

Innocentius IV papa eisdem mandat, ut feuda et beneficia ecclesiastica indevotis auferant et de consilio O[ctaviani] Sanctae Mariae in Via Lata diaconi cardinalis, apostolicae sedis legati, devotis conferant. 1247, Mart. 8.

Inn. IV Reg. Vol. I. 126; Lib. IV, cur. 89.
Berger 3005.

.. Aquilegensi et .. Gradensi patriarchis et archiepiscopis et episcopis, abbatibus etc. per Lombardiam et Romaniolam constitutis.

Recte considerationis examine libra presidentis appenditur, cum subditorum merita sic iusta estimatione pensantur, ut devotorum obsequiis retributio digna respondeat et obprobrii pena perpetui infidelium colla premat etc. ut supra in littera legationis P. Sancti Georgii[b] etc. usque: de consilio et beneplacito dilecti filii nostri O. Sancte Marie in Via Lata diaconi cardinalis, apostolice sedis legati, conferre curetis; contradictores etc. Alioquin eidem legato iniungimus nostris litteris, ut ipse super hoc mandatum apostolicum exequatur.

Dat. ut supra[1].

a) *n. 310; cf. p. 221, not. 1 et n. 318 et 319.* b) *n. 308.*

1 *De nota chron. cf. p. 221, not. 1.*

296.

Innocentius IV papa O[ctaviano] Sanctae Mariae in Via Lata diacono cardinali, apostolicae sedis legato in Lombardiam et Romaniolam destinato, varia mandata, ad exercendum legationis officium spectantia, dat. 1247, Mart. 8.

Inn. IV Reg. Vol. I, 426; Lib. IV, cap. 90—98.

Berger 3006—3014. Hae ep. ad verbum cum ep. Lib. IV, cap. 57—61 et 66—69 concordant, quas sub a. 1247, Mart. 15 Petro cardinali legato directas, in n. 303 III—VII et X—XIII praebebimus. Ep. cap. 99—105 sub Apr. 13 proponendae in eundem modum concordant cum Lib. IV, cap. 70—72 et 75—78 = n. 303 XIV—XVI et XVIII—XXI[1].

297.

Innocentius IV papa magistro Iacobo canonico Sancti Paulini Trevirensis ad preces T. comitis de Assalio, devoti ecclesiae, mandat, ut Andream rectorem ecclesiae de Triconvile, clericum comitis eiusdem, in aliqua ecclesiarum provinciae Trevirensis recipi faciat in canonicum et in fratrem. 1247, Mart. 8.

Inn. IV Reg. Vol. I, 370; Lib. IV, 188. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit et ex eis supplevit V. Cl. A. Mau.

Berger 2184.

Magistro Iacobo canonico ecclesie sancti Paulini Treverensis.

Digne credimus agere, si affectum, quem ad devotos ecclesie filios inter alios specialiter gerimus, ad suos familiares eorum intuitu aliquando extendentes, illis beneficientie dexteram porrigamus, ut hii, qui nostris et ecclesie Romane insistunt obsequiis, non solum sibi per hoc sed etiam aliis apostolice sedis gratiam mereantur. Hinc est.

1) *Ep. cap. 90—105 cum eis, quae Petro legato concessae sunt, non solum ad verbum congruunt, sed eadem quoque menda habere videntur [cf. n. 303 VI, XIII et XVIII] et eodem ordine in Reg. relatae sunt; unde haec concludimus: 1) Unum solum exemplum fuit, ex quo utraque ep. series registrata est, sed 'litterae notatae' sive minuta, ex qua etiam utraque authentica scripta sunt: quae minuta pluribus ex partibus vel foliis composita fuisse videtur, cum registratis epistolis Petro destinatis quaedam interiectae sint, quae sine dubio in ea scriptae non erant, scil. cap. 64 et 65 [n. 301 II et III] et 74 [n. 307]. Neque vero ipsae ep., minuta non facta, ex libro aliquo, simili 'summae dictaminis', descriptae esse possunt [quales quidem libri certe extiterunt et ad exarandas ep. adhibiti sunt, cf. n. 283 et 303]; nam supra sub n. 201 et Inn. IV Reg. Lib. VI, cap. 18 et sequ. et Lib. XI, cap. 11 et sequ. epistolae similes et alio ordine leguntur et re et verbis ab his et inter se discrepant; cf. n. 303. 2) Haec minuta primitus pro legatione Petri facta est; ep. enim ei directae loco priori registratae sunt et eae, quae ei soli datae sunt [cap. 62, 63 et 73 = n. 303 VIII, IX, XVII] intra seriem, eae, quae Octaviano soli [cap. 106 et 107 = Berger 3022 et 3023], in fine seriei extant. 3) Unde, quia ep. Petro concessae sub* Id. Mart. *demum leguntur, notae chronologicae ep. cap. 90—98* Dat. ut supra, *i. e. Mart. 8, rectae esse non possunt. Immo cum aliae ep. ad legationem Octaviani spectantes Apr. 9—17 datae sint idemque sub privilegio papae Lugduni Mai. 18 dato [Potthast, Reg. 12525] testis adhuc inveniatur, et cum unicum inter mandata eius, cui locus et dies ipsis verbis appositi sunt, cap. 99,* Id. Apr. *consignatum sit, haec verba* Id. Apr. *ad totam mandatorum eius seriem pertinere putamus, existimantes in minuta illa epistolas notis chronologicis caruisse, antequam registrarentur [cf. p. 156, not. a], et registratorem id folium, in quo secunda pars mandatorum [cap. 99—105] contineretur, loco priori ponere voluisse ideoque ad cap. 99* Id. Apr., *ad reliqua omnia [cap. 100—105 et 90—98]* Dat. ut supra *annotasse, ita ut haec verba semper ad* Id. Apr. *referenda essent, postea vero ordinem ita immutatum esse, ut eum nunc in Reg. invenimus. — Quae si vera sunt, etiam ep. n. 294 et 295 ex minutis ep. n. 310 et 308 scriptas esse suspicari licet, ut ibi quoque verba* Dat. ut supra *perperam addita sint. Fortasse ep. n. 292 epistolis registrandis postea interiecta est, et verba* Dat. ut supra *ep. n. 293—295 ad. ep. cap. 85, n. 323, referri debent, quae sub Apr. 17 data est, ita ut omnes illae ep. ad legationem Octaviani spectantes circa medium mensem Apr. exaratae sint. — De nota chronol. ep. n. 292, in qua locus et dies perscripti sunt, non dubitamus; nam cum cardinalis in Burgundia exercitum colligeret, valde probabile est hanc ep. primam fuisse, quae ei concederetur.*

quod nos, dilecti filii nobilis viri T. comitis de Assatio[1], apostolice sedis devoti, precibus inclinati, mandamus, quatinus dilectum filium Andream rectorem ecclesie de Triconvile[2], clericum suum, de quo nobis laudabile testimonium perhibetur, in aliqua ecclesiarum provincie Treverensis auctoritate nostra recipi facias in canonicum et in fratrem ac sibi de prebenda, quam cito se facultas obtulerit, provideri — non obstantibus si in ecclesia, in qua sibi duxeris providendum, certus sit canonicorum numerus constitutus iuramento seu quacunque firmitate alia roboratus, vel si pro duobus tantum sit de mandato nostro gravata, seu si eidem ecclesie a sede sit indultum eadem, quod ad provisionem aut receptionem alicuius minime teneatur, sive quod eius canonici per litteras apostolicas excommunicari vel interdici non possint, nisi de indulgentia huiusmodi expressam faciant mentionem, aut quod idem clericus alias beneficiatus existit —: contradictores etc.

Dat. Lugduni, VIII Idus Martii, anno quarto.

298.

Innocentius IV papa Mariae de Pisis, natae Raynerii comitis de Travara, indulget, ut cum quattuor mulieribus nobilibus et honestis sibi liceat in locis interdictis, in quibus ex indulto apostolico celebretur, divina audire. *1247, Mart. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 110; Lib. IV, 881. Epistolam ex Regestis, in quae hoc anno pontificatus exeunte demum relata est, descripsit V. Cl. A. Mau.
Berger 2882.

Nobili mulieri Marie de Pisis, nate nobilis viri Raynerii comitis de Travara.

Dilecti filii Uguicionis Marchionis capellani nostri precibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut liceat tibi, associatis tecum quatuor mulieribus nobilibus et honestis, in locis, in quibus tempore interdicti ex indulto sedis apostolice celebratur, interdictis et excommunicatis exclusis, non pulsatis campanis, ianuis clausis, submissa voce audire divina, dummodo tu et mulieres ipse causam non dederitis interdicto, nec id vobis contingat specialiter interdici. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis etc.

Dat. Lugduni, V Idus Mart. anno IIII.

299.

Innocentius IV papa [Bertholdum] patriarcham Aquilegiensem, qui etiam interdicti sententia vilipensa, impositam sibi portionem cuiusdam provisionis Stephano nato quondam A[ndreae II] regis Ungariae solvere noluerit, monet, ut hanc inobedientiam sic redimat, ut idem S. propter hoc laborare ulterius non cogatur. *1247, Mart. 13.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 369; Lib. IV, 175. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau.
Berger 2471.

1) *'Assatiam' pro 'Alsatia' in Chron. Guillelmi de Nangis a. 1273, SS. t. XXVI, p. 686 reperimus. Quis autem hic T. comes fuerit, nescimus.* 2) *'Triconvile Tullensis diocesis' [dép. Meuse, cant. et arr. Commercy] ap. Berger 2485 legitur; qua ep. episcopo Argentinensi eodem die mandatum est, ut cum eodem Andrea super pluralitate beneficiorum dispensaret.*

.. patriarche Aquilegensi.

Sua nobis dilectus filius nobilis vir Stephanus natus clare memorie A[ndree] regis Ungarie petitione monstravit, quod cum olim felicis recordationis G[regorius] papa predecessor noster dilecto filio G. de Montelongo subdiacono et notario nostro, apostolice sedis legato, mandasset, ut clare memorie B[eatrici] regine Ungarie[1], matri sue, a monasteriis et ecclesiis legationis sue annuatim, prout expedire videret, faceret provideri, contradictores etc.: legato ipso mandatum super hoc apostolicum executioni mandante et prefato predecessore defuncto, nos primo dilecto filio .. Ferrariensi electo[2] sub certa forma et demum, ipsa regina viam universe carnis[a] ingressa, iam dicto litteris nostris iniunximus, ut provisionem, quam a quibusdam ecclesiarum prelatis, monasteriis et ecclesiis ac locis aliis sue legationis predicte regine auctoritate apostolica mandaverat fieri, — non obstante si aliquibus ex dictis prelatis, monasteriis, ecclesiis aut locis, postquam ipsis iniunctum extitit, ut providerent regine predicte, a dicta sede foret indultum, ne ad provisionem alicuius per litteras apostolicas tenerentur, non facientes de indulgentia huiusmodi mentionem, — auctoritate nostra faceret exhiberi, contradictores etc. Qui huiusmodi provisionem dicto S. per te ac venerabiles fratres nostros .. Tergestinensem[3] et .. Concordiensem[4] episcopos ac nonnullos alios ecclesiarum prelatos iuxta tenorem mandati apostolici mandavit exolvi. Et quia mandato ipsius parere pro tue voluntatis arbitrio recusabas, tibi nostris dedimus litteris in mandatis, ut portionem tibi de provisione predicta impositam eidem S. exolvere procurares, predicto legato sibi super hoc executore concesso. Et licet idem legatus tibi mandaverit, ut dicto S. satisfaceres de subtractis et sibi portionem exolveres supradictam, in te, si mandatis eius parere contempneres in hac parte, interdicti sententiam promulgando, nichilominus tamen huiusmodi sententia vilipensa id facere non curasti. Quocirca fraternitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, mandantes quatinus, si est ita, sic precedentem inobedientiam redimas in hac parte per obedientiam subsequentem, quod dictus S. propter hoc laborare ulterius non cogatur, nosque devotionem tuam possimus non inmerito commendare. Alioquin dilecto filio .. preposito Ferrariensi litteris nostris iniunximus[5], ut te ad id monitione premissa auctoritate nostra appellatione remota compellat — non obstante constitutione de duabus dictis etc.

Dat. Lugduni, III Id. Mart. anno quarto[6].

300.

Innocentius IV papa Pandulfo de Phasanella, devoto ecclesiae, et successoribus eius castrum Gifonis Salernitanae dioecesis, cum regnum Siciliae rege nunc careat et Oddo de Lariano renuntiarit ob hoc omni iuri, in feudum concedit, ita tamen, ut postquam eius possessionem habuerit, ecclesiae vel regi, qui per eam ibi fuerit, homagium et fidelitatem consueta praestet. *1247. Mart. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 411; Lib. IV, 897. Exemplar, quod Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 509 edidit, cum Regestis contulit V. Cl. A. Man. Ep. hoc anno pontificatus exeunte demum in Reg. relata est.

Potthast, Reg. 12447; Berger 2895.

a) canis *R.*

1) *Haec, filia Aldobrandini marchionis Estensis, tertia uxor Andreae II regis fuerat.* 2) *Philippo.* 3) *Ulricum.* 4) *Fridericum.* 5) *Haec ep., sub Mart. 18 data, ap. Berger 2472 legitur.* 6) *De eodem patriarcha cf. n. 291, 295, 318, 319.*

Nobili viro Pandulfo de Phasanella[1] Capudaquensis diocesis.

Apostolice sedis providentia consueta subditorum merita solertis deliberationis examine discutit, et que rationis iudicio potiora diffinit, premiorum remunerat retributione maiorum, uberioribus illa prosequendo favoribus et beneficiis plenioribus attollendo. Hinc est, quod cum tu illa erga Romanam ecclesiam devotione ferveas eamque circa ipsam studeas servare constantiam[2], ut inter alios eius filios fidelitatis titulo specialiter insignitus, merearis ab ea multipliciter honorari, nos, hec non indigne pensantes et volentes tuis intendere comodis tuique honoris augmentum sollicite procurare, tibi tuisque successoribus castrum Gifonis[3] Salernitane diocesis cum dominio, iuribus, honoribus omnibusque aliis pertinentiis suis, presertim cum regnum Sicilie rege nunc careat et nobilis vir Oddo de Laviano[4] renuntiarit ob hoc omni iuri, quod in castro eodem habebat, in feudum de gratia concedimus speciali, dummodo ad alium in devotione ipsius ecclesie persistentem non pertineat dictum castrum. Volumus autem, ut postquam corporalem eiusdem castri possessionem habueris, tam tu quam iidem successores pro castro ipso homagium et iuramentum fidelitatis et alia ecclesie prefate seu regi, qui per eam pro tempore fuerit in regno predicto, prestare teneamini, que alii vassalli eiusdem regni pro castris seu feudis, que obtinent, sibi exhibere tenentur. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, II Id. Martii, anno IIII.

In eundem modum eidem pro castro Campanie[5] Salernitane diocesis usque: rege nunc careat, in feudum de gratia concedimus speciali, dummodo etc. ut supra in alia usque in finem[6].

301.

Innocentius IV papa archiepiscopis et aliis praelatis Poloniae et Pomeraniae mandat, ut Petrum Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem, apostolicae sedis legatum, benigne recipiant. — Idem [Guillelmo II] archiepiscopo et praelatis Bisuntinae provinciae mandat. *1247, Mart. 14.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 423; Lib. IV, cur. 53 et 56. Cum Pertzous tenorem huius epistolae non descripserit, V. Cl. A. Man exemplar, quod Theiner, Mon. Polon. t. I, p. 13, n. 89 edidit, cum Reg. contulit et ex eo correxit; Theiner enim in posteriore parte epistolae non verba huius ep. sed similia ep. n. 304 I praebuit. Potthast, Reg. 12452; Berger 2969 et 2972.

I.

Archiepiscopis[7] et episcopis, abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum prelatis, tam exemptis quam non exemptis, per Poloniam et Pomeraniam constitutis.

Quia corporali presentia non possumus locis singulis imminere, de hiis, quos in executione plene potestatis assumimus, nonnumquam [aliquos][a] in partem sollicitudinis

a) aliquos *deest R.*

1) *In Principatu, ex or. Paesti.* 2) *Cf. n. 166.* 3) *Ex sept. et or. Salerni.* 4) *In Principatu ex sept. et or. civ. Eboli.* 5) *Inter civ. Eboli et Laviano.* 6) *Papa eodem tempore simili modo Gilberto, Matthaeo et Thomae germanis Pandulfi de Fasanella, Henrico, Nicolao clerico et Thomasio, natis quondam Guillelmi domini de Lettera, Guillelmo Francisco [de quo cf. n. 166], Ricardo Francisco et Oddoni de Laviano bona et iura, praesertim in Principatu, confirmavit, concessit vel restituit; Berger 2896—2908; cf. n. 254.* 7) *Unus solus archiepiscopus in illis partibus extabat, Gneznensis, qui ideo in hac inscriptione nominari debebat; cf. n. 323. Propter quod credimus tenorem ep., cum secundum cum plura exemplaria*

destinamus, exemplo eius instructi, qui pro salute humani generis de suppremis celorum ad ima mundi descendens, discipulos quos elegit in universum orbem transmisit omni creature evangelium predicare. De vestra itaque salute paterna diligentia cogitantes, dilectum filium nostrum P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem, virum scientia preditum et morum honestate decorum ac in consiliis circumspectum, ad partes vestras, commisso sibi plene legationis officio, ut evellat[a] et dissipet, edificet et plantet, sicut viderit expedire, duximus destinandum. Quia vero ipsum inter alios fratres nostros specialis dilectionis brachiis amplexamur, universitati vestre mandamus atque precipimus, quatinus eum, immo potius nos in ipso, benigne recipientes et honorifice pertractantes, eidem tanquam apostolice sedis legato intendatis humiliter et devote, ipsius monita et precepta et que vobis ex parte nostra mandaverit efficaciter adimplendo. Alioquin sententiam etc. usque: auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Dat. Lugduni. II Id. Mar. anno quarto[1].

In eundem modum archiepiscopis[2] et episcopis, abbatibus, prioribus etc., tam exemptis quam non exemptis, per regnum Datie constitutis.

In eundem modum episcopo Cameracensi[3] et abbatibus, prioribus etc. per Cameracensem civitatem et diocesim constitutis.

In eundem modum universis comitibus, baronibus et nobilibus per Poloniam constitutis.

In eundem modum universis comitibus, baronibus aliisque nobilibus per Pomeraniam[b] constitutis.

II.

Archiepiscopo Bisuntino et eius suffraganeis et abbatibus, prioribus [etc.][c] per Bisuntinam provinciam constitutis.

Quia corporali presentia etc. ut supra in littera LIII usque in finem.

302.

Innocentius IV papa [Ottoni II] comiti Gelriae mandat, ut Petrum Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem, apostolicae sedis legatum, honorifice recipiat et iis, quae sibi referat, fidem indubitatam adhibeat. *1247, Mart. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. I. 123; Lib. IV. cur. 54.
Berger 2970.

[a] evellet *R.* [b] Pomeraviam *R.* [c] etc. *deest R.*

scribenda essent, principio hac inscriptione caruisse eamque, ut in actis consiliorum a papa cum cardinalibus habitorum summatim tantum annotatam, epistolae, cum registraretur, minori diligentia appositam esse; v. sub hac ep., n. 177 et 174, not.; cf. etiam inscriptiones inter se discordantes ep. n. 294, 295, 318 et 319, quibus certe eaedem personae significatae sunt. — Etiam verba tam exemptis quam non exemptis *suspicionem movere possunt, cum exempto* episcopo Caminensi *[ita enim infra pro* Cameracensi *legendum est] sua ep. directa sit. Sed haec verba, in epistolis, per quas legati commendantur, antea, quoad animadvertimus, deficientia, ab hoc fere tempore [cf. n. 205] adiecta esse videntur, ut credimus, ne multiplices exemptiones legatis impedimento essent. Unde haec verba in ep. n. 318 ex errore omissa putamus.* 1) *Ep. ipsa, qua Petro legationis officium commissum est, non superest, sed hoc fere tempore scripta esse debet, cum omnes ep. ad legationem conferendam spectantes inter Mart. 14 et 18 datae sint.* 2) *In Dania sola Lundensis sedes archiepiscopalis erat; v. supra.* 3) Caminensi *legendum esse iam supra diximus. Verba* Caminen *et* Cam̃acen *facile permutari potuerunt.*

Nobili viro comiti Guelrie[a].

Cum dilectum filium nostrum P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem, virum utique scientia preditum, honestate decorum et in consiliis circumspectum, ad partes Alamanie, commisso sibi legationis officio, de fratrum nostrorum consilio destinemus, nobilitatem tuam monemus, rogamus et hortamur attente, mandantes quatinus ipsum, immo potius nos in eo, recipere ac honorifice pertractare procurans, sibi super hiis, que tibi ex parte nostra retulerit, fidem indubitatam adhibeas tamquam nobis[1].

Dat. ut supra.

303.

Innocentius IV papa P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum, apostolicae sedis legato in Alamanniam destinato, varia mandata, ad exercendum legationis officium spectantia, dat. *1247. Mart. 15.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 423–425; Lib. IV, cur. 49, 50, 57–63, 66–73, 75–78. Plerasque harum ep. conferre potuimus cum similibus eidem cardinali directis sub a. 1249. Apr. 17 et 19, cum legatus in Italiam mitteretur, Lib. VI, cur. 48–52 et 55–61 [2], et sub a. 1254. Apr. 13–17, cum legatus denuo in Alamanniam destinaretur, Lib. XI, cur. 11–13 et 15–19 [3]. Quas ep., licet et rebus et verbis nonnullis locis ab iis discrepent, quae infra proposita sunt, tamen secundum easdem formas exaratas esse constat. Eas solas lectiones variantes praebemus, quae ad verba, non ad res spectant. Cf. n. 204 et n. 296, mandata Octaviano cardinali data, = Berger 3006 et sequ.

Berger 2965, 2966, 2973–2979, 2982–2989, 2991–2994.

I.

Dilecto filio P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato[b].

Cum[c] te in Alamaniam, commisso tibi plene legationis officio, destinemus, discretioni tue presentium auctoritate concedimus, ut cum quinquaginta personis religiosis defectum natalium patientibus illarum partium, cuiuscumque sint ordinis, quod — huiusmodi non obstante defectu — ad prelaturas et administrationes suorum ordinum licite assumi possint, valeas dispensare.

Dat. Lugduni, Id. Mart. anno quarto.

II.

Eidem.

Cum tibi tam in Alamania quam Datia et Polonia plene legationis officium duxerimus committendum, discretioni tue presentium tenore concedimus, ut si forte aliquos de predictarum Datie ac Polonie partibus ad te in Alamaniam venire contigerit, possis

a) Guelne *R.* b) Eidem *R.; antecedit n. 309.* c) *cf. Lib. VI, cur. 56.*

1) *Quamquam ex eo, quod aliae ep. huius tenoris registratae non sunt, concludere non licet eas non exiisse [cf. p. 122, not. 6], tamen huic comiti singulatim scriptum esse, cum praeterea principibus et nobilibus Alamanniae communiter legatus commendatus fuerit [n. 304], notandum esse putamus; nam Matthaeus Par., Chron. maiora ed. Luard t. V, p. 201, narrat, post mortem Henrici Raspe regis primum comiti Geldriae, tum Henrico II duci Brabantiae, tum Ricardo comiti Cornubiae coronam regni frustra oblatam esse [cf. Böhmer-Ficker, l. c. 4885c]. Unde finem ep. respicias. — Sub Mart. 15 papa Theobaldo comiti Campaniae mandavit, ut Petrum legatum honorifice reciperet et contra iniurias quaslibet defenderet; Potthast, Reg. 12451: quae ep., non registrata, ab hac discrepare videtur.*

circa ipsos illam auctoritatem exequi, quantum ad ea, que voluntarie iurisdictionis existunt, quam tibi concessimus erga personas eiusdem Alamannie exercendam.

Dat. ut supra.

III.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Cum[a] te ad partes Alamanie, commisso tibi plene legationis officio, destinemus, nos, ut eo efficacius huiusmodi officium exequi valeas, quo maiori per nos fueris auctoritate munitus, discretioni tue privandi tam fratres hospitalis sancte Marie Theotonicorum quam religiosos alios, sive sint exempti sive non, tue legationis, privilegiis, indulgentiis, libertatibus et immunitatibus aliisque gratiis eis ab apostolica sede concessis, si fuerint pertinaciter inobedientes ecclesie vel rebelles seu contra ipsam presumpserint aliquid machinari, plenam tenore presentium concedimus potestatem — privilegio vel indulgentia qualibet non obstante.

Dat. Lugduni. Id. Mart. [anno quarto][b].

IV.

Eidem.

Cum[c] te etc. ut supra; discretioni tue ammovendi perpetuo tam archiepiscopos et episcopos quam alios ecclesiarum prelatos tue legationis, qui fuerint inobedientes ecclesie vel rebelles seu contra ipsam presumpserint aliquid machinari et in sua extiterint malitia pertinaces, ab amministratione spiritualium et temporalium suarum ecclesiarum, et contradictores super hoc per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi — privilegio quolibet vel indulgentia sedis apostolice non obstante — liberam concedimus tenore presentium potestatem.

Dat. ut supra.

V.

Eidem.

Cum[d] te etc., discretioni tue transferendi archiepiscopos et episcopos tue legationis de suis ecclesiis ad alias, si ad illas ipsos canonice vocari contigerit et utilitati ecclesie videris expedire, liberam concedimus auctoritate presentium facultatem.

Dat. ut supra.

VI.

Eidem.

Cum[e] te etc., discretioni tue dispensandi cum personis ecclesiasticis defectum ordinum patientibus[f] tue legationis, si ecclesie ac imperii negotio expedire videris, quod — huiusmodi non obstante defectu — licite ad pontificalem dignitatem eligi eamque libere suscipere ac retinere valeant, dummodo aliud canonicum non obsistat, plenam concedimus tenore presentium facultatem.

Dat. ut supra.

VII.

Eidem.

Cum[g] te ad partes Alamanie pro bono earum statu et ecclesie ac imperii negotio promovendo de fratrum nostrorum consilio destinemus, volentes aliqua tibi concedere.

a) *cf. Lib. VI, cur. 50.* b) anno quarto *deest R.* c) *cf. Lib. VI, cur. 52.* d) *cf. Lib. VI, cur. 51.* e) *cf. Lib. XI, cur. 18 [3].* f) patientium *R.; ita etiam 3 et Berger 3009.* g) *cf. Lib. VI, cur. 57 [2] et Lib. XI, cur. 11 [3].*

per que saluti consulere valeas animarum, discretioni tue presentium auctoritate concedimus, ut cum quibuslibet religiosis personis tue legationis, cuiuscumque sint ordinis, que[a] dato aliquo pro acquirendis vel recepto pro exhibendis locis in monasteriis commiserunt symoniacam pravitatem, possis, prout expedire videris, dispensare[b].

Dat. ut supra.

VIII.

Eidem.

Cum te ad partes Alamanie, commisso tibi plene legationis officio, destinemus, discretioni tue petendi et recipiendi procurationes tam in civitate Remensi quam ultra ipsam per totum versus Alamaniam et contradictores super hoc per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi — privilegio quolibet vel indulgentia sedis apostolice non obstante — liberam concedimus auctoritate presentium facultatem.

Dat. ut supra.

IX.

Eidem.

Cum[c] te ad partes Alamanie, commisso tibi tam in illis quam in regno Datie ac Polonia plene legationis officio, dirigamus, clericis, qui tecum permanserint et quos pro agendis ecclesie duxeris destinandos, ut quamdiu tecum fuerint vel negotiis ipsius ecclesie de mandato tuo instinterint peragendis, integre percipiant beneficiorum suorum proventus, distributionibus cotidianis exceptis, ac si personaliter in ecclesiis, in quibus beneficia ipsa obtinent, residerent, — privilegio, indulgentia, statuto et consuetudine iuramento seu quacumque alia firmitate vallatis nequaquam obstantibus — auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. ut supra.

X.

Petro[d] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Cum[e] te ad partes Alamannie pro bono earum statu et ecclesie negotio promovendo de fratrum nostrorum consilio destinemus, discretioni tue exercendi libere censuram ecclesiasticam in omnes tam cathedralium quam aliarum ecclesiarum prelatos, exemptos et non exemptos, in universa capitula et conventus, duces, marchiones, comites aliosque principes, nec non barones et quoslibet alios nobiles, in rectores, balivos, potestates, consilia, universitates, populos et quascumque personas ecclesiasticas vel seculares, publicas vel privatas, tue legationis, cum videris expedire, — indulgentia etc. ut in XVIa[f].

Dat. ut supra.

XI.

Eidem.

Cum[g] te etc.: discretioni tue, ut generaliter per totam terram tue legationis de personatibus, canoniis, prebendis aliisque beneficiis ecclesiasticis, sive curam habeant sive non animarum annexam, personis idoneis, secundum quod expedire videris, providere, ac iniungere, quod recipiantur in ecclesiis eiusdem legationis in canonicos, et de

[a] quae sequuntur in hac ep., damus ex B; in Pertzii exemplari: 'etc. ut n. 14' [n. 204 VI]. [b] *2 et 5 add.:* non obstante constitutione concilii generalis. [c] *cf. Lib. VI, cur. 61 et Lib. XI, cur. 13.* [d] *Ep. cur. 64 et 65, quae in Reg. inter hanc et antecedentem interiecta sunt, — 304 II et III.* [e] *cf. Lib. VI, cur. 75.* [f] *n. 204 VIII.* [g] *cf. Lib. XI, cur. 19 [3].*

prebendis vel dignitatibus seu aliis beneficiis, si vacant, alioquin quam primo vacaverint, provideatur eisdem, et contradictores super hoc per censuram ecclesiasticam appellatione postposita cohibere[a] libere valeas — statuto de certo etc. ut in VIIIa[b] usque: aliarum, eiusdem legationis, iuramento etc. usque in finem[c].

Dat. ut supra.

XII.

Eidem.

Cum[d] te etc. usque: destinemus, volentes aliqua tibi concedere, per que saluti consulere valeas animarum, discretioni tue dispensandi cum clericis tue legationis defectum natalium patientibus, quod — huiusmodi non obstante defectu — in susceptis ministrare ordinibus, ascendere ad maiores ac ecclesiastica beneficia seu personatus vel dignitates, pontificali dumtaxat excepta, etiam si curam habeant animarum annexam, obtinere valeant, liberam auctoritate presentium concedimus facultatem.

Dat. ut supra.

In eundem modum eidem pro patientibus defectum etatis, quod beneficia, personatus et dignitates, tantum etc.[e]

XIII.

Eidem.

Presentium[f] tibi auctoritate concedimus, ut cum personis ecclesiasticis, tam religiosis quam secularibus, tue legationis, que vinculo[g] excommunicationis astricte sacros susceperunt ordines vel ministrarunt in illis, possis super irregularitate huiusmodi, prout animarum suarum saluti expedire videris, dispensare.

Dat. ut supra.

XIV.

Eidem.

Cum[h] nonnullis personis ecclesiasticis et secularibus tue legationis liberales nos exhibuerimus etc.[i] ut littera X.

Dat. ut supra.

XV.

Eidem.

Cum te etc.[k] usque, munitus, discretioni tue providendi ecclesiis, tam cathedralibus quam aliis, sive regulares sive seculares existant, tue legationis de pastoribus seu prelatis, si eos vacare contigerit et ad sedem apostolicam provisionem ipsarum devolvi, et contradictores super hoc per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi — indulgentia vel privilegio quolibet sedis eiusdem nequaquam obstante — plenam concedimus tenore presentium potestatem.

Dat. ut supra.

XVI.

Eidem.

Cum[l] te etc.: discretioni tue recipiendi cessiones tam archiepiscoporum et episcoporum quam prelatorum aliorum, sive sint exempti sive non, tue legationis liberam tenore presentium concedimus facultatem.

Dat. ut supra.

a) cohercere *3.* b) *n. 204 I.* c) *3 hoc loco ab hac ep. discrepat.* d) *cf. Lib. VI, cur. 60, Lib. XI, cur. 12 et n. 204 V.* e) *ita P., qui fortasse Reg. minus accurate exscripsit; sine dubio aliquid sequi debet, quod verbis* pontificali dumtaxat excepta *respondet.* f) *cf. Lib. VI, cur. 19 [2] et Lib. XI, cur. 17 [3].* g) *ita 2 et 3;* sunt *add. R. et, ut videtur, B. 3014.* h) *cf. Lib. VI, cur. 48 et Lib. XI, cur. 16.* i) *cf. n. 204 III, qua indecoti gratiis privantur.* k) *ut in n. III.* l) *cf. Lib. VI, cur. 59.*

XVII.

Eidem.

Cum[a] te etc.: discretioni tue presentium auctoritate concedimus, ut si forte impeditus fueris, quod Alemanniam nequeas libere introire, vel si exinde te pro aliqua causa exire oportuerit ac ad Remensem provinciam seu Datiam vel Poloniam declinare, possis inibi existendo legationis officium in predictis Alamannie partibus nichilominus exercere.

Dat. ut supra.

XVIII.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Cum[b] te etc.: discretioni tue dispensandi cum clericis tue legationis, quos huiusmodi gratia noveris esse dignos, quod eorum quilibet[c] plura beneficia, personatus vel dignitates, etiamsi curam habeant animarum annexam, licite recipere, si sibi canonice offerantur, ac libere retinere valeant — constitutione generalis concilii non obstante —, auctoritate presentium liberam concedimus facultatem.

Dat. ut supra[d].

XIX.

Eidem.

De prudentia tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, ut prelatos ecclesiarum tue legationis ad mandatum et devotionem ecclesie redire volentes recipias, perdurantes vero in sua contumacia vel inobedientia punias, prout videris expedire, discretioni tue tenore presentium duximus committendum.

Dat. ut supra.

XX.

Eidem.

Volumus et presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus universis tam cathedralium quam aliarum, sive sint regulares sive seculares, ecclesiarum tue legationis capitulis seu conventibus districte auctoritate nostra specialiter vel generaliter inhibere procures, ne ipsis ecclesiis, cum eas vacare contigerit, de pastoribus seu prelatis absque tuo consilio et assensu providere presumant, decernens, si secus egerint, irritum et inane[1].

Dat. ut supra.

XXI.

Eidem.

Discretioni tue dispensandi cum quatuor nobilibus personis vel aliis tue legationis, quod earum quelibet cum alia quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu coniuncta matrimonium licite contrahere, vel si iam contraxit, in sic contracto libere remanere valeat — impedimento huiusmodi non obstante —, si ecclesie ac imperii negotio expedire videris, plenam concedimus auctoritate presentium potestatem.

Dat. ut supra.

a) *cf. Lib. VI, cur. 58.* b) *cf. Lib. XI, cur. 15 [3].* c) *ita 3; cf. n. 204 IV;* quibuslibet *R. et, ut videtur, B. 3018.* d) *Quamquam ep. cur. 74 [n. 307], quae in R. antecedit, sub Mart. 17 data est, tamen hanc ep. et tres sequentes aliis sub Mart. 15 propositis adiungimus, quia ex iis, quae p. 156, not. a et p. 221, not. 1 disseruimus, probabile nobis est registratorem haec mandata omnia sub Mart. 15 ponere voluisse, cum omnia eodem fere tempore data essent. Authentica autem omnia eodem die consignata fuisse hac re significare noluit.*

1) *Cf. n. 241.*

304.

Innocentius IV papa principibus mundanis et ecclesiasticis Alamanniae P[etrum] Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem, apostolicae sedis legatum ad eos destinatum, commendat. *1247, Mart. 15.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 423 et 424; Lib. IV, cur. 52, 64, 65.
Berger 2968, 2980, 2981.

I.

Universis ducibus, marchionibus, comitibus aliisque principibus, necnon baronibus et ceteris nobilibus per Alamanniam constitutis.

De suppremis celorum ad ima mundi descendens unigenitus Dei filius, ut hominem de laqueo servitutis eriperet, in quem ipsum suggestio impegerat serpentina, vestem nostre mortalitatis induit, volens proprii aspersione sanguinis incendia perpetui cruciatus extinguere ac suos eterna morte possessos vite perhennis efficere possessores; qui commisse sibi legationis in regione peccantium exercens officium, in universum mundum discipulos quos elegerat destinavit creature omni evangelium predicare, vicarium suum instruens, ut eius exemplo nonnunquam alios in partem sollicitudinis advocaret, ubi officii sui debitum corporalis absentia solvere prohiberet. Licet enim sit nobis potestatis plenitudo commissa, finem tamen humane possibilitatis excedere non valemus, ut dum in parte una officium exercemus iniunctum, illud alibi presentialiter exequamur, quia lex conditionis hominis non permittit personam eandem simul in diversis partibus existendo creditam sibi exequi potestatem, nec etiam patitur ius nature corpus unum eodem tempore locis pluribus comprehendi; unde cum suscepti cura regiminis nos universis Christi fidelibus constituat debitores, ne absentes negligentie relinquamus, ad ipsos interdum personas idoneas dirigimus vice nostra, per eas residuum sollicitudinis, quam ad presens personaliter gerimus, dispensando. Sane inter cetera desiderabilia cordis nostri animarum salutem, libertatis ecclesiastice incrementum et pacem cunctis Christi fidelibus potissime cupientes, sedula vigilamus solertia et quod possumus diligentie studium adhibemus, ut possint laudabiliter submotis impedimentis quibuslibet iuxta nostri desiderii plenitudinem auctore Domino provenire, ac eo ardentius, ut in vestris partibus animarum profectus adveniat, libertas ecclesiastica vigeat ac pacis servetur tranquillitas, affectamus, quo ferventius bonum statum partium appetimus earundem. Ut igitur ipse partes eo magis in Dei et ecclesie devotione proficiant, quo specialius per sedem apostolicam velud matrem se visitationis officio senserint refoveri, ecce dilectum filium nostrum P. Sancti Georgii ad Velum[a] Aureum diaconum cardinalem, virum utique scientia preditum, morum honestate decorum et consilii maturitate preclarum, ad partes easdem tanquam pacis angelum de fratrum nostrorum consilio, commisso sibi plene legationis officio, ut evellat et destruat, dissipet et disperdat, edificet et plantet, sicut viderit expedire, duximus destinandum. Quia vero ipsum inter alios fratres nostros specialis dilectionis brachiis amplexamur, universitati vestre per apostolica scripta mandamus atque precipimus, quatinus eum, immo potius nos in ipso, benigne recipientes et honeste pertractantes, eidem tanquam apostolice sedis legato intendatis humiliter et devote, ipsius monita et precepta et que vobis ex parte nostra mandaverit efficaciter adimplendo. Alioquin sententiam, quam idem tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino inviolabiliter observari.

Dat. Lugduni, Idibus Martii, [anno quarto][b].

a) Verum *R.* b) anno quarto *deest R.*

II.

Archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus etc., tam exemptis quam non exemptis, per Alamanniam[a] constitutis.

De suppremis *etc. ut supra per totum*[b].

III.

Eisdem.

Salubrem et prosperum partium vestrarum statum, exaltationem ecclesie ac Romani honorem imperii totis desideriis affectantes, dilectum filium nostrum P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem, virum scientia preditum, honestate decorum et in consiliis circumspectum, ad partes ipsas pro eiusdem ecclesie ipsiusque imperii promovendo negotio ac utilitate dictarum partium procuranda tamquam pacis angelum duximus transmittendum, sibi plene legationis officio ac libera potestate relaxandi excommunicationis sententiam, quam nonnulli partium earundem adherendo F. quondam Romanorum imperatori suisque fautoribus contra ecclesiam ipsam, et quascumque alias in eisdem existentes partibus[c] incurrerunt vel incurrerint, et remittendi liberaliter iniurias et offensas, si quas eidem intulerint ecclesie, ipsosque in nostram et ipsius ecclesie gratiam admittendi, congregandi quoque contra eiusdem ecclesie hostes exercitum et omnia faciendi tam in spiritualibus quam temporalibus, prout eiusdem ecclesie utilitati viderit expedire, concessis. Quia vero ipsum etc.[d] usque: tanquam apostolice sedis legato super predictis omnibus et aliis, que vobis ex parte nostra iniunxerit, humiliter et efficaciter intendatis. Quicquid enim super premissis duxerit faciendum, firmum habebimus et acceptum. Alioquin sententiam sive penam, quam spiritualiter vel temporaliter tulerit in rebelles, etc. usque: observari[1].

Dat. ut supra.

In eundem modum universis ducibus etc.

305.

Innocentius IV papa [Ulrico] episcopo Gurcensi et [Ulrico] electo Secowiensi ad preces [Burcardi] electi Salisburgensis mandat, ut collationes beneficiorum ecclesiasticorum per quondam [Eberhardum II] archiepiscopum Salisburgensem, dum excommunicatus fuerit, factas irritas decernant. 1246, *Mart.* 15.

Inn. IV Reg. Vol. I, 368; Lib. IV, 163.
Berger 2159.

.. episcopo Gurcensi et .. electo Secowiensi.

Dilecti filii .. electi Salzeburgensis precibus inclinati, presentium vobis auctoritate mandamus, quatinus collationes ecclesiarum et prebendarum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, factas per quondam .. Salseburgensem archiepiscopum[e], dum fuit

a) Alaniam *R.* b) *ita P; in Reg. alia verba posita esse videntur.* c) partibus existentes partibus *R.* d) *ut in I.* e) *ita R.M.A.V.*; electum *B.*

1) *Alias quoque in causis similibus eisdem personis duae epistolae missae sunt, quae ita distinctae sunt, ut per alteram inprimis legati commendati sint, per alteram, quid potissimum agi debeat, circumscriptum sit; cf. p. 152, not. 1 et n. 318 et 319.*

vinculo excommunicationis astrictus, nec non alienationes bonorum Salseburgensis ecclesie, si quas sine sui consensu capituli facere contra canonum statuta presumpsit, decernatis auctoritate nostra penitus non tenere.

Dat. Lugduni, Idibus Martii, anno quarto[1].

306.

Innocentius IV papa decano et capitulo Verdensibus intuitu [Alberti] ducis Saxoniae, devoti ecclesiae, mandat, ut Alvericum de Bederkesa clericum in fratrem et canonicum admittant. *1247, Mart. 15.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 368; Lib. IV, 470. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit et ex eis supplerit V. Cl. A. Mau.

Berger 2466.

. . decano et capitulo Verdensibus.

Affectionis paterne studium habere nos condecet in provisionibus clericorum, ut sic in nobis condigne dona gratie gaudeant invenisse, quod virtutum incremento proficiant et ad divine laudis frequentiam invalescant. Hinc est, quod pro dilecto filio Alverico de Bederekesa[2] clerico, qui meritis laudabilis conversationis et vite iuvari dinoscitur, ut apud nos specialem gratiam consequatur, universitatem vestram rogamus et hortamur attente, mandantes quatinus eundem, in quo dilecti filii nobilis viri . . ducis Saxonie, nobis et ecclesie Romane devoti[3], volumus honorare personam, pro nostra et apostolice sedis reverentia in fratrem et canonicum admittatis, et de prebenda, quam cito se facultas obtulerit, liberaliter provideatis eidem — non obstante[a] certo canonicorum numero iuramento seu quacunque firmitate vallato, aut si vobis pro aliis scripta nostra direximus, quibus nolumus auctoritate presentium preiudicium generari, vel aliqua indulgentia, de qua specialem in litteris nostris oporteat fieri mentionem —: mandatum nostrum taliter impleturi, ut ex hoc vestra sinceritas apud nos favoris mereatur augmentum. Alioquin dilectis filiis . . decano et . . thesaurario Osnaburgensibus per litteras nostras iniungimus, ut ipsi super hoc mandatum apostolicum exequantur; contradictores etc.

Dat. Lugduni, Idibus Martii, anno quarto.

307.

Innocentius IV papa decano et capitulo Virdunensibus mandat, ut ante adventum P[etri] Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, apostolicae sedis legati, ad electionem in ecclesia sua celebrandam minime procedant. *1247, Mart. 17.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 424; Lib. IV, car. 71.

Berger 2990.

a) *an* non obst. = non obstantibus?

1) *Sub a. 1247, Febr. 28 'electo' Salisb. mandaverat, ut cum Conrado rectore ecclesiae in Horne, notario episcopi Constantiensis, super pluralitate beneficiorum dispensaret; sub Mart. 6 eidem concesserat, ut a quocumque mallet archiepiscopo vel episcopo gratiam apostolicae sedis habente altiores ordines suscipere et in archiepiscopum consecrari valeret; sub. Mart. 31 'archiepiscopo' Salisb. indulsit, ne debita, a praedecessoribus suis contracta, nisi in utilitatem ecclesiae suae redundassent, restituere teneretur; Berger 2410, 2449, 2504. 'Qui post modicum tempus [scil. post consecrationem] non adepta potestate vel intronizatione diem clausit extremum', Ann. S. Rudberti Salisb. a. 1247, SS. t. IX, p. 789; cf. p. 216, not. 4.* 2) *Ex sept. et or. civ. Bremerhaven.* 3) *Cf. n. 160. Dux Henrico regi ab electione sua favisse videtur; Bohmer-Ficker, l. c. 4868. Electioni Wilhelmi regis a. 1247, Oct. 3 non interfuit; ibid. 4885c.*

.. decano et capitulo Virdunensibus.

Cum dilectum filium nostrum P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem ad partes Alamannie, commisso sibi plene legationis officio, destinemus, volumus et presentium vobis auctoritate mandamus, quatinus ad electionem in vestra ecclesia faciendam[1] ante ipsius legati adventum minime procedentes[2], eidem ecclesie cum suo consilio et assensu de pastore idoneo providere curetis vel recipiatis illum in presulem, de quo ipsi ecclesie duxerit providendum. Nos enim decernimus irritum et inane, si quid super hoc contra mandatum nostrum contigerit attentari.

Dat. Lugduni, XVI Kal. Aprilis, anno quarto.

308.

Innocentius IV papa archiepiscopis et aliis praelatis Alamanniae mandat, ut feuda et beneficia ecclesiastica indevotis auferant et de consilio P[etri] Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, apostolicae sedis legati, devotis conferant. 1247, Mart. 17.

Inn. IV Reg. Vol. I, 423; Lib. IV, cur. 55.
Berger 2971.

Archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum prelatis per Alamaniam constitutis.

Recte considerationis examine libra presidentis appenditur, cum subditorum merita sic iusta extimatione pensantur, ut devotorum obsequiis retributio digna respondeat et obprobrii pena perpetui infidelium colla premat; sic enim in bonorum beneficiis plures ad virtutum merita eriguntur et in pravorum penis ceteris delinquendi audacia prohibetur. Cum itaque, sicut accepimus, nonnulli clerici et laici a vobis et vestris ecclesiis feuda et ecclesiastica beneficia obtinentes adheserint et adhuc adherere presumant Friderico quondam Romanorum imperatori et Conrado nato eiusdem, persecutoribus ecclesie manifestis, volumus et presentium vobis auctoritate districte precipiendo mandamus, quatinus feuda et beneficia ipsa eis auferre ac eadem aliis fidelibus, devotis ecclesie, de consilio et beneplacito dilecti filii nostri P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, apostolice sedis legati, conferre curetis; contradictores etc. Alioquin eidem legato litteris nostris iniungimus, ut ipse super hoc mandatum apostolicum exequatur.

Dat. Lugduni, XVI Kal. Aprilis, anno quarto.

309.

Innocentius IV papa P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato, mandat, ut universos praelatos Alamanniae, Daniae et Poloniae moneat, ut contra F[ridericum] quondam imperatorem crucem praedicent. 1247, Mart. 18.

Inn. IV Reg. Vol. I, 422; Lib. IV, cur. 18. Pertzii exemplar contulimus cum Theiner, Mon. Poloniae t. I, p. 44, n. 90. Ep. cum n. 247 multis locis ita concordat, ut ad eam exarandam eandem litterarum formam adhibitam esse credamus.

Potthast, Reg. 12456; Berger 2964.

1) *Papa sub Febr. 9 Guidonis II episcopi Virdunensis [de quo cf. n. 155] translationem ad Autissiodorensem sedem confirmaverat; Berger 2386.* 2) *Cf. inhibitionem in favorem Petri legati factam sub n. 303 XX.*

Dilecto filio P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Etsi ad defensionem catholice fidei et ecclesiastice libertatis omnes, quos Christiana discernit religio, teneantur, viri tamen ecclesiastici, tam religiosi quam seculares, et presertim ecclesiarum prelati, ad id eo amplius sunt astricti, quo ad Dominice sortis participium specialius evocati, gravius Iesu Christi provocari debent iniuriis et contra persecutores ecclesie, sponse sue, vehementius commoveri. Pre cunctis autem tirampnis F. quondam Romanorum imperator contra Deum et predictam ecclesiam persecutionis arma incessanter et patenter exercet, qui quanto celsiori hactenus dignitate ipsa ecclesia operante prefulsit, tanto in eam crudeliori animadversione desevit, vires potentie sue adversus illam nefanda mentis perversitate committens, acuendo in interitum eius gladium, quem ab ipsa contra eius vibrandum susceperat inimicos. Ut autem sua prava intentio penitus auctore Domino vacuetur et confringatur sue fortitudinis robur, malignitatis ipsius resistendum est studiis suique sunt ubique conatus a Christi fidelibus elidendi. Ideoque mandamus, quatinus universos ecclesiarum prelatos Alemannie, Datie ac Polonie attente moneas et inducas, ut, considerato sollicite quot tribulationum malleis idem F. non solum ecclesiarum[a] sed etiam totum fere Christianum populum flagellarit, et quamdiu in viros ecclesiasticos virus sue feritatis effuderit, quodque seviori continue furiat rabie contra eos, propter quod efficax super hiis convenit remedium adhiberi, ad tuendas fidem et libertatem predictas contra ipsius perfidiam ferventibus animis exurgentes, adversus eundem F. omnesque fautores ipsius crucis signaculum de divino et nostro auxilio sperantes assumant, et tam per te quam per ecclesiarum prelatos aliosque religiosos et seculares predictarum Alamanie, Datie ac Polonie, quos ad hoc idoneos esse noveris, proponens iuxta datam tibi a Deo prudentiam per easdem Alamaniam, Datiam et Poloniam fidelibus verbum crucis, eos, quod pensantes attente iamdicti F. detestandam nequitiam et propositum execrandum, contra ipsum suscepto huiusmodi signaculo celeriter et viriliter se accingant, studiosis et sedulis exhortationibus inducere non postponas. Nos enim, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illa quam nobis licet indignis Deus ligandi atque solvendi etc. ut in littera XXIX[b] usque: in finem.

Dat. Lugduni, XV Kal. Aprilis, anno quarto.

310.

Innocentius IV papa archiepiscopis et aliis prelatis Alamanniae mandat, ut quotiens a P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato, requisiti fuerint, ecclesias suas earumque bona pro promovendo negotio ecclesiae et imperii obligent. *1247, Mart. 18.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 422; Lib. IV, cur. 51.
Berger 2967.

Archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum prelatis, tam exemptis quam non exemptis, per Alamaniam constitutis.

Cum dilectum filium nostrum P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem, virum utique scientia preditum, honestate decorum et in consiliis circum-

a) *ita P. et n. 313;* ecclesias *T.;* ecclesiam *n. 247.* b) *n. 247.*

30*

spectum, ad partes Alamanie, commisso sibi plene legationis officio, pro ecclesie ac imperii negotio destinemus, universitatem vestram rogamus et hortamur attente, mandantes quatinus ecclesias vestras earumque bona pro eodem negotio promovendo, quotiens a prefato cardinali requisiti fueritis, sine difficultate qualibet obligetis. Presentium enim tenore promittimus, quod vos et easdem ecclesias omnino indempnes servabimus in hac parte ac una cum fratribus nostris, quicquid cum predicto cardinali disponendum seu ordinandum duxeritis, firmum habebimus et acceptum, et nos ei promittendi hoc vobis plenam concessimus potestatem.

Dat. Lugduni, XV Kal. Aprilis, anno quarto.

In eundem modum nobilibus viris universis ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus aliisque nobilibus per Alamaniam constitutis usque: destinemus, nobilitatem vestram rogamus et hortamur attente, mandantes quatinus ipsum, immo potius nos in eo, devote suscipientes et honorifice pertractantes, sibi super omnibus, que vobis ex parte nostra retulerit, credatis firmiter tanquam nobis. Presentium enim tenore promittimus, quod quicquid secum tam super regis creatione[1] quam omnibus aliis negotium[a] respicientibus memoratum disponendum seu ordinandum duxeritis, firmum una cum fratribus nostris habebimus et acceptum, et nos ei promittendi hoc vobis plenam concessimus potestatem.

Dat. Lugduni, XV Kal. Apr. anno quarto[b].

311.

Innocentius IV papa procuratori ecclesiae Astensis scribit, se devotis ecclesiae civitatum et dioecesium Albensium, Astensium et Taurinensium concedere facultatem, ut omnia, quae de bonis persecutorum ecclesiae ceperint, licite retinere valeant. 1247, Mart. 27.

Inn. IV Reg. Vol. I, 370; Lib. IV, 491.
Berger 2487.

. . procuratori ecclesie Astensis.

Obscuratum est adeo insipiens cor multorum de Albensi et Astensi ac Taurinensi civitatibus et diocesibus, quod abiecto timore divini nominis quasi sponte pereunt sub alterius dominio Pharaonis, persequendo ad eius nutum non solum libertatem ecclesie sed ipsius atterendo filios, placere virtutum Domino per sincere[c] devotionis opera studiosos. Nos itaque, concessam nobis desuper potestatem adversus excessus reproborum huiusmodi sic experiri volentes, ut sibi ad ignominiam redundare percipiant, quod ecclesiam Dei dampnabiliter persequi non formidant, omnibus dictarum civitatum et diocesum in eiusdem ecclesie devotione manentibus concedimus auctoritate presentium facultatem, ut omnia, que de bonis persecutorum ipsorum ceperint[d], licite in usus suos tamquam bona propria in perpetuum valeant retinere, ita quod super hiis per litteras apostolicas conveniri non possint, nisi de concessione huiusmodi plenam fecerint mentionem. Nulli ergo — nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, VI Kal. Aprilis. [anno IV][e].

a) negotiis *B.*, *qui* [regem] *ex coniectura addidit.* b) anno quarto *deest B.* c) sincera *B.* d) ceperunt *B.* e) Dat. ut supra *R.* *In ep. praecedente annus deest.*

1) *Cf. p. 226, not. 1 et Bohmer-Ficker, l. c. 4885c.*

312.

Innocentius IV papa cum Fulcone comite Lavaniae, nato quondam Ravascherii comitis, dispensat, ut Aldam dictam Pastorectam, quarto consanguinitatis gradu non obstante, in uxorem accipere valeat. *1247. Apr. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I. 372; Lib. IV. 510. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau. Berger 2506.

Nobili viro Fulconi comiti Lavanie[1], nato quondam Ravascherii comitis.

Etsi coniunctio copule coniugalis[a] in quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu sacris sit canonibus interdicta, provide tamen super hiis interdum Romana dispensat ecclesia, maxime cum urgens necessitas vel evidens utilitas id exposcit. Sperantes igitur te ac tuos ecclesie Romane fore multipliciter fructuosos, devotionis tue precibus inclinati, ut Aldam dictam Pastorectam, mulierem in quarto gradu consanguinitatis te[b] sicut asseris contingentem, accipere valeas libere in uxorem — consanguinitate non obstante predicta —, tecum auctoritate apostolica dispensamus. Nulli ergo etc. nostre dispensationis etc. Siquis etc.

Dat. Lugduni, Non. April. anno quarto.

313.

Innocentius IV papa O[ctaviano] Sanctae Mariae in Via Lata diacono cardinali, apostolicae sedis legato, mandat, ut universos praelatos Lombardiae et Romaniolae moneat, ut contra Fridericum quondam imperatorem crucem praedicent. *1247. Apr. 9.*

Inn. IV Reg. Vol. I. 425; Lib. IV. cur. 83. Berger 2999.

O. Sancte Marie in Via Lata diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Etsi ad defensionem catholice fidei et ecclesiastice libertatis omnes, quos Christiana discernit religio, teneantur, viri tamen ecclesiastici, tam religiosi quam seculares, et presertim ecclesiarum prelati etc. ut supra in illa, que scribitur P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato[c], usque: fidelibus elidendi. Ideoque mandamus, quatinus universos ecclesiarum prelatos Lombardie ac Romaniole attente moneas et inducas, ut, considerato sollicite quot tribulationum malleis idem Fridericus non solum ecclesiarum[d] sed etiam totum fere Christianum populum flagellarit etc. ut in eadem usque: impenderint oportunum.

Dat. Lugduni, V Idus Aprilis, anno quarto.

---

a) coniugalis copule *R.* b) tibi *R.* c) *n. 309. Epistolam ex minuta ep. n. 309 scriptam esse putamus; cf. p. 221, not. 1.* d) *cf. p. 235, not. a.*

1) *E mer. et or. civ. Ianuae. Papa ipse e genere comitum Lavaniae ortus erat. Cf. etiam Berger 2065.*

314.

Innocentius IV papa cum Gerardo laico nato Gerardi dicti Brabant militis, nuntii [Henrici II] ducis Brabantiae, dispensat, ut, non obstante defectu natalium, possit ad successiones vocari et ad legitimos actus admitti. *1247. Apr. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 373; Lib. IV, 523.
Berger 2520.

Gerardo laico, nato Gerardi dicti Brabant militis, nuntii nobilis viri ducis Brabantie[1].

Apostolica sedes, que disponente Domino cunctorum mater est et magistra, prudenter attendens quod culpa parentum non est filiis imputanda, ne contra divine legis edictum iniquitatem patris portare filii videantur et dentes filiorum, patribus uvam
Jerem. 31,29. acerbam comedentibus, obstupescant, nonnunquam diversis causis inspectis cum quibusdam illegitime genitis, quod ad spirituales actus admitti valeant, dispensavit. Cum igitur maior idoneitas in spiritualibus quam in secularibus requiratur, dubium non existit, quin ipsa tales ad actus legitimare valeat seculares, presertim illos qui Romano vacante imperio preter Romanum pontificem non habent alium inter homines habentem huiusmodi potestatem. Sane devotionem tui patris propensius attendentes, eius, qui prolem legitimam se asserit non habere, devotis supplicationibus inclinati, tibi, quem idem pater tuus solutus genuisse dicitur de soluta, quod — huiusmodi non obstante defectu — possis et ad successiones vocari et ad legitimos actus admitti, auctoritate presentium concedimus dispensando. Nulli etc.

Dat. Lugduni, III Idus Aprilis, anno V.

315.

Innocentius IV papa O[ctaviano] Sanctae Mariae in Via Lata diacono cardinali, apostolicae sedis legato, reformandi pacem in marchia Tarvisina potestatem concedit. *1247. Apr. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 126; Lib. IV, cur. 107. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau.
Berger 3023.

O. Sancte Marie in Via Lata diacono cardinali, apostolice sedis legato[a].

Cum te in Lombardiam, commisso tibi plene legationis officio, de fratrum nostrorum consilio tanquam pacis angelum destinemus[2], prudentie tue reformandi pacem seu concordiam inter civitates, comites, barones et nobiles alios marchie Trivisine[3] plenam concedimus auctoritate presentium potestatem. Nos enim, quicquid cum predictis vel eorum aliquibus faciendum, statuendum aut etiam ordinandum duxeris, una cum fratribus nostris ratum habebimus atque firmum.

Dat. Lugduni, III Id. Aprilis, [anno quarto][b].

---

a) Eidem *R.; antecedit n. 335.* b) anno quarto *deest R.*

1) *De hoc duce cf. n. 229, 230, 232 et p. 226, not. 1.* 2) *Cf. p. 221, not. 1.* 3) *Cf. p. 189, not. 1.*

316.

Innocentius IV papa decano et capitulo ecclesiae de Achsemburch Maguntinae dioecesis intuitu Ulrici iunioris de Minzenberc, devoti ecclesiae, mandat, ut Nicolaum clericum de Frankeford in fratrem et canonicum admittant. *1247, Apr. 12.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 391; Lib. IV, 697. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau. Berger 2695.

.. decano et capitulo ecclesie de Achsemburch Maguntinensis diocesis.

Benignitatem sedis apostolice multis in provisione propitiam repperisse gaudentibus, decens est et equitati consonum, ut is, quem fama laudabilis dignum favore constituit, letetur nostro subsidio congruam percepisse gratiam, quam intendit. Hinc est, quod pro dilecto filio Nicolao clerico de Frankeford, apud nos de vita et moribus commendato, in quo dilecti filii nobilis viri Ulrici iunioris de Minzenberc[1], nobis et ecclesie Romane devoti, volumus honorare personam, universitatem vestram rogamus et hortamur attente, mandantes quatinus eundem, nullum prout dicitur ecclesiasticum beneficium assecutum, pro nostra et apostolice sedis reverentia in fratrem et canonicum admittatis et de prebenda, quam cito se facultas obtulerit, liberaliter provideatis eidem — non obstante[a] certo canonicorum numero iuramento seu[b] quacunque firmitate vallato, vel si vobis pro aliis scripsimus, quibus etc. usque: generari, aut aliqua indulgentia, de qua specialem in litteris nostris oporteat fieri mentionem —: preces et mandatum nostrum taliter impleturi, ut ex hoc vestra sinceritas apud nos favorem et gratiam mereatur. Alioquin dilectis filiis .. decano, .. cantori et .. thesaurario ecclesie sancti Victoris Maguntini damus etc. usque: exequantur; contradictores etc.

Dat. Lugduni, II Id. April. [anno quarto][c].

317.

Innocentius IV papa O[ctaviano] Sanctae Mariae in Via Lata diacono cardinali, apostolicae sedis legato in Lombardiam et Romaniolam destinato, varia mandata, ad exercendum legationis officium spectantia, dat. *1247, Apr. 13.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 426; Lib. IV, cur. 99—105.

Berger 3015—3021. Hae epistolae ad verbum cum eis concordant, quae sub a. 1247, Mart. 15 Petro cardinali legato directae, in. n. 303 XIV—XVI et XVIII—XXI propositae sunt; cf. p. 221, not. 1.

318.

Innocentius IV papa archiepiscopis et aliis praelatis Lombardiae et Romaniolae O[ctavianum] Sanctae Mariae in Via Lata diaconum cardinalem, apostolicae sedis legatum, commendat. *1247, Apr. 13.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 425; Lib. IV, cur. 82. Berger 2998.

a) *an* non obst. = non obstantibus? b) se *R.; cf. ep. n. 287, quae secundum eandem formam exarata est.* c) anno quarto *deest R.*

1) *In Wetterau, ex sept. civ. Friedberg.*

Archiepiscopis[1] et episcopis, abbatibus, prioribus, decanis etc. et aliis ecclesiarum prelatis per Lombardiam et Romaniolam constitutis.

De suppremis celorum ad ima mundi descendens unigenitus Dei filius, ut hominem de laqueo servitutis eriperet etc. ut supra in illa, que mittitur Universis ducibus, marchionibus et aliis principibus et nobilibus per Alamaniam constitutis[a], usque: senserint refoveri, ecce dilectum filium nostrum O. Sancte Marie in Via Lata diaconum cardinalem, virum utique scientia preditum, morum honestate decorum et consilii maturitate preclarum, ad partes easdem tamquam pacis angelum de fratrum nostrorum consilio, commisso sibi plene legationis officio, ut evellat et destruat, dissipet et disperdat, edificet et plantet, sicut viderit expedire, duximus destinandum. Quia vero etc. ut in eadem usque: inviolabiliter observari.

Dat Lugduni, Idibus Aprilis, anno IV.

In eundem modum marchionibus, comitibus, baronibus et aliis nobilibus per Lombardiam et Romaniolam constitutis.

319.

Innocentius IV papa [Bertholdo] Aquilegiensi et [Leonardo] Gradensi patriarchis et aliis praelatis Lombardiae et Romaniolae mandat, ut O[ctaviano] Sanctae Mariae in Via Lata diacono cardinali, apostolicae sedis legato, super omnibus, quae commissa sibi fuerint, devote intendant. *1247, Apr. 13.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 425; Lib. IV, cur. 81.
Potthast, Reg. 12473; Berger 3000.

.. Aquilegensi[2], .. Gradensi patriarchis, Mediolanensi, Ravennati et Ianuensi archiepiscopis et eorum suffraganeis, abbatibus, prioribus etc., tam exemptis quam non exemptis, ecclesiarum prelatis[b].

Salubrem et prosperum partium vestrarum statum, exaltationem ecclesie ac Romani honorem imperii totis desideriis affectantes, dilectum filium nostrum O. Sancte Marie in Via Lata diaconum cardinalem, virum scientia preditum, honestate decorum et in

a) *n. 304 I; cf. infra not. 1.* b) *minus accurate scriptum: leg.:* etc. et aliis ecclesiarum prelatis, tam exemptis quam non exemptis, per Lombardiam et Romaniolam constitutis*; cf n. 294, 301 et 318.*

1) *Sicut ep. n. 294 et 295 ex minutis ep. n. 310 et 308, ita hanc ep. et n. 319 ex minutis ep. n. 304 II et III scriptas esse putamus. Cum per inscriptiones quattuor illarum ep. 294, 295, 318, 319 sine dubio eaedem personae significatae sint, sed verba earum differant, eaedemque in authenticis eodem tempore exaratis [cf. p. 221, not. 1] inter se ita discrepasse vix possint, eas minutis illis tum demum, cum registrarentur, additas esse opinamur, sumptas ex actis consiliorum a papa cum cardinalibus habitorum, ubi summatim tantum annotatae fuerint, ita ut alio loco aliam formam obtinere facile potuerint. — Inscriptio huius ep., loco primo registratae, simillima adhuc est inscriptionibus ep. n. 304 II et III; sed verba* tam exemptis quam non exemptis *post* prelatis *ex errore omissa sunt; cf. etiam p. 224, not. 7* 2) *Hanc inscriptionem, quia amplior est, etiam correctiorem quam reliquas putamus; cf. not. 1.*

consiliis circumspectum ad partes ipsas etc. ut supra ut in littera, que scribitur [de legatione][a] P. Sancti Georgii ad Velum Aureum etc. usque: inviolabiliter observari.

Dat. Lugduni. Idibus Aprilis, anno IV.

In eundem modum marchionibus, comitibus, baronibus et aliis nobilibus per Lombardiam et Romaniolam constitutis.

320.

Innocentius IV papa magistro Iacobo canonico ecclesiae sancti Paulini Trevetensis ad preces comitis de Iuqueausenges, devoti ecclesiae, mandat, ut Petro familiari comitis eiusdem, rectori ecclesiae de Nanthort Tullensis diocesis, in Treverensi provincia de beneficio ecclesiastico provideat. *1247. Apr. 13.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 375; Lib. IV, 541. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Man.
Berger 2541.

Magistro Iacobo canonico ecclesie sancti Paulini Treverensis.

Ut probitas non solum possessori verum etiam aliis fructuosa reddatur, proborum interventu nonnunquam aliquibus gratiam facimus, quam per se ipsos forsitan minime obtinerent. Hinc est, quod nos, dilecti filii nobilis viri . . comitis de Iuqueausenges[b] [1] devoti nostri precibus inclinati, mandamus, quatinus dilecto filio Petro familiari suo, rectori ecclesie de Nanthort Tullensis diocesis, in Treverensi provincia de beneficio ecclesiastico, quod eidem competat, quam cito se facultas obtulerit, auctoritate nostra provideas vel facias provideri — non obstante[c] si in ecclesia ipsa sit canonicorum numerus institutus iuramento, confirmatione sedis apostolice vel quacunque firmitate alia roboratus, seu si pro aliis in ea direximus scripta nostra, quibus nolumus etc. usque: generari, aut si eidem ecclesie a predicta sede indultum existat, quod ad provisionem sive receptionem alicuius per litteras apostolicas minime teneatur[d], nisi de indulgentia huiusmodi expressam faciant mentionem —; contradictores etc.

Dat. Lugduni. Id. April. [anno quarto][e].

321.

Innocentius IV papa abbati de Pomposa Comaclensis diocesis mandat, ut Bernabeo de Palude, e Regina et Parmensi civitatibus, quarum civis existat, per Fr[idericum] quondam imperatorem et nuntios eius expulso, in Bononiensi diocesi de annua pensione provideri faciat. *1247. Apr. 13.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 377; Lib. IV, 568. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit et ex eis supplevit V. Cl. A. Man.
Berger 2565.

. . abbati de Pomposa[2] Comaclensis diocesis.

Si passim est quibuslibet indigentibus miserendum[f], ut misericordes circa proximos existentes in retributione iustorum misericordiam consequantur, circa illos debet esse

a) de legatione *deest R.; cf. n. 294 et 295.* b) Iuqueāsenges *R.* c) *an* non obst. = non obstantibus? d) teneantur *R.* e) anno quarto *deest R.* f) inserendum *R.*

1) *Quis hic comes fuerit, nescimus.* 2) *Inter ostia Padi fl., ex sept. civ. Comaclensis.*

cura propensior et eis debet affluentius subveniri, quorum verecundia natales prodit ingenuos, et [qui][a] ex divitiis in egestatem vel exilium absque suo vitio ceciderunt. Cum igitur dilectus filius nobilis vir Bernabeus de Palude Regina et Parmensi civitatibus[b], quarum civis existit, per Fr. quondam imperatorem et eius nuntios sit expulsus et bonis propriis omnibus spoliatus, mandamus, quatinus facias[c] eidem in viginti quinque libris imperialium annuatim ab aliquibus ecclesiis Bononiensis diocesis, que non sunt de mandato nostro simili provisione gravate, donec ad bona sua redire ac ea[d] recuperare valeat, provideri — non obstante aliqua sedis apostolice indulgentia, per quam possit huiusmodi[e] provisio impediri —; contradictores etc.

Dat. Lugduni, Idibus Aprilis, anno quarto.

322.

Innocentius IV papa Margaritae natae quondam [Liupoldi VI] ducis Austriae, viduae quondam Henrici filii Friderici quondam imperatoris, mandat, ut cum Hermanno comite de Hennenberg pro promovendo ecclesiae et imperii negotio matrimonium contrahat. — P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato, mandat, ut eam ad id inducat. *1247, Apr. 13 et 15.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 125: Lib. IV, car. 79 et 80. Pertzii exemplar epistolae primae contulimus cum Erben, Reg. Bohem. t. I, p. 545, n. 1167.

Potthast, Reg. 12475; Berger 2995 et 2996.

1.

Nobili mulieri Margarite, nate clare memorie .. ducis Austrie.

Personam tuam sincera caritate in Domino diligentes, libenter ea tibi suggerimus, que Deo sint placita, tibi honorem et comodum afferant tueque salutem anime pariter operentur. Hinc est, quod cum, sicut nuper intelleximus, clare memorie Henrico viro tuo, filio Friderici quondam imperatoris Romanorum[f], viam universe carnis ingresso[1], et religiosis quibusdam te ad renuntiandum proprio et ad servandum castitatem et obedientiam exhibendam inducere molientibus, tu eis responderis, quod propter Deum et honorem tuum vivere volebas caste, duobus reliquis penitus contradicens, et dilectus filius nobilis vir Hermannus comes de Hennenberc Herbipolensis diocesis, nepos inclite recordationis Henrici regis Romanorum, germanus[2] nobilis viri .. marchionis Misnensis, noster et ecclesie Romane devotus, cupiat pro promovendo ecclesie ac imperii negotio[3] te sibi matrimonialiter copulare: nos, ad eiusdem negotii promotionem totis affectibus aspirantes, dilecto filio nostro P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato, litteris nostris iniungimus, ut tibi ex parte nostra precipiat,

a) qui *deest R.* b) Regin et Parmen civitatum *R.* c) faciatis *R.; fortasse epistola ad duos directa est et nomen alterius in inscriptione excidit; fortasse quoque ep. ex provisione, quae pro alio duobus vel pluribus personis sub eadem vel simili forma commissa est, minus diligenter transcripta est: cf. n. 74.* d) ea, *quod B. praebet, M. delevit.* e) huius *M.* f) Romani *P.*; Rom. *E.*

1) *A. 1242. Febr. [12]; cf. Bohmer-Ficker, l. c. 5531 et sequ.* 2) *Correctius 'frater uterinus': nam Iutta, mater eius, soror quondam Henrici Raspe regis, primum Theoderico marchioni Misnensi, tum Popponi VIII comiti de Henneberg nupserat. De eodem Hermanno cf. Bohmer-Ficker, l. c. 4867, 4868 et 4880.* 3) *Papam Hermannum comitem successorem Henrici Raspe regis facere tum cogitasse ex his verbis concere licet; cf. Bohmer-Ficker, l. c. 4885c et 5555a. — De vacante ducatu Austriae cf. n. 279.*

quod — hiis non obstantibus — cum memorato comite contrahere matrimonium non postponas. Unde nobilitatem tuam monemus, rogamus et hortamur attente, mandantes ac in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatinus eiusdem legati mandatum super hoc sine difficultate qualibet adimplere procures.

Dat. Lugduni, Idibus Aprilis, anno quarto.

II.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Personam dilecte in Christo filie nobilis mulieris Margarite, nate clare memorie . . ducis Austrie etc. ut supra, verbis competenter mutatis, usque: aspirantes, mandamus, quatinus sibi[a] ex parte nostra precipias etc. ut supra usque in finem.

Dat. Lugduni, XVII Kal. Maii, anno quarto.

323.

Innocentius IV papa [Hugrino] Spalatensi, [Laurentio] Iadrensi et [Iohanni III] Ragusino archiepiscopis et eorum suffraganeis mandat, ut O[ctavianum] Sanctae Mariae in Via Lata diaconum cardinalem, apostolicae sedis legatum, benigne recipiant.

1247, Apr. 17.

Inn. IV Reg. Vol. I, 125; Lib. IV, cur. 85. Pertzii exemplar contulimus cum Farlati, Illyria sacra t. VI, p. 101.

Potthast, Reg. 12479; Berger 3001.

Spaletensi[b], Iadrensi et Ragusino archiepiscopis et eorum suffraganeis.

Quia corporali presentia non possumus locis singulis imminere etc. ut supra in littera LIII[c] usque: evangelium predicare. De vestra itaque salute paterna diligentia cogitantes, dilectum filium nostrum O. Sancte Marie in Via Lata diaconum cardinalem, virum scientia preditum et morum honestate decorum ac in consiliis circumspectum, ad partes vestras etc. ut in eadem usque: inviolabiliter observari[1].

Dat. Lugduni, XV Kal. Maii, anno IV.

324.

Innocentius IV papa [Henricum] regem Cypri et dominum regni Hierosolymitani monet, ut Terram Sanctam, quae peccatis exigentibus diversarum persecutionum incommodis concutiatur, in statum meliorem reducat. *1247, Apr. 17.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 374; Lib. IV, 534. Damus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1247, § 55.

Potthast, Reg. 12478; Berger 2531.

a) tibi *R.* b) Spalatensi *Fa.* c) *ep. n. 301, ex cuius minuta hanc ep. scriptam esse putamus; cf. p. 240, not. 1.*

1) *Etiam rectoribus marchiae Anconitanae quaedam iura ultra mare, apud Dalmatinos, concessa esse reperimus: cf. t. I. p. 702. n. 795 et Berger 2001 et 3018.*

.. regi Cipri illustri et domino regni Ierosolimitani[1].

Debent, qui potestate preeminent grandiori, illam curam et sollicitudinem gerere de subditis, ut eorum providentie studio pacis et concordie ipsis adaugeatur tranquillum et illorum status in prosperum dirigatur, ut succedentibus eis felicium temporum commodis, iam non subesse sed quasi regnare sub suis maioribus glorientur. Si ergo, fili carissime, diligenter attendas et, ut convenit, mediteris, quod illi terre presis, in qua Iesus Christus pro humani generis redemptione nasci, conversari voluit atque mori, dulciter perferes et suaviter degustabis quorumlibet laborum, curarum et sollicitudinum ingruentiam, ut eam, que peccatis exigentibus persecutionum concutitur incommodis diversarum, ad statum possis reducere meliorem: super quo tanto libentius et fiducialius te requirimus et rogamus, quanto magis id tuo commodo et honori, exaltationi ecclesie ac saluti et utilitati totius populi Christiani scimus et cognoscimus expedire. Exurgat igitur tue potentie fortitudo, confortata et secura de gratia regis regum, que tibi non deerit, si ad illum referas gressus tuos, et regnum predictum, labores non metuens vel expensas, illo cautele studio, virtutis et potentie argumento regere ac gubernare procures, quod eiusdem regni hominibus te faciente proveniat pax et quies corroboretur, et hilarescat devotio Christiana et in tuum ac ipsius terre subsidium animetur. Sicque fiat, ut preter eterne beatitudinis premia, que consequeris proinde, cumulus tibi perpetue laudis accrescat, et a nobis etiam, quos semper habebis ad tua commoda favorabiles et benignos, dignis in Domino laudibus commenderis.

Dat. Lugduni, XV Kal. Maii, anno IIII[a] [2].

325.

Innocentius IV papa abbati et conventui in Weizenburc Spirensis diocesis intuitu E. de Etendorf, in negotiis ecclesiae obsequiosi, mandat, ut H. clerico, nato eiusdem E., in beneficio ecclesiastico provideant. *1247. Apr. 18.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 391; Lib. IV, 696. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau. Berger 2694.

.. abbati et conventui in Woizeburc[3] ordinis sancti Benedicti Spirensis diocesis.

Quia honori ecclesie intendimus et augmento etc. ut supra[b] usque: utilitas procuretur. Cum igitur dilectus filius nobilis vir E. de Grendorf[c] [4] in ecclesie negotiis se, ut accepimus, obsequiosum exhibuerit et devotum, nos, volentes ipsum et suos ob hoc gratia prosequi et favore, universitatem vestram rogamus attente et monemus, firmiter

a) *B.;* VIII *Rayn.* b) *Ep., quae sic incipit, non antecedit, sed haec formula saepius legitur: cf. n. 117.* c) *Etendorf B.; ita certe legendum est.*

1) *Hunc titulum papa ei nunc primo concessit: cf. n. 291. Cf. etiam p. 208, not. 3 et p. 245, not. 2.* 2) *Sub eodem die papa Baliano domino Beryti et fratribus eius eorumque filiis indulsit, ut nullus, apostolicae sedis legato excepto, absque sedis eiusdem speciali mandato excommunicationis aut interdicti sententias in eos valeat promulgare; Berger 2521; cf. etiam 2884 et 2556.* 3) *I. e.* Weissenburg. 4) *I. e.* Etendorf *seu Ettendorf, c mer. et occ. cir. Hagenau. Sub Mai. 12 papa decano et capitulo Argentinensibus mandavit, ut cum 'de E. domino de Etendorf certis constaret inditiis, quod diebus istis una cum Argentinensi episcopo omni diligentia et virtute, qua potuisset, honorem sedis apostolicae procurasset', Hermannum clericum, natum eius, in fratrem et canonicum admitterent; Berger 2684.*

precipiendo mandantes quatinus H. clerico, nato eius, in ecclesiastico beneficio competenti, quod ad vestram collationem pertineat et consueverit clericis secularibus assignari, quam cito se facultas obtulerit, providere curetis — non obstante[a] si direximus vobis pro aliis scripta nostra, quibus nolumus auctoritate etc. usque: generari, seu qualibet indulgentia ab apostolica sede obtenta, per quam huiusmodi gratia retardari valeat seu etiam impediri. Alioquin venerabili fratri nostro . . episcopo Argentinensi damus nostris litteris in mandatis etc. usque: exequatur; contradictores etc.

Dat. Lugduni, XIIII Kal. Maii, anno IIII.

326.

Innocentius IV papa [Henrico III] episcopo Argentinensi mandat, ut [Volcardum] episcopum Curiensem, qui a Friderico quondam imperatore pecuniam contra ecclesiam expendendam receperit et alias per [Philippum] electum Ferrariensem, tunc legatum, suspensus et excommunicatus fuerit, ad sedem apostolicam citet. *1247, Apr. 18.*

Inn. IV Reg. Vol. I. 376; Lib. IV, 556.
Berger 2553.

. . episcopo Argentinensi.

Cum, sicut intelleximus, . . episcopus Curiensis a Friderico quondam imperatore quandam receperit pecunie quantitatem contra ecclesiam expendendam et alias sit propter eius inobedientiam per dilectum filium . . electum Ferrariensem, tunc apostolice sedis legatum, suspensus et vinculo excommunicationis astrictus[1]: presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus certum ei terminum prefigas peremptorium, infra quem nostro se conspectui representet, sibi nichilominus intimans, quod si ad nostram[b] presentiam venire forte contempserit, ad depositionis contra eum sententiam procedemus.

Dat. Lugduni, XIIII Kal. Maii, anno IV[2].

327.

Innocentius IV papa thesaurario Sancti Thomae Argentinensis mandat, ut Henrico de Geroldisecke canonico Spirensi, qui, cum fautoribus Friderici quondam imperatoris se opposuerit, in civitate Spirensi morari non audeat, proventus praebendae suae usque ad triennium integre ministrari faciat. *1247, Apr. 20.*

Inn. IV Reg. Vol. I. 385; Lib. IV, 640.
Berger 2637.

a) *an* non obst. = non obstantibus? b) ad presentiam nostram] *B.*

1) *Suspensio et excommunicatio post a. 1246, Iul. 25 pronuntiatae esse videntur; cf. p. 153, not. 2. Imperatorem, qui tum in Germaniam proficisci intendit [Bohmer-Ficker, l. c. 3608a 3626], per episcopatum Curiensem iter facere voluisse et ea de causa pecuniam misisse putamus; cf. n. 329 et infra epistolas ep. Constantiensi directas.* 2) *Papa eodem die epistolam approbasse videtur, qua imperatorem Lugdunum citavit, quae ep. missa non est; cf. p. 57, not. 1. Cf. etiam p. 208, not. 3 et infra ep. a. 1247, Mai. 12.*

.. thesaurario Sancti Thome Argentinensis.

Cum, sicut accepimus, dilectus filius Henricus de Geroldisecke[1] canonicus ecclesie Spirensis, ex eo quod se patenter opposuit fautoribus F. quondam imperatoris, non audeat in civitate Spirensi secure morari[2], mandamus, quatinus, si est ita, eidem Henrico proventus prebende sue ipsius ecclesie usque ad triennium, ubicumque fuerit, facias integre ministrari — non obstante contraria consuetudine vel statuto —: contradictores etc.

Dat. Lugduni, XII Kal. Maii, anno quarto[3].

328.

Innocentius IV papa scholastico et thesaurario Verdensibus ad preces [Ludowici] comitis de Ravensberc et communis Bremensis, devotorum ecclesiae, mandat, ut Henrico clerico, nato Vologardi consulis civitatis Bremensis, in civitate vel dioecesi Bremensi de praebenda provideant. *1247, April. 20.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 380; Lib. IV, 591. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit et ex eis supplevit V. Cl. A. Mau.

Berger 2588.

.. scolastico et .. thesaurario Verdensis ecclesie.

Per studia laudabilis conversationis et vite dilectus filius Henricus clericus, natus dilecti filii Vologardi consulis civitatis Bremensis, se dignum reddere dicitur, ut de benignitate sedis apostolice, adesse benemeritis delectante, specialem gratiam consequatur. Hinc est, quod nos intuitu meritorum huiusmodi et obtentu dilectorum filiorum nobilis viri .. comitis de Ravenesbert[4] et communis Bremensis, nobis et Romane ecclesie devotorum, qui nobis propter hoc direxerunt preces et litteras speciales, mandamus, quatinus eidem Henrico, nullum prout asserit ecclesiasticum beneficium assecuto, in aliqua ecclesiarum civitatis vel diocesis Bremensis, cathedrali duntaxat excepta, de prebenda, si vacat ad presens vel quam cito vacare contigerit, auctoritate nostra providere curetis — non obstante[a] si ecclesia[b], in qua sibi duxeritis providendum, certum habeat canonicorum numerum iuramento seu quacumque firmitate vallatum, vel si pro alio in ipsa scripta nostra direximus, cui nolumus auctoritate presentium preiudicium generari, aut aliqua indulgentia, de qua specialem in litteris nostris oporteat fieri mentionem —: contradictores etc.

Dat. Lugduni, XII Kal. Maii, anno quarto[5].

a) *an* non obst. = non obstantibus? b) si in ecclesia *R.*

1) *In Baden, ex or. cir. Lahr.* 2) *'A. 1247 mandavit dominus Fridericus imperator cives clerum Spirensem a civitate Spirensi per Fridericum comitem de Liningen', Ann. Spiren. SS. t. XVII, p. 84.* 3) *Ap. Berger 2495, 2636, 2685 Henricus de G. nepos [Henrici] electi Spirensis vocatur; qui electus frater illius Friderici comitis de Liningen fuit, de quo cf. etiam Bohmer-Ficker, l. c. 4515 et 4520, et Emichonis comitis de Liningen, qui a. 1246 partes Henrici Raspe regis secutus est; Bohmer-Ficker, l. c. 4867 et 4868. Cf. etiam Berger 2496, 2532 et 2201.* 4) *De hoc cf. n. 287.* 5) *Sub Mai. 15 papa scolastico Susaticensi [Soest] obtentu eorundem mandavit, ut Henricum in aliqua ecclesiarum civitatis vel diocesis Bremensis recipi faceret in canonicum; Berger 2681.*

329.

Innocentius IV papa [Bertholdo] abbati Sancti Galli alienandi res monasterii sui minus utiles pro negotio ecclesiae et imperii promovendo licentiam elargitur. 1247, Apr. 22.

Inn. IV Reg. Vol. I, 376: Lib. IV, 553.
Berger 2550.

. . abbati monasterii sancti Galli Constantiensis diocesis[1].

Tuis precibus inclinati, devotioni tue vendendi ac infeudandi de possessionibus et aliis rebus minus utilibus monasterii tui pro ecclesie ac imperii negotio promovendo[2] — non obstante iuramento de non alienandis ipsius monasterii possessionibus a te prestito — licentiam auctoritate presentium elargimur. Nulli ergo etc.

Dat. Lugduni, X Kal. Maii, anno IV[3].

330.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino mandat, ut, cum vacante ecclesia Hildeshemensi H[ermannus] de Glichen canonicus Hildeshemensis minus provide in episcopum postulatus, H[enricus] vero praepositus Heilgestadensis canonice electus et ab ipso confirmatus fuerit, huic contra praedictum H[ermannum] de Glichen, qui suffultus potentia [Ottonis] ducis de Brunswic et de Glichen et de Keverenburg comitum aliorumque fautorum Friderici quondam imperatoris eum inquietet, praesidio defensionis assistat. 1247, Apr. 29.

Inn. IV Reg. Vol. I, 380; Lib. IV, 590.
Berger 2587.

. . archiepiscopo Maguntino.

Etsi quibuslibet defensionis adesse presidio teneamur, hos tamen debemus precipue favoris nostri gratia confovere ac apostolice protectionis clipeo a malignorum incursibus defensare, qui tyrampnidi sevientium in matrem ecclesiam et persecutorum ipsius conatibus pro suis resistunt viribus et totius fortitudinis sue brachio ad Redemptoris gloriam se opponunt. Sane lecta coram nobis tua petitio continebat, quod olim, sede Hildesemensi post cessionem venerabilis fratris nostri C[onradi][4] vacante, . . cantor et septem alii canonici Hildesemenses, non absoluti a suspensionis et excommunicationis sententiis, quas tu in capitulum Hildesemense, quintam proventuum ecclesiasticorum suorum tibi a nobis de gratia speciali concessam[5] tibi solvere denegantes[6], exigente iustitia promulgasti, H. de Glichen[7] eorum concanonicum, minorem annis, non congregato capitulo nec die ad hoc statuta, in Hildesemensem episcopum minus provide postularunt[8]. Verum cum postmodum prefatus episcopus[9] et dilecti filii . . prepositus, . . decanus, . . scolasticus, . . thesaurarius et sexdecim alii canonici ecclesie Hildesemensis, per te predictis sententiis quas in eos tuleras relaxatis, convenientes in unum, die ad hoc per ipsos legitime assignata, dilectum filium H. prepositum Heil-

1) *De eodem cf. n. 263.* 2) *Cf. p. 245, not. 1.* 3) *Eodem die R. clerico, notario et 'nuntio abbatis Sancti Galli', quandam gratiam concessit; Berger 2555. Sub Iun. 6 eidem abbati concessit, ut 'cum in promovendis ecclesiae negotiis subire eum oporteret magnos sumptus', fructus ecclesiarum et beneficiorum ad collationem suam spectantium, quae usque ad sex annos vacare contingeret, per annum retinere posset; Berger 2778; cf. 2566, 2567, 2686.* 4) *Cf. p. 162, not. 3.* 5) *Cf. n. 65.* 6) *Cf. n. 119.* 7) *E. mer. et or. vic. Gotha.* 8) *Cf. Chron. ep. Hildesh. SS. t. VII, p. 861.* 9) *Scil. Conradus ille; cf. not. 4.*

gestadensem[1], concanonicum suum, virum providum et honestum ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum, invocata spiritus sancti gratia in eorum pastorem et episcopum canonice ac concorditer elegissent, ac idem electus, electione sua rite per te auctoritate metropolitica confirmata, ad ecclesiam memoratam accedens ab universo clero et populo Hildesemensi honeste receptus nec non castra et alias munitiones eiusdem ecclesie adeptus fuisset: memoratus H, taliter postulatus, nobilium virorum . . ducis de Brunswic, . . de Glichen[2] et . . de Keverunberg[3] comitum et quorundam aliorum F. quondam imperatoris fautorum suffultus potentia, electum ipsum multipliciter inquietat, possessiones Hildesemensis ecclesie in ipsorum electi et ecclesie preiudicium hostiliter invadendo. Volentes igitur prefati electi, qui tibi, sicut asseris, in negotiis ecclesie per se ac suos viriliter, utiliter astitit et potenter, in hac parte providere quieti et gravaminibus precavere, processum tuum super hoc habitum, sicut est providus, gratum et ratum habentes ac auctoritate apostolica confirmantes, mandamus, quatinus eidem electo presidio defensionis assistens, non permittas ipsum super premissis a prefato H. vel aliis quibuscumque — postulatione non obstante predicta — indebite molestari, molestatores huiusmodi etc.[a]

Dat. Lugduni, III Kal. Maii, anno IV.

331.

Innocentius IV papa Ploacensi et Empuriensi episcopis mandat, ut omnes Sardos, qui persecutoris ecclesiae consortium relinquant, ab excommunicationis vinculo absolvant. *1247, Apr. 30.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 378; Lib. IV, 575. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit et ex eis supplevit V. Cl. A. Man.
Berger 2572.

. . Ploacensi[1] et . . Empuriensi episcopis.

Cum more pii patris cupiamus ad caulam reduci filios oberrantes, presentium vobis auctoritate mandamus, quatinus omnes Sardos[b], qui persecutoris ecclesie relicto consortio ad dexteram se convertent mandato ecclesie parituri, ab excommunicationis vinculo, quo propter favorem impensum persecutori predicto tenentur astricti, iuxta formam ecclesie absolvatis, quod quisque vestrum libere faciat per se solum, quotiens ambo hiis nolueritis vel non potueritis interesse.

Dat Lugduni, II Kal. Maii, anno quarto.

332.

Innocentius IV papa [Beatricem] reginam quondam Romanorum hortatur, ut [Sygefrido III] archiepiscopo Maguntino, qui quondam [Henrico] viro suo pro decem milibus marcarum argenti se obligaverit, litteras obligationis restituat. *1247, Mai. 3.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 387; Lib. IV, 660.
Berger 2658.

a) *ut formula:* contradictores etc. b) omnibus Sardis *R.*

1) *E mer. et or. civ. Gottingen.* 2) *Ernestus comes de Glichen sub chartis Henrici Raspe regis a. 1246. Mai. 23 et 25 datis legitur: Bohmer-Ficker, l. c. 1867 et 1868.* 3) *De Gunthero comite de Kevernburg [e mer. comitatus Glichen] cf. p. 207, not. 1.* 4) *De eodem cf. Berger 2646.*

.. regine quondam Romanorum.

Cum, sicut accepimus, venerabilis frater noster .. archiepiscopus Maguntinus clare memorie .. regi Romanorum[1] viro tuo pro decem milibus marcarum argenti se duxerit obligandum, prout in litteris inde confectis dicitur contineri, et tu predictas obligationis litteras habere dicaris, celsitudinem tuam rogamus et hortamur attente, quatinus easdem litteras prefato archiepiscopo restituere non postponas.

Dat. Lugduni, V Nonas Maii, anno IV[a] [2].

333.

Innocentius IV papa universis praelatis ecclesiarum monasterio Fuldensi subiectis mandat, ut [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino ad recuperandas eiusdem monasterii possessiones, ei a sede apostolica commissas, subsidium exhibeant. *1247, Mai. 3.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 381; Lib. IV, 631.
Berger 2628.

Universis prepositis, prioribus et aliis prelatis ecclesiarum monasterio Foldensi[b] subiectis.

Cum, sicut venerabilis frater noster .. Maguntinus archiepiscopus nobis exposuit, idem pro recuperandis et defendendis terris et possessionibus monasterii Foldensis, a nobis sibi commissis[3], cogatur de bonis propriis facere graves sumptus, maxime cum bona ipsius monasterii adeo invenerit obligata, quod etiam vix monachi eiusdem monasterii habeant[c], unde valeant sustentari, et dignum existat, ut membra capiti debeant subvenire ac subditi prelatorum onera supportare: universitati vestre mandamus, quatinus eidem archiepiscopo ad alleviandum[d] onus huiusmodi expensarum, quas pro recuperandis bonis eisdem subire compellitur, iuxta facultates proprias moderatum subsidium absque difficultate ac dilatione qualibet exhibere curetis. Volumus autem, quod de bonis ipsis, postquam mediante vestre subventionis auxilio fuerint[e] recuperata, nichil umquam quisquam percipiat, quousque de illorum proventibus vobis huiusmodi subsidium fuerit restitutum. Alioquin dilecto filio .. abbati Eberbacensi[4] Maguntine diocesis litteris nostris iniungimus, ut vos ad id monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellat.

Dat. Lugduni, quinto Nonas Maii, anno IV.

334.

Innocentius IV papa praefecto Urbis scribit se decrevisse, ut ei omnia damna a Tuscanensibus, Vetrallensibus et dominis Tulfae ceteris illata integre restaurarentur aere iidem

a) Dat. ut supra *R.* b) *ita R.* c) habem *B.* d) *ita R.* e) fuerint *deest R.*

1) *Cf. p. 209, not. 7.* 2) *Cf. Bohmer-Ficker, l. c. 5577.* 3) *Conradus abbas Fuldensis a. 1246 a papa cessionem petierat et impetraverat, quo facto monasterium Sigefrido archiepiscopo, monachis renitentibus, commissum est; Schannat, Hist. Fuld. t. I, p. 193 et Cod. prob. p. 11, § 11.* 4) *Ex sept. et occ. civ. Mainz. De eodem abbate cf. Potthast, Reg. 11823 [quae ep. in Reg. non extat] et Berger 2163 et 2176.*

ad gratiam ecclesiae admitterentur, antequam satisfecissent, eique mandat, ut rebellibus viriliter resistat. *1247, Mai. 3.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 381; Lib. IV, 596. Pertzii exemplar contulimus cum Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sedis t. I, p. 125, n. 221.

Potthast, Reg. 12500; Berger 2593.

. . prefecto Urbis.

Quia cuique pro meritis retributione convenit congrua responderi, fideles et devotos ecclesie, maxime quos presentis temporis examinavit necessitas, dignis decet remunerari premiis et infidelium ac indevotorum inconstantiam[a] pena debita castigari, ut et illorum remuneratio inducat alios ad ipsius ecclesie famulatum et istorum vindicta ceteris ausum cohibeat delinquendi. Hinc est, quod cum Tuscanenses[1], Vetrallenses[2], domini Tulfe veteris[3] et eorum homines ecclesie Romane fidelitate relicta tamquam filii degeneres tibi, quem ab ipsius devotione prava suggestio vel adversitas aliqua non subtraxit, dampna in castris, vassallis et aliis bonis tuis gravia irrogarint, nos, ne de illatis tibi offensis relinquantur impunes, presentium auctoritate precipimus, ut omnia huiusmodi dampna tibi ab eisdem Tuscanensibus, Vetrallensibus et dominis Tulfe veteris vel occasione illorum illata, et que deinceps, quandiu in infidelitate persistiterint[b], inferri contigerit, necnon et ablata omnia tibi a predictis omnibus integre restaurentur, antequam plenarie tibi satisfecerint de premissis, ad gratiam ecclesie nullatenus admittendis. Et quia iidem Tuscanenses, Vetrallenses et domini Tulfe veteris te et alios ecclesie prefate fideles impugnare ac offendere non desistunt, eadem tibi auctoritate concedimus, ut de offensis illatis rebellibus ipsis et etiam de cetero a te inferendis occasione huiusmodi non possis ab aliquo conveniri; de quibus te duximus absolvendum. Ut autem fidei tue puritas semper clarius eluceseat, nobilitatem tuam monemus, rogamus et hortamur attente, mandantes quatinus eisdem ac aliis ecclesie rebellibus promptitudine ac fortitudine spiritus premunitus resistas viriliter, in ipsius ecclesie devotione, que te inter ceteros eius filios favore ac gratia proponit attollere speciali, stabilis more solito permanendo.

Dat. Lugduni, V Nonas Maii, anno IV.

In eundem modum nobilibus viris dominis Tulfe nove.

335.

Innocentius IV papa [Octaviano Sanctae Mariae in Via Lata diacono cardinali, apostolicae sedis legato,] concedit, ut in Tuscia de personatibus, canoniis, praebendis aliisque beneficiis ecclesiasticis tribus vel quattuor personis idoneis providere valeat.

1247, Mai. 4.

Inn. IV Reg. Vol. I, 126; Lib. IV, cur. 106. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau.
Berger 3022.

[O. Sancte Marie in Via Lata diacono cardinali, apostolice sedis legato][c].

Cum te pro instanti negotio ecclesie destinemus, discretioni tue, ut in Tuscia de personatibus, canoniis, prebendis aliisque beneficiis ecclesiasticis, sive curam habeant

a) inconstantia *P.* b) persistiterunt *T.* c) *omnis inscriptio deest R.; epistolis, quae antecedunt, n. 317, et ei, quae sequitur, n. 315,* Eidem *inscriptum est, i. e. Octaviano legato.*

1) *Ex occ. civ. Viterbo.* 2) *E mer. et occ. civ. Viterbo.* 3) *E mer. civ. Viterbo.*

sive non animarum annexam, tribus vel quatuor personis idoneis, secundum quod expedire videris, providere, ac iniungere, quod recipiantur in ecclesiis ipsius Tuscie in canonicos, et de prebendis vel dignitatibus seu aliis beneficiis, si vacant, alioquin quam cito vacaverint, provideatur eisdem, et contradictores super hoc per censuram ecclesiasticam appellatione postposita cohibere libere valeas — statuto de certo canonicorum numero et quibuslibet aliis nec non quibuscumque consuetudinibus ecclesiarum, tam cathedralium quam aliarum, eiusdem provincie, iuramento vel qualibet alia firmitate vallatis, seu si eedem ecclesie sunt auctoritate sedis apostolice vel legatorum ipsius super aliorum provisione gravate, vel si forte ab eadem sede indulgentiam habeant, quod earum prelati sive capitula minime teneantur seu compelli non possint ad aliquorum provisionem, quodque interdici, suspendi vel excommunicari non valeant absque speciali predicte sedis mandato, plenam faciente de indulgentia huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis apostolicis indulgentiis, per quas super hoc possent forsitan se tueri, aut si etiam prefate persone alias beneficiate fortassis existant, nequaquam obstantibus —, auctoritate presentium duximus concedendum[1].

Dat. Lugduni, IIII Non. Maii, [anno quarto][a].

336.

Innocentius IV papa Diatalmo de Graviata intimat se O[ctaviano] Sanctae Mariae in Via Lata diacono cardinali, apostolicae sedis legato, facultatem concessisse promittendi ex parte sua, se pacem cum Fr[iderico] quondam imperatore reformaturum non esse, ita ut ipse vel aliquis filiorum eius rex aut imperator existat. *1247, Mai. 4.*

Inn. IV Reg. Vol. I. 126; Lib. IV, cap. 108. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau. Berger 3024.

Nobili viro Diatalmo de Graviata.

Cum dilectum filium O. Sancte Marie in Via Lata diaconum cardinalem, apostolice sedis legatum, pro instanti negotio ecclesie destinemus, nobilitati tue tenore presentium duximus intimandum, quod nos promittendi ex parte nostra tibi et omnibus prelatis ecclesiarum, marchionibus, comitibus, baronibus, communitatibus civitatum et aliorum locorum ceterisque sue legationis, quod nos et fratres nostri te ac eos in huiusmodi negotio nullatenus deseremus, nec cum Fr. quondam Romanorum imperatore pacem aliquatenus reformabimus, ita quod ipse vel aliquis filiorum eius rex aut imperator existat[2], plenam et liberam sibi concessimus potestatem.

Dat. Lugduni, IIII Non. Maii, anno quarto.

In eundem modum nobili viro Henrico de Villa alta.

337.

Innocentius IV papa Anselmo villico et universis hominibus oppidi Bingensis ad eorum et [Sigefridi III] archiepiscopi Maguntini preces usque ad triennium indulget, ut

[a]) anno quarto *deest R.*

1) *Haec ep. secundum eandem formam atque ep. n. 303 XI exarata est.* 2) *Cf. p. 208, not. 3 et p. 245, not. 2. Eodem die [Aymonem] dominum de Fulciniaco [Faucigny] cum terra sua sub apostolicae sedis protectione recepit eique eandem promissionem eisdem verbis fecit; Potthast, Reg. 12501; quae ep. in Reg. non exstat.*

quamdiu coram ordinario suo iuri stare parati sint, extra oppidum suum per litteras apostolicas ad iudicium trahi non possint. *1247, Mai. 4.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 386; Lib. IV, 651bis.
Berger 2649.

Anselmo villico et universis hominibus oppidi Pinguensis.

Cum hii, qui se apostolice sedi grato devotionis studio amabiles exhibent, sedis eiusdem obtinere favorem specialius mereantur, nos, vestra servitia, que nobis et ecclesie Romane libenter et liberaliter exhibuistis hactenus et impenditis incessanter, memoriter retinentes et volentes ob hoc vos speciali dono gratie honorare, venerabilis fratris nostri .. archiepiscopi Maguntini ac vestris supplicationibus inclinati, vobis in devotione Romane ecclesie persistentibus auctoritate presentium indulgemus, ut quamdiu parati fueritis coram ordinario vestro exhibere de vobis conquerentibus iustitie complementum, extra oppidum vestrum per litteras apostolicas vos vel aliquis vestrum trahi ad iudicium non possitis, nisi de indulgentia huiusmodi expressam fecerint mentionem: presentibus post triennium minime valituris. Nulli etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, IIII Non. Maii, anno quarto.

338.

Innocentius IV papa [Henrico] episcopo Constantiensi concedit, ut abbatem Renaugiensem, qui pontem supra Rhenum et turrem in alio latere existentem fautoribus C[onradi] nati Friderici quondam imperatoris tradiderit, a regimine abbatiae amovere debeat.

1247, Mai. 4.

Inn. IV Reg. Vol. I, 386; Lib. IV, 648. Pertzii exemplar contulimus cum Mone, Anzeiger f. Kunde d. deutschen Vorzeit, a. 1838, p. 317, qui ep. perperam Gregorio IX papae attribuit [M.].
Potthast, Reg. 12502; Berger 2845.

.. episcopo Constantiensi.

Tua nobis fraternitas destinavit[a], quod cum C. natus Friderici quondam imperatoris advocatiam monasterii Renaugensis[1] tue diocesis, quam idem F. a nobili viro Diethalmo de Chreinchigen.[b][2] et natis eius emerat, eisdem nobilibus post latam in ipsum F. depositionis sententiam, ut adhererent eidem, titulo pignoris obligarit[c], abbas ipsius monasterii diabolico spiritu concitatus pontem supra Renum et turrim ab alio latere existentem, per quem ipsius monasterii claudebatur insula, predictis nobilibus presumpsit tradere in ipsius monasterii maximum detrimentum, eisque scienter communicat excommunicationis vinculo innodatis. Volentes igitur eidem monasterio subvenire, presentium tibi auctoritate concedimus, ut, si est ita, ad ipsius recuperationem sollicitudine diligenti laborans, eundem abbatem pro tam enormi excessu amovere debeas a regimine abbatie ac percipere integre ipsius redditus et proventus, ita tamen quod ipsius monasterii curam gerens, conventui eiusdem de ipsis redditibus et proventibus facias plenarie necessaria ministrari, residuum vero in subsidium negotii ecclesie auctoritate nostra convertas, prout videris expedire, contradictores etc.[3]

Dat. Lugduni, IIII Non. Maii, anno quarto[d].

a) *P. M.: an* intimavit? b) Chreinchigen *R.; fortasse* Chreinchĩgen *legendum est.* c) obligavit *P. M.* d) Dat. ut supra *R.*

1) *Rheinau, e mer. cir. Schaffhausen.* 2) *Krenkingen, ex sept. cir. Waldshut.* 3) *Cf. n. 339.*

339.

Innocentius IV papa [Henrico] episcopo Constantiensi, cum ecclesiae negotium in Teutoniae partibus ex animo prosequendum assumpserit, varias in indevotos sententias promulgandi et devotis indulgentias largiendi facultatem dat, eique concedit, ut per litteras apostolicas conveniri extra patriam suam vel citari ad praesentiam papae nequeat.

1247. Mai. 5, 6. 2. 3.

Inn. IV Reg. Vol. I, 383; Lib. IV, 614—619.
Berger 2611—2616.

I.

.. episcopo Constantiensi.

Cum ecclesie negotium assumpseris, ut accepimus, in Theotonie partibus ex animo prosequendum[1], quia non debent menbra a capite discordare, presentium tibi auctoritate concedimus, ut abbates, abbatissas, prelatos et alios clericos ecclesiarum tibi subiectarum tue civitatis et diocesis, quod tibi pro stipendiis militum ad idem negotium subveniant iuxta proprias facultates ac assistant[a] in eodem negotio viriliter et potenter, per excommunicationis, suspensionis, interdicti, depositionis et amotionis ab eorum abbatiis, prelaturis et ecclesiis ac beneficiis sententias valeas cohercere[2].

Dat. Lugduni. III Non. Maii, anno quarto.

II.

Eidem.

Cum, sicut te accepimus intimante, nonnullis tue civitatis et diocesis de adherentibus F. quondam imperatori decedentibus, eorum corpora remaneant insepulta, nos, devotionis tue precibus inclinati, presentium tibi auctoritate concedimus, ut decem ex eis, dum tamen eorum heredes pro ipsis satisfaciant redeantque ad ecclesiasticam unitatem ac apparuerint signa penitentie in defunctis, absolutione premissa tradi facias ecclesiastice sepulture, dictis heredibus absolutionis beneficium impensurus.

Dat. Lugduni, II Non. Maii, anno quarto.

III.

Eidem.

Cum, sicut te accepimus intimante, nonnulli parrochianorum ecclesiarum tue civitatis et diocesis, que supposite sunt ecclesiastico interdicto, ecclesie adherentes defendant pro posse in illis partibus ecclesiasticam libertatem, nos, devotionis tue precibus inclinati, presentium tibi auctoritate concedimus, ut eorum corpora, cum decesserint, dummodo adversariis ecclesie se opposuerint manifeste, tradi facias — non obstante interdicto huiusmodi — ecclesiastice sepulture.

Dat. Lugduni, II Non. Maii, [anno quarto][b].

IV.

Eidem.

Exigentibus tue devotionis meritis, votis tuis libenter annuimus etc.[c] usque: exaudimus. Tuis itaque supplicationibus benignum impertientes assensum, presentium tibi auctoritate concedimus, ut vacantem ecclesiam de Chamo[d][3] tue diocesis, in qua ius

a) efficiant *B.* b) anno quarto *deest B.* c) *ut in n. 288.* d) Chaino *B.*

1) *Cf. n. 262, p. 245, not. 1 et infra n. 351.* 2) *Cf. n. 338.* 3) *Cham, ex. occ. cir. Zug.*

obtines patronatus, episcopali mense tue, dum tamen ipsius redditus et proventus viginti marcarum valentiam annis singulis non excedant, valeas deputare, ita tamen quod eadem ecclesia debitis etc. usque: negligatur. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis etc.

Dat. Lugduni, VI Non. Maii, anno quarto[1].

V.

Eidem.

Ut eo[a] melius ecclesie negotio intendere valeas, quo minus per litigiorum circuitus fueris fatigatus, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut per litteras apostolicas conveniri extra patriam tuam vel citari ad presentiam nostram minime valeas, nisi littere ipse fecerint de hac indulgentia mentionem. Nulli ergo etc. nostre concessionis.

Dat. Lugduni, V Non. Maii, anno quarto.

VI.

Eidem.

Ut ad devotionem ecclesie possis melius attrahere universos, relaxandi generaliter vel particulariter, prout expedire videris, ad plus ad duos menses interdictum, in tua civitate ac diocesi occasione discordie generalis positum, plenam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem.

Dat. ut supra.

340.

Innocentius IV papa P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato, mandat, ut [Sibotonem] episcopum Augustensem, si meritorum eius qualitas id exegerit, perpetuo suspendat. *1247, Mai. 6.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 127; Lib. IV, cur. 112.
Berger 3028.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Ne culpam episcopi Augustensis[2], que satis nota est, nostram facere videamur, si eam dimiserimus incorrectam, mandamus, quatinus per discretos aliquos inquiri facias de ipsius nephandis actibus diligenter et ad ipsius suspensionem perpetuam auctoritate nostra procedas, si suorum exegerit qualitas meritorum, nobis quid super hoc feceris rescripturus.

Dat. Lugduni, II Non. Maii, anno IIII.

341.

Innocentius IV papa O[ctaviano] Sanctae Mariae in Via Lata diacono cardinali, apostolicae sedis legato, ad preces [Iacobi Teupoli] ducis et populi Venetorum mandat,

a) *eo deest R.*

1) *Sub Febr. 20 eidem facultatem concesserat, ut quosdam rectores ecclesiarum, qui eum ad eos visitationis causa accederet, procurationes sibi denegarent, asserentes se eas numquam hactenus praestitisse, ad eas exhibendas cogeret: Berger 2428.* 2) *Cf. p. 153, not. 2.*

ut sancti Marci Tyrensis et sancti Marci Acconensis ecclesias, ad ecclesiam sancti Marci de Venetiis pertinentes, in ius et proprietatem beati Petri recipiens inhibeat, ne quis in illas iurisdictionem audeat exercere. *1247, Mai. 6.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 127; Lib. IV, cur. 114. Pertzii exemplar contulimus cum eo, quod epistolae legati secundum hoc mandatum apostolicum a. 1247, Aug. 6 primicerio et capitulo Sancti Marci de Venetiis directae insertum est, ap. Tafel, Urk. z. Gesch. Venedigs t. II, p. 445 in Fontes rer. Austriac. t. XIII [A.].
Potthast, Reg. 12505; Berger 3030.

O. Sancte Marie in Via Lata diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Illum erga Romanam ecclesiam civitas Venetorum continuavit sinceritatis affectum eamque cordis servavit constantiam, ut inter civitates alias fidelitatis titulo specialiter insignita, illas exemplo suo ad eiusdem ecclesie obsequium laudabiliter animarit. Nam in ipsius agendis ecclesie sic sollicita semper extitit et attenta, quod in eorum susceptione se promptam exhibuit, in prosecutione[a] reddidit studiosam et in consumatione stabilem demonstravit: propter quod tanquam devotione preminens, ampliori ab ipsa ecclesia honorari favore[b] meretur et attolli gratia potiori. Nos autem tantam firmitatem fidei tantamque animi puritatem sedulo recolentes, dignum, immo dignissimum reputamus, ut votis dilectorum filiorum nobilis viri . . ducis et populi Venetorum, quotiens cum Deo possumus, favorabiliter annuentes, apostolicam circa eos benivolentiam ostendamus liquido per effectum. Eapropter nos, ipsorum supplicationibus inclinati, prudentie tue per apostolica scripta mandamus, quatinus sancti Marci Tyrensis et sancti Marci Acconensis ecclesias, ad ecclesiam sancti Marci de Venetiis pertinentes, in ius et proprietatem beati Petri auctoritate nostra recipiens, inhibeas firmiter, ne aliquis in illas absque sedis apostolice speciali mandato iurisdictionem aliquam audeat exercere, certum censum, persolvendum certo termino a dilectis filiis . . primicerio et capitulo ipsius ecclesie sancti Marci de Venetiis earundem ecclesiarum sancti Marci Tyrensis et sancti Marci Acconensis nomine sedi predicte annis singulis ad indicium huiusmodi libertatis, sicut expedire videris, statuendo.

Dat. Lugduni, II Non. Maii, anno quarto.

342.

Innocentius IV papa archiepiscopis et episcopis regni Angliae mandat, ut clericos Italiae, qui apud eos beneficia obtineant, monitis inducant, ut ecclesiae per certum subsidium subveniant. *1247, Mai. 6.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 125; Lib. IV, cur. 81.
Berger 2997.

Archiepiscopis et episcopis per regnum Anglie constitutis.

Diversis angustiis et pressuris sancta perturbatur ecclesia hominis impii feritate, qui per eius ministerium olim pre terre principibus exaltatus, cum debuisset eandem prosequi reverentie studiis et extollere[c] honoribus exquisitis, ad hoc frequenter exposuit et incessanter exponit sui vires ingenii, ut in ipsa Deum habendo contemptui decus et decorem sibi desuper attributa in nichilum redigat et eius filios, quod avertat Dei pietas, irremediabili confusione perfundat. De tante siquidem perversitatis operibus

a) persecutione A. b) A.; favorem E. c) attollere E.

nos corde compuncti[a] eo profundius suspiramus, quo licet immeriti eiusdem regimini presidentes ecclesie, de ipsius libertate tuenda et conservandis honoribus debemus pre cunctis aliis cogitare, dignum et congruum arbitrantes ut vos ipsos, quos expresse huiusmodi causa contingit, cum sitis membra ipsius ecclesie famosa, conspicua[b] dignitate, reddamus ad ea sollicitos, per que divina clementia suffragante proveniat, quod eadem ecclesia ad votive statum tranquillitatis exurgat. Rogamus itaque universitatem vestram et affectione qua possumus exortamur, per apostolica vobis scripta precipiendo mandantes, quatinus singuli vestrum Ytalie clericis, qui beneficia seu pensiones in civitatibus seu diocesibus vestris obtinere noscuntur, aut procuratoribus eorundem huiusmodi necessitatem ecclesie, sicut diligentius poteritis, exponentes, eos efficacibus monitis inducatis, ut ad spiritualem matrem ipsorum interne habeant compassionis affectum et bonorum partem, quibus per ipsius munificentiam affluunt, in eius subsidium prompta liberalitate convertant, ita quod illi ex eisdem clericis de redditibus, quos habent in predictis civitatibus et diocesibus usque ad centum marcas et[c] infra, quartam partem, de illis vero, quos ultra centum marcas ibidem habere noscuntur, medietatem ad opus ipsius ecclesie — non obstante[d] aliquo privilegio vel indulgentia, de quibus in litteris nostris specialis sit mentio facienda, — in vestris manibus sine obiectu cuiusque difficultatis assignent, ita quod, eadem ecclesia gratulante in eis devotionis repperisse filios, ipsi processu temporis eam gaudeant sensisse munificam in favoris gratia specialis. Contradictores autem, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis; quantitatem eorum, que vobis provenerint de redditibus, nobis fideliter rescripturi.

Dat. Lugduni, II Nonas Maii, anno IV[1].

In eundem modum archiepiscopis et episcopis per regnum Scotie constitutis.

In eundem modum archiepiscopis et episcopis per Yberniam constitutis.

In eundem modum archiepiscopis et episcopis per Alamanniam constitutis.

In eundem modum archiepiscopis et episcopis per regnum Francie constitutis: quod usque ad centum [libras][e] Turonensium et infra, quartam partem, de illis vero, quos ultra centum libras ibidem habere noscuntur, medietatem ad opus ipsius ecclesie etc. ut in proxima.

In eundem modum archiepiscopis et episcopis in Wasconia constitutis.

In eundem modum archiepiscopis et episcopis per Yspaniam constitutis.

In eundem modum archiepiscopis et episcopis in Burgundia constitutis.

In eundem modum archiepiscopis et episcopis in Provincia constitutis.

343.

Innocentius IV papa in Alchingen et in Ahusen abbatibus et praeposito de Wetenhusen ad preces H[ugonis IV] comitis palatini de Tubingen mandat, ut executoribus deputatis inhibeant, ne monasterium de Blaburen super provisione plurium gravetur.

1247, Mai. 7.

Inn. IV Reg. Vol. I, 384: Lib. IV, 625.
Berger 2622.

a) puncti *R.* b) conspicui *P.* c) *R.; et deest P.; v. infra.* d) *an* non obst. = non obstantibus? e) libras *deest R.*

1 *Cf. infra sub Mai. 30.*

.. in Alchingen[1] et .. in Ahusen[a][2] abbatibus et .. preposito de Wetenhysen[3] ordinis sancti Augustini Augustensis diocesis.

Cum, sicut ex parte dilecti filii nobilis viri H. comitis palatini de Tuwinghen, ecclesie Romane devoti, fuit propositum coram nobis, .. abbati et conventui monasterii de Blaburen[4] ordinis sancti Benedicti Constantiensis diocesis super provisione plurium direxerimus scripta nostra, certis super hoc executoribus deputatis: nos, volentes eisdem abbati et conventui obtentu prefati comitis facere gratiam specialem, mandamus, quatinus executoribus eisdem, qui super huiusmodi provisione nondum processerunt, ex parte nostra inhibeatis expresse, ut super eadem provisione de cetero non procedant; contradictores etc.

Dat. Lugduni, Nonis Maii, anno IIII[5].

344.

Innocentius IV papa Petro de Sabaudia ad preces eius indulget, ut in matrimonio cum [Agnete] nata [Aymonis] domini de Fulciniaco contracto, quarto consanguinitatis gradu non obstante, remanere possit. *1247, Mai. 7.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 392; Lib. IV, 711. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau. Berger 2709.

Nobili viro Petro[b] de Sabaudia[c][6].

Cum summus pontifex collatis sibi in persona beati Petri ab eo, qui eterna providentia celestia simul et terrena disponit, clavibus regni celestis ligandi obtineat[d] pontificium et solvendi, nonnunquam, supra ius de iure dispensans, necessitatis vinculum, quo ad ipsius iuris observantiam cuncti tenentur, laxat provide de sue potestatis plenitudine circa[e] quosdam, cum urgens necessitas exigit vel evidens utilitas, maxime publica, persuadet, nulla interveniente acceptione indebita personarum, quia non est reputandum deferri persone, cum pro loco et tempore non privati sed publici comodi gratia, et presertim divini consideratione servitii, quicquam alicui sine iuris iniuria indulgetur. Cum itaque, sicut te intimante accepimus, tu cum nobili muliere .. nata nobilis viri .. domini de Fulciniaco[7], quarto tibi consanguinitatis gradu coniuncta, matrimonium duxeris contrahendum, nos, tuis supplicationibus inclinati, volentes occurrere periculis, que oriri possent ut asseris, si contingeret inter te et eandem nobilem divortium celebrari, ut tu et predicta nobilis in matrimonio sic contracto — gradu huiusmodi non obstante — licite remanere possitis, auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.[8]

Dat. Lugduni, Non. Maii, anno IIII.

a) .. inalchingū et .. inausen (h above, .. below) *R. MAU.* b) viro .. Petro *R.* c) Sauābdia *R.* d) obtinet *R.* e) cura *R.*

1) *Elchingen ex sept. et or. civ. Ulm.* 2) *Brenz-Anhausen, in wirtemb. O. A. Heidenheim.* 3) *Wettenhusen ex or. civ. Ulm; cf. n. 188.* 4) *Blaubeuren ex occ. civ. Ulm.* 5) *Sub eodem die praeposito ecclesiae de Insula Constantiensis diocesis significavit, se ad preces eiusdem comitis palatini eisdem abbati et conventui indulsisse, ut quam primum aliquam de ipsorum ecclesiis vacare contingeret, ipsam in usus proprios usque ad quinquennium retinere valerent, eique mandavit, ne eos super hoc molestari permitteret; Wirtemb. U. B. t. IV, p. 153, n. 1091; quae ep. in Reg. non extat.* 6) *Hic frater erat Amadei comitis Sabaudiae, qui paulo ante imperatori reconciliatus, Apr. 21 filiam suam Beatricem Manfredo filio eius desponderat; cf. Böhmer-Ficker, l. c. 3626.* 7) *E mer. et or. civ. Genevensis. De eodem cf. Potthast, Reg. 12255, 12390, 12501 [cf. p. 251, not. 2], quae ep. in Reg. non extant.* 8) *Cf. similem formam ep. n. 163.*

345.

Innocentius IV papa potestati et communi Vercellensibus indulget, ut in eos excommunicationis et interdicti sententiae per litteras sedis apostolicae, etiamsi per eas negotium inceptum iam fuerit, absque sedis eiusdem licentia speciali per proximum triennium promulgari non possint. *1247, Mai. 7.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 393; Lib. IV, 718. Exemplar corruptum, quod Mandelli, Comune di Vercelli, t. I. p. 115 edidit quodque ex authentico manasse videtur [A], cum Regestis contulit et ex eis correxit V. Cl. A. Man.

Potthast, Reg. 12509; Berger 2716.

.. potestati et communi Vercellensibus.

Sincere devotionis affectus, quem[a] ad nos et Romanam ecclesiam habere noscimini[b], et temporis instantis necessitas[1] merito nos inducunt, ut vobis favorem et gratiam impendamus. Hinc est, quod devotis vestris[c] supplicationibus inclinati, auctoritate vobis presentium[d] indulgemus, ut nullus delegatus vel subdelegatus[e] ab eo, executor sive conservator a sede apostolica deputatus, possit per litteras ab ipsa sede impetratas, etiamsi per ipsas iam inceptum negotium fuerit, seu etiam in posterum impetrandas, in vos excommunicationis et in civitatem vestram interdicti sententias promulgare absque speciali eiusdem sedis[f] mandato faciente de indulgentia huiusmodi mentionem. Nulli[g] ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis etc.: presentibus post triennium etc.[h]

Dat. Lugduni, Non. Maii, anno quarto[2].

346.

Innocentius IV papa [Henrico] marchioni Misnensi suadet, ut licet P[etrus] Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, apostolicae sedis legatus, mandata receperit super relaxandis sententiis, quae propter matrimonium inter [Margaretam] natam Friderici quondam imperatoris et [Albertum] filium eius contrahendum latae sint, tamen puellam ad patrem remittat, cum matrimonium cum bona conscientia tolerare non possit. *1247, Mai. 7.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 384; Lib. IV, 626. Pertzii exemplar contulimus cum Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 534.

Potthast, Reg. 12508; Berger 2623.

.. marchioni Misnensi[3].

Miramur plurimum et turbamur, quod cum iniquitates et scelera F. quondam imperatoris nota sint omnibus, tam prope positis quam remotis, ac ad omnes orbis angulos pervenerit de ipsius calliditate, sevitia et versutia manifestis, tu, qui tamquam

a) quae A. b) noscitur A. c) ve. dev. A. d) praes. vob. A. e) *verba* vel subdelegatus — deputatus *desunt* A. f) *verba* eiusdem sedis *desunt* A. g) *verba* Nulli — Si quis etc. *desunt* A. h) minime valituris A.: *ita haec formula supplenda est. Verba* presentibus — etc. *ante* Nulli ergo *poni debebant, sicut probant epp. ap. Berger 418, 437, 509, 541, 592, 594, 767, 1467, 2524, 2649, 3067, 3761. Idem mendum occurrit supra in n. 58. Cf. N. A. t. X. p. 521.*

1) *Imperator hoc tempore Cremonae morabatur et his diebus Taurinum indeque Lugdunum proficiscendi consilium cepit; Böhmer-Ficker, l. c. 3626a.* 2) *Papa sub Apr. 19 electo Vercellensi indulserat, ut consecrationis munus ex tunc per annum non teneretur suscipere; Berger 2540.* 3) *Cf. n. 276 et 322.*

vir sapiens et expertus non deberes hec omnia ignorare. vis domum tuam et posteritatem inficere ipsius sanguine scelerato. cum sis princeps catholicus et de maioribus mundi unus. Licet autem tam obtentu tui quam carissimi in Christo filii nostri . . regis Boemie[1] illustris soceri tui. qui personam tuam nobis plurimum commendavit, volentes tibi facere gratiam specialem. dilecto filio nostro P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato. super relaxandis ut petebas quibusdam latis hac occasione sententiis nostras sub certa forma litteras dirigamus[2]: quia tamen, personam tuam specialis[a] prerogativa favoris et gratie[b] amplexantes, reputamus te maximum et precipuum ecclesie defensorem. nobilitati tue consulimus bona fide teque, cum carus sis nobis, requirimus et rogamus, quatinus, considerato prudenter quod progenitores tui constanter in devotione sedis apostolice persistiterunt, quibus debes, sicut propagatione sanguinis, sic devotionis imitatione succedere. quodque prefatus F. modis quibus potest aspirat[c] non tam ad subversionem fidei et ecclesie, contra quas nephando commercio iugiter machinatur, quam etiam ad destruendos penitus vel saltem redigendos in extremam vel vilissimam servitutem omnes nobiles et potentes, natam eiusdem, cum qua natus tuus de facto sponsalia contraxisse dicitur[3], quam non potes[d] sine anime tue ac eius periculo retinere, ad eum qui misit eam pro divina et apostolice sedis ac nostra reverentia remittere non postponas. pro certo tenens quod, quantumcumque personam tuam intendamus prosequi prerogativa gratie specialis, prefata sponsalia non possemus cum bona conscientia tolerare. Preces igitur nostras sic studeas efficaciter et celeriter adimplere. quod exinde apud Deum. in cuius iniuriam et nominis sui grave dispendium ad huiusmodi matrimonium procederetur. hoc tempore accrescat meritum et laus in populis nationum reddasque tibi et tuis proinde[e] sedem apostolicam ac universalem ecclesiam artius obligatas. Nos enim, qui salutem tuam appetimus et profectum. si te nostris in hac parte coaptaveris beneplacitis et mandatis. ab omni promissione seu obligatione pecuniaria seu quacumque alia prefato F. vel eius nomine alii cuicumque facta occasione sponsalium predictorum te duximus absolvendum.

Dat. Lugduni. Nonis Maii. anno quarto[4].

347.

Innocentius IV papa P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato, ad preces [Henrici] marchionis Misnensis concedit facultatem relaxandi sententias a [Philippo] electo Ferrariensi tunc legato promulgatas, ne inter Margaretam natam Friderici quondam imperatoris et Albertum filium marchionis matrimonium contraheretur. *1247, Mai. 7.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 383; Lib. IV, 620. Pertzii exemplar contulimus cum Huillard-Brelholles, l. c. t. VI, p. 532.

Potthast, Reg. 12507; Berger 2617.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato[5].

Exhibita nobis nobilis viri . . marchionis Misnensis petitio continebat. quod cum idem secum teneat Margaretam puellam natam F. quondam imperatoris. quam Albertus

a) speciali *P. et H. B.* b) gratia *H. B.* c) spirat *H. B.* d) *H. B.*; potest *P.* e) provide *P. et H. B.*

1) *Wenceslai.* 2) *n. 347.* 3) *Cf. Bohmer-Ficker, l. c. 3463a et 3464.* 4) *Sub Iun. 20 papa Christoforo notario marchionis Misnensis quandam gratiam fecit: Berger 2826 et 2827.* 5) *Cf. n. 346.*

eiusdem marchionis filius desponsavit, dilectus filius . . electus Ferrariensis, tunc apostolice sedis legatus, asserens quod nobilis vir Hermannus quondam natus sancte Elysabeth, eidem Alberto in tertio gradu attinens[1], puellam eandem primitus desponsavit, marchioni mandavit eidem, ut eum publice honestatis iustitia contrahendum matrimonium impediat et dirimat iam contractum, puellam ipsam ad patrem suum infra certum terminum remittere procuraret. Alioquin in ipsius et consiliariorum suorum personas excommunicationis ac in terram eius interdicti sententias promulgabat. Propter quod prefatus marchio, infra eundem terminum ad apostolicam sedem appellans, nobis humiliter supplicavit, ut cum eadem puella eo tempore, quo inter ipsam et prefatum Hermannum sponsalia contracta fuerint, non nisi duos annos haberet et postmodum sex annorum[a] dumtaxat existeret, quando eam prefatus marchionis filius habens tantummodo annos quatuor desponsavit, relaxari huiusmodi sententias faceremus. Volentes igitur dicto marchioni specialem gratiam facere in hac parte, mandamus, quatinus inquisita super hiis diligentius veritate, si rem inveneris ita esse, procures auctoritate nostra easdem sententias relaxare.

Dat. Lugduni, Nonis Maii, anno IIII.

348.

Innocentius IV papa eidem et [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino mandat, ut [Henrico II] electo Spirensi, cuius bona occupata vel obligata sint, in certa summa pecuniae annuatim faciant in Alamannia provideri, donec cesset persecutio ecclesiae.

1247, Mai. 7.

Inn. IV Reg. Vol. I, 385; Lib. IV, 644.
Berger 2641.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato[b], et . . archiepiscopo Maguntino.

Cum dilectus filius . . electus Spirensis ad apostolice sedis obsequia se exponens non habeat, cum bona sua occupata sint ab inimicis ecclesie et aliqua de mandato sedis apostolice obligata, unde valeat honorifice sustentari, mandamus, quatinus eidem in Alemania, in locis in quibus expedire videritis, faciatis in certa summa pecunie iuxta providentiam vestram annis singulis, donec cesset persecutio ecclesie, provideri — non obstante aliqua indulgentia ab apostolica sede in generali vel speciali obtenta vel etiam obtinenda, per quam huiusmodi gratia impediri valeat vel etiam retardari —: contradictores etc.[2]

Dat. Lugduni, Non. Maii, anno IIII.

349.

Innocentius IV papa P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato, dispensandi cum Gotfrido comite de Calwe et Berta uxore eius, ut non obstante quarta consanguinitatis linea in matrimonio contracto remaneant, facultatem concedit.

1247, Mai. 8.

Inn. IV Reg. Vol. I, 384; Lib. IV, 624.
Berger 2621.

a) *H. B.*; annos *P.* b) Eidem legato *B.*; *antecedit n. 350.*

1) *Stemma: Albertus, Henricus marchio, Theodericus et Iutta — Hermannus I lantgravius Thuringiae — Ludowicus IV, Hermannus II.* 2) *De eodem electo cf. p. 246, not. 2.*

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Etsi coniunctio copule coniugalis etc. Cum igitur, sicut ex parte nobilis viri Gotfridi comitis de Calwe[1] Spirensis diocesis fuit propositum coram nobis, idem comes nobilem mulierem Bertam, quarta eum consanguinitatis linea contingentem, duxerit in uxorem ac genuerit plures filios ex eadem, mandamus, quatinus cum eis, ut in huiusmodi matrimonio — impedimento non obstante prefato — remanere licite valeant, auctoritate nostra dispenses, si ecclesie negotio videris expedire.

Dat. Lugduni, VIII Idus Maii, anno IIII.

350.

Innocentius IV papa eidem dispensandi cum Wota nata E. domini de Eicheum et Ulrico de Risinspure, ut, eo non obstante quod mulierem filius viri antea desponsaverit, in matrimonio remaneant, facultatem concedit. *1247, Mai. 8.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 385; Lib. IV, 643.
Berger 2640.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Cum, sicut ex parte nobilis viri E. domini de Eicheum[2] fuit propositum coram nobis, Wotam natam eius nobilis vir Ulricus de Risinspure[3] Augustensis diocesis, quam antea natus eius desponsaverat, duxerit in uxorem et genuerit plures filios ex eadem, mandamus, quatinus cum eis, ut — impedimento huiusmodi non obstante — in matrimonio sic contracto remanere licite valeant, auctoritate nostra dispenses, si videris expedire.

Dat. Lugduni, VIII Idus Maii, anno IIII[a].

351.

Innocentius IV papa [Henrico] episcopo Constantiensi intuitu sui et Frederici militis, nuntii et procuratoris comitum Sueviae, concedit facultatem, ut cum Henrico clerico suo super pluralitate beneficiorum dispenset. *1247, Mai. 9.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 390; Lib. IV, 693. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau.
Berger 2691.

.. episcopo Constantiensi.

Ut dilecto filio magistro Henrico clerico tuo specialem gratiam faciamus, dilecti filii Frederici militis, nuntii et procuratoris dilectorum filiorum nobilium virorum comitum de Suevia[4], devota precamina nos inducunt. Hinc est, quod nos, attendentes litterarum

a) anno quarto *deest B.*

1) *Ex mer. cir. Pforzheim.* 2) *Ut videtur Eicheim, Eichen, ex or. cir. Biberach.* 3) *Reisensburg infra cir. Ulm ad Danubium, ex sept. et occ. cir. Burgau.* 4) *'Heinricus Constanciensis episcopus cum comitibus ecclesie astantibus Chuonradum dictum regem multis modis afflixit, sed ipse rebellare non potuit'; Ann. Scheftlar. a. 1247, SS. t. XVII, p. 343; cf. Bohmer-Ficker, l. c. 4519c. Cf. etiam n. 339.*

scientiam, morum honestatem et conversationem laudabilem, super quibus sibi laudabile testimonium perhibetur, ac propter hoc nec non tui ac prefati militis intuitu ipsum favore benivolo prosequentes, dispensandi cum eo, quod preter beneficia, que obtinet curam animarum habentia, possit alia etiam similem curam habentia usque ad summam, quam expedire videris, libere recipere, si sibi canonice offerantur, et una cum obtentis libere retinere — non obstante constitutione concilii generalis —, liberam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem: proviso quod eadem beneficia debitis etc. usque: negligatur.

Dat. Lugduni, VII Id. Maii, [anno quarto][a].

352.

Innocentius IV papa abbati et conventui de Swarzahe ad preces [Ulrici] comitis de Wirtemberch mandat, ut Nicolao clerico Argentinensi in ecclesiastico beneficio provideant. 1247, Mai. 10.

Inn. IV Reg. Vol. I, 387; Lib. IV, 662. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau. Berger 2660.

.. abbati et conventui de Swarzahe[1] ordinis sancti Benedicti Argentinensis diocesis.

Ad faciendam dilecto filio Nicolao clerico Argentinensi gratiam specialem, dilecti filii nobilis viri .. comitis de Wirtemberch[2] preces ac ipsius clerici merita, super quibus ei testimonium perhibetur laudabile, nos inducunt. Rogamus itaque universitatem vestram attentius et monemus, mandantes quatinus eidem clerico pro apostolice sedis et nostra reverentia in ecclesiastico beneficio competenti, quod ad collationem vestram pertineat et consueverit[b] clericis secularibus assignari, quam cito se facultas obtulerit, liberaliter providere curetis — non obstante si direximus vobis pro aliis scripta nostra, quibus nolumus etc. usque: generari, vel qualibet indulgentia ab apostolica sede obtenta, per quam huiusmodi gratia retardari possit seu etiam impediri. Alioquin, nolentes ut ad nos verbum nostrum vacuum revertatur, venerabili fratri nostro .. episcopo Argentinensi[3] damus nostris litteris in mandatis, ut ipse super hiis mandatum apostolicum exequatur; contradictores etc.

Dat. Lugduni, VI Idus Maii, anno IIII.

353.

Innocentius IV papa P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato, mandat, ut [Iacobo] episcopo Metensi monasterium sancti Martini Glandariensis vacans, si expedire viderit, administrandum committat. 1247, Mai. 10.

Inn. IV Reg. Vol. I, 384; Lib. IV, 630. Berger 2627.

a) anno quarto *deest R.* b) consuevit *R.; cf. n. 325.*

1) *Schwarzach e mer. et occ. cir. Rastatt.* 2) *Hic in pugna a. 1246, Aug. 5 apud cir. Frankenfort facta a parte Conradi regis ad Henricum Raspe regem transierat: Bohmer-Ficker, l. c. 4510b. Cf. etiam n. 351.* 3) *Henrico III.*

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Cum, sicut accepimus, monasterium sancti Martini Glandariene[1] Metensis diocesis venerabili fratri nostro . . Metensi episcopo in spiritualibus et temporalibus sit subiectum, nos, cupientes monasterium ipsum, quod sicut fertur vacat ad presens, proficere laudabiliter in utrisque, mandamus, quatinus, si est ita, amministrationem dicti monasterii eidem episcopo, per cuius industriam et potentiam tam circa spiritualia quam temporalia optata poterit suscipere incrementa, si expedire videris, auctoritate nostra committas; contradictores etc.

Dat. Lugduni, VI Idus Maii, anno quarto[2].

354.

Innocentius IV papa eidem mandat, ut [Sibotonem] episcopum Augustensem senio confectum ad cessionem inducat et ea recepta capitulo inhibeat, ne absque mandato apostolico ad electionem procedat. *1247. Mai. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 390; Lib. IV, 692.
Berger 2690.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato[a].

Cum, sicut a fide dignis accepimus, venerabilis frater noster episcopus Augustensis[3] confectus iam senio factus sit inutilis ad exequendum officium pastorale, propter quod et Augustensis ecclesia in spiritualibus lesa et in temporalibus diminuta dinoscitur et generalis ecclesie negotio plurimum derogatur: mandamus, quatinus eundem episcopum, quod libere in manibus tuis cedat, ex parte nostra monere ac efficaciter inducere non postponas; cuius cessione recepta capitulo Augustensi inhibere procures, ut ad electionem, postulationem seu nominationem non procedant absque mandato sedis apostolice speciali, decernens auctoritate nostra irritum et inane, si secus duxerint attemptandum.

Dat. Lugduni, V Idus Maii, anno IIII.

355.

Innocentius IV papa eidem ad preces [Wenceslai] regis Bohemiae mandat, ut Conrado ab ecclesia Olomucensi iamdudum amoto, si expedire viderit, villam

a) Eidem *R.; antecedit n. 366.*

1) *S. Martin aux Chênes de Glandieres.* 2) *Sub Ian. 17 papa eidem episcopo quandam concessionem confirmavit, quam idem legatus ei fecerat 'attendens grata devotionis obsequia, quae tam per se quam per suos ecclesiae Romanae ac ipsi legato exhibuisset hactenus et adhuc exhiberet studio indefesso'; et eodem die eidem 'pro negotiis ecclesiae generalis multa sustinenti onera expensarum' indulsit, ut omnium ecclesiasticorum beneficiorum proventus, quae infra quinquennium in sua civitate vel diocesi vacare contingeret, posset per biennium pro suis necessitatibus retinere; Berger 2806 et 2807.* 3) *Cf. n. 310.*

Cholso et de Opavia et de Gelz possessiones usque ad valentiam 300 marcarum argenti annis singulis conferat. *1247, Mai. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 391; Lib. IV, 700. Pertzii exemplar contulimus cum Boczek, Cod. dipl. Moraviae, t. III, p. 73, n. 99.
Potthast, Reg. 12514; Berger 2698.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Ex parte carissimi in Christo filii nostri . . regis Boemie illustris fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum Conradus, quem ab ecclesia Olomucensi iamdudum amovimus[1], castra et alia, que de bonis episcopatus Olomucensis habebat, libere duxerit resignanda, eidem C., qui in partibus illis nobilis est et potens, villam Cholso et de Opavia et de Gelz possessiones cum earum pertinentiis, ad episcopatum Olomucensem spectantes, usque ad valentiam trecentarum marcarum argenti annis singulis concedere de benignitate solita curaremus. Quocirca mandamus, quatinus super hiis auctoritate nostra facias, quod videris expedire; contradictores etc.

Dat. Lugduni, V Idus Maii, anno IIII[2].

356.

Innocentius IV papa [Bertholdo] praeposito et capitulo saecularis ecclesiae Grandisvallis mandat, ut cum, Bertholdo nuntio Margaretae natae quondam [Lupoldi VI] ducis Austriae referente, magister Cuno Lucernensis, capellanus [Henrici] episcopi Constantiensis, praebendam, quam in ecclesia eorum obtineat, resignare velit, eam Iohanni de monasterio Grandisvallis clerico conferant. *1247, Mai. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 385; Lib. IV, 642. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit et ex eis supplevit V. Cl. A. Mau.
Berger 2639.

. . preposito[3] et capitulo secularis ecclesie Grandisvallis[4] Basiliensis diocesis.

Cum, sicut dilecto filio Bertoldo[5], nuntio nobilis mulieris Margarete quondam[a] nate clare memorie . . ducis Austrie[6], accepimus referente, magister Cuno Lucernensis, capellanus venerabilis fratris nostri . . episcopi Constantiensis, concanonicus vester, velit prebendam libere, quam in ecclesia vestra obtinet, resignare, universitatem vestram rogandam duximus attentius et monendam, firmiter precipiendo mandantes quatinus, cum ad vos eiusdem ecclesie pertineat collatio prebendarum, prebendam ipsam, eius spontanea et libera resignatione recepta, dilecto filio Iohanni de monasterio Grandisvallis clerico, nullum adhuc beneficium ecclesiasticum assecuto, cui litterarum scientia,

a) *cf. p. 106, not. a.*

1) *Cf. n. 140 et 157.* 2) *Sub Mai. 25 papa [Brunoni] electo Olomucensi mandavit, ut quasdam collationes ecclesiarum a Conrado episcopo amoto personis idoneis factas propter regis Bohemiae favorem ratas haberet; Berger 2720, Potthast, Reg. 12531.* 3) *Hic Bertholdus praepositus erat frater Ulrici comitis de Ferreto.* 4) *Grandval ex sept. et occ. cir. Solothurn.* 5) *Sub Mai. 18 papa obtentu Bertoldi, 'notarii M. sororis clarae memoriae ducis Austriae' quandam gratiam fecit; Berger 2697.* 6) *De eadem Margareta cf. n. 322.*

morum honestas et vite munditia suffragantur, pro apostolice sedis et nostra[a] reverentia liberaliter conferatis, recipientes ipsum ad prebendam eandem in canonicum et in fratrem, — non obstante si direximus pro aliis scripta nostra, quibus nolumus etc. usque: generari.

Dat. Lugduni, V Idus Maii, anno quarto.

357.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino scribit Warnerium [III] dapiferum ducis Bavariae, devotum ecclesiae, petivisse, ut monasterio monialium Syon a se fundato ordo beati Benedicti secundum primam institutionem concederetur, eique mandat, ut super hoc faciat, quod expedire viderit. 1247, Mai. 11.

Inn. IV Reg. Vol. I, 388; Lib. IV, 669. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit V. Cl. A. Mau.

Berger 2667.

.. archiepiscopo Maguntino.

Ex parte dilecti filii nobilis viri Warnerii ducis Bavarie dapiferi[1], ecclesie Romane devoti, fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum ipse monasterium Syon[2] tue diocesis in proprio fundo de bonis propriis fundaverit et dotarit, ibique, cum sit novella plantatio, in proximo morari debeant moniales, eis ordinem beati Benedicti secundum primam institutionem suam, ita quod non teneantur ad constitutiones, que postmodum facte sunt in ipso ordine, concedere paterna sollicitudine curaremus. Quocirca mandamus, quatinus super hoc auctoritate nostra facias, prout secundum Deum videris expedire[3].

Dat. Lugduni, V Idus Maii, anno quarto.

358.

Innocentius IV papa [Iohanni] episcopo Anconitano scribit se statuere, ut Auximani omnia damna, ecclesiae Anconitanae a tempore, quo Fridericus quondam imperator Marchiam occupaverit, irrogata, restaurare teneantur. 1247, Mai. 11.

Inn. IV Reg. Vol. I, 388; Lib. IV, 670. Pertzii exemplar contulimus cum Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sedis t. I, p. 124, n. 223.

Potthast, Reg. 12517; Berger 2668.

.. episcopo Anconitano.

Indevoti Deo et ecclesie[b] nonnulli de civitate Auximana, postquam F. quondam imperatori dampnabiliter adheserunt, suam in hoc potissime moliti sunt experiri sevitiam, quod Anconitanam ecclesiam et iniuriis diris afficerent et iacturis enormibus deformarent. Cum autem propter hoc ipsa ecclesia quasi ad nichilum, sicut accepimus,

---

a) mea *M., quod nunquam ita occurrens, cum compendio* nr̃a *permutatum esse videtur.* b) ecclesie *deest T.*

1) *Scil. dapiferi palatinatus Rheni de Alzeia. De eodem cf. Wardtwein, Monasticon Palat. t. VI, p. 105 et 106.* 2) *Prope civ. Alzey.* 3) *Sub Mai. 19 papa 'abbatissae et conventui monasterii de Syon Cisterciensis ordinis Maguntinae diocesis' quandam gratiam fecit; Berger 2731.*

sit redacta, nos, eam debite consolationis volentes delinire remediis et eiusdem persecutoribus condigne merita compensare mercedis, presentium auctoritate statuimus, ut dicti Auximani omnia, que per ipsos vel eis procurantibus per exercitum prefati F. a tempore, quo ipse occupavit Marchiam[1], de iam dicte bonis ecclesie sunt consumpta, restaurare teneantur eidem. Nulli ergo etc. nostre constitutionis etc.

Dat. ut supra[2].

In eundem modum . . archidiacono et capitulo Anconitanis.

359.

Innocentius IV papa A[zzonem] marchionem Estensem monet, ne credat, si F[idericus] quondam imperator divulget, inter se et ecclesiam de pace tractari.

1247, Mai. 12.

Inn. IV Reg. Vol. I, 389; Lib. IV, 677. Pertzii exemplar contulimus cum Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sed. t. I, p. 124, n. 224.

Potthast, Reg. 12518; Berger 2675.

Nobili viro A. marchioni Estensi.

Nec novum est nec insolitum nec etiam insuetum, quod F. quondam imperator rumores falsos et inexcogitatos prorsus facit per orbem frequentius insonari: propter quod devoti ecclesie moveri non debent nec adhibere talibus verbis fidem, si ipse aliqua dici faciat, per que corda debilitet eorundem, sed tamquam viri stabiles, quos nullatenus relinquemus, in firmitate solita constantius permanere. Cum igitur prefatus F. divulgari faciat, quod inter ecclesiam et ipsum habetur tractatus concordie reformande, noveris, quod licet eius sicut cuiuslibet Christiani quantumcumque perversi desideremus salutem anime, et quod rediens ad cor agat penitentiam de commissis, super pace tamen aut concordia reformanda tractatus aliquis non habetur nec fuit habitus ab eo tempore, quo in ipsum depositionis sententia in generali concilio lata fuit[3].

Dat. Lugduni, IIII Idus Maii, anno IIII.

360.

Innocentius IV papa [Henrico] episcopo Constantiensi mandat, ut clericos F[riderico] quondam imperatori et [Conrado] nato eius adhaerentes beneficiis a sede apostolica concessis privet eaque devotis conferat. *1247, Mai. 13.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 388; Lib. IV, 665.

Berger 2665.

---

1) *Imperator a. 1239, Aug. Marchiam ad imperium revocaverat; Böhmer-Ficker, l. c. 2468a et sequ.* 2) *Eodem die papa eidem facultatem concessit, ut cum nonnulli Aesinae, Senogalliensis et Auximanae civitatum et dioecesium imperatori adhaerentes ecclesiam Anconitanam turbarent, terras, possessiones et alia, quae ab eadem ecclesia in feudum vel sub annuo censu tenerent, ad manus suas revocaret et devotis ecclesiae conferret; Potthast, Reg. 12516; Berger 2669; cf. 2670 et 2680 et infra n. 364.* 3) *Hoc, quoad scimus, verum est; sed amici utriusque partis, in primis rex Franciae, pro pace reformanda interim multipliciter laboraverunt, et papa nuper aliquamdiu, inter Apr. 18 circiter et Mai. 4 [cf. p. 57, not. 1 et n. 336], paratus fuisse videtur cum imperatore ipso de pace tractare. Quam rem hic fortasse audivit et ea de causa Lugdunum proficisci tum intendit; cf. Böhmer-Ficker, l. c. 3626a et sequ.*

.. episcopo Constantiensi.

Cum nonnulli clerici sint ab apostolica sede gratiam in personatibus, dignitatibus, prelaturis, prebendis, canoniis et aliis beneficiis ecclesiasticis consecuti, mandamus, quatinus si ipsos vel illos, quorum intercessione huiusmodi gratiam sunt adepti, F. quondam imperatori vel eius nato inveneris adherere, predictos clericos tamquam ingratos prives auctoritate nostra omnibus beneficiis memoratis ipsaque conferas devotis ecclesie, quorum consanguinei et amici velint et valeant in negotio, quod pre manibus agitur, adiuvare; contradictores etc.[1]

Dat. Lugduni, III Idus Maii, anno IIII.

361.

Innocentius IV papa P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato, mandat, ut [Henrico II] electo Spirensi de archiepiscopatu vel episcopatu opulentiori, quam Spirensi, si vacet, provideat. *1247, Mai. 15.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 389; Lib. IV, 674.
Berger 2672.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Adeo[2] claruisse dinoscitur dilecti filii .. Spirensis electi[3] devotio probata in tempore necessitatis, qua probantur devoti, ut non tantum legitimus sed et specialis sit apostolice sedis filius reputandus, qui plene illi sicut matri exhibens quod affectui filiali debetur, in exequendis mandatis eius et voluntate ac actione sibi studuit complacere, se pro illa totaliter exponendo; quare nos specialis[a] caritatis prerogativa diligentes eundem, paterne affectionis dulcedine prosequi eum proponimus, ad incrementum ipsius ex animo aspirantes[b]. Ut igitur idem, quem reddunt merita gratiosum, fructum ex sua devotione reportet, et tanto efficatioribus studiis proficere satagat, quanto preventus munere gratie specialis, donis crescentibus donorum conspicit crescere rationes, mandamus, quatinus de aliquo archiepiscopatu vel episcopatu opulentiori episcopatu Spirensi, si vacat ad presens vel quam cito vacare contigerit, sibi auctoritate nostra studeas providere[4].

Dat. Lugduni, Idibus Maii, anno quarto.

362.

Innocentius IV papa A[zzoni] marchioni Estensi concedit, ut promissum salarium potestariae Vicentinae, quod, cum Fridericus quondam imperator civitatem Vicentinam occupaverit, sibi solutum non sit, quandocumque facultas se obtulerit, ab eadem civitate postulare sibi liceat. *1247, Mai. 15.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 392—393; Lib. IV, 713.
Berger 2711.

a) speciali *P.* b) aspiramus *P.*

1) *Cf. alias auctoritates eidem episcopo concessas sub n. 339 et mandatum simile Petro legato datum sub n. 303 XIV.* 2) *Cf. similem provisionem sub n. 265.* 3) *Cf. n. 348.* 4) *Cf. n. 303 XV et XX.*

Nobili viro A. marchioni Estensi.

Cum eo tempore, quo Fridericus quondam imperator civitatem Vicentinam occupavit[1], ibidem potestarie officium exerceres, nec de salario tibi promisso propter occupationem huiusmodi tibi fuerit, ut asseris, satisfactum: nos, attendentes dampna rerum et personarum, que in eadem occupatione dinosceris incurrisse, presentium tibi auctoritate concedimus, ut tibi et heredibus tuis liceat, quandocumque se facultas optulerit, a predicte civitatis communi prefatum salarium postulare, ad cuius plenariam solutionem tibi vel tuis heredibus faciendam dictum comune manere decernimus obligatum. Nulli ergo etc. nostre concessionis et constitutionis etc.

Dat. Lugduni, Idibus Maii, anno IIII.

363.

Innocentius IV papa [Marcellino] episcopo Aretino, marchiae Anconitanae rectori, mandat, ut homagia, quae nominati proditores praestari sibi fecerint a vassallis ecclesiae, irrita nuntiet. *1247, Mai. 15.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 396; Lib. IV, 738. Pertzii exemplar contulimus cum Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sedis t. I, p. 124, n. 225.

Potthast, Reg. 12520; Berger 2736.

.. episcopo Aretino, marchie Anconitane rectori.

Perditionis[2] filii et proditionis detestabilis incentores, Montefeltranus[3], Gotteboldus, Guillelmus et Thomascius eius filii, comes Sancti Petri, Palmerius Palmerii, Accurribonus Wislerii, Iacobus Marci, Attavianus[a] Filippi, Bonussignia, Attonus de Massacio, Dominicus Bocca Nera, Esini[b], Albezellus et Malatesta, Pensaurienses, Maicius Fanensis, Conradus de Sterreto[4], Marescottus de Saxoferrato[5], Gozius de Ripe, Fildesmilo de Fabriano[6], Gerardellus de Senegalia, quod prodiderunt Romanam ecclesiam et ad prodendam eam induxerunt alios[7], non contenti, nonnullos, ut accepimus, vassallos eiusdem ecclesie ac fideles conditionis libere sub servitute sua redigere presumentes, eos ad prestanda sibi[c] fidelitatis homagia de sua confisi potentia compulerunt. Cum igitur presumptorum ipsorum temeritas non sit equanimiter toleranda et fidelium nostrorum molestia existere nobis nequeat non molesta, mandamus, quatinus predicta fidelitatis homagia et quidquid ex hiis secutum fuerit denunties penitus non tenere, instrumenta, si que exinde sunt confecta, decernens nullius existere firmitatis: contradictores et rebelles etc.[8]

Dat. Lugduni, Idibus Maii, [anno IIII][d].

364.

Innocentius IV papa abbati Sanctae Mariae Portus Novi Anconitanae dioecesis mandat, ut compellat homines Portus Racanatensis ad restituenda [Iohanni] episcopo

---

a) *ita R.* b) Esinus *T.* c) sua *T.* d) anno IIII *deest R.*

1) *A. 1236, Nov. 1; cf. Bohmer-Ficker, l. c. 2201c. Interim civitas semper in potestate Gibellinorum fuit.* 2) *Cf. n. 200.* 3) *Hic fortasse fuit Montefeltranus comes Montisferetri et Urbini, qui sub charta, quae ab imperatore a. 1243, Oct. Conrado de Sterleto infra nominato concessa est, testis invenitur: Bohmer-Ficker; l. c. 3387* 4) *Sterleto, prope civ. Pergolam, e mer. Urbini.* 5) *Ex occ. civ. Iesi.* 6) *E mer. et occ. civ. Iesi.* 7) *Cf. Berger 2839.* 8) *De eodem rectore cf. Berger 2001 et 3048.*

Anconitano ea, quae quibusdam de familia eius, cum ad concilium Lugdunense pergeret, abstulerint 1247, Mai. 15.

Inn. IV Reg. Vol. I, 391; Lib. IV, 703. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit V. Cl. A. Mau.

Berger 2701.

.. abbati Sancte Marie Portus Novi[1] ordinis sancti Benedicti Anconitane diocesis[a].

Cum venerabilis frater noster .. Anconitanus episcopus, vocatus olim ad concilium Lugdunense, se accinxisset ad iter sedem apostolicam adeundi, quidam de familia ipsius ad Portum Racanatensem[2] multa pervenerunt necessitate compulsi; quibus cum loci habitatores se pro apostolice sedis et nostra reverentia debuissent reddidisse propitios et benignos, ausu reprobo contrarium presumentes eos quodam palafrido ipsius episcopi et rebus aliis, sicut accepimus, per violentiam spoliarunt. Quocirca mandamus, quatinus, si tibi ita esse constiterit, commune loci eiusdem, quod eidem episcopo predicta restituant, ut tenentur, monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas[3].

Dat. Lugduni, Idibus Maii, anno quarto[b].

365.

Innocentius IV papa decano et capitulo Sancti Bonifatii Traiectensis obtentu [Engelberti] episcopi Osnaburgensis et B[ernhardi III] domini de Lippia mandat, ut magistrum Arnoldum subdiaconum, procuratorem eiusdem episcopi, in fratrem et canonicum admittant. 1247, Mai. 16.

Inn. IV Reg. Vol. I, 390; Lib. IV, 685. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit et ex eis supplevit V. Cl. A. Mau.

Berger 2683.

.. decano et capitulo Sancti Bonifatii Traiectensis.

Adiutos virtutum meritis[c] digne prosequimur dono gratie specialis, ut dum votiva perceptione bonorum perspexerint se fecundos, illarum adiectione continua se reddere gaudeant insignitos. Cum itaque dilectus filius magister Arnoldus subdiaconus, procurator venerabilis fratris nostri .. Osnaburgensis episcopi, morum et scientie dicatur iuvari meritis, ut apud nos invenisse gaudeat favoris gratiam specialis, nos obtentu ipsius episcopi et etiam dilecti filii nobilis viri B. domini de Lippia[4], qui nobis pro ipso preces direxerunt et litteras speciales, universitatem vestram rogamus et hortamur attente, mandantes quatinus eundem pro apostolice sedis et nostra reverentia in fratrem et canonicum admittatis et de prebenda, quam cito se facultas obtulerit, liberaliter provideatis eidem — non obstante[d] certo canonicorum numero iuramento seu quacunque firmitate vallato, vel si vobis pro aliis scripta nostra direximus, quibus etc.

a) Eidem *R.; cf. not. 3.* b) Dat. ut supra *R.* c) *sequitur in R.:* etc. ut supra usque: insignitos, *scil. ut Lib. IV, 681.* d) *an* non obst. = non obstantibus?

1) *E mer. cir. Anconitanae.* 2) *Ex or. cir. Recanati.* 3) *Eodem die eidem abbati mandavit, ut Auximanos ad restauranda damna, quae ecclesiae Anconitanae intulissent, cum ab episcopo Anconitano requireretur, per excommunicationis sententiam compelleret; Berger 2700; cf. supra n. 358.* 4) *Hic testis sub charta Henrici Raspe regis a. 1246, Mai. 25 data legitur; Bohmer-Ficker, l. c. 4868.*

usque: generari, sive aliqua indulgentia etc. usque: mentionem —; preces nostras et mandatum[a] nostrum taliter impleturi, ut augmentum favoris et gratie vobis apud nos possit exinde provenire. Alioquin dilecto filio .. scolastico ecclesie sancti Iohannis Osnaburgensis per litteras nostras iniungimus, ut ipse super hoc mandatum apostolicum exequatur: contradictores etc.

Dat. Lugduni, XVII Kal. Iunii, anno quarto.

366.

Innocentius IV papa P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato, mandat, ut de meritis [Conradi] abbatis Augiensis inquirat, qui propter inobedientiam ad sedem apostolicam citatus sit, licet asserat se ecclesiae devotum esse, et cum quondam Henrici regis Romanorum praesentiam adire voluisset, ab inimicis ecclesiae captum extitisse. *1247, Mai. 17.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 390; Lib. IV, 691.
Berger 2689.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Petitione sua dilectus filius .. abbas Augensis monasterii Constantiensis diocesis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis nobis exposuit, quod quidam sui emuli manifesti, nequiter asserentes ipsum inobedientem et indevotum apostolice sedi fuisse, procurarunt sibi a nobis iniungi, ut personaliter in nostra presentia compareret[1]; quod eidem illa de causa in ammirationem vertitur vehementem, quia cum pridem pro devotione, quam circa predictam gerit ecclesiam, arripuisset iter adeundi presentiam clare memorie H. Romanorum regis, ut sibi favorem et auxilium largiretur, ab inimicis eiusdem ecclesie captus extitit et detentus, animi sui propter hoc non cadente sed in tantum potius excrescente virtute, quod postquam Deo propitio fuit redditus libertati, sepedicte inimicis ecclesie per consanguineos et amicos totis resistere viribus non destitit nec desistit. Cum autem sibi pro talibus meritis non iniuria sed compensari debeat benivolentia gratiosa, mandamus, quatinus si tibi per inquisitionem diligentem constiterit, quod idem abbas devotus sit ecclesie memorate, ipsum denunties sedis apostolice gratie restitutum, ac in statum debitum revoces, quicquid occasione huiusmodi false delationis contra ipsum inveneris temere attemptatum. Si vero culpabilem ipsum reppereris, illum erga personam eius modum correctionis habeas, per quem nobis et ecclesie condigna de ipso videatur satisfactio provenisse.

Dat. Lugduni, XVI Kal. Iunii, anno IIII.

367.

Innocentius IV papa abbati et conventui Sancti Andreae Vercellensis indulget, ut ex eo quod G[regorius] de Montelongo subdiaconus et notarius suus, apostolicae sedis

---

a) *sequitur in R.:* etc. ut supra usque: provenire, *scil. ut Lib. IV, 684.*

1) *Sub Apr. 18 per epistolam episcopo Argentinensi destinatam: Berger 2551. — A. 1244, Ian. 23 papa hunc abbatem excommunicatum appellavit [v. supra n. 49], a. 1245, Oct. 17 obtentu eius quandam gratiam concessit [Berger 1576], a. 1246, Iul. 25 electus Ferrariensis legatus eum cum aliis praelatis principibus, qui ad curiam Henrici regis neque ipsi venerant neque nuntios destinaverant, excommunicatum et suspensum citavit, ut infra viginti dies coram papa compareret [Hofler, Alb. v. Beham p. 122]. Videas autem infra ea, quae abbas e contra asseruit.*

legatus, castrum de Constanzana, ad ipsos pertinens, ex quibusdam falsis suggestionibus custodiae Henrici de Advocatis civis Vercellensis deputarit, nullum ipsis praeiudicium generetur. *1247, Mai. 18.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 390; Lib. IV, 689. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau. Berger 2687.

.. abbati et conventui monasterii Sancti Andree Vercellensis.

Ex parte vestra petitio nobis exhibita continebat, quod olim dilectus filius G. de Montelongo, subdiaconus et notarius noster, apostolice sedis legatus, castrum de Constanzana[1], ad vos pertinens pleno iure, quod tunc temporis ad petitionem communis Vercellensis ipsius duxeritis custodie committendum, nobilis viri Henrici de Advocatis civis Vercellensis, falso suggerentis eidem quod quondam T. predecessor tuus, fili abbas, se ad ecclesie converterat inimicos et quod idem castrum ad abbatem ipsum pleno iure spectabat, traditis sibi bonis omnibus, que tunc temporis habebatis in ipso, custodie deputavit, nosque postmodum, quod super hec ab eodem legato factum extitit, confirmationis nostre pagina roborandum duximus, ad supplicationem nobilis supradicti dilecto filio .. electo Taurinensi[2] ipsi nobili conservatore concesso. Quare nobis humiliter supplicastis, ut providere, ne per collationem vel concessionem prefati legati seu etiam confirmationem nostram vobis et dicto monasterio posset preiudicium generari, paterna sollicitudine curaremus. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, vobis auctoritate presentium indulgemus, ut per collationem, concessionem seu confirmationem predictas vobis vel ipsi monasterio super premissis nullum de cetero preiudicium generetur. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis etc.

Dat. Lugduni, XV Kal. Iunii, anno IIII[3].

368.

Innocentius IV papa abbati Pomposiano et priori Sancti Danielis de Venetiis mandat, ut Guidonem et Manfredum canonicos plebis Sancti Fidentii et quosdam alios Paduanae diocesis, Friderico quondam imperatori adhaerentes, beneficiis suis privent eaque devotis conferant. *1247, Mai. 18.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 392; Lib. IV, 706. Berger 2704.

.. abbati Pomposiano Comaclensis diocesis[1] et .. priori Sancti Danielis de Venetiis.

Qui sibi statuere licitum Deum et ecclesiam deducere in contemptum, adherendo impiis frangere molientibus privilegium ecclesiastice libertatis, illa debent dictante iustitia stipendia consequi, per que se agnoscendo culpabiles tandem ad viam rectitudinis redeant penitentes. Sane relatu digno ammiratione perpendimus, quod Guido et Manfredus canonici plebis sancti Fidentii necnon quidam rectores et clerici capellarum spectantium ad eandem Paduane diocesis a fide ac devotione sedis apostolice insano spiritu recedentes, F. quondam imperatori et eius fautoribus adherere non metuunt, et eorum mandatis in eiusdem sedis iniuriam dampnabiliter obsequuntur. Cum

1) *Costanzana, e mer. cir. Vercellensis.* 2) *Iohanne.* 3) *Sub Mai. 15 papa Octaviano cardinali, legato apostolico Lombardiae, qui tum Lugduni adhuc morabatur [Potthast, Reg. p. 1285], de eodem negotio scripserat; Berger 2688.* 1) *De eodem cf. n. 321.*

autem dignum sit, ut bona transferantur a reprobis et ad usus laudabilium transeant personarum, mandamus, quatinus, si vobis ita esse constiterit, predictos canonicos et rectores omnibus beneficiis, que ab eadem plebe obtinent, in perpetuum auctoritate nostra privantes, ipsa personis idoneis ecclesie Romane devotis, per quas eidem plebi et capellis possit comode deserviri, auctoritate predicta libere[a] conferatis, contradictores etc.

Dat. Lugduni, XV Kal. Iunii, anno IIII.

369.

Innocentius IV papa [Petro] episcopo Morinensi scribit, scabinos et universitatem villae Yprensis a se petivisse, ut cum in villa sua, in qua fere ducenta milia hominum commorentur, quattuor tantum ecclesiae parrochiales existant, eorum numerus augmentetur; mandat, ut de hac re et de quibusdam aliis gravaminibus inquirat. **1247, Mai. 22.**

Inn. IV Reg. Vol. I, 393; Lib. IV, 714. Pertzii exemplar contulimus cum Diegerick, Analectes Yprois, p. 49, qui authenticum in archivo Yprensi conservatum proposuit [A].

Potthast, Reg. 12527; Berger 2712.

.. episcopo Morinensi.

Ex parte dilectorum filiorum scabinorum et universitatis ville Yprensis fuit propositum coram nobis, quod cum in villa ipsa, in qua fere ducenta milia hominum commorantur[1], quatuor parrochiales ecclesie tantummodo sint statute, quarum canonici regulares curam obtinent animarum, et in qualibet ipsarum solus canonicus consueverit pernoctare, ac per hoc iidem in spiritualibus non modicum sustineant detrimentum, petebant in eadem villa tam ecclesiarum quam clericorum numerum augmentari. Super quibusdam etiam gravaminibus sedi apostolice sunt conquesti, videlicet quod .. decanus christianitatis et rectores ecclesiarum loci eiusdem Morinensis diocesis, que sua sunt, non que Iesu Christi querentes, si contingat simul et semel debere plures nuptias celebrari, ut plures oblationes extorqueant ab eisdem, sub unius misse celebratione ac uno die id fieri non permittunt, et si aliqui diversarum parrochiarum ipsius ville matrimonialiter vellent ad invicem copulari, nunquam sinunt huiusmodi matrimonium consumari, nisi accepta[b] prius a quolibet contrahentium oblationum nomine certa pecunie quantitate. Quod si tres dies feriatos subsequenter evenire contingat et nuptie debeant celebrari, prohibent malitiose banna in eisdem sollempnitatibus fieri[2], nisi pro sue libito voluntatis, in eorundem hominum preiudicium et gravamen. Iidem quoque modum avaritie non ponentes, si plures homines simul in eadem villa decedant, ipsorum corpora non permittunt ex prava quadam[c] consuetudine, ut pro quolibet offeratur, sub unius misse celebratione tradi ecclesiastice sepulture, in animarum suarum periculum et scandalum plurimorum. Preterea dicti homines adhiberi quibusdam ipsorum necessitatibus remedium postulabant, quia cum molendina ville Yprensis molere nequeant sine vento, que si etiam diebus singulis ventum haberent propitium ad molendum, vix sufficerent multitudini hominum eorundem, sibi concedi petebant, ut liceret eis molere, quandocumque ventus aptus venerit ad molendum. Quod si etiam ipsos contingeret pro uno eodemque delicto excommunicationis sententia innodari, volunt ad solutionem unius emende tantummodo, si emenda prestari debeat, obligari. Ad hec

a) auctoritate libera *B.* b) recepta *A.* c) qua. pr. *A.*

1) *Reperimus aestimationem similiter falsam in ep. n. 384.* 2) *Cf. Ducange, Gloss., sub verbo 'bannum', ed. L. Favre t. I, p. 555, col. 1.*

cum in eadem villa pro nuptiis celebrandis quedam consueverit adhiberi sollempnitas, que kergankeh[1a] vulgariter appellatur, occasione cuius tam pauperes quam divites ad vanam gloriam se fatigant laboribus et expensis. ita quod nonnulli plus expendunt in talibus, quam pro dote receperint mulieris, ad sollempnitatem huiusmodi faciendam petebant predicti[b] homines de cetero non compelli. Quare iidem nobis humiliter supplicarunt, ut super hiis providere sibi de benignitate sedis apostolice curaremus. Volentes igitur sic ipsorum utilitati consulere, quod aliorum iustitia non ledatur, mandamus[c], quatinus super premissis omnibus inquiras diligentius[d] veritatem, nobis quod inveneris fideliter rescripturus, ut per tuam relationem instructi quod iustum fuerit faciamus.

Dat. Lugduni, XI Kal. Iunii, anno IIII[2].

370.

Innocentius IV papa P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato, committit, ut [Meinhardo] episcopo Halberstadensi, ecclesiae adesse cupienti, mutuum propter hoc contrahendi licentiam largiatur. 1247, Mai. 23.

Inn. IV Reg. Vol. I, 395; Lib. IV, 728.
Berger 2726.

P. Sancti Georgii ad Vellum[e] Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Venerabilis frater noster .. episcopus Halberstadensis per suas nobis litteras supplicavit, ut cum ecclesie matri sue in negotiis eius adesse intendat honorifice ac potenter[3], in ipsius properando auxilium et exhibendo illi quod affectui filiali debetur, contrahendi propter hoc mutuum et obligandi creditoribus ecclesie sue bona sibi licentiam largiremur. Id igitur circumspectioni tue, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, committentes, discretioni tue mandamus, quatinus ei, si expedire videris, licentiam tribuas postulatam.

Dat. Lugduni, X Kal. Iunii, anno IIII.

371.

Innocentius IV papa archipresbytero de Varcio Terdonensis diocesis mandat, ut Friderico, clerico archidiaconi Terdonensis capellani sui, praebendam cuiusdam ecclesiae Papiensis, quae sibi per vim subtracta sit ab adversariis favore potestatis Papiensis suffultis,

---

a) kerganken A; kergakech *Warnkönig, Flandr. Staats- u. Rechtsgesch. t. II 1, Anh. p. 168, n. 87 in eodem A. legit.* b) supradicti A. c) fraternitati tue per apostolica scripta mandamus A. d) diligenter A. e) *ita R.*

1) *Germ. 'Kirchgang'.* 2) *Sub Apr. 21 papa Yprensibus indulserat, ut nullus sedis apostolicae legatus in eos interdicti, suspensionis vel excommunicationis sententias promulgare posset sine sedis eiusdem mandato speciali; Berger 2582, Potthast Reg. 12481. Cf. etiam Potthast 12383, 12425, 12462, quae ep. in Reg. non extant.* 3) *Id quod tum primo factum esse videtur; nam a. 1245, Mai. 11 papa eum excommunicatum appellaverat [cf. n. 119], a. 1246, Iul. 25 electus Ferrariensis legatus inter praelatos Germaniae inobedientes eum non nominarit [cf. p. 153, not. 2], neque vero in actis Henrici Raspe regis nomen eius usquam occurrit. Cui rei haec ipsa verba epistolae conveniunt.*

quibuscum propter potentiam eorum et timorem nuntiorum Friderici quondam imperatoris in illis partibus litigare non possit, restitui faciat. *1247, Mai. 28.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 397; Lib. IV, 751. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit V. Cl. A. Man.

Berger 2749.

.. archipresbytero de Varcio[1] Terdonensis diocesis.

Fredericus clericus dilecti filii .. archidiaconi Terdonensis capellani nostri nobis exposuit, quod cum quondam .. preposito et capitulo ecclesie canonice Gualterii Papiensis super receptione ac provisione sua in eadem ecclesia direxerimus scripta nostra, Guidone canonico plebis de Vaitio[a] Terdonensis diocesis sibi super hoc executore concesso: tandem, ipso ab eisdem preposito et capitulo ad quandam prebendam inibi vacantem recepto in canonicum et in fratrem ac in corporalem possessionem dicte prebende ad mandatum eiusdem executoris inducto, et in contradictores excommunicationis sententia promulgata, Ribaldus dictus Salomon, qui apostolica, et quidam alii clerici Papiensis civitatis, qui dilecti filii G[regorii] de Montelongo subdiaconi et notarii nostri, apostolice sedis legati, auctoritate post ipsum in prefata ecclesia sunt recepti, se sibi super hoc indebite opponentes ac non permittentes eundem pacifica ipsius prebende possessione gaudere, ipsum favore .. potestatis Papiensis per quosdam eorum consanguineos fecerunt arte custodie mancipari et tam diu in communis Papiensis palatio detineri, [donec][b] de non utendo[c] litteris apostolicis[2] et possessione prebende iam dicte centum librarum Papiensis monete extorserunt ab eo fideiussoriam cautionem, iidemque prepositus et capitulum ei dictam prebendam contra iustitiam subtraxerunt. Quare idem clericus nobis humiliter supplicavit, ut cum propter timorem nuntiorum Frederici quondam imperatoris et huiusmodi adversariorum suorum potentiam et malitiam prepositi et capituli premissorum non possit nec audeat cum eis in illis partibus litigare, providere super hoc ei misericorditer curaremus. Mandamus, quatinus attentius moneas prepositum et capitulum antedictos, ut — dictorum receptorum non obstantibus contradictionibus — eidem clerico prebendam ipsam cum fructibus a tempore collationis sibi facte perceptis ex ea integre restituant ut tenentur; alioquin tam prepositum et capitulum quam R. et alios supradictos ex parte nostra citare procures, ut infra terminum peremptorium competentem, quem eis duxeris assignandum, per se vel procuratores idoneos compareant [coram][d] nobis, facturi et recepturi super hiis quod postulat ordo iuris.

Dat. Lugduni, V Kal. Iunii, anno IIII.

372.

Innocentius IV papa [Guillelmo II] archiepiscopo Bisantino scribit de subventione I[ohannis] comitis Burgundiae et domini Salinensis, qui dubitet se iturum in subsidium Terrae Sanctae. *1247, Mai. 29.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 395; Lib. IV, 735. Epistolam, quam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Man, contulimus cum alia huic simillima eidem archiepiscopo sub Mai. 6 directa ap. Berger 2613[1].

Berger 2733.

---

a) *ita M. verbum* Varcio, *quod B. praebet, correxit.* b) donec, *quod R. deest, B. suppleverit.* c) utendis *R. Locus alias quoque corruptus esse videtur.* d) coram *deest R.*

1) *Varzi, ex sept. et occ. monasterii Bobiensis.* 2) *Cf. n. 242.*

.. archiepiscopo Bisuntino.

Cum dilectus filius nobilis vir .. I. comes Burgundie et dominus Salinensis[a] [1], prout eo intimante accepimus, dubitet se iturum[b] in subsidium Terre Sancte, dignumque sit, ut de terra sua subsidium ad id habeat oportunum, mandamus, quatinus cum[c] ab eodem comite fueris requisitus, vicesimam partem reddituum ecclesiasticorum terre sue fideliter colligi facias et servari usque ad nostre beneplacitum voluntatis; contradictores etc.: — non[d] obstantibus litteris in ipsa terra super dicta vicesima ab aliis impetratis.

Dat. Lugduni, IIII Kal. Iunii, anno IIII.

373.

Innocentius IV papa [Marcellino] Aretino, marchiae Anconitanae rectori, et [Philippo] Firmano episcopis mandat, ut electionem Armanni in episcopum Aesinum per canonicos excommunicatos factam cassent et ecclesiae Aesinae de consilio Montanarii canonici eius devoti, Anconae exulantis, de pastore provideant. *1247, Mai. 30.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 397; Lib. IV, 756. Pertzii exemplar contulimus cum Sbaralea, Bull. Francisc. t. I, p. 459, n. 201.
Potthast, Reg. 12537; Berger 2751.

.. Aretino, marchie Anconitane rectori, et .. Firmano episcopis[2].

Ad nostram noveritis audientiam pervenisse, quod, ecclesia Esina pastore vacante, canonici eiusdem ecclesie, qui excommunicatione contempta morantur ibidem[3], non attendentes quod ipsi, qui excommunicatione tenentur, nec eligere possunt nec eligi, quendam ex hiis, videlicet Armannum, in eorum episcopum de facto eligere presumpserunt, quodam alio, Montanario videlicet, ipsius ecclesie canonico, ecclesie Romane devoto, qui propter timorem Friderici quondam imperatoris moratur Ancone, fratrem Gualterum de ordine Minorum extra ipsius ecclesie gremium eligente. Quocirca mandamus, quatinus de huiusmodi electionibus diligentius inquirentes, si eas inveneritis taliter attemptatas, ipsis cassatis penitus, provideatis auctoritate nostra de consilio dilecti filii Montanarii canonici supradicti, qui pro devotione, quam ad ecclesiam gerit, non audet apud Esium residere, ipsi ecclesie de pastore; contradictores etc.[4].

Dat. Lugduni, III Kal. Iunii, anno IIII.

374.

Innocentius IV papa [Alberto] electo Parmensi conferendi personis idoneis praelaturas et alia beneficia ecclesiastica civitatis et diocesis Parmensis, donec procella persecutionis, qua Fridericus quondam imperator infestet ecclesiam, conquiescat, facultatem concedit. *1247, Mai. 30.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 110; Lib. IV, 885.
Berger 2883.

a) Salmeñ *R.: verba* et dom. Sal. *desunt 1.* b) *ita 1:* iterum *R.* c) *verba* cum — requisitus *desunt 1.* d) *haec verba, quae desunt in ed. 1 ap. B., alias, ut in n. 379, ante verba* contradictores etc. *posita sunt; cf. p. 258, not. h.*

1) *E mer. cir. Besançon.* 2) *De hoc cf. n. 225.* 3) *De civitate Aesina cf. n. 200 et p. 266, not. 2.* 4) *Cf. Berger 3981.*

. . electo Parmensi.

Tue devotionis obtentu tibi gratificari volentes ac per impensam tibi gratiam aliis providere, conferendi personis idoneis prelaturas, dignitates, personatus, prebendas et beneficia ecclesiarum, tam regularium quam secularium, civitatis et diocesis Parmensis, que vacant ad presens vel in futurum vacare contigerit, ad quorumcumque collationem seu ordinationem pertineant, non obstante reservatione vel prohibitione super hiis a nobis vel ab aliis cuiuscumque auctoritate facta vel etiam facienda, et prohibendi, ne quid circa predicta sine tua licentia presumatur, nec non et compescendi contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione remota liberam tibi, donec procella persecutionis, qua F. quondam imperator infestat ecclesiam, conquiescat, auctoritate presentium concedimus facultatem — non obstantibus litteris super hiis conferendis ab aliquibus impetratis vel impetrandis seu indulgentiis quibuscumque personis ab apostolica sede concessis, ne ad receptionem aliquorum possint cogi per litteras, que de ipsis non fecerint mentionem et per quas gratia huiusmodi impediri possit vel etiam retardari. Nos enim decernimus irritum et inane, si quid in conferendis vel ordinandis eisdem absque tua licentia vel mandato a quolibet fuerit attemptatum[1].

Dat. Lugduni, III Kal. Iunii. anno IIII.

375.

Innocentius IV papa archiepiscopis et episcopis Hiberniae mandat, ut a clericis Italicis, qui beneficia apud se obtineant, impositum subsidium unius anni ad manus suas accipiant. *1247, Mai. 30.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 426—427; Lib. IV, cur. 109. Pertzii exemplar contulimus cum Theiner, Mon. Hibern. p. 17, n. 124.

Potthast, Reg. 12510; Berger 3025.

Archiepiscopis et episcopis per Yberniam constitutis.

Diversis angustiis etc. ut supra in littera LXXXI[2] usque: tranquillitatis exurgat. Cum igitur de consilio fratrum nostrorum duxerimus ordinandum, ut de Italicorum clericorum redditibus et pensionibus ecclesiasticis, que iidem habent in Ybernia usque ad centum marcas et[a] infra, quarta pars, de illis vero, que ultra centum marcas sterlingorum obtinent in eadem[b], medietas pro uno anno a proximo venturo festo nativitatis beati Iohannis Baptiste in antea computando ecclesie prefate subsidio deputetur: universitatem vestram rogamus affectione qua possumus et hortamur, precipiendo mandantes quatinus singuli quartam et medietatem ipsorum reddituum et etiam pensionum, que in episcopatibus vestris a clericis memoratis habentur, ad manus vestras[c] nomine subsidii prelibati accipi faciatis iuxta formam superius annotatam. Si vero aliquem vestrum dubitare contingat, quod hii, qui redditus seu pensiones in eius episcopatu obtinere noscuntur, alios redditus aut pensiones in episcopatibus habeant aliorum, tantum de huiusmodi redditibus et pensionibus in suis civitatibus et diocesibus constitutis accipi faciat, quod ecclesia decipi nequeat in hac parte quodque potius oporteat eum resignare superfluum quam postulare defectum; contradictores autem, si qui

a) *T.; et deest P.; cf. n. 312.* b) eisdem *T.* c) nostras *T.*

1) *Inn. 16 milites Parmenses extranei, ecclesiae adhaerentes, civitate Parmensi potiti sunt; Bohmer-Ficker. l. c. 3632a.* 2) *N. 312.*

fuerint, vel rebelles etc.: — indulgentia qualibet non obstante, licet presentes de ipsa expressam non faciant mentionem —; quantitatem eorum, que ad manus vestras pervenerint de redditibus et pensionibus supradictis, nobis, quam cito poteritis, fideliter rescripturi.

Dat. Lugduni, III Kal. Iunii, anno quarto.

In eundem modum episcopis per regnum Scotie constitutis usque: que iidem habent in regno Scotie etc.

In eundem modum archiepiscopis et episcopis per regnum Anglie constitutis usque: que iidem in regno Anglie etc.

In eundem modum archiepiscopis et episcopis per regnum Francie constitutis, ut in regno Francie etc.

In eundem modum archiepiscopis et episcopis per regnum Alamanie constitutis, ut in regno Alamanie etc.

In eundem modum archiepiscopis et episcopis per Provinciam constitutis, ut in Provincia etc.

In eundem modum archiepiscopis et episcopis per Wasconiam constitutis, ut in Wasconia etc.

In eundem modum archiepiscopis et episcopis per Borguniam constitutis, ut in Borgunia etc.

In eundem modum archiepiscopis et episcopis per Yspaniam constitutis, ut in Yspania etc.

376.

Innocentius IV papa abbati Placensi ad preces [Wencestai] regis Bohemiae mandat, ut relaxet suspensionis sententiam, quam [Gerhardus II] archiepiscopus Bremensis, mandatum apostolicum excedens, in [Nicolaum] episcopum Pragensem pro eo tulerit, quod totum regnum Bohemiae interdicto supponere noluerit. *1247, Iun. 1.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 398; Lib. IV, 762. Exemplar, quod Boczek, Cod. dipl. Moraviae t. III, p. 75, n. 101 edidit, cum Regestis contulit V. Cl. A. Mau.

Potthast, Reg. 12541; Berger 2760.

. . abbati Placensi ordinis Cisterciensis Pragensis diocesis.

Ex parte carissimi in Christo filii nostri . . regis Boemie illustris fuit propositum coram nobis, quod cum venerabili fratri nostro . . archiepiscopo Bremensi[1] nostris dederimus litteris in mandatis, ut ipsum, quod dilectum filium B[runonem] electum Olomucensem pacifica possessione episcopatus Olomucensis gaudere permitteret, moneret attentius ac inducere procuraret, idem archiepiscopus mandati formam excedens, eodem rege non monito nec inducto, venerabili fratri nostro . . episcopo Pragensi mandavit, ut pro eo, quod prefatus B. pacificam possessionem ipsius episcopatus nancisci non poterat, totum regnum Boemie ecclesiastico supponeret interdicto, et quia idem episcopus id efficere noluit absque mandato sedis apostolice speciali, dictus archiepiscopus

1) *Huic papa a. 1246, Febr. 13 quoddam mandatum exequendum commiserat [Berger 1727]; a. 1246, Iul. 25 electus Ferrariensis legatus eum excommunicatum et suspensum ad curiam citaverat [cf. p. 153, not. 2]; a. 1246, Nov. 19 papa Iohanni Labicensi et Theoderico Sacrinensi episcopis mandaverat, ut causam capituli Hamburgensis contra eum audirent et eam sufficienter instructam ad examen apostolicum remitterent; Potthast, Reg. 12359, quae ep. in Reg. non extat. Eo tempore, quo ea scripta est, archiepiscopus excommunicatus adhuc fuisse videtur, cum 'venerabilis frater' appellatus non sit, ita ut mandatum hic commemoratum postea ei datum esse oporteat. V. infra.*

tulit suspensionis sententiam in eundem; super cuius observatione sententie prefatus electus ab apostolica sede litteras impetrans, dilecto filio Gottifrido penitentiario et capellano nostro, quem ad partes illas transmisimus[1], dari obtinuit in mandatis, ut eundem episcopum faceret per prefatum regnum suspensum publice nuntiari. Quocirca mandamus, quatinus sententiam ipsam infra octo dies post receptionem presentium — premissis non obstantibus — sine difficultate qualibet studeas relaxare, maxime cum prefatus electus episcopatus predicti possessione gaudeat pacifice et quiete.

Dat. Lugduni, Kal. Iunii, anno quarto.

377.

Innocentius IV papa monasterium monialium sanctae Agnetis Argentinensis ad preces Amiciae dominae de Iorigniaco et Gualcheri nati eius, familiaris sui, ordini fratrum Praedicatorum incorporat. *1247, Iun. 1.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 400; Lib. IV, 791. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau. Berger 2789.

.. priorisse et conventui monasterii sancte Agnetis Argentinensis.

Cum, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, vos incluse corpore in castris claustralibus, mente tamen libera devote Domino famulantes, institutiones ordinis fratrum Predicatorum hactenus laudabiliter duxeritis observandas, nos, ad supplicationem dilectorum in Christo filiorum nobilis mulieris Amicie domine de Iovigniaco[2] et Gualcheri nati eius[3], familiaris nostri, devotionis vestre precibus inclinati, vos et monasterium vestrum incorporantes ordini supradicto, presentium auctoritate statuimus, ut sub magisterio et doctrina .. magistri et .. prioris provincialis Theutonie dicti ordinis, qui pro tempore fuerint, de cetero maneatis, illis gaudentes privilegiis, que ordini predicto ab apostolica sede concessa sunt vel in posterum concedentur, ipsique magister et prior — contraria constitutione ipsius ordinis vel indulgentia ab apostolica sede obtenta seu obtinenda nequaquam obstantibus — animarum vestrarum sollicitudinem gerentes et curam etc. ut supra in littera tertii capituli[4] usque: prout viderint expedire. Nulli ergo etc. nostre incorporationis et constitutionis etc. Si quis etc.

Dat. Lugduni, Kal. iunii, anno IIII[5].

378.

Innocentius IV papa fratri Blanco de ordine Minorum nuntio suo mandat, ut [Zoën] episcopo et clero civitatis et dioecesis Avenionensis eam quantitatem pecuniae moderetur, quam pro rata bonorum suorum episcopatibus circumpositis imposuerit. *1247, Iun. 1.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 127; Lib. IV, cur. 110. Ad Pertzii exemplar adhibuimus praeter id, quod Berger edidit, Sbaralea, Bull. Francisc. t. I, p. 119, n. 110, qui epistolam sub a. 1246, Iul. 1 falso proposuit. Potthast, Reg. 12195; Berger 3026.

1) *Sub a. 1246, Nov. 24 papa Wladislao, filio regis, [marchioni Moraviae], scripserat se Godefridum ordinis fratrum Praedicatorum, cap. et poen. suum, ad partes eius pro quibusdam ecclesiae Romanae et Terrae Sanctae negotiis destinare, eique mandaverat, ut ei super eisdem negotiis oportunum auxilium et favorem tribueret: Potthast, Reg. 12363, quae ep. in Reg. non extat. Rex ergo non ante initium a. 1247 cum papa plene reconciliatus fuisse videtur. Primam gratiam ei a papa impensam in ep. a. 1247, Mai. 7 reperimus: p. 259, lin. 1; cf. etiam verba ep. n. 355.* 2) *Ioigny e mer. cir. Sens.* 3) *De hoc cf. etiam Berger 2223, Potthast, Reg. 12216.* 4) *Berger 1998; Potthast, Reg. 12208, quae ep. plerisque locis cum n. 158 concordat.* 5) *Eodem die papa magistrum et priorem provincialem Teutoniae ordinis Praedicatorum de hac epistola certiores fecit; Berger 2790; cf. etiam 3155.*

Fratri Blanco de ordine fratrum Minorum, nuncio nostro.

Cum, sicut ex parte venerabilis fratris nostri . . episcopi et dilectorum filiorum cleri tam civitatis quam diocesis Avinionensis[a] fuit propositum coram nobis, pro subsidio apostolice sedis illud onus eis imposueris in pecunia persolvenda, ad quod possibilitates ipsorum[b] nullatenus se extendunt: presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus, consideratis facultatibus eorundem, illam eis quantitatem pecunie modereris, quam pro rata bonorum suorum aliis circumpositis episcopatibus imponere curavisti, ita quod iustam propter hoc non habeant ad nos materiam recurrendi.

Dat. Lugduni. Kal. Iunii[c], anno quarto.

379.

Innocentius IV papa [Henrico III] episcopo Argentinensi scribit de ecclesia de Ulmon, quam abbatissa et conventus monasterii Seconiensis, ad quas spectet, Alberto de Habesburc canonico Argentinensi, cuius frater et patruus et complures alii consanguinei F[riderico] quondam imperatori adhaererant, executores autem apostolici Waltero clerico, nepoti praepositi Spirensis, qui cum consanguineis suis in negotiis ecclesiae utilis fuerit, contulerint; eique mandat, ut eundem Walterum possessione ecclesiae gaudere faciat.

1247, Iun. 3.

Inn. IV Reg. Vol. I, 105; Lib. IV, 839. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit et ex eis supplevit V. Cl. A. Mau.

Berger 2837.

. . episcopo Argentinensi.

Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod cum abbatisse et conventui monasterii Seconiensis ordinis sancti Augustini Constantiensis diocesis nostris dederimus litteris in mandatis, ut dilecto filio Waltero clerico, nepoti dilecti filii . . prepositi Spirensis[1], canonico Argentinensi, cuius consanguineos et ipsum etiam in ecclesie negotiis asseris utiliter laborasse, providerent in ecclesiastico beneficio competenti ad earum collationem spectante et consueto clericis secularibus assignari, certis sibi super hoc executoribus deputatis: dictis abbatissa et conventu mandatum nostrum transeuntibus aure surda, iidem executores ecclesiam de Ulmon. ad collationem earum spectantem et que assignari clericis secularibus consuevit, que postea vacasse dinoscitur, eidem clerico auctoritate apostolica contulerunt, ipsum in corporalem eiusdem ecclesie possessionem induci per loci archidiaconum facientes. Quia predicte abbatissa et conventus Alberto de Hebesburc canonico Argentinensi, cuius frater[2] et patruus[3] et plures alii consanguinei F. quondam imperatori contra ecclesiam adheserunt, predictam ecclesiam dicuntur temere contulisse, nos, quod per prefatos executores super hoc provide factum est, ratum et gratum habentes, fraternitati tue mandamus, quatinus, si est ita, dictum Walterum facias ipsius ecclesie possessione gaudere — non obstante quod per easdem abbatissam et conventum de dicta ecclesia est presumptum, nullis litteris veritati et iustitie preiudicantibus ab eodem Alberto a sede apostolica veritate tacita impetratis —: contradictores etc.

Dat. Lugduni, III Non. Iunii, anno IIII.

a) Avi[ni]onensis *B.* b) *B. et Sb.;* illorum *P.* c) Iulii *Sb.*

1) *Bertoldi, e genere comitum de Eberstein orti, fratris quondam Conradi V episcopi Spirensis.* 2) *Rudolfus postea rex.* 3) *Rudolfus (III) Senior, comes de Habesburg, conditor lineae Laufenburgicae.*

380.

Innocentius IV papa P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato, mandat, ut procuret, si expedire viderit, ut in publicis stationibus et aliis locis Teutoniae, in quibus multitudo populi conveniat, sententiae contra fautores Friderici quondam imperatoris et Conradi nati eius latae promulgentur. 1247, Iun. 4.

Inn. IV Reg. Vol. I, 427; Lib. IV, cur. 113. Ad Pertzii exemplar adhibuimus praeter Berger 3029 Rayn. Ann. eccl. a. 1247, § 3.

Potthast, Reg. sub 12546 et 12526; Berger 3029.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato[a].

Cum nonnumquam[b] secundum diversitates[c] temporum et locorum aggravanda ultra solitum, prout exigit excessus qualitas et diei malitia, ecclesiastica sit censura, ex insinuatione quorundam fide dignorum nos noveris accepisse, quod multum expediret ecclesie negotio, quod habetur pre manibus, ut in partibus Theutonie in publicis stationibus et aliis locis, in quibus solet multitudo populi convenire, per aliquos religiosos auctoritate apostolica excommunicationi subdantur omnes illi, qui postquam ecclesie adheserant et super hoc prestiterant iuramentum, in arcum conversi perversum redire ad obsequia Friderici quondam imperatoris et Conradi nati eius ausu nephario presumpserunt, suppositis nichilominus eorum terris ecclesiastico interdicto, et in eisdem stationibus et locis prohibeatur expresse, ut tam ipsi quam omnes alii, qui eisdem[d] F. vel C. post latam in eundem F. depositionis sententiam adhesere, ad testimonium vel ad alios actus legitimos nullatenus admittantur, nec si ad ecclesiam confugerint, habeant consuete defensionis beneficium ab eadem, cum frustra legis auxilium invocet, qui committit in legem; in dictis locis et stationibus sub interminatione anathematis interdicto, ut nullus cum adherentibus seu fautoribus prefati F. vel C. emendo seu vendendo aut etiam alio modo communicare presumat. Clerici quoque, qui suis venenatis detractionibus nituntur vel ecclesie impedire negotium vel ipsum, quantum in eis est, denigrare, ab officio et beneficio in predictis locis et stationibus suspendantur, suspensi ibi et alibi nuntientur. Quocirca mandamus, quatinus auctoritate nostra super hiis, prout videris expedire, procures; contradictores etc.

Dat. Lugduni, II Non. Iunii, anno quarto.

381.

Innocentius IV papa [Hermanno] episcopo Herbipolensi mandat, ut clericos civitatis et diocesis suae Friderico quondam imperatori adhaerentes beneficiis a sede apostolica obtentis privet eaque devotis conferat. 1247, Iun. 4.

Inn. IV Reg. Vol. I, 397; Lib. IV, 755.

Berger 2753.

. . episcopo Herbipolensi[1].

Cum, sicut te intimante accepimus, quamplures clerici tue civitatis et diocesis favendo et adherendo Friderico quondam imperatori Romanorum, Dei et ecclesie inimico,

a) Eidem *R.; antecedit n. 340.* b) nos numquam *R.* c) diversitas *R.* d) eiusdem *R.*

1) *Hic Henrico Raspe regi ab electione eius faverat; Bohmer-Ficker, l. c. 4867, 4882, 4884.*

gratiis eis ab apostolica sede factis et beneficiis ecclesiasticis, que obtinent. reddiderint se indignos: quia dignum est, ut indevoti de sua indevotione iacturam et devoti comodum de sua devotione reportent. mandamus, quatinus indignos huiusmodi auctoritate nostra gratiis et beneficiis privans eisdem, ea personis idoneis et ecclesie Romane devotis conferas et assignes: contradictores etc.[1]

Dat. Lugduni, II Nonas Iunii, anno IIII.

382.

Innocentius IV papa [Egenoni] episcopo Brixinensi concedit, ut praelatos et clericos civitatis et diocesis suae Friderico quondam imperatori adhaerentes officiis et beneficiis privet eaque devotis conferat. *1247, Iun. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 401: Lib. IV, 804.
Berger 2802.

.. episcopo Brixinensi[2].

Ne possint impii. cum malefecerint. gloriari, presentium tibi auctoritate concedimus, ut prelatos et clericos tue civitatis et diocesis, qui Friderico quondam imperatori exhibent aut exhibebunt consilium. auxilium seu favorem. vel qui tibi pro ecclesie negotio contempserint obedire, ab eorum prelaturis et beneficiis amovere ac privare officiis beneficia ecclesiastica non habentes, ac prelaturas et beneficia supradicta personis idoneis, que in ecclesie devotione persistunt. conferre libere valeas, prout videris expedire; contradictores etc.

Dat Lugduni, Nonis Iunii, anno IIII.

383.

Innocentius IV papa [Henrico] episcopo Constantiensi concedit, ut magistris et fratribus Hospitalis, domus Teutonicorum et Sancti Spiritus diocesis suae inhibeat, ne excommunicatos et interdictos ecclesiasticae tradant sepulturae. *1247, Iun. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 400: Lib. IV, 783.
Berger 2781.

.. episcopo Constantiensi[a].

Tua nobis fraternitas intimavit. quod hospitalis[b] sancti Iohannis et domus Theutonicorum ac Sancti Spiritus magistri et fratres tue diocesis excommunicatos et interdictos privilegiorum suorum auctoritate, non attendentes quantum ex hoc detrahatur ecclesie negotio, presumunt, cum decedunt, ecclesiastice tradere sepulture: propter quod interdictum a plerisque contempnitur et eidem negotio non modicum derogatur. Quocirca fraternitati tue presentium auctoritate concedimus, ut eisdem religiosis, instanti ecclesie turbatione durante, huiusmodi sepulturas interdicere et cohibere eos, quod de cetero similia non attemptent, per excommunicationis, suspensionis et alias sententias libere valeas, prout eidem negotio videris expedire[3], non obstantibus etc.[c]

Dat. Lugduni, Nonis Iunii, anno IIII.

a) Eidem *R.: antecedit n. 388.* b) hospitale *P. B.* c) *ut in n. 388.*

1) *Formula, sub qua idem fere mandatum saepius datum est [cf. n. 201 III, 246, 303 XIV], ad hanc epistolam exarandam adhibita non est. Cf. etiam n. 308.* 2) *De eodem cf. n. 293.* 3) *Cf. n. 339 II et III.*

384.

Innocentius IV papa [Henrico] episcopo Constantiensi mandat, ut sculteto et universitati villae de Vriburc, si expedire viderit, concedat, ut in ea plebanus institui non possit, nisi sacerdos fuerit et ibi residentiam faciat. 1247, Iun. 5.

Inn. IV Reg. Vol. I, 406; Lib. IV, 847.
Berger 2845.

. . episcopo Constantiensi.

Ex parte . . sculteti et universitatis ville de Vriburc tue diocesis fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum in eadem villa unica sit tantum matrix ecclesia, cui[a] fere quadraginta milium[b] parrocianorum cura imminet animarum[1], quibus expedit pro salute ipsorum, ut plebanum habeant residentem, qui confessiones eorum audiat et in aliis secundum Deum saluti provideat eorundem, ut ecclesia predicta vacante non possit ibidem deinceps plebanus institui, nisi sacerdos existat et velit residentiam facere in eadem, eis concedere curaremus[2]. Volentes igitur in hac parte tibi deferre, qui loci diocesanus existis, mandamus, quatinus eisdem postulata concedas, prout ipsorum saluti et utilitati eiusdem ecclesie secundum Deum videris expedire.

Dat. Lugduni, Nonis Iunii, anno IIII.

385.

Innocentius IV papa [Goswino] decano Coloniensi, in civitate Coloniensi vices [Conradi] archiepiscopi tenenti, indulget, ut nisi infra civitatem synodis et capitulis interesse non teneatur. 1247, Iun. 7.

Inn. IV Reg. Vol. I, 399; Lib. IV, 776.
Berger 2774.

. . decano Coloniensi.

Procedit ex devotionis tue meritis, ut te sedes apostolica prosequatur favoris gratia specialis. Sane petitionis tue seriem audivimus, continentem quod cum te in civitate Coloniensi vices venerabilis fratris nostri . . archiepiscopi Coloniensis gerentem eius oporteat obsequiis immorari, nec possis ut teneris ad synodos episcopales accedere aut ruralibus capitulis ratione parrochialium ecclesiarum, quas ex dispensatione apostolice sedis optines, interesse, ac etiam pro malitia temporis tibi non sit tutum discurrere per latitudinem regionis[c]: nos, tuis supplicationibus annuentes, auctoritate tibi presentium indulgemus, quod nonnisi infra civitatem eandem tenearis predictis synodis et capitulis interesse, presertim cum, prout asseris, accedant ad ipsa tui vicarii, per quos iuxta tenorem dispensationis eiusdem facis in eisdem ecclesiis deserviri; presentibus post triennium minime valituris.

Dat. Lugduni, VII Idus Iunii, anno IIII[3].

a) cum *R.* b) milia *R.* c) *petitio ipsa, scil. 'ut papa ei super hoc providere dignetur', supplenda est.*

1) *Verba epistolae permittunt, etiam regionem villae circumiacentem ad eandem parochiam pertinuisse; sed uni plebano, etiamsi aliquos vicarios habuerit, tot homines subfuisse credi non potest; cf. n. 369.* 2) *Sub Apr. 8 papa episcopo et scholastico Argentinensibus mandaverat, ut Gebehardum capellanum suum, fratrem comitis de Friburc, qui post amotionem Rodulfi plebani de Friburc in eadem ecclesia institutus esset, in corporalem possessionem eius inducerent: Berger 2512. De eodem Gebehardo cf. etiam Berger 2060, 2261, 2275, 2415, 2824.* 3) *Sub eodem die fratri decani 'G. domino de Liddeberg' [Liedberg, non multum a occ. Gladbach], i. e. Gerhardo domino de Randenrode [Randerath, ex sept. et occ. civ. Iulich], concessit, ut cum propter graves inimicitias, ne incideret in manus hostium, exire civitatem et diocesim Coloniensem vereretur, extra ipsas sine speciali mandato apostolico per biennium ad iudicium trahi non posset; Berger 2776.*

386.

Innocentius IV papa abbatissae et conventui Sanctae Mariae Magdalenae de Alexandria concedit, ut pecuniam, quam universitas Alexandriae ecclesiae Romanae annuatim solvere teneatur et per plures annos non solverit, pro quinque annis proximo praeteritis petere ac integre recipere possint. *1247, Iun. 8.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 406; Lib. IV, 848. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. A. Mau. Potthast, Reg. 12555; Berger 2846.

.. abbatisse et conventui monasterii sancte Marie Magdalene de Alexandria.

Vestre devotionis precamina vestreque religionis fervor, que incluse corpore, libera tamen mente, virtutum domino acceptum impenditis famulatum, nos ammonent et inducunt, ut vestre inopie consulamus. Cum igitur universitas Alexandrie ecclesie Romane annuatim solvere teneatur quandam pecunie quantitatem ipsamque non solverit annis pluribus iam elapsis, temporis malitia prohibente[1]: nos, vestris precibus inclinati, petendi ac integre recipiendi pro quinque annis proximo preteritis memoratam pecuniam in usus proprios convertendam liberam vobis auctoritate presentium concedimus facultatem.

Dat. Lugduni, VI Idus Iunii, anno IIII.

387.

Innocentius IV papa P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato, mandat, ut [Conrado] decano Maguntino, capellano suo, qui pontificali dignitate dignum se reddiderit, de aliqua ecclesia legationis suae provideat. *1247, Iun. 9.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 400; Lib. IV, 789. Berger 2787.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Ex vere fidei puritate ac integritate devotionis et sinceritatis experti, quibus dilectus filius .. decanus Maguntinus, capellanus noster, studiosus circa nostra et ecclesie Romane obsequia, se Deo reddidit placitum[a] et nobis amabilem et acceptum, recte movemur, et agimus non indigne, si ipsius promotioni et honorificentie intendamus. Cum igitur sint tales, et precipue hiis temporibus, ad honores et dignitates ecclesiasticas promovendi, qui Deum timeant et ecclesie Romane zelentur honorem, quorum etiam ope et consilio nobis in ecclesie, immo verius Iesu Christi, negotiis utiliter ac fideliter consuletur: presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus prefato decano, quem proprie virtutis merita et obsequiosa devotio, qua sedulus in negotiis ecclesie per se ac suos utiliter promovendis insistit, reddunt dignum pontificalis dignitatis honore, de aliqua ecclesiarum tue legationis, cui de ipsius persona et sibi de

a) placidum *R.*

1) *Postquam civitas a. 1240, Mai. 18 imperatori se subiecit [Böhmer-Ficker, l. c. 3107a], semper a partibus eius steterat.*

ecclesia provideatur honeste, provideas vel tue industrie studio mediante facias provideri; contradictores etc.[1]

Dat. Lugduni, V Idus Iunii, anno IIII.

388.

Innocentius IV papa [Henrico] episcopo Constantiensi procedendi contra praelatos dioecesis suae, qui C[onrado] nato Friderici quondam imperatoris procurationes et servitia exhibeant, facultatem concedit. — Similia eidem de Eremitarum aliisque abbatibus dioecesis suae scribit, qui interdictum non observent. *1247, Iun. 10.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 399; Lib. IV, 781 et 782.
Berger 2779 et 2780.

I.

. . episcopo Constantiensi.

Cum, sicut te accepimus intimante, nonnulli abbates et abbatisse, prepositi et alii prelati ecclesiarum tam religiosorum quam secularium tue diocesis presumant C.[a] nato Friderici quondam imperatoris aliquas procurationes et alia servitia exhibere, presentium tibi auctoritate concedimus, ut ipsos propter hoc per excommunicationis et suspensionis sententias ac alias censuras, quas expedire videris, nec non amotionem a monasteriis et[b] prelaturis et privationem a beneficiis suis punire, ac alios, quos in ecclesie devotione cognoveris esse ferventes et eius negotio non ineptos, in eisdem abbatiis et prelaturis ac beneficiis instituere, ac Cisterciensium et aliorum religiosorum personas excommunicare, suspendere et ecclesiastico interdicto supponere libere valeas, prout eidem negotio videris expedire, — non obstantibus aliquibus privilegiis seu indulgentiis a sede apostolica impetratis; contradictores etc.[2]

Dat. Lugduni, IIII Idus Iunii, anno IIII.

II.

Eidem.

Tua nobis fraternitas intimavit, quod . . Heremitarum[3] et quidam alii abbates tue diocesis, pro eo quod Conrado nato F. quondam imperatoris immediate non subsunt, licet eius fautoribus in temporalibus subesse noscantur, interdictum in eorum monasteriis ac ecclesiis et aliis locis ad ipsos spectantibus pro sue voluntatis arbitrio renuunt observare, alias se a subsidio generalis negotii subtrahentes. Quocirca fraternitati tue presentium auctoritate concedimus, ut ipsos ad observandum huiusmodi interdictum et obsequia ac alia servitia eidem negotio exhibenda per excommunicationis, suspensionis et alias sententias nec non per amotionem a prelaturis eorum appellatione postposita coartare ac in ipsorum abbatiis personas idoneas et ecclesie negotio utiles instituere libere valeas, prout eidem negotio videris expedire, — non obstantibus etc.

Dat. Lugduni, IIII Idus Iunii, anno quarto.

389.

Innocentius IV papa [Roberto] patriarchae Hierosolymitano, apostolicae sedis legato, archiepiscopo Tyrensi et episcopo Sidoniensi mandat, ut ecclesiam Sancti Petri Pisani,

a) sc. R. pro C. b) et deest R.

1) De eodem cf. Berger 1391 et 2177 et infra sub Sept. 11. 2) Cf. n. 339 I. 3) Einsiedeln.

Pisanorum in civitate Acconensi commorantium parrochialem, in capellam, prout antea fuerit, reducant, quia Pisani Friderico quondam imperatori adhaerentes omni privilegio ecclesiastico privari debeant. *1247, Iun. 10.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 401; Lib. IV, 803.
Berger 2801.

.. patriarche Ierosolimitano, apostolice sedis legato, .. archiepiscopo Tyrensi et .. episcopo Sydoniensi.

Sua nobis venerabilis frater noster .. episcopus Acconensis petitione monstravit, quod bone memorie Teobaldus Acconensis episcopus, predecessor ipsius, capellam sancti Petri Pisani Acconensem[a] ad instantiam Pisanorum, qui tunc temporis in civitate Acconensi morabantur, in parrochialem ecclesiam erigens, omnes Pisanos, qui in civitate predicta morarentur, parrochianos ipsius ecclesie statuit, in gravem Acconensis ecclesie lesionem. Cum igitur Pisani, pro eo quod Friderico quondam imperatori contra ecclesiam adheserunt[1], privari debeant omni ecclesiastico privilegio, gratia et honore, mandamus, quatinus — predictis seu quibuscumque compositionibus vel pactis inter eos et episcopos Acconenses[b], qui pro tempore fuerunt, initis ac confirmationibus super hiis vel qualibet indulgentia seu privilegio ab apostolica sede obtentis nequaquam[c] obstantibus — dictam ecclesiam in capellam, prout erat antea, reducentes, Pisanos eosdem, quos privatos predictis omnibus nuntietis, quod ab Acconensi ecclesia recipiant ecclesiastica sacramenta obediantque ipsi episcopo tamquam eorum ordinario et intendant, monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis. Quod si non omnes etc. duo vestrum etc.

Dat. Lugduni, IIII Idus Iunii, anno IIII.

390.

Innocentius IV papa [Hermanno] abbati et conventui Corbeiensibus Paderburnensis diocesis transcribit privilegium spurium, quod Leo III papa Carolo Magno de monte Eresburg concesserit. *1247, Iun. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 400; Lib. IV, 790.
Berger 2788.

.. abbati et conventui Corbegensibus ordinis sancti Benedicti Padeburnensis diocesis.

Privilegium felicis recordationis Leonis pape predecessoris nostri perlegimus et inspeximus diligenter ipsiusque tenorem transcribi et bullari fecimus, qui est talis:

Leo[2] servus servorum Dei Karolo Magno Romanorum imperatori. Pie tue petitioni per omnia congaudentes, quod iubes, annuere non tardamus. Igitur hunc montem Eresburg[3], quem expugnatum cum tota Saxonia Deo obtulisti et per nos beato Petro consecrasti, liberum ab omni humana potestate esse et fratrum inibi ad Christi servitium adunatorum ditioni tantummodo parere censemus. Qui ne aliquid

a) *B.:* Acconensis *P.* b) episcopum Acconensem *P. B.* c) non *B.*

1) *Cf. n. 242 et Bohmer-Ficker, l. c. 3631.* 2) *Cf. Iaffé, Reg. pont. ed. II. 2502.* 3) *Ober-Marsberg in Westfalia, Kr. Brilon, e mer. cir. Paderborn.*

in hoc impedimenti patiantur neve regni vestri[a] invasoribus aliqua rebellandi fiducia preparetur, sub anathemate sancti Petri auctoritate interdicimus, ne quis umquam bellica in ipso monte presidia collocare aut per te collata predia aut decimas circa montem per duas Saxonicas rastas, quas illuc delegasti, audeat diripere. Hec conservantibus sit pax a Deo patre, infringentibus excommunicatio et a beatorum collegio sit separatio in eternum.

Dat. Eresburg per manus Iohannis bibliothecarii et cancellarii ecclesie Romane, IX Kal. Ianuarii, anno domni Leonis III quarto, indictione septima, die dedicationis capelle in Eresburg.

Dat. Lugduni, III Idus Iunii, anno IIII.

391.

Innocentius IV papa O[ctaviano] Sanctae Mariae in Via Lata diacono cardinali, apostolicae sedis legato, mandat, ut Massae Trabariae, si expedire viderit, de rectore provideat.

1247, Iun. 12.

Inn. IV Reg. Vol. I, 131; Lib. IV, cur. 133.
Berger 3019.

O. Sancte Marie in Via Lata diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Cum Massa Trabaria[1] infra fines tue legationis existat[2], mandamus, quatinus, si expedire videris, ei provideas de rectore.

Dat. Lugduni, II Idus Iunii, anno IIII.

392.

Innocentius IV papa praeposito et capitulo Basiliensibus ad preces C[onradi] et H[enrici] comitum de Vriburc, devotorum ecclesiae, mandat, ut Bertoldum de Horburch canonicum Argentinensem, consanguineum comitum eorundem, in canonicum et in fratrem recipiant.

1247, Iun. 13.

Inn. IV Reg. Vol. I, 101; Lib. IV, 830. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit et ex eis supplevit V. Cl. A. Mau.
Berger 2828.

. . preposito et capitulo Basiliensibus.

Cum dilecti filii nobiles viri C. et H. comites de Vriburc[3] se in ecclesie Romane negotiis obsequiosos hactenus et devotos [exhibuerint][b], nos, volentes ex hoc etiam in suis ostendere, quem ad ipsos habemus dilectionis affectum, ipsorum precibus inclinati, universitatem vestram rogandam duximus et monendam, mandantes quatinus

a) *ita R.* b) exhibuerint, *quod deest R., coniecit B.*

1) *E mer. et occ. Urbini.* 2) *Cum Octavianus legatus per 'Lombardiam et Romaniolam' constitutus esset [cf. n. 291, 295, 317], Massa Trabaria tam ad Romaniolam, non ad marchiam Anconitanam pertinuisse videtur.* 3) *De his cf. Berger 2490 et 2491; cf. etiam n. 384.*

dilectum filium Berdoldum de Horburch[1] canonicum Argentinensem, consanguineum dictorum comitum, recipientes ob reverentiam apostolice sedis et nostram in canonicum et in fratrem, prebendam ei, si qua in ecclesia vestra vacat ad presens vel quamcito se facultas obtulerit, liberaliter conferatis — non obstante[a] certo canonicorum numero iuramento vel aliqua firmitate vallato, vel si vobis direximus scripta nostra pro aliis, quibus auctoritate presentium nolumus preiudicium generari, sive quod idem B. alias beneficiatus existit, seu aliqua sedis apostolice indulgentia, per quam posset huiusmodi gratia retardari. Alioquin venerabili fratri nostro . . episcopo Argentinensi per litteras nostras iniungimus, ut ipse super hoc mandatum apostolicum exequatur: contradictores etc.

Dat. Lugduni, Idibus Iunii, anno quarto.

393.

Innocentius IV papa abbati et conventui Murbacensibus ad preces [Henrici III] episcopi Argentinensis et R. domini de Ufenbere [?] mandat, ut Iohanni canonico Lubenbacensi, qui captus fuerit et damna gravia sustinuerit ab ecclesiae inimicis, in beneficio competenti provideant. *1247, Iun. 13.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 404; Lib. IV, 831. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit et ex eis supplerit V. Cl. A. Mau.
Berger 2829.

. . abbati et conventui Morbacensibus ordinis sancti Benedicti Basiliensis diocesis.

Cum, sicut accepimus, dilectus filius magister Iohannes canonicus Lubenbacensis captus fuerit ac dampna gravia sustinuerit ab ecclesie inimicis, nos, volentes ipsum ob hoc et obtentu venerabilis fratris nostri . . Argentinensis episcopi et nobilis viri R. domini de Ufenbere[2], nobis pro ipso supplicantium, gratia prosequi et favore[b], universitatem vestram rogandam duximus et monendam, mandantes quatinus eidem magistro Iohanni ob reverentiam apostolice sedis et nostram[c] in aliquo beneficio competenti ad vestram collationem spectante, quod consuevit clericis secularibus assignari, si vacat ad presens vel quam primum etc. usque: providere curetis — non obstante si vobis pro aliis scripta nostra direximus, quibus auctoritate presentium etc. ut in proxima usque: retardari. Alioquin venerabili fratri nostro . . Basiliensi episcopo[3] damus nostris litteris in mandatis, ut vos ad id monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellat.

Dat. ut supra.

394.

Innocentius IV papa [Ludowicum IX] regem Franciae laudat, quod solus in medio regum terrae elegerit ad succursum ecclesiae non solum exponere substantiam sed deputare

a) *an* non obst. = non obstantibus? b) favorem *R.* c) nostra *R.*

1) *Ex sept. et or. cir. Colmar. Sub Inn. 5 papa episcopo Argentinensi mandaverat, ut cum eodem Bertoldo, 'filio Conradi de Horburg', super pluralitate beneficiorum dispensaret; Berger 2795.* 2) *Hunc fuisse putamus Rudulfum de Usenberc, de quo cf. n. 271.* 3) *Luthboldo.*

personam, eique mandat, ne ad iter se accingat, quousque super hoc votum sedis apostolicae agnoverit. *1247, Iun. 17.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 132; Lib. IV, car. 124. Domus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1247, § 13. Potthast, Reg. 12573; Berger 3040.

.. illustri regi Francie.

Letentur celi et exultet terra, quod sic Deus super ecclesiam, in filii sui unigeniti sanguine pretioso fundatam, suam de novo illustravit faciem, ut que sub insurgentium turbine tempestatum credebatur extremum quasi passura periculum, videatur subito consequi cum honoris plenitudine secure libertatis effectum, te, filio carissimo, pre terre principibus in conspectu Dei et hominum glorioso, qui duxisti originem de stirpe regia fructum honoris et gratie semper ecclesie producere consueta, sine interpositione spatii, fervore concepto sancti spiritus, cum carissima in Christo filia nostra illustri regina Francie matre ac dilectis filiis nobilibus viris fratribus tuis comitibus unanimiter decernente[1], quod in nostri, quem pro divina reverentia tibi recognoscis in patrem, ac ipsius defensionem ecclesie cum victorioso venires exercitu omni postposita tarditate. De huius autem operis divina gloria nos una cum fratribus nostris incredibili iucunditate perfusi, glorificamus mente humili regis eterni clementiam, qui tibi, suo regi, tam pium, tam laudabilem infudit affectum, ut digne sit in nostra et aliorum mente mirabilis et in cuiusquam perpetuam deduci debeat notitiam nationis. Nec mirum, cum ad ipsius ecclesie gemitum et frequentes angustias, quibus affligitur, dum filiorum ecclesie vexationes continuas illatas per turbatorem seculi meditatur, quasi tacentibus aliis, tu solus in medio regum terre prefulgidus elegisti ad succursum matris ecclesie non solum exponere substantiam, sed deputare personam.

Reservet Deus huiusmodi inexplicabilem meriti quantitatem tibi ad illius retributionem premii, quo eternorum principum beata noscitur acies coronari. De ipsius etiam virtute meriti clare memorie progenitoribus tuis perducat Dei benignitas, ut ipsorum felices anime in superna gaudeant constituti claritate, concesso nobis interim, ut qui de affluentia divine benignitatis et tue infra corda nostra festum exultationis exultantes agimus, tibi et tuis que sunt ad condignum decorem et decus debitum compensare possimus. Ecce, fili benedictionis et gratie, nostram audivisti letitiam et gaudium ecclesie percepisti: cui cum sit votivum et necessarium, ut sibi, peramaris olim potate calicibus, favus consolationis adveniat et specialis materia iucunditatis accedat, serenitatem tuam per Dei misericordiam obsecramus, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatinus secundum quod ad ipsius honorem concepisti propositum, mente pia deducas iugiter in augmentum et in Domino super eo multiplices tuo cordi letitiam, quia cum senserit adversarius affluentiam gratie, qua superna benignitas sepedictam ecclesiam per te noscitur perfudisse, relictis forte mentis perverse tenebris convertet animum ad divine reverentiam maiestatis, vel si quid ei remansit interni luminis, de necessitate percipiet, quod institutor et gubernator ecclesie, filius Dei, non patitur, ut per eius multiplicem nequitiam data ipsi ecclesie de celo dignitas vacuetur, pro cuius defensione promptissima, licet te iubente, convertetur militia gloriosa. Volumus tamen, ut te non accingas ad iter, nec aliquem mittas exercitum, quousque super hoc per nostrum nuntium vel speciales litteras votum apostolice sedis agnoscas[2].

Dat. Lugduni, XV Kal. Iul. anno IIII.

1) *Cf. n. 395 et 397.* 2) *Imperator Taurini tum commorabatur, Lugdunum profecturus; Böhmer-Ficker, l. c. 3626a et sequ. Papa hoc tempore fidelibus suis earum partium, per quas imperator iter suum facere debebat, Sancti Iusti de Secusia [Susa] et Sancti Michaelis de Clusa monasteriis [ex occ. Taurini]*

395.

Innocentius IV papa [Blancham] reginam Franciae laudat, quod ipsa se velit cum filiis suis accingere, ut ecclesiae subveniat, eamque rogat, ut propositum suum sic iugiter deducat in augmentum, ut ecclesia possit resurgere. *1247, Iun. 17.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 433; Lib. IV, cur. 125. Damus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1247, § 15—16. Potthast, Reg. 12574; Berger 3041.

. . illustri regine Francie.

Vocibus gementis ecclesie, sicut confidimus celorum intercedente regina, sic regis eterni benignitas suum inclinavit auditum, ut, carissimo in Christo filio nostro illustri rege ac dilectis filiis nobilibus viris comitibus, natis tuis, disponentibus magnificum ecclesie personaliter prestare succursum, tu inflammata igne Sancti Spiritus de regio corde protuleris, quod te ipsam velles cum exercitu ad iter accingere, ut posses ecclesie magnifice subvenire. Ex hoc enim, filia carissima, non solum nos et fratres nostros, plena iucunditate perfusos, tibi et filiis tuis ad favorem perpetuum obligasti, sed acquisito apud homines laudis stabilis et immense preconio, sic benignum reddidisti conditorem omnium, ut anime tue compensandam ab ipso credamus in posterum gloriam supernorum. Cum autem predicta ecclesia puncta frequenter angustiarum aculeis, quos producit assidue horrenda malignitas persequentis, sit in statu conservande letitie, qua divina clementia ipsam per tuam et filiorum tuorum intentionem piissimam noscitur replevisse, tuam serenitatem qua possumus affectione rogamus, in remissionem peccaminum iniungentes, quatinus infusum tibi et eisdem filiis a Deo propositum deducens iugiter in augmentum, ad hoc pro divini honore nominis firma et stabilis habearis, ut sic resurgere possit ecclesia, quod ipsius fundatori, Dei filio, redundet in gloriam, et afflictis eius filiis proveniat status gratie salutaris, verecundo manente persecutore ipsius ecclesie, dum mente confusus adverterit, quod aula regni Francie, que virtutibus semper emicuit, ad hoc robur converterit sue potentie, ut per eam fides, quam ille suffocare nititur, in statu decoris et glorie conservetur. Ceterum, cum sit nostri desiderii tunc nobis prestari subsidium, quando dinoscitur esse opportunum, volumus tamen, quod nec predictus rex vel tu aut aliquis filiorum tuorum pro succursu prestando ipsi ecclesie se accingant ad iter, quousque super hoc tibi et ipsis per nostrum nuntium vel speciales litteras votum sedis apostolice declaretur.

Dat. ut supra.

396.

Innocentius IV papa [Petro V] Albanensi et [Odoni] Tusculano episcopis scribit se omnia, quae fecerint et quae facere proponant, acceptare, de ceteris autem per latorem praesentium beneplacitum voluntatis suae ipsis revelare. *1247, Iun. 17.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 433; Lib. IV, cur. 126. Berger 3042.

---

et electo Tarantasiensi varias gratias elargitus est; Berger 2608, 2730—2732, 2804 [= Potthast, Reg. 12567], 2813, 2816, 2817, 2868. — Sub Mai. 30 papa abbati Windocinensi Senonensis diocesis nuntiavit imperatorem universis fautoribus suis iniunxisse, ut infra quindecim dies post octavas pentecostes [i. e. Iun. 9] praesentiam suam apud Camberiacum [Chambéry] cum armis adirent, ut cum ipsis Lugdunum veniret se purgaturus, eique mandavit, ut ad primum nuntium ecclesiae celeriter subveniret. Idem fere sub Mai. 28 archiepiscopo Narbonensi scripserat; Potthast, Reg. 12538, quae ep. in Reg. non extant. — Iun. 16 Parma ab imperatore defecit, quo audito idem festinanter recessit; Bohmer-Ficker, l. c. 3632a et sequ.

.. Albanensi et .. Tusculano episcopis.

Spiritu exultantes audivimus, que divina potentia per ministerium discretionis vestre laudabilis ad honorem ecclesie de sue fecit affluentia pietatis. Super hoc autem vos plenis in Domino gratiarum actionibus prosequentes, totum, quod esse factum a vobis vestrarum serie litterarum distinguitur et quod etiam facere proponitis, acceptamus, cum sit nobis firma credulitas, quod, sicut circa honorem ecclesie voluntatem habetis plene laudabilem, sic, quantum in vobis est, ipsius causam promovere studebitis per industriam efficacem. De ceteris autem, que super hiis in nostro versantur affectu, vobis per latorem presentium nostre patebit beneplacitum voluntatis [1].

Dat. ut supra.

397.

Innocentius IV papa [Roberto] comiti Atrebatensi gratias agit, quod ad subveniendum ecclesiae promptum se exhibuerit, eumque monet, ut sic propositum exequatur, ut ecclesiam persequenti viriliter resisti valeat. *1247. Iun. 17.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 433; Lib. IV, cur. 127.
Potthast, Reg. Addit. I, 12574; Berger 3043.

.. comiti Atrebatensi.

Firma semper et inconcussa fuit ecclesie Dei credulitas, quod te promptum inveniret et facilem ad prestandum ei grande[a] subsidium, quando illud sibi esse prospiceres oportunum. Sane nos et fratres nostri cum multa exultatione percepimus credulitatem huiusmodi pervenisse ad gratiam complementi, dum pio corde, audita ipsius ecclesie [necessitate][b], te ad eius personale servitium[c] contulisti, tam cito magnam faciens convocari militiam, per quam et causa Dei provehi et honor posset ecclesie conservari. Cum autem, fili benedictionis et gratie, tibi ex hoc proveniat augmentum clari nominis et apud celi regem aquiratur meritum perpetue claritatis, ecclesia nichilominus ad hoc manente sollicita, ut te semper ac tuos prosequatur benivolentia gratiosa, nobilitatem tuam intimo rogamus affectu, in remissionem peccaminum iniungentes, quatinus firmans animum ad pii conservationem propositi, quod inspirare tibi divine placuit pietati, in hoc pro Dei gloria sis tota mente sollicitus, ut contempnenti et ecclesiam persequenti sic viriliter resisti valeat, quod verecundum et dampnosum sibi reputet ostendisse populis, quod ecclesiastice statum velit evertere libertatis. Ceterum, quia sic nobis cupimus advenire subsidium, quod sit sine prestantis subsidio fructuosum, volumus, quod te ad iter pro defensione ipsius ecclesie non accingas nec aliquem mittas exercitum, quousque sedis apostolice votum intelligas per nostrum nuntium seu litteras speciales.

Dat. ut supra.

In eundem modum .. comiti Pictavensi [2].

In eundem modum .. comiti Andegavensi [3].

a) *B.;* grande *deest P.* b) *hoc verbum vel simile deest in B.* c) subsidium *B.*

1) *Sub Id. 2 papa episcopo Ostiensi et tribus aliis cardinalibus de prospero successu suo contra Fridericum quondam imperatorem scripsit, nuntians regem Franciae magnum exercitum convocare, quo facilius novus rex Romanorum in Germania eligi posset; Potthast, Reg. 12592; quae ep. in Reg. non extat.* 2) *Alfonso.* 3) *Carolo.*

398.

Innocentius IV papa Iohannem de Bellomonte camerarium regni Franciae laudat, quod tota virtute studuerit, ut a rege Franciae et matre et fratribus eius ecclesiae, persequentis impetu turbatae, magnificum subsidium tribuatur. *1247, Iun. 17.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 433; Lib. IV, cur. 128.
Potthast, Reg. Addit. I, 12574; Berger 3044.

Iohanni de Bellomonte camerario regni[a] Francie.

Famosam cordis rectitudinem et mentis laudabilem puritatem, quibus virtutum dominus te illustrasse dinoscitur, taliter hiis diebus super ecclesie revelasti negotio, quod plenam inde assecuti letitiam stabiliter in affectu gerimus, ut tibi et tuis pleni favoris gratiam oportuno tempore compensemus, maxime cum inspirante Deo tota virtute studueris, ut a carissimis in Christo filiis nostris[b] . . rege ac . . regina Francie illustribus et dilectis filiis nobilibus viris comitibus, fratribus regis eiusdem, magnificum et triumphale subsidium ecclesie turbate persequentis impetu tribuatur. Cum autem per huius magnitudinem meriti proventura tibi sit ex dono divine clementie retributio glorie sempiterne, nobilitatem tuam affectuose in Domino rogandam duximus et monendam, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatinus infusum tibi desuper circa ecclesiam pure devotionis affectum in augmentum sic deducere studeas, ut ecclesiam ad statum exurrexisse prosperum per devotionis tue subsidia processu temporis ilarescas et ipsa tibi ac tuis posteris teneatur ad omnia, que sunt comodi et honoris, tyrampni facie super eo verecundiam incursura, quod inique cogitaverit persequendo ecclesiam gloriam evacuare fidei, quam in suo firmavit sanguine unigenitus Dei vivi.

Dat. ut supra.

399.

Innocentius IV papa Ulrico archidiacono in Bevenhusen Verdensis diocesis obtentu M[athildae] marchionissae de Brandeburg et M[athildae] ducissae de Brunswic concedit, ut per triennium vacans gubernationi monasterii de Buxtehude, proventus suos ecclesiasticos percipere possit, ac si personaliter in ecclesiis resideret. *1247, Iun. 19.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 405; Lib. IV, 837.
Berger 2835.

Olrico archidiacono in Bevenhusen[c][1] Verdensis ecclesie[d].

Cum, sicut ex parte dilectarum in Christo filiarum . . priorisse ac monialium monasterii Buostehuthe[2] ordinis sancti Benedicti Verdensis diocesis accepimus, tu, exigentibus tue probitatis et honestatis meritis, per venerabilem fratrem nostrum . . episcopum[3] et dilectos filios capitulum Verdenses sis cure ac gubernationi dicti monasterii deputatus: nos, earundem et dilectarum in Christo filiarum nobilium mulierum M. marchionisse de Brandeburg et M. ducisse de Bruneswic et de Luneburg, obtentu devotionis quam habere videntur ad ipsum monasterium, nobis per suas litteras supplicantium, consideratione inducti, quod per triennium vacando cure ac gubernationi eiusdem monasterii possis proventus tuos ecclesiasticos cum ea integritate, distributionibus cotidianis

a) reg^{i} *R. MAV*; regis *B*. b) carissimo in Christo filio nostro *P*. c) *ita R*. d) *leg.* diocesis.

1) *Berensen, e mer. cir. Lüneburg.* 2) *Buxtehude, ex occ. cir. Harburg.* 3) *Luderum.*

duntaxat exceptis, percipere, ac si personaliter in ecclesiis, in quibus illos obtines, resideres, auctoritate tibi presentium concedimus facultatem — contraria ipsarum ecclesiarum consuetudine non obstante.

Dat. Lugduni, XIII Kal. Iulii, anno IIII[1].

400.

Innocentius IV papa episcopo Cerviensi mandat, ut electionem Raynaldi in praepositum Pratensem Pistoriensis dioecesis celebratam per canonicos, pro eo quod F[riderico] nato Friderici quondam imperatoris divina celebraverint excommunicatos, irritet et ecclesiae de persona idonea provideat. *1247, Iun. 22.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 407; Lib. IV, 861.
Berger 2859.

.. episcopo Cerviensi[2].

Sua nobis Hugolinus et Rolandinus canonici ecclesie Pratensis[3] Pistoriensis diocesis petitione monstrarunt, quod quondam Zonchello capellano nostro, ipsius ecclesie preposito, viam universe carnis ingresso, alii canonici eiusdem ecclesie, licet sint vinculo excommunicationis astricti, pro eo quod F.[4] nato Friderici quondam imperatoris et aliis excommunicatis a nobis publice celebrare divina, de electione futuri prepositi, corpore ipsius nondum tradito sepulture, tractantes, Raynaldum filium nobilis viri Adelprandini Cazacontis, persecutoris ecclesie, in eiusdem ecclesie prepositum per secularis etiam potestatis abusum de facto eligere presumpserunt. Mandamus, quatinus, si est ita, electionem ipsam, utpote ab excommunicatis temere attemptatam, denuntians penitus nullam esse, eidem ecclesie auctoritate nostra de persona idonea studeas providere; contradictores etc.

Dat. Lugduni, X Kal. Iulii, anno IIII.

401.

Innocentius IV papa [Theodorico] archiepiscopo Ravennati fructus quarundam possessionum ecclesiae suae, quas, a tempore ortae discordiae inter ecclesiam et Fridericum quondam imperatorem a quibusdam civibus Ferrariensibus occupatas, recuperare se posse credat, tamdiu percipiendos concedit, donec in ecclesia sua secure commorari possit.
1247, Iun. 25.

Inn. IV Reg. Vol. I, 406; Lib. IV, 857. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit et ex eis supplevit V. Cl. A. Man.
Berger 2855.

.. archiepiscopo Ravennati[5].

Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum quedam possessiones, quas monasterium sancti Andree de Ravenna optinet ab ecclesia Ravennati, a tempore orte

---

1) *Eodem die papa decano et thesaurario Sancti Blasii de Brunswic mandavit, ne eum contra hanc concessionem molestari paterentur; Berger 2836.* 2) *Hic episcopus Bononiae exulabat; cf. Berger 2876.* 3) *E mer. et or. civ. Pistoja.* 4) *Scil. Friderico de Antiochia, quem imperator a. 1246. Febr. vicarium suum generalem per Tusciam et ab Amelia usque Cornetum et per Maritimam constituerat; Bohmer-Ficker, l. c. 3538.* 5) *Hic usque ad finem a. 1245 circiter in Apulia commoratus erat, sicut ipse dixit captivus imperatoris, sed fortasse non omnino invitus, tum Bononiam aufugit, ubi a. 1246. Ian. 23 aderat; cf. ep.*

discordie inter ecclesiam et Fredericum quondam imperatorem teneantur a quibusdam civibus Ferrariensibus occupate[1], de quibus monasterium ipsum a predicto tempore nichil percepit nec valeat percipere ex eisdem, fructus possessionum ipsarum, quos eripere posse credis de manibus taliter detentorum, tibi de benignitate sedis apostolice concedere curaremus. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, fructus predictos tibi auctoritate presentium duximus concedendos, tamdiu a te percipiendos, donec pace in partibus illis dante Domino reformata in ecclesia tua secure poteris commorari[2] — non obstante donatione qualibet facta simulate de fructibus supradictis. Nolumus tamen, quod per concessionem huiusmodi iamdicto monasterio super hiis possessionibus in posterum preiudicium aliquod generetur. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, VII Kal. Iulii, anno quarto.

402.

Innocentius IV papa [Theodorico] archiepiscopo et capitulo Ravennatibus confirmat declarationem factam a duodecim viris in lite, quae inter ipsos ex parte una et Azzonem marchionem Estensem ex altera super quodam feudo fuerit. *1247, Iun. 25.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 408; Lib. IV, 867. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit et ex eis supplerit V. Cl. A. Mau.

Berger 2865.

. . archiepiscopo et capitulo Ravennatibus.

Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod cum vos feudum quoddam, quod quondam Ubertinus de Ravenna tenuit ab ecclesia Ravennati, nobili viro Aczoni marchioni Estensi[3] cum eisdem pactis et conditionibus, quibus dictus Ubertinus illud tenuerat, de mandato nostro duxeritis concedendum, tandem, inter vos et eundem nobilem super ipsis pactis et conditionibus dubitationibus ac contentione subortis, ad declarationem dubitationum huiusmodi duodecim viri antiqui, fide digni, a partibus communiter fuerunt electi, promisso hinc inde prestito iuramento, quod eorum dictum super hoc sive declarationem pars utraque inviolabiliter observaret; qui equitate suadente dubitationes premissas rationabiliter declararunt. Quam declarationem partes communiter acceptarunt, prout hec omnia in publicis instrumentis super hoc confectis dicitur plenius contineri. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, declarationem huiusmodi, sicut rationabiliter facta est et ab utraque parte sponte recepta, ratam habentes, eam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Si quis etc.

Dat. Lugduni, VII Kal. Iulii, anno quarto[4].

---

eius ad papam missam ap. Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 378 et melius ap. Fantuzzi, Mon. Rav. Append. ed. Tarlazzi, t. I, p. 180, n. 113 in 'Mon. etc. della Romagna, Ser. II', et chartam eius ibid. p. 184, n. 116. Sub a. 1246, Mai. 1 papa potestatem et consilium Bononienses monuit, ut ad defendenda iura ecclesiae Ravennatis archiepiscopo, cum ab eo requirerentur, auxilium impenderent; Potthast, Reg. 12090; cf. 12159. Sub a. 1246, Dec. 13 [Iacobo] episcopo Bononiensi [ad preces archiepiscopi in ep. cit. directas] mandarit, ut ei, cuius suffraganeus esset, fidelitatis iuramentum exhiberet; Potthast, Reg. 12371; quae ep. in Reg. non extant. — De eodem archiep. cf. etiam Böhmer-Ficker, l. c. 4878.

1) *Etiam commune Ferrariense et marchio Estensis possessiones ecclesiae Ravennatis, inprimis castrum Argentae, occupaverant; cf. supra p. 215, not. 4 et ep. archiep. cit.*

2) *Civitas Ravennas a. 1248, Mai. 6 demum ab imperatore defecit; Böhmer-Ficker, l. c. 3698a.*

3) *De hoc cf. not. 1.*

4) *Eodem die papa eisdem libertates et immunitates suas confirmarit; Berger 2866.*

403.

Innocentius IV papa [Marcellino] episcopo Aretino, marchiae Anconitanae rectori, concedit, ut Anconitanis civibus adeundi Duratium pro emendis sibi victualibus licentiam largiatur. 1247, Iun. 25.

Inn. IV Reg. Vol. I, 408; Lib. IV, 863. Pertzii exemplar contulimus cum Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sedis t. I, p. 124, n. 227.
Potthast, Reg. 12583; Berger 2861.

. . episcopo Aretino, marchie Anconitane rectori.

Cum Anconitani cives[1], pro eo quod a circumstantibus inimicis ecclesie severius solito impugnantur[2], pro emendis victualibus ad portus accedere non audeant consuetos, et ideo tanta premantur inopia, ut vix habeant, unde valeant sustentari: a nobis humiliter postulasti, ut eisdem paterno compatientes affectu transfretandi, ut Duratium[3] adeant pro emendis sibi necessariis, eis licentiam largiremur. Ut igitur iidem sedem apostolicam post Deum sibi adesse sentiant necessitatis tempore refugium singulare, fraternitati tue committimus, ut eisdem civibus auctoritate nostra postulata concedas, prout videris expedire.

Dat. Lugduni, VII Kal. Iulii, anno IIII.

404.

Innocentius IV papa abbati et conventui Sancti Georgii in Nigra Silva obtentu Burcardi comitis de [Hohenberc] mandat, ut Waltero clerico comitis de aliqua ecclesiarum ad collationem suam spectantium provideant. 1247, Iun. 25.

Inn. IV Reg. Vol. I, 444; Lib. V, 39. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. O. de Falke. Berger 3088.

. . abbati et conventui Sancti Georgii in Nigra Silva[4] ordinis sancti Benedicti Constantiensis diocesis.

Volentes obtentu nobilis viri comitis Burcardi de Henk.[a] [5], supplicantis nobis pro dilecto filio Waltero clerico suo, eidem clerico de beneficio ecclesiastico provideri, universitatem vestram rogandam duximus et monendam, mandantes quatinus ob reverentiam apostolice sedis et nostram prefato Waltero de aliqua ecclesiarum ad collationem[b] vestram spectantium, que secularibus consueverunt clericis assignari, si qua vacat ad presens vel quam primum habueritis facultatem, liberaliter providere curetis — non obstante, si super simili provisione vobis direximus scripta nostra pro aliis, quibus etc. usque: generari, seu aliqua apostolice sedis indulgentia, per quam posset huiusmodi gratia impediri. Alioquin dilecto filio Bertholdo de Bussinare[6]

a) Henk' *R.* b) donationem *R.*

1) *De his cf. n. 125.* 2) *De rebus Marchiae cf. n. 358, 363, 364 et 405.* 3) *Durazzo in Illyria.* 4) *Ex occ. cir. Rottweil.* 5) *Credimus hunc fuisse Burcardum III comitem de Honberc [Hohenberg e mer. et or. cir. Rottweil]. Saepius enim litterae 'k' et 'hc' permutatae sunt; cf. p. 53, not. 2.* 6) *Legendum videtur 'Bussinanc' [Busslingen in Kant. Thurgau]. Bertholdus de Bussenanch can. Const. commemoratur a. 1269 et 1270 ap. Neugart. Ep. Constant. t. II, p. 455 et 457.*

canonico Constantiensi noveritis nos per nostras litteras iniunxisse, ut vos ad id monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellat.

Dat. Lugduni, VII Kal. Iulii. [anno quarto][a].

405.

Innocentius IV papa Matthaeo dicto de Episcopo de Monte Ulmi et P. uxori eius Firmanae dioecesis bona aliquot rebellium ecclesiae pro satisfactione damnorum, quae ab iisdem passi fuerint, obligat. *1247, Iun. 26.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 406; Lib. IV, 852. Pertzii exemplar contulimus cum Theiner, l. c. t. I, p. 125, n. 228.

Potthast, Reg. 12586; Berger 2850.

Nobili viro Matheo dicto de Episcopo de Monte Ulmi[1] et dilecte filie P. uxori eius Firmane diocesis, ecclesie Romane devotis.

Exigentibus vestre devotionis meritis etc. usque: exaudimus. Cum igitur, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, tam a nuntiis F. quondam imperatoris quam a concastellanis vestris et aliis Dei et ecclesie inimicis, videlicet Berardo, Symone et Grimaldo Mathei Berardi Actionis, Phylippo Raynaldi, Manuele, Philippo Albrici, Scambio Iohannis Presbyteri Alberti, Berardo Mainardi, Manuele de Casali, Suppo Carbonis, Iacobo magistri Alberti, Homodeo Cinthii de Loro et fratribus eius, Iohanne Tiberti, Currado et Galvano Henrici, Matheo Roberti de Pitriolo et nobili viro Raynaldo de Lornano, filiis Giberti de Pitriolo, pro fide ac devotione, quam habetis ad Romanam ecclesiam, dampna gravia sustinueritis et iacturas: nos, vobis super hoc paterno compatientes affectu, predictorum bona ad ecclesiam Romanam propter eorum proditionem manifestam legitime devoluta pro integra recompensatione dampnorum, que propter ecclesiam huiusmodi estis occasione perpessi, vobis, in ecclesie devotione persistentibus, auctoritate presentium obligamus, eadem auctoritate nichilominus statuentes, ut — non obstante edicto contrario seu statuto — predicti teneantur vobis, si bona ipsa recuperare voluerint, huiusmodi dampna integre resarcire. Nulli etc. nostre obligationis et constitutionis etc.

Dat. Lugduni, VI Kal. Iulii. anno IIII[2].

406.

Innocentius IV papa [Theodorico] archiepiscopo Ravennati castrum a Friderico quondam imperatore in civitate Ravennati constructum, quod sine civitatis dispendio a saeculari persona possideri non possit, concedit. *1247, Iul. 3.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 439; Lib. V, 11. Pertzii exemplar contulimus cum Theiner, l. c. t. I, 125, n. 229.
Potthast, Reg. 12593; Berger 3060.

---

a) anno quarto *deest R. Epistolam huic anno, licet in Lib. V collocata sit, adscribimus, quia inter primas ep. Lib. V legitur.*

1) *Ex sept. et occ. civ. Firmanae.* 2) *Sub Iun. 21 eidem indulsit, ut ipse et haeredes sui non tenerentur in collectis et datiis castri de Monte Ulmi contribuere, hanc exemtionem in eundem modum quibusdam fidelibus suis in Pensauriensi et Aesina civitatibus et in castro de Sancto Helpidio Firmanae diocesis concedens; Berger 2851; cf. 2852 et 3064.*

. . archiepiscopo Ravennati.

Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum Fridericus quondam imperator in civitate Ravenne construi fecerit quoddam castrum, quod sine multo scandalo ac civitatis eiusdem dispendio a seculari persona possideri non posset, illud Ravennati ecclesie concedere de benignitate sedis apostolice curaremus[1]. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, castrum predictum cum iuribus et pertinentiis suis tibi ac per te Ravennati ecclesie de gratia concedimus liberali. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, V Non. Iulii, anno quinto.

407.

Innocentius IV papa [Bertholdo] abbati Sancti Galli consideratione Rodulfi de Hewin nuper pro devotione ecclesiae a Conrado filio Friderici quondam imperatoris capti mandat, ut cum Henrico clerico de Scafusen dispenset, ut personatus et alia beneficia ecclesiastica obtinere possit. *1247, Iul. 4.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 444; Lib. V, 41.
Berger 3090.

. . abbati Sancti Galli Constantiensis diocesis.

Dilectum filium Henricum clericum de Shafusen consideratione nobilis viri Rodulfi de Hewin[2], qui nuper pro devotione sedis apostolice a Conrado filio F. quondam imperatoris captus, adhuc in ipsius carcere detinetur, et Rodulfi fratris[a] ejusdem nobilis, qui nobis pro ipso humiliter supplicavit, nec non obtentu probitatis ipsius H., qui honestate morum et litterarum scientia ad obtinendam eiusdem sedis gratiam dicitur adiuvari, prosequi volentes speciali gratia et favore, mandamus, quatinus cum ipso, ejus suffragantibus meritis, quod possit personatus, dignitates et alia beneficia ecclesiastica, etiam si curam animarum habeant et sibi canonice offerantur, recipere libere ac licite retinere — constitutione generalis concilii non obstante —, auctoritate nostra dispenses usque ad quantitatem, quam[b] suis meritis exigentibus[c] secundum Deum videris expedire: proviso quod personatus, dignitates et beneficia debitis etc. usque: negligatur.

Dat. Lugduni, IIII Nonis Iulii, anno V.

In eundem modum eidem abbati[3] pro Waltero de Kilthein clerico.

408.

Innocentius IV papa [Odoni] episcopo Tusculano, apostolicae sedis legato, mandat, ut per Cameracensem, Leodiensem, Tullensem, Traiectensem, Metensem et Virdunensem

---

a) *fortasse* patris *legendum est.* b) de qua *R.; cf. p. 117, not. c et n. 185 et 186.* c) prout *add. R. Si vero ita legi debet, ut R. praebent, post verbum* expedire *supplendum est:* sibi possit et debeat congrue provideri, *vel tale quid; cf. n. 265.*

1) *Civitas Ravennas in potestate imperatoris erat; cf. p. 293, not. 2.* 2) *Hohenhöwen ex sept. castri Hohentwiel.* 3) *De eodem abbate cf. etiam Berger 3086.*

civitates et dioceses inhibeat, ne quis crucesignatorum a voto transmarino absolvatur seu votum ipsum in aliud commutetur. *1247, Iul. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 439; Lib. V, 5. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit V. Cl. O. de Falke.
Berger 3054.

. . episcopo Tusculano, apostolice sedis legato[1].

Cum ad presens Terra Sancta subsidio indigeat bellatorum et carissimus in Christo filius noster . . rex Francie illustris, non hominis ministerio sed potius operatione divina signo vivifice crucis assumpto, ad succursum eiusdem terre potenter ac viriliter se accingat: nos, volentes eidem in huiusmodi proposito adesse favorabiliter et prodesse, mandamus, quatinus per Cameracensem, Leodiensem, Tullensem, Traiectensem, Metensem et Virdunensem civitates et dioceses ex parte nostra inhibeas et facias inhiberi, ut nullus litterarum nostrarum auctoritate aliquem de illis partibus a voto crucis Ierosolimitane presumat absolvere seu votum ipsum in aliud commutare, illos qui contra presumpserint, quod a presumptione huiusmodi omnino desistant, monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellens, ac decernens nichilominus irritum et inane, si secus per presumptionem cuiuspiam contigerit attemptari, — non obstantibus aliquibus litteris ab apostolica sede obtentis vel etiam obtinendis in generali aut speciali, per quas id valeat impediri, licet expressa mentio de ipsis hic minime habeatur[2].

Dat. Lugduni, III Non. Iulii, anno V°.

409.

Innocentius IV papa archiepiscopis et episcopis Alamanniae significat, se recepisse Iudaeorum questionem, quod nonnulli principes ecclesiastici et mundani aliique potentes, falso iis imponentes quod in solemnitate paschali corde pueri interfecti se communicent, eorum bona diripiant; mandat, ne Iudaeos indebite molestari permittant.

1247, Iul. 5.

Inn. IV Reg. Vol. I, 412; Lib. V, 28. Exemplar Rayn. Ann. eccl. a. 1247, § 84 contulimus cum transumpto authentico, quod Gregorius X papa a. 1274, Iul. 7 scribi iussit 'pro eo quod [littere] incipebant nimia retustate consumi', ap. Ennen, Quellen z. Gesch. d. Stadt Koln t. III, p. 62, n. 88 [a].
Potthast, Reg. 12596; Berger 3077.

Archiepiscopis et episcopis per Alamanniam constitutis.

Lacrimabilem Iudeorum Alamannie recepimus questionem, quod nonnulli tam ecclesiastici quam seculares principes ac alii nobiles et potentes vestrarum civitatum et diocesum, ut eorum bona iniuste diripiant et usurpent, adversus ipsos impia consilia cogitantes et fingentes occasiones varias et diversas, non considerato prudenter quod quasi ex archivio[a] eorum Christiane fidei testimonia prodierunt, scriptura divina inter alia mandata legis dicente: 'Non occides', ac prohibente illos in solempnitate paschali quicquam morticinum non[b] contingere, falso imponunt eisdem, quod in ipsa solempnitate se corde pueri communicant interfecti, credendo id ipsam legem precipere.

[a]) archivis *a.* [b]) *ita etiam a.*

1) *Cf. p. 162, not. 2.* 2) *De eadem re cf. etiam Berger 3057, 3058, 3065, 3383, 3384, 3431, 3432, 3970.*

cum sit legi contrarium manifeste, ac eis malitiose obiciunt hominis cadaver mortui, si contigerit illud alicubi reperiri. Et per hoc et alia quamplura figmenta sevientes in ipsos, eos super hiis non accusatos, non confessos nec convictos contra privilegia illis ab apostolica sede clementer indulta spoliant contra Deum et iustitiam omnibus bonis suis, et inedia, carceribus ac tot molestiis tantisque gravaminibus premunt ipsos, diversis penarum affligendo generibus et morte turpissima eorum quamplurimos condempnando, quod iidem Iudei, quasi existentes sub predictorum principum, nobilium et potentum dominio deterioris conditionis, quam eorum patres sub Pharaone fuerint in Egypto, coguntur de locis, inhabitatis ab eis et suis antecessoribus a tempore cuius non extat memoria, miserabiliter exulare: unde suum exterminium metuentes duxerunt ad apostolice sedis providentiam[a] recurrendum. Nolentes igitur prefatos Iudeos iniuste vexari, quorum conversionem Dominus miseratus expectat, cum testante propheta credantur reliquie salve fieri eorundem, mandamus[b], quatinus eis vos exhibentes favorabiles et benignos, quicquid super premissis contra eosdem Iudeos per predictos prelatos, nobiles et potentes inveneritis temere attemptatum, in statum debitum legitime revocato, non permittatis ipsos de cetero super hiis vel similibus ab aliquibus indebite molestari; molestatores etc.[c].

Dat. Lugduni, III Non. Iul. anno V°.

In[d] eundem modum archiepiscopis et episcopis per regnum Francie constitutis.

410.

Innocentius IV papa [Brunoni] electo Olomucensi mandat, ut dispenset cum clericis terrae [Wenceslai] regis Bohemiae in Budsin, qui metu eius durante interdicto divina celebraverint. *1247, Iul. 6.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 440; Lib. V, 14. Pertzii exemplar contulimus cum Boczek, Cod. dipl. Moraviae, t. III. p. 76, n. 105.

Potthast, Reg. 12599; Berger 3063.

. . electo Olomucensi.

Ex parte carissimi in Christo filii nostri . . regis Boemie illustris fuit propositum coram nobis, quod cum terra eius in Budsin, pro eo quod pacificam possessionem episcopatus Olomucensis nancisci non poteras, fuisset auctoritate nostra ecclesiastico supposita interdicto, clerici eiusdem terre metu ipsius regis divina officia durante interdicto huiusmodi temere celebrarunt[1]. Quare predictus rex nobis humiliter supplicavit, ut cum multitudo sit in causa, providere ipsis super hoc paterna sollicitudine curaremus. Quocirca mandamus, quatinus cum eisdem clericis, illis duntaxat exceptis qui fuerunt huiusmodi transgressionis actores, auctoritate nostra dispenses super irregularitate, quam exinde contraxerunt, iniuncta eis penitentia salutari.

Dat. Lugduni, II Non. Iulii, anno quinto[2].

a) *a*: prudentiam *Rayn.* b) fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus *a.* c) *hanc formulam necessariam, quae deest ap. Rayn., supplevimus ex a.* d) In — constitutis *supplevimus ex B.*

1) *De hac re cf. etiam n. 376.* 2) *Sub Oct. 29 papa episcopo Misnensi mandavit, ut institutionem praepositi et duodecim canonicorum a rege Bohemiae in ecclesia oppidi sui Budesinensis factam confirmet; Berger 3398; Potthast, Reg. 12732.*

411.

Innocentius IV papa [Henrico] regi Cypri, domino regni Hierosolymitani, mandat, ut in conservando bono statu regni eiusdem, sicut hactenus fecerit, elaboret, sciturus ecclesiam ipsum in pace posituram esse, si eam reformari contigerit. *1247, Iul. 6.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 440; Lib. V, 19. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit V. Cl. O. de Falke.

Berger 3068.

. . regi Cipri illustri, domino regni Ierosolimitani[a 1].

De diligenti sollicitudine, quam in conservatione regni Ierosolimitani hactenus habuisse dinosceris, studium tuum dignis in Domino laudibus commendamus. Quia vero eidem regno est tua industria plurimum oportuna, celsitudinem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, quatinus in conservando bono statu ipsius regni, prout bene fecisti hactenus, inconcussa constantia taliter elabores, quod proinde possis apud Deum et homines merito commendari, sciturus pro certo quod, si inter ecclesiam et eius adversarios, qui tui sunt inimici, pacem contigerit reformari, te ac tuos in pace ponemus eadem, dummodo ad nostram memoriam reducatur[2].

Dat. [Lugduni][b], II Non. Iulii, anno quinto.

In eundem modum nobili viro . . domino de Berith, balivo regni Ierosolimitani[3].

412.

Innocentius IV papa universos Christi fideles regni Hierosolymitani hortatur, ut a salutari proposito dolosa calliditate Friderici quondam imperatoris nullatenus avellantur, ne pravis colloquiis meritorum suorum thesaurus bello diutino congregatus subito depereat.

Inn. IV Reg. Vol. I, 551; Lib. V, cur. 1. *1247, Iul. 17.*

Berger 4050.

Universis Christi fidelibus in regno Ierosolimitano constitutis presentes litteras inspecturis.

In huius mundi voragine tribulationis insurgente procella, validam anchoram sancte spei, per quam in illum certe dirigimus expectationis intuitus, qui salvat invocantes ammirabile nomen suum, precidere nititur humani generis inimicus, infirmos quosque spiritus pusillanimitate deiciens, qui cum expetitur adesse statim sibi non sentiunt auxilium expectatum. Sed viri fortes, quos virtutum armis decorat Omnipotens, longanimitatis expectatione firmati, dum occiduntur, sperant in ipso, pro quo suas morti animas exponere decreverunt, ipsas in eternum custoditas recepturi, cum Christus apparuerit, vita nostra. Vos siquidem estis celestis plantatio, que terram incolit, quam redemptor omnium effusione proprii sanguinis consecravit, et ideo radices vestre devotionis et fidei, quibus reverentia humili et prompta obedientia

a) Eidem *R.* b) Lugduni *deest R.*

1) *Cf. n. 324 et 412.* 2) *Eidem regi sub Iul. 9. indulsit, ut in eum per quinquennium excommunicationis vel interdicti sententiae absque speciali mandato suo promulgari non possint; Berger 3067; cf. etiam 3712 et 3713.* 3) *De hoc cf. etiam Berger 3149—3151.*

inheretis ecclesie matri vestre, licet Frederici quondam imperatoris Romani perflet dolosa calliditas, ut a salutis vestre salutari proposito vos avellens in suo scelere solus non pereat sceleratus, debent inconcussa persistere firmitate, ne forte pravis colloquiis corrumpentibus bonos mores vestrorum meritorum subito thesaurus depereat, quem diutino bellorum certamine congregastis, si, quod absit, Christi rectis vestigiis derelictis, devia, que ducunt[a] ad mortem, predicti sequamini Frederici. Nos igitur, ex precedentibus fidei vestre studiis firmam spem in reliquum pollicentibus confidentes, universitatem vestram monemus et hortamur attente, mandantes quatinus a cursu accepti propositi nullatenus deflectentes, matri vestre continuis obsequiis assistatis, ut, ipsa optate pacis gaudiis perfruente, vos tanto securius quiescatis sub potentie sue alis, quanto eadem conculcato pravorum occursu virium suarum salutiferum brachium in defensionem humilium poterit liberius exercere[1].

Dat. Lugduni. XVI Kal. Augusti, anno quinto.

413.

Innocentius IV papa [Bertholdo] praeposito et capitulo ecclesiae Grandevallensis intuitu comitis Noricastri mandat, ut H. de Rinach clericum comitis eiusdem in fratrem et canonicum admittant. *1247. Iul. 17.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 144: Lib. V, 42. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. O. de Falke. Berger 3091.

. . preposito[2] et capitulo ecclesie Grandevallensis Basiliensis diocesis.

Votivum in ipsis esse debet affectibus, quod digne nobis gratum esse percipitis et vobis etiam producere poterit premium gratie specialis. Sane dilectus filius nobilis vir comes Novicastri[3] ad hoc una cum suis intentus magnanimiter dicitur, ut ipsius honor ecclesie per eorum ministerium augeatur. Propter hoc siquidem nos personam eius affectu benivolo prosequentes, universitatem vestram rogandam duximus et monendam, mandantes, quatinus dilectum filium H. de Rinach, dicti comitis clericum specialem, qui de nobilitate generis, moribus et scientia commendatus, per se ac suos, sincere devotionis intentos obsequiis, apud nos gratiosi donum dicitur meruisse favoris, pro apostolice sedis et nostra reverentia in fratrem et canonicum admittatis, etc. ut supra in XL° capitulo[b] usque: generari, aut quod idem alias beneficiatus existit, seu aliqua indulgentia, de qua specialem in litteris nostris oporteat fieri mentionem; preces et mandatum nostrum taliter impleturi, ut, eo gaudente consequi quod in hac parte desiderat, digna laudibus et favore apud nos vestre sinceritas devotionis existat. Alioquin dilecto filio . . abbati de Capella Constantiensis diocesis per litteras nostras iniungimus, ut super hoc mandatum apostolicum exequatur; contradictores etc.

Dat. Lugduni, XVI Kal. Augusti, anno V°.

a) de via que ducit *R.* b) *scil. in eundem fere modum atque in n. 392.*

1) *Cf. n. 411.* 2) *De hoc cf. n. 356 et Berger 3100, 3101, 3107 et 3110.* 3) *Rudolfus. Sub Aug. 2 papa ad preces eius Ulrico rectori ecclesiae de Ratte, consanguineo Ulrici et Bertoldi fratrum, dominorum de Mosburch Constantiensis diocesis, devotorum ecclesiae, quandam gratiam fecit; Berger 3135; cf. etiam 3105, 3106, 3108. — De fratre comitis Henrico praeposito Solodoriensi cf. ibidem et Berger 3086, 3102, 3276 et Potthast. Reg. 12655; quae ep. in Reg. non extat.*

414.

Innocentius IV papa [Liutholdo] episcopo Basiliensi mandat, ut prioratum de Altichilche, cuius bona Ulricus comes Phiretarum pro maiore parte in expensas pro F[riderici] quondam imperatoris obsequiis faciendas converterit, alicui gubernandum committat, qui velit et possit bona eius tueri. *1247, Iul. 17.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 445—446; Lib. V, 56.
Berger 3105.

. . episcopo Basiliensi.

Sicut tua nobis fraternitas intimavit, prioratus de Abelchilche[1] ordinis sancti Benedicti tue diocesis, qui olim spiritualium et temporalium florere consuevit ubertate bonorum, faciente malitia nobilis viri Ulrici comitis Phiretarum, qui F. quondam imperatori adherens contra ecclesiam et ipsius fautor manifestus existens[2], bona prioratus eiusdem dilapidat enormiter et consumit, ea pro maiori parte in expensas pro dicti F. obsequiis illicite convertendo. in proprie salutis dispendium et prefati prioratus lesionem non modicam, ad tantam inopiam iam devenit, quod persone inibi existentes, licet sint solito pauciores nec non . . . .[a], sibi de bonis illius nequeunt ministrare. Quare petisti super hoc a nobis congruum remedium adhiberi. De tua igitur circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes et cupientes indempnitati eiusdem prioratus paterna sollicitudine precavere, mandamus, quatinus eundem prioratum tali persone gubernandum committas, que velit et possit bona eius eripere ac tueri ac ipsum in bono statu diligenter et viriliter conservare; contradictores etc.

Dat. Lugduni, XVI Kal. Augusti, anno V°.

415.

Innocentius IV papa [Henrico III] episcopo Argentinensi mandat, ut excommunicationis et interdicti sententias in cives Basilienses pro eo latas, quod in favorem F[riderici] quondam imperatoris palatium episcopi sui funditus destruxerint, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari faciat. *1247, Iul. 26.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 446; Lib. V, 60. Pertzii exemplar contulimus cum Sbaralea, Bull. Francisc. t. I, p. 471, n. 221.
Potthast. Reg. 12622; Berger 3109.

. . episcopo Argentinensi.

Gravem venerabilis fratris . . episcopi et dilectorum filiorum capituli Basiliensium recepimus questionem, quod licet cives Basilienses iura ipsius episcopi et ecclesie sue servare illesa iuramento prestito teneantur, ipsi tamen in favorem F. quondam imperatoris, cui pro posse assistunt, contra iuramentum proprium temere venientes ac degenerantes de filiis in privignos nec non pugnantes impie contra matrem, palatium, quod in civitate Basiliensi dictus habebat episcopus, funditus destruxerunt, eis et clero Basiliensis diocesis peiora facere comminando; propter quod idem episcopus in eos, quia diligenter ab ipso moniti super hoc satisfacere ac resipiscere a sua nequitia

a) *in R. aliquid excidisse videtur.*

1) *Leg. 'Altichilche' i. e. Altkirch, e. mer. civ. Mülhausen.* 2) *Sub a. 1246, Nov. 27 papa hunc devotum suum appellaverat; cf. n. 261. De eodem comite cf. etiam Berger 3110.*

contumaciter contempnebant, excommunicationis et in civitatem ipsam interdicti sententias exigente iustitia promulgavit; quas ipsi dampnabiliter contempnentes redire ad unitatem ecclesie aspernantur. Ut igitur acrior pena pungat, quos nulla penitus hactenus penitudo compunxit, mandamus, quatinus easdem sententias, sicut rationabiliter sunt prolate, faciens auctoritate nostra usque ad satisfactionem condignam appellatione remota inviolabiliter observari, fratribus Predicatoribus et Minoribus, Hospitalariis, monachis et aliis religiosis cuiuscumque ordinis et religionis inibi commorantibus expresse ex parte nostra inhibeas, ne civibus ipsis presentibus in eorum ecclesiis et capellis divina officia celebrent vel faciant celebrari, — non obstantibus privilegiis seu indulgentiis eisdem religiosis super hoc ab apostolica sede concessis —: processurus super hoc alias, prout videris expedire.

Dat. Lugduni, VII Kal. Augusti, anno V°[1].

416.

Innocentius IV papa fratri Bonaefidei ordinis Minorum mandat, ut clero et populo Beneventanis, ecclesiae fidelibus, excommunicatis pro eo quod Friderico quondam imperatori et officialibus eius licet inviti communicent, quotiens requisitus fuerit, absolutionis beneficium impendat. *1247, Iul. 28.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 445; Lib. V, 48. Exemplar, quod Sbaralea, Bull. Francisc. t. I, p. 475, n. 223 edidit, cum Regestis contulit V. Cl. O. de Falke.

Potthast. Reg. 12626; Berger 3097.

Fratri Bonefidei de ordine fratrum Minorum.

Nostre mentis oculis presentantes angustias, quibus dilecti filii clerus et populus Beneventani, ecclesie Romane fideles, per ipsius hostes nequiter affliguntur, consolationem, quam digne possumus, libenter ipsorum cordibus procuramus. Cum itaque ipsi pro eo, quod Friderico quondam imperatori et officialibus ac nuntiis eius licet inviti communicant et intendunt, excommunicationis laqueo sint astricti et astringi quasi cotidie propter communionem huiusmodi compellantur[a]: nos, eorum piis desideriis annuentes, presentium tibi auctoritate committimus, ut eisdem clero et populo, cum propter hoc ad te duxerint humiliter recurrendum, absolutionis beneficium iuxta formam ecclesie largiaris et penitentiam salutarem iniungas ac ecclesiastica sacramenta ministres. Ceterum, si te abesse forte contigerit, duobus vel tribus fratribus tui ordinis discretis et providis super hoc vices tuas eadem auctoritate committas.

Dat. Lugduni, V Kal. Aug. anno V°[2].

417.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino mandat, ut sententias a [Conrado] archiepiscopo Coloniensi in favorem Theoderici et Henrici de Molen-

---

[a]) compellatur *E.*

1) *Sub Oct. 11 papa eidem episcopo mandavit, ut rectorem ecclesiae de Incelingen Constantiensis diocesis, qui in civitate Basiliensi auctoritate apostolica interdicto supposita domicilium sibi providisset, ecclesia sua privaret; Berger 3339.* 2) *Sub eodem die Iacobo iudici Beneventano concessit officium notariae curiae suae Beneventanae, quod quondam Saductus Iudicis Caturberii iudex Beneventanus obtinuisset; Berger 3250.*

gassen scabinorum Coloniensium promulgatas, quos F[ridericus] quondam imperator a civitate Coloniensi expelli iusserit, observari faciat. *1247, Iul. 30.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 146; Lib. V, 63.
Berger 3112.

. . archiepiscopo Maguntino.

Dilectus filius Theodericus de Molengassen civis et scabinus Coloniensis in nostra proposuit presentia constitutus, quod F. quondam imperator, attendens ipsum et Henricum fratrem suum contra eum pro defensione fidei ac ecclesie fore crucis caractere insignitos et ipsorum erga Romanam ecclesiam devotionem fervere, ac per hoc ad imitationem illius, qui lugens miserabiliter casum suum et invidens homini, quem considerat locum a quo ipse ceciderat obtenturum, salutem humanam impedit[a], quandoque sicut leo deseviendo aperte ac interdum ut draco ex insidiis moliendo, satagens eos ab ipsorum proposito revocare, iudicibus, scabinis et universis civibus Coloniensibus suas direxit litteras[1], continentes, ut eosdem T. ac fratrem ab eorum consortio segregantes ad aliqua officia vel ad dictandas sententias aliquatenus non admitterent[b], et prolatas per eos sententias nullas et irritas nuntiantes, a civitate Coloniensi T. ac fratrem expellerent supradictos. Sed venerabilis frater noster . . archiepiscopus Coloniensis, tactum contrarium in eos, quos sub sua protectione susceperat, ferre non valens ac ipsius persecutoris pravos elidens conatus, eisdem iudicibus, scabinis et civibus inhibuit sub pena excommunicationis sententie iam prolate, ne ad electionem scabinorum et aliorum officiorum ordinationem aliquatenus procederent, nisi vocatis legitime predictis T. ac H. fratribus, quorum dinoscitur interesse, decernendo irritum et inane, si secus forsitan attemptarent, et carere robore firmitatis, ac per consequens ius eligendi scabinos et alia officia ordinandi fore ad dictos fratres tantummodo devolutum. Quare nobis idem T. humiliter supplicavit, ut quod ab eodem archiepiscopo factum est in hac parte, apostolico curaremus munimine roborare. Quia vero dignum est, ut devoti ex devotione fructum et indevoti ex indevotione iacturam reportent, nos, processum dicti archiepiscopi, sicut est provide super hoc habitus, ratum et gratum habentes, mandamus, quatinus facias eum per censuram ecclesiasticam appellatione remota firmiter observari.

Dat. Lugduni, III Kal. Augusti, anno V°.

418.

Innocentius IV papa consulibus et universitati Argentinensibus confirmat diploma Henrici III episcopi et capituli Argentinensium a. 1247, Mai. 1 datum, quo iidem pro se et successoribus suis promiserunt, se advocatiam civitatis nunquam imperatori, regi, duci vel proli eorum concessuros esse. *1247, Aug. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 447; Lib. V, 66. Pertzii exemplar contulimus cum duobus authenticis [A 1 et A 2] in U. B. der Stadt Strassburg t. I, p. 238, n. 317 editis.
Berger 3115.

Consulibus et universitati Argentinensibus.

Cum hii, qui se apostolice sedi grate devotionis studio amabiles exhibent, sedis eiusdem obtinere[c] favorem specialius mereantur, nos, vestra servitia, que Romane

a) impendit *R.* b) admittant *R.* c) optinere *A.*

1) *Coloniensis civitas imperatori tum favebat; cf. Bohmer-Ficker, l. c. 4890.*

ecclesie liberaliter exhibuistis hactenus et impenditis incessanter, memoriter retinentes, volumus ob hoc civitatem vestram, quantum cum Deo possumus, multiplici extollere honorificentia vestrisque votis annuere favorabiliter et in hiis, que digne deposcitis, exhibere vobis benignum exauditionis auditum[1]. Cum itaque, sicut nobis exponere curavistis, venerabilis frater noster . . episcopus, . . decanus et capitulum Argentinenses[a] ad instar bone memorie H. episcopi Argentinensis et canonicorum predecessorum suorum de consensu et voluntate unanimi ministerialium, civium et aliorum fidelium suorum duxerint innovandum ac firmiter statuendum, quod advocatiam civitatis vestre cum iuribus et pertinentiis suis nulli umquam imperatorum, regum, ducum seu aliarum illustrium personarum aut eorum proli conferri liceat seu quocumque titulo, modo vel forma ab eis vel ipsorum successoribus transferri valeat in eosdem, prout in litteris dictorum episcopi et capituli confectis exinde perspeximus contineri: nos, vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eisdem episcopo et capitulo provide factum est, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, decernentes irritum et inane, si secus super hiis ab ipsis vel ipsorum[b] successoribus fuerit attemptatum, et[c] tenorem[d] litterarum ipsarum de verbo ad verbum [presentibus][e] inseri facientes[f]; qui talis est.

Henricus[g] divina miseratione Argentinensis episcopus, Arnoldus prepositus, Bertholdus decanus, Fridericus cantor, Cunradus scolasticus, Cunradus camerarius totumque capitulum maioris ecclesie notum facimus universis[h] Christi fidelibus presens scriptum inspecturis, quod sicut olim a capitulo nostro, mediante venerabili domino Henrico de Veringen[i] felicis memorie Argentinensi episcopo, sacramento corporali interposito firmiter extitit promissum, sic et nos utilitate ecclesie nostre inspecta firmiter et fideliter promittimus et iamdictum promissum pro nobis et successoribus nostris innovamus, in eo videlicet quod advocatiam Argentinensem cum suis pertinentiis nulli umquam illustri vel superillustri persone, imperatori[k], regi seu duci aut proli eorundem, concedamus vel ab episcopo concedi permittamus infeudationis, venditionis, pignerationis, permutationis, commissionis seu quolibet omnino titulo alienationis. Et si forte, quod absit, quisquam episcoporum Argentinensium id attemptaret, fideliter promittimus omnes simul totis viribus nostris et per eas quas possumus vias iuris hoc impugnare. E converso ministeriales ecclesie et cives Argentinenses fideliter promiserunt personam, res et possessiones Henrici episcopi nunc residentis nec non cuiuslibet sui successoris, qui sepedictum sacramentum super articulo advocatie subierit aut subire voluerit, omnium etiam canonicorum Argentinensium, tam presentium quam futurorum, ac totius civitatis cleri, qui umquam pro tempore fuerit, contra omnem hominem defendere. Consules vero civitatis, quandocumque fuerint immutati et renovati, iurabunt defendere et promovere bona fide omnes, quos ad horum conservantiam et stabilitatem processu temporis viderint vel crediderint expedire, aut quorum consilio vel auxilio supramemorata firma et salva consistere poterunt et permanere, et eodem modo clerum in suo honore et libertate debita defendere et conservare. Ne igitur hoc factum posterorum cavillatione vel temporis intervallo possit in irritum revocari, presens exinde pagina est conscripta et sigillis venerabilis domini Henrici episcopi, capituli Maioris Ecclesie et civitatis Argentinensis in testimonium sollempniter communita.

a) Argentinense *P. et A.* b) eorum *A.* c) et *deest A.* d) autem *add A 2.* e) *A.;* presentibus *deest R.* f) fecimus *A 2.* g) *hoc instrumentum contulimus cum duobus authenticis eius [a] ibid. p. 235, n. 312 propositis, cum ed. A id non contineat.* h) omnibus *a.* i) de Veringen *deest a.* k) videlicet *add. a.*

1) *Cf. Berger 3096.*

Acta sunt hec apud Argentinam in palatio episcopi, anno verbi incarnati MCCXLVII°, festo apostolorum Phylippi et Iacobi[1], presentibus hiis testibus: Henrico de Ohsenstein[2], Bertholdo de Sultze[3], Reinaldo[a] de Tengen[4], Cunrado, Eberhardo et Octone fratribus de Entringen[5], Bertholdo de Thiesberc[b][6], Marcualdo[c] dicto Sunnelcap[d], canonicis maioris ecclesie, Nicolao cantore Sancti Thome, domino Lodewico de Linthenberc[e][7], domino Alexandro de Dike[f][8], fratre domini episcopi, Waltero marescalco, Willelmo vicedomino, Alberto Bagario Albo, Wernero Cagone, Wernero Bagario, Currado de Virvecorn[g] et filiis suis Reinboldo et Reinboldo, Erbone filio Iudicis, Iohanne de Kiungesoven[h][9], Burchardo Dispensatore, Iohanne Vitulo, Rudolfo de Vegersehim[10], Hugone Riplino, Friderico de Hagenowe, Siglino Bilde[11], Gozzone, Erbone et Reimboldo filiis Nicolai, Friderico inter mercatores, Wirico, Cunrado de Zavernia, Rudolfo filio Lontzelini[i], Raimboldo Stumbelwec[k], Henrico filio Marsilii, Hecelone de Ethevindesheim[l][12], magistro civium, et aliis quampluribus.

Nulli ergo etc. nostre confirmationis et constitutionis etc.

Dat. Lugduni, Nonis Augusti, anno V[13].

419.

Innocentius IV papa [Leonardo] abbati Cavensi mandat, ut Riccardo de Trentenaria laico Capudaquensis diocesis, devoto suo, in Valle de Crati seu Calabria de 'discagentiis curiae' de duobus feudis militaribus provideat. *1247, Aug. 9.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 453; Lib. V, 132. Epistolam ex Reg. descripsit V. Cl. O. de Falke. Berger 3181.

. . abbati Cavensi Salernitane diocesis[14].

Apostolice sedis benignitas consueta facile favet etc. usque: devotorum. Hinc est, quod pro dilecto filio Riccardo de Trentenaria[15] laico Capudaquensis diocesis, cuius pater, spoliatus per F. quondam Romanorum imperatorem bonis omnibus, et germanus exulant, idemque ob ecclesie Romane devotionem angustias patitur et

a) Reinhardo *a; leves nominum lectiones variantes non annotavimus.* b) Thiersberc *a.* c) Marquardo *a.* d) Sunnencalp *a.* e) Lichtenberc *a.* f) Dicke *a.* g) Virnecorn *a.* h) Kuniges hoven *a.* i) Lentzelini *a* k) Stinbenwec *a.* l) Echevirdesheim *a 1;* Eckevirdesheim *a 2.*

1) *Mai. 1.* 2) *Ochsenstein prope civ. Elsass.-Zabern.* 3) *Ex sept. civ. Rottweil.* 4) *Ex sept. et occ. castri Hohentwiel. De dominis de Tengen cf. etiam Berger 3628 et 3676.* 5) *Ex sept. et occ. civ. Tubingen.* 6) *Diersburg e mer. civ. Offenburg; cf. n. 143.* 7) *De hoc cf. n. 271.* 8) *I. e. Teck.* 9) *Königshofen, vicus ante portam Argentinensem, quae dicitur Weissenthurmthor.* 10) *Fegersheim, e mer. et occ. civ. Strassburg.* 11) *De hoc cf. Böhmer-Ficker, l. c. 4875.* 12) *Eckwersheim ex sept. civ. Strassburg.* 13) *Eodem die praeposito Sancti Arbogasti extra muros et Sancti Petri et Sancti Thomae ecclesiarum Argentinensium decanis mandavit, ne Argentinenses super hoc molestari paterentur; Berger 3116. — Eisdem praelatis sub Sept. 19 mandavit, ne Argentinenses contra confirmationem libertatum iis a sede apostolica factam molestari paterentur; Potthast, Reg. 12692; quae ep. in Reg. non extat. — Sub Iul. 22 papa consulibus et universitati Argentinensium libertates et immunitates ab imperatoribus et regibus Romanorum eis indultas, sicut in privilegio a. 1236, Mart. a Friderico quondam imperatore concesso contentae essent, confirmaverat; Potthast 12617; quae ep. in Reg. non extat.* 14) *De hoc cf. n. 187. Eundem a. 1247, Ian. 22 et a. 1249, Mai. 8 a partibus imperatoris stetisse legimus ap. Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 474 et 451. Licet praesumi non possit, papam viro sibi non devoto tale mandatum direxisse, tamen abbatem, si a. 1247 ab imperatore defecisset, a. 1249 ad gratiam eius restitutum fuisse probabile non est. Pro certo dici non potest, quomodo factum fuerit, ut haec ep. ei destinata sit.* 15) *Trentinara in Principatu prope Capaccio.*

pressuras, mandamus, quatinus sibi in Valle de Grati seu Calabria de discagentiis[1] curie de duobus feudis militaribus auctoritate nostra providere procures etc. ut in proxima[a] usque: facultas; contradictores etc

Dat. Lugduni, V Idus Augusti, anno V°.[b 2]

420.

Innocentius IV papa decano Ratisponensi mandat, ut mandatum apostolicum pro [Burcardo] archiepiscopo Salisburgensi de ecclesia Salisburgensi contra Philippum praepositum Wisegradensem datum, cum executores constituti impediti sint, executioni mandari faciat. *1247, Aug. 12.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 449; Lib. V, 84. Epistolam, quam ex Regestis descripsit V. Cl. O. de Falke, contulimus cum Erben, Reg. Bohemiae t. I, p. 550, n. 1181.

Potthast, Reg. 12645; Berger 3133.

. . decano Ratisponensi.

Ex parte venerabilis fratris nostri . . Salzeburgensis archiepiscopi nobis extitit intimatum, quod cum nos Phylippo Wisegradensis[3] ecclesie preposito, ut occasione electionis de se in ecclesia Salzeburgensi presumpte super ipsa archiepiscopum non molestaret eundem, et capitulo et clero necnon universis comitibus, baronibus, ministerialibus et populo Salzeburgensis civitatis et diocesis, ut ei tamquam eorum archiepiscopo humiliter intenderent et devote, nostris dederimus litteris in mandatis, venerabili fratre nostro . . Gurcensi episcopo et dilecto filio . . Ratisponensi electo a nobis super hoc executoribus sibi datis[4]: eodem episcopo carceri mancipato et dicto electo in remotis agente, mandatum nostrum executioni mandari non potuit in hac parte. Mandamus, quatinus ad exequendum illud procedas iuxta priorum continentiam litterarum — non obstante si episcopis vel aliis prelatis aut religiosis, ecclesie Salzeburgensi metropolitico iure subiectis, a sede apostolica sit indultum, quod interdici vel excommunicari non possint sine ipsius sedis speciali mandato, faciente de indulgentia huiusmodi mentionem.

Dat. Lugduni, II Idus Augusti, anno V[5].

421.

Innocentius IV papa decano et capitulo Halberstadensibus ad preces Oddonis marchionis Brandeburgensis mandat, ut Albertum praepositum Stendaliensem, capellanum marchionis eiusdem, in canonicum recipiant. *1247, Aug. 16.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 452; Lib. V, 109. Exemplar, quod Riedel, Cod. dipl. Brandenb. 2. Hauptth. t. I, p. 27, n. 40 edidit, cum Regestis contulit V. Cl. O. de Falke.

Potthast, Reg. 12650; Berger 3158.

a) *scil.: 'si vacant ad presens vel quam primum obtulerit se facultas'; cf. Berger 3180.* b) Dat. ut supra *R.*

1) *In ep. ap. Berger 3166 papa simili modo de 'discadentiis curiae' loquitur. Hoc verbum, quod alibi nobis non occurrit, a verbo 'disgagiare' i. e. 'disvadiare', 'in pignus retinere vel rem oppigneratam redimere' derivandum esse videtur.* 2) *Cf. etiam n. 300. Similes gratiae nobilibus regni Siciliae ecclesiae adhaerentibus tum factae ap. Berger 3114—3148, 3162—3166, 3168—3183, 3211—3213, 3342, 3243, 3533, 3728, 3729, 4030—4036.* 3) *E mer. cir. Pragensis.* 4) *Cf. n. 289 et 305.* 5) *Sub Iul 24 eidem concesserat facultatem absolvendi clerum Salisburgensem ab obedientia, laicos vero a fidelitate et iuramento, si quod Philippo praeposito tanquam archiepiscopo suo praestitissent; Berger 3134: Potthast, Reg. 12619. — Sub Oct. 12 papa eundem Philippum procuratorem ecclesiae Salisburgensis constituit; Berger 3349 et 3350.*

. . decano et capitulo Halberstatensibus.

Ad faciendam dilecto filio Alberto preposito Stindarensis[1] ecclesie, dilecti filii nobilis viri Oddonis marchionis Brandeburgensis capellano, gratiam specialem ipsius marchionis preces et eiusdem prepositi merita, super quibus ei perhibetur testimonium laudabile, nos inducunt. Quocirca universitatem vestram rogandam duximus attentius et monendam, mandantes quatinus recipientes eundem prepositum pro apostolice sedis et nostra reverentia in canonicum et in fratrem, ei prebendam, si qua in ecclesia vestra vacat ad presens vel quam primum ad id se facultas obtulerit, liberaliter conferatis — non obstante quod idem alias beneficiatus existit, vel si in eadem ecclesia direximus pro aliis scripta nostra, quibus etc. usque: generari, seu statuto de certo canonicorum numero iuramento vel confirmatione sedis apostolice aut quacumque firmitate alia roborato. Alioquin dilectis filiis . . abbati et . . priori in Ulsem[2] Verdensis diocesis nostris etc. usque[a]: mandatis, ut ipsi super hiis mandatum apostolicum exequantur; contradictores etc.

Dat. Lugduni, XVII Kal. Sept. anno V°[3].

422.

Innocentius IV papa magistro Willelmo de Sancto Amore canonico Belvacensi ad preces [Rudolfi] electi Tarantasiensis et Th[omae] de Sabaudia comitis indulget, ut praeter ecclesiam de Garevilla unicum beneficium ecclesiasticum, etiamsi curam animarum habeat, recipere valeat. *1247, Aug. 22.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 151; Lib. V, 139. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. O. de Falke. Berger 3188.

Magistro Willelmo de Sancto Amore canonico Belvacensi.

Ad faciendam tibi gratiam specialem dilectorum filiorum . . electi Tarantasiensis[4] et nobilis viri Th. de Sobaudia[b][5] comitis affectuose pro te nobis porrecta rogamina necnon et tua merita probitatis propensius nos inducunt. Attendentes igitur laudabile testimonium, quod tibi de litterarum scientia, vite honestate ac bonis moribus perhibetur, ac per hoc te intendentes prosequi favoris prerogativa [et][c] gratie amplioris: ut preter ecclesiam de Garevilla[d], curam animarum habentem, quam obtines, unicum beneficium ecclesiasticum vel personatum seu dignitatem, etiam si similem curam habeat, si tibi canonice offeratur, libere recipere ac cum obtentis licite retinere valeas — constitutione generalis concilii non obstante —, auctoritate tibi presentium indulgemus; proviso ut eadem beneficia etc. usque: negligatur. Nulli ergo etc. concessionis etc.

Dat. Lugduni, XI Kal. Sept. anno V[6].

423.

Innocentius IV papa P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato, ob devotionem [Sigefridi III] archiepiscopi Maguntini in necessi-

a) us *R.* b) *ita R.* c) et *deest R.* d) Gravilla *ap. Berger 3228.*

1) *Stendal in Altmark.* 2) *Uelzen ex occ. cir. Salzwedel.* 3) *Sub Iul. 5 papa cum eodem Alberto super pluralitate beneficiorum dispensaverat; Berger 3159.* 4) *De hoc cf. n. 153.* 5) *Frater eius Amadeus comes Sabaudiae imperatori favebat; cf. n. 341.* 6) *De eodem Willelmo cf. etiam Berger 3228.*

tate probatam mandat, ut fratri Henrico de ordine Minorum, nepoti eius, de aliquo episcopatu infra legationis suae fines vacante provideat. *1247. Aug. 24.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 155; Lib. V, 149. Pertzii exemplar contulimus cum eiusdem tenoris epistola sub a. 1246. Dec. 16 electo Ferrariensi legato pro eodem Henrico missa, n. 265 [1].

Potthast, Reg. 12661; Berger 3198.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Ita claret et claruit venerabilis fratris nostri . . archiepiscopi Maguntini devotio probata in necessitate, qua cognoscuntur amici, ut non tantum legitimus sed etiam specialis sit apostolice sedis filius reputandus, qui plene illi sicut matri exhibens, quod affectui filiali debetur, eidem in necessitatis tempore astitit et assistit viriliter et potenter. Quare nos, specialis[a] caritatis prerogativa diligentes eundem, sic affectionis dulcedine ipsum prosequi cupimus, quod ad suos etiam dilectionem, quam habemus ad eum, ostendere volumus per effectum. Attendentes igitur non solum magna verum etiam grata et utilia obsequia, que idem archiepiscopus et per eum sui ecclesie Romane tam fideliter quam efficaciter impenderunt, ac per hoc volentes ipsum in dilecto filio fratre Henrico, nepote suo, de ordine fratrum Minorum, quem etiam sue religionis, honestatis et probitatis intuitu gratia et favore prosequi cupimus, honorare, mandamus, quatinus, siquis episcopatus infra legationis tue fines vacat ad presens vel vacabit in proximo, de quo sibi et illi de ipso possit et debeat congrue provideri, eidem auctoritate nostra de ipso fratre studeas providere; contradictores etc.

Dat. Lugduni, VIIII Kal. Sept. anno V°[1].

424.

Innocentius IV papa praeposito ecclesiae de Olimbere Basiliensis diocesis mandat, ut contra homines de Suberits et de Sarnon locorum, nisi a Friderico quondam imperatore recedant et Radulfo seniori comiti de Habsburg domino suo obsequantur, et contra homines villae Lucernensis, si cum iis communicent, excommunicationis et interdicti sententias promulget. *1247. Aug. 28.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 456; Lib. V, 161. Pertzii exemplar contulimus cum Schopflin, Alsat. diplom. t. I, p. 484, qui exemplar cod. Vatic. 7183, quod ex Reg. manasse videtur, proposuit.

Potthast, Reg. 12673; Berger 3210.

. . preposito ecclesie de Olimbere[2] ordinis sancti Augustini Basiliensis diocesis.

Dilecto filio nobili viro Radulfo seniore comite de Habsturc[b], devoto nostro[3], accepimus intimante, quod de Suberits[c][4] et de Sarnon[d][5] locorum homines Constantiensis diocesis, qui ad ipsum hereditario iure spectant, a fidelitate ac dominio eiusdem temere recedentes, F. quondam imperatori post latam in ipsum et fautores suos

a) speciali *P.; cf. 1.* b) *ita R.* c) Sub'its *R.:* Subritz *S.* d) Sarmon *S.*

1) *Sub Dec. 5 papa Alberto archiepiscopo Prusciae mandavit, ut, libera episcopi Semigalliensis propter nimiam sui corporis debilitatem resignatione recepta, fratrem Henricum 'de Luziburgo' de ordine Minorum Semigalliensi ecclesiae praeficeret in episcopum; Berger 3502; Potthast, Reg. 12776.* 2) *Olsberg prope civ. Rheinfelden.* 3) *Sub Iun. 3 papa eum adversarium ecclesiae adhuc appellaverat; cf. n. 379.* 4) *Schwyz.* 5) *Sarnen.*

excommunicationis sententiam nequiter adheserunt[1]. Et licet postmodum ducti consilio saniori prestito iuramento firmarint, quod sub dicti comitis dominio de cetero persistentes ipsi F. vel alicui alteri contra ipsum minime obedirent, iidem tamen, iuramenti religione ac lata in adherentes et faventes predicto F. sententia excommunicationis dampnabiliter vilipensis et fidelitate temere relegata, se ab eius dominio subducentes, prefato F. assistunt contra ipsum et ecclesiam pro viribus et patenter[a]. Quia vero dignum est, ut qui diligunt maledictionem veniat eis et qui nolunt benedictionem prolongetur ab illis, mandamus, quatinus, si res ita se habet, prenominatos homines, nisi ab eodem F. infra competentem terminum a te prefigendum eisdem recedant eique tamquam imperatori non obediant nec intendant ac ad unitatem ecclesie revertantur ipsique comiti velud suo domino in devotione huiusmodi persistenti studeant obsequi ut tenentur, nec non et homines ville Lucernensis, si tibi eos illis communicare ac favere prefato F. constiterit in premissis, denunties excommunicationis sententie subiacere ac ipsa loca et villam Lucernensem supponas sententie interdicti, faciens utramque sententiam auctoritate nostra sublato appellationis obstaculo usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari, processurus super hiis alias, prout videris expedire.

Dat. Lugduni, V Kal. Sept. anno V°.

425.

Innocentius IV papa P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato, mandat, ut cum nominatis nobilibus, si [Henrico II] duci Brabantiae utiles sint et contra F[ridericum] quondam imperatorem crucem assumpserint, dispenset, ut in matrimoniis contractis, non obstante quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu, permaneant. *1247, Aug. 31.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 460; Lib. V, 182. Praeter exemplar, quod Berger edidit, adhibuimus apographum Cod. Vallicell. J. 55, quod V. Cl. E. Winkelmann nobis praebuit.
Berger 3231.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Licet matrimonii copulam in quarta consanguinitatis et affinitatis linea contrahendi sacri concilii constitutio interdicat, quia tamen super hoc, ut evidens necessitas et utilitas id exposcit, consuevit sedes apostolica dispensare, mandamus, quatinus, si cognoveris, quod Walterus de Ekoven[b 2] ac Arnoldus de Raust[c 3] milites, qui uxoribus suis in quarto consanguinitatis gradu, et Arnoldus dictus Amas, qui uxori eius in eodem gradu affinitatis attinere dicuntur, utiles sint dilecto filio nobili viro . . duci Lotharingie ac Brabantie[4] in negotiis ecclesie ac videris expedire, iidemque contra F. quondam imperatorem assumpserint, ad quod se paratos offerunt, signum crucis, super hoc ab eis sufficienti cautione recepta, cum ipsis auctoritate nostra dispenses, ut in matrimoniis sic contractis libere valeant permanere.

Dat. Lugduni, II Kal. Sept. anno V[o d].

a) potenter *S.* b) Ebeoven *B.*; Ebevren *Vall.* c) *R., Vall.*; Kaust *B.* d) Dat. ut supra *B.*

1) *Cf. chartam imperatoris a. 1240, Dec. ap. Böhmer-Ficker, l. c. 3155.* 2) *Eeckhoven in pago et dominio Rumpst ducatus Brabantiae.* 3) *Ex or. civ. Antwerpi.* 4) *Hic solus inter duces Teutoniae electioni Willelmi regis, qui filius Mathildis sororis suae erat, interfuit; Böhmer-Ficker, l. c. 4885c.*

426.

Innocentius IV papa [Wilhelmo] Suerinensi et [Ludolfo] Racesburgensi episcopis mandat, ut cum [Alberto] archiepiscopo Livoniae ecclesiam Lubicensem commiserit, inquirant, utrum hanc an Caminensem ecclesiam in metropoliticam erigi expediat.

1247, Sept. 2.

Inn. IV Reg. Vol. I, 460; Lib. V, 189. Pertzii exemplar contulimus cum alio ap. Hartzheim, Conc. Germ. t. III, p. 578 ex cod. Vatic. 7183 edito, quod et ipsum ex Reg. manasse videtur.
Potthast, Reg. 12680; Berger 3238.

. . Zwerinensi et . . Raceburgensi episcopis.

Cum venerabili fratri nostro . . archiepiscopo Livonie, Estonie et Prusçie[1] Lubicensem ecclesiam duxerimus committendam[2], presentium vobis auctoritate mandamus, quatinus, an expediat eandem vel Caminensem ecclesiam in metropoliticam erigi, veritatem diligentius inquiratis, nobis quod inveneritis fideliter rescripturi.

Dat. Lugduni, IIII Non. Sept. anno V°.

427.

Innocentius IV papa [Rudigero] episcopo Pataviensi mandat, ut compellat fratres Teutonicorum in Starkemberg ad privilegia M[argaritae] relictae quondam H[enrici] nati F[riderici] quondam imperatoris et G[ertrudae] relictae quondam W[ladizlai] filii [Wenceslai] regis Bohemiae restituenda, per quae ipsae in ducatu Austriae iure hereditario succedere debeant.

1247, Sept. 3.

Inn. IV Reg. Vol. I, 467; Lib. V, 219. Pertzii exemplar contulimus cum Boczek, Cod. dipl. Moraviae, t. III, p. 77, n. 101.
Potthast, Reg. 12684; Berger 3298.

. . episcopo Pataviensi[3].

Ex parte nobilium mulierum M. relicte quondam H. nati F. dudum imperatoris[4] et G. relicte quondam W. nati carissimi in Christo filii nostri . . regis Boemie illustris nobis est oblata querela, quod fratres hospitalis sancte Marie Theutonicorum in Starkemberch[5] Pataviensis diocesis quedam privilegia, per que ipse in ducatu Austrie hereditario iure succedere debent, contra iustitiam detinent et eis reddere contradicunt. Quocirca mandamus, quatinus, si est ita, dictos fratres, quod eisdem mulieri-

1) *Hic a. 1246, Mai. legatus apostolicus Russiae nominatus erat. De eodem cf. Berger 3221—3225, 3237, 3256; Potthast, Reg. 12668—12672, 12686, 12687. 'In transitu suo per Frisiam' 'post exaltationem crucis', i. e. Sept. 14, Groningae commoratus est, ubi Frisones ad transfretandum cum Ludowico IX rege Franciae ex mandato apostolico animavit; Menconis Chron. a. 1247, SS. t. XXIII, p. 540, Perlbach, Preuss. Reg. sub 278; cf. infra sub Nov. 17.* 2) *'Ut eam, cum de archiepiscopatus sui proventibus propter malitiam habitantium in eodem sustentari commode non posset, quoad viveret, gubernaret'; Berger 3136, sub a. 1247, Iul. 9. Idem Nov. 29 'in orientali choro Bremensi' archiepiscopo Bremensi metropolitano suo pro episcopatu Lubicensi duo iuramenta praestitit; Perlbach, l. c. sub 287.* 3) *Hunc Philippus electus Ferrariensis legatus a. 1246, Iul. 25 excommunicatum et suspensum ad curiam papalem citaverat; cf. p. 153, not. 2. Cf. etiam Hofler, Albert von Beham, p. 95, n. 12 et sequ. Sed iam sub a. 1246, Oct. 21 papa eidem episcopo quoddam mandatum dederat; Potthast, Reg. 12314; quae ep. in Reg. non extat.* 4) *Cf. n. 322 et 356.* 5) *Stahremberg ex occ. cir. Wiener-Neustadt.*

bus huiusmodi privilegia restituant ut tenentur, monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota iustitia mediante compellas.

Dat. Lugduni. III Non. Sept. anno V°.

428.

Innocentius IV papa P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato, mandat, ut eum, quem in regem Romanorum promoveri contigerit, inducat, ut [Henricum] episcopum Bambergensem in officio cancellariae imperii a quondam Henrico rege ei commisso permanere permittat. *1247, Sept. 4.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 460; Lib. V, 185.
Winkelmann, Sicilische und päpstl. Kanzleiordnungen, p. 35; Berger 3234.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Attendens clare memorie Henricus rex Romanorum venerabilem fratrem nostrum . . episcopum Bambergensem[1], utpote multe circumspectionis et probitatis virum, utilem esse ad cancellarie imperii officium exercendum, ac non posse per alium quam per eum illud melius et utilius exerceri, eundem cancellarium suum constituit et de officio investivit eodem[2], sicut dicto episcopo nobis innotuit exponente. Cum autem, sicut asserit, is, cui huiusmodi conceditur officium, debeat illud gerere tempore vite sue, sperantes nos etiam ad ipsum esse utilem episcopum memoratum, mandamus, quatinus illum, quem in regem contigerit dante Domino promoveri, moneas attentius et inducas, ut nulli alii officium predictum concedat, sed in eo permittat ipsum episcopum permanere[3].

Dat. Lugduni. II Non. Sept. anno V°.

429.

Innocentius IV papa P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato, mandat, ut magistrum Conradum decanum Maguntinum capellanum suum in episcopum Wormaciensem electum ecclesiae Wormatiensi in episcopum praeficiat. — Eidem mandat, ut Conrado retinendi cum episcopatu dignitates et alia beneficia sua usque ad beneplacitum apostolicum facultatem concedat.

Inn. IV Reg. Vol I, 461; Lib. V, 192 et 193. *1247, Sept. 11.*
Berger 3241 et 3242.

I.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Etsi de omnium sumus ecclesiarum provisione solliciti, de ecclesiis tamen Alamannie propensior nos cura perurget, ut ad eas hoc tempore promoveantur idonei et devoti. Cum igitur, sicut ex parte dilectorum filiorum . . prepositi, decani et capi-

---

1) *De hoc cf. n. 275.* 2) *Ex his corrigas Böhmer-Ficker, l. c. 4865d.* 3) *Ab initio regni Willelmi de Hollandia, quoad scimus, Henricus electus Spirensis cancellarius erat; Böhmer-Ficker, l. c. 4885c.*

tuli Warmaciensium fuit propositum coram nobis, iidem quatuor prelatos canonicos eiusdem ecclesie cum pleno eligendi[1] de tua voluntate mandato, prout a te in mandatis receperant[2], ad tuam presentiam destinassent, iidem de tua voluntate et consensu in dilectum filium magistrum Corradum capellanum nostrum decanum Maguntinum, virum utique litterarum[a] scientia preditum, consilii maturitate decorum et morum honestate preclarum, voto unanimi consenserunt, te postmodum eundem consensum nichilominus approbante. Quia vero dignum est, ut rectis dispositionibus nichil debeat difficultatis afferri, mandamus, quatinus decanum predictum, de quo probabili argumento speramus, quod Warmaciensis ecclesia actore Deo per ipsius studium spiritualibus proficiat institutis et temporalibus augebitur incrementis, eidem ecclesie auctoritate nostra preficias in episcopum et pastorem, faciens ei a predictis preposito, decano et capitulo ac aliis subditis et ministerialibus eiusdem ecclesie obedientiam et reverentiam debitam exhiberi[3]; contradictores etc.

Dat. Lugduni, III Id. Sept. anno V°.

II.

Eidem.

Cum tibi super preficiendo dilecto filio magistro Corrado capellano nostro decano Maguntino ecclesie Warmaciensi nostras litteras dirigamus; quia eadem ecclesia gravata dicitur onere debitorum nec expedit ecclesie negotio, ut hoc tempore Warmaciensis episcopus non habundet, mandamus, quatinus eidem decano auctoritate nostra concedas, ut una cum episcopatu Warmaciensi dignitates, personatus, gratias et omnia alia beneficia sua retinere cum omnibus iuribus et pertinentiis eorum valeat usque ad nostre beneplacitum voluntatis.

Dat. ut supra.

430.

Innocentius IV papa eidem mandat, ut cessionem [Sibotonis] episcopi Augustensis recipiat et ecclesiae personam idoneam praeficiat in pastorem vel eius curam committat Hartemanno canonico, filio [Hartmanni III] comitis de Dillingen, qui obtentu quondam H[enrici] regis Romanorum et aliorum consanguineorum suorum gratiam meritus sit.

Inn. IV Reg. Vol. I, 463; Lib. V, 216. — *1247. Sept. 27.*
Berger 3265.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Cum venerabilis frater noster . . episcopus Augustensis cedere, prout suis nobis litteris intimavit, desideret[4], factus iam impotens ad exequendum officium pastorale, mandamus, quatinus eiusdem episcopi vice nostra recipias cessionem eique de bonis episcopalibus provideas, de quibus valeat congrue substentari, ecclesie vero Augustensi personam idoneam preficias in pastorem vel eius curam committas dilecto filio Hartemanno canonico eiusdem ecclesie, nato nobilis viri . . comitis de Dikugen[b][5], ecclesie

a) *B.*; litteratum *P.* b) *ita P.*; Dibengen *B.*; *leg.* Dilingen.

1) *Landolfus episcopus Wormatiensis Iun. 8 mortuus erat.* 2) *Cf. n. 387.* 3) *Cf. Ann. Wormat. a. 1247, SS. t. XVII, p. 51.* 4) *Cf. n. 351.* 5) *Dillingen ad Danubium inter civ. Ulm et Donauworth. De eodem comite cf. Berger 3331.*

Romane devoti, qui obtentu clare memorie H. regis Romanorum et aliorum consanguineorum suorum apostolice sedis favorem et gratiam dinoscitur meruisse: contradictores etc.

Dat. Lugduni, V Kal. Oct. anno V°.

431.

Innocentius IV papa eidem mandat, ut praelatos et clericos Augustensis dioecesis, F[riderico] quondam imperatori et C[onrado] nato eius adhaerentes, beneficiis ecclesiasticis privet eaque devotis conferat. *1247, Sept. 27.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 163: Lib. V, 217.
Berger 3266.

Eidem.

Presentium tibi auctoritate firmiter precipiendo mandamus, quatinus prelatos et alios clericos Augustensis diocesis, qui F. quondam imperatori vel C. nato eius aut eorum adiutoribus prestare presumpserint auxilium manifeste, omnibus beneficiis ecclesiasticis privare procures ac eadem beneficia devotis ecclesie conferas, prout videris expedire; contradictores etc.

Dat. ut supra.

432.

Innocentius IV papa eundem procurare iubet, ut successor quondam Henrici regis Romanorum pecuniam, quam hic nobilibus Sueviae a Friderico quondam imperatore recedentibus promiserit, eisdem persolvat. *1247, Sept. 27.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 163: Lib. V, 218.
Berger 3267.

Eidem.

Cum clare memorie H. rex Romanorum pro negotio regni Alamanie promovendo promiserit quibusdam nobilibus de Suevia[1] a fidelitate F. quondam imperatoris recedentibus[a] certam pecunie quantitatem, presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus procures diligentia consueta, ut eiusdem regis successor, si iam factus est vel cum fiet, eisdem nobilibus, quod ipsis ab eodem rege promissum extitit, sine qualibet difficultate persolvat, cum eis magis quam aliis teneatur.

Dat. ut supra.

433.

Innocentius IV papa [Henrico] episcopo Constantiensi mandat, ut [Hugonem] comitem de Monteforti, si Friderico quondam imperatori adhaereat, feudis, quae

a) redeuntibus *B.*

1) *Cf. n. 351, 434, 439 et in primis 443.*

a Curiensi et Sancti Galli ecclesiis obtineat, privet eaque F[riderico] fratri eius devoto conferat. *1247, Sept. 28.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 164; Lib. V, 225.
Berger 3271.

. . episcopo Constantiensi.

Cum nobilis vir . . comes de Monteforti[1] a Curiensi et Sancti Galli ecclesiis quedam feuda obtinere dicatur, idemque Friderico quondam imperatori dampnabiliter adherendo Romanam et per consequens ipsas ecclesias persequi non desistat, et dignum sit, ut indevoti ex indevotione iacturam et devoti comodum ex devotione reportent: fraternitati tue mandamus, quatinus, si res ita se habet, dictum comitem auctoritate nostra privans feudis eisdem, ea dilecto filio nobili viro F. fratri predicti comitis, in devotione ecclesie persistenti, conferas et assignes; contradictores etc.

Dat. Lugduni, IIII Kal. Oct. anno V°.[a]

434.

Innocentius IV papa P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato, scribit, Albertum comitem Tirolicensem aliosque nobiles sibi intimasse collapsam ecclesiam Tridentinam per Brunonem canonicum Magdeburgensem de potenti genere Sueviae oriundum utiliter gubernari posse, et petivisse, ut hic eidem praeficiatur: mandat, ut si haec vera sint, eidem per se vel per [Hermannum] episcopum Herbipolensem de eadem ecclesia provideat. *1247, Oct. 1.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 164; Lib. IV, 228.
Berger 3277.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Dilectus filius nobilis vir Albertus comes de Tirol et quidam alii nobiles suis nobis litteris intimarunt[b], quod ecclesia Tridentina graviter collapsa est in spiritualibus et temporalibus diminuta, iuribus, possessionibus et aliis bonis eius iam longo tempore per Fridericum quondam imperatorem oppressis et fere ad nichilum iam redactis, nobis per easdem litteras humiliter supplicantes, ut cum ipsa ecclesia per Brunonem canonicum Magdeburgensem[2], virum ut asserunt litteratum, providum et discretum, et qui de maioribus terre Suewie adherentibus ecclesie traxit originem, possit gubernari utiliter eiusque iura defendi, eum ipsi ecclesie preficeremus in episcopum et pastorem, dicto comite, qui ecclesie prefate dicitur advocatus, una cum eisdem nobilibus, ipsius canonici consanguineis et amicis, utpote potentibus, eorum viribus in unum conflatis, canonici eiusdem obtentu ad sublevationem ipsius ecclesie ac iurium defensionem eiusdem proponente intendere ac utiliter et efficaciter laborare. Ideoque mandamus, quatinus, si quod de iamdicto canonico asseritur veritate fulcitur et videris ad hoc posse concurrere alia supradicta ecclesiaque predicta de iure vacat ad presens, de sepedicto canonico auctoritate nostra per te vel per venerabilem

a) Dat. ut supra *R.* b) intimavit *R.*

1) *Ex sept. cir. Feldkirch. Comites de M. consanguinei Hugonis IV comitis palatini de Tubingen, ecclesiae devoti, erant: cf. n. 343 et 438.* 2) *Hic fuisse videtur Bruno de Wallenstetten-Kirchberg [e mer. occ. Ulm; cf. n. 272], qui postea Egenoni episcopo Brixinensi successit, cum hic ecclesiae Tridentinae praefectus esset.*

fratrem nostrum . . episcopum Herbipolensem, qui huius facti notitiam habere dicitur, provideas ecclesie memorate[1]; contradictores etc.

Dat. Lugduni, Kal. Oct. anno V°.

435.

Innocentius IV papa S[tephano] tituli Sanctae Mariae Transtiberim presbytero cardinali, vicario suo in Urbe, mandat, ut Walterum de Ocra ab ecclesia Valvensi, quam occasione cuiusdam electionis detineat fultus potentia laicali, amoveat eidemque ecclesiae personam idoneam praeficiat in episcopum. *1247, Oct. 3.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 161; Lib. V, 229. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. O. de Falke. Berger 3278.

S. tituli Sancte Marie Transtiberim presbytero cardinali, vicario nostro in Urbe.

Cum, sicut accepimus, Walterus de Ocre ecclesiam Valvensem, que immediate ad apostolicam sedem spectat, occasione cuiusdam electionis, que de ipso in ea celebrata vel potius attemptata dicitur, detinere presumat[2] fultus potentia laicali, mandamus, quatinus electione ipsa, quam irritam decernimus, nulla penitus nuntiata, eidem ecclesie vice nostra dilectum filium . . archipresbyterum Sancte Lucie de Urbe, qui ad obtinendum episcopatum videtur idoneus, si absque scandalo fieri potest, alioquin aliam personam idoneam preficias in episcopum et pastorem, faciens ei ab eius subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi; contradictores etc.

Dat. Lugduni, V Nonas Octobris, anno V°.

436.

Innocentius IV papa [Henrico] episcopo Bambergensi absolvendi thesaurarium Bambergensem aliosque, quibus procurationem Bambergensis ecclesiae commiserit, ab excommunicatione, si quam communicando fautoribus Friderici quondam imperatoris incurrerint, facultatem concedit. *1247, Oct. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 467; Lib. V, 247. Berger 3296.

. . episcopo Bambergensi[3].

Fraternitatis tue precibus inclinati, absolvendi iuxta formam ecclesie . . thesaurarium Bambergensem ac alios, quibus procurationem Bambergensis ecclesie commisisti, ab excommunicationis sententia, si quam communicando fautoribus Friderici quondam imperatoris pro ipsius ecclesie utilitatibus et negotiis pertractandis necnon

1) *De ecclesia Tridentina cf. n. 293 et infra sub a. 1248, Mai. 22.* 2) *Dubitamus, num hoc verum sit; certe enim ab a. 1247, Apr. 21 Walterus 'electus Capuanus' erat [cf. p. 211, not. 2] et ita in chartis imperatoris usque ad a. 1249, Iun. 26 [Bohmer-Ficker, l. c. 3783] semper appellatus est. Sed fortasse imperator ei administrationem ecclesiae Valvensis commiserat, ita ut 'electus Valvensis' non esset; qualia papa quoque hoc tempore saepius fecit; cf. n. 156, p. 306, not. 5, p. 310, not. 2 et infra n. 437 et 446.* 3) *De eodem cf. n. 428.*

et obtinendis treugis incurrerunt hactenus et incurrent, auctoritate tibi presentium concedimus facultatem.

Dat. Lugduni, III Non. Oct. anno V°[a] [1].

437.

Innocentius IV papa P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato, de ecclesia Augustensi idem scribit quod Sept. 27, mandans ut Hartmannum, si idoneus sit, ecclesiae praeficiat in pastorem, alioquin ei procurationem eius committat. *1247, Oct. 7.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 471; Lib. V, 295.
Berger 3345.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Cum[2] venerabilis frater noster . . episcopus Augustensis cedere, prout suis nobis innotuit litteris, desideret, factus iam impotens ad exequendum officium pastorale, mandamus, quatinus eiusdem episcopi vice nostra recipias cessionem eique de bonis episcopalibus provideas, de quibus valeat congrue substentari. Ecclesie vero Augustensi credimus expedire, dummodo id tibi etiam videatur, ut eidem dilectum filium Hartmannum eiusdem ecclesie canonicum, natum nobilis viri . . comitis de Dilingen, ecclesie Romane devoti, preficias, si est idoneus, in episcopum et pastorem. Alioquin procurationem ipsius Augustensis ecclesie tam in spiritualibus quam in temporalibus committas eidem canonico, qui obtentu clare memorie H. regis Romanorum et aliorum consanguineorum suorum meruit apostolice sedis gratiam et favorem; contradictores etc.

Dat. Lugduni, Nonis Octob. anno V°.

438.

Innocentius IV papa [Thiemoni] abbati de Luzela significat comitem Montisfortis Elisabeth mulierem, neptem suam, uxorem Diethalmi, nati quondam comitis de Toggeburc, ut idem Diethalmus conquestus sit, invitam viro alii desponsasse; mandat, quid in hac causa fieri debeat. *1247, Oct. 7.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 473; Lib. V, 316. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit V. Cl. O. de Falke.
Berger 3366.

. . abbati de Luzela[3] Cisterciensis ordinis Basiliensis diocesis.

Dilectus filius nobilis vir Diethalmus, natus quondam comitis de Toggeburc[4], in nostra conquestus est presentia constitutus, quod nobilis vir . . comes Montisfortis[5]

---

a) Dat. ut supra *R.*

1) *Sub eodem die praeposito, decano et capitulo Bambergensibus sub poena excommunicationis mandavit, ut praeter prioris sui mandatum vel communem omnium deliberationem cessare a divinis officiis de cetero per proximum triennium minime praesumerent; Berger 3295.* 2) *Cf. n. 430.* 3) *Lützel ex or. cir. Porrentruy.* 4) *Diethalmi.* 5) *Hugo, de quo cf. n. 433.*

Curiensis diocesis Helysabeth mulierem, neptem suam, uxorem dicti D., contra iustitiam detinens, eam renitentem penitus et invitam viro alii de facto dicitur desponsasse. Mandamus, quatinus, si est ita, dictum comitem, quod vel sine difficultate aliqua eandem mulierem ipsi D. viro suo restituat ut tenetur, vel ipsam ponat in aliquo loco tuto utrique parti, ut idem comes vel aliquis alius possit, si voluerit, contra contractum inter prefatos D. ac mulierem matrimonium aliquid rationabile obicere ac probare, moneas attentius et inducas, ipsum ad alterum predictorum, si necesse fuerit, per excommunicationis in personam et interdicti sententias appellatione remota compellens[a].

Dat. Lugduni, Non. Oct. anno V°[1].

439.

Innocentius IV papa Iohanni de Hunoldisburch et Conrado de Wissenhorn fratribus Praedicatorum, cum pro ecclesiae negotiis in Teutonia prosequendis aliquorum odia incurrerint, transeundi ad aliam re[li]gionem, in qua ordo beati Augustini servetur, facultatem concedit. *1247, Oct. 7.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 472; Lib. V, 301.
Berger 3354.

Iohanni de Hunoldisburch[2] et Corrado de Wissinohrn[b 3] fratribus ordinis Predicatorum.

Cum, sicut ex parte dilectorum filiorum nobilium virorum de Suevia, devotorum ecclesie[4], fuit propositum coram nobis, vos pro generalis ecclesie negotiis, que hactenus estis ex animo in Theotonie partibus prosecuti, aliquorum odia incurreritis tam religiosorum quam etiam aliorum, nos, nolentes ut reportetis inde dispendium, unde meruistis commodum et honorem, transeundi ad aliam regionem[c], in qua ordo beati Augustini servetur, finitis eisdem[d] negotiis, si fratres vestri vos in aliquo gravare voluerint, plenam vobis concedimus auctoritate presentium facultatem — non obstantibus aliquibus litteris vel indulgentiis ordini vestro ab apostolica sede concessis vel etiam concedendis. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, Nonis Oct. anno V°[5].

440.

Innocentius IV papa fratribus domus Teutonicorum de Starkemberg et de Gotenstein castra tenentibus mandat, ut castra eadem, quae quondam [Fridericus] dux Austriae

a) compellas *R.* b) Wissinohrn *B.* c) religionem *legendum videtur.* d) *B.*; eiusdem *P.*

1) *Sub a. 1248, Febr. 11 et 13 papa ad preces 'Krat', i. e. 'Kraft' comitis de Toggenburc [fratris Diethalmi] et H[enrici] domini de Wartinberc [cf. etiam Berger 3087 et 3089, ubi verba 'Wartint' et 'Wantink' sine dubio ex 'Wartinberc', ex or. civ. Donaueschingen, corrupta sunt; cf. p. 294, not. 5] quasdam gratias largitus est; Berger 3621, 3622, 3624 = Potthast, Reg. 12839.* 2) *Hodie Karrer, in wirtemb. O. A. Ravensberg.* 3) *Weissenhorn e mer. et or. civ. Ulm.* 4) *Cf. n. 432.* 5) *Sub eodem die electo Spirensi mandavit, ne eos super hoc molestari pateretur; Berger 3355.*

tamquam inexpugnabilia munirerit, ita custodiant, ut ad manus Friderici quondam imperatoris vel fautorum eius pervenire non possint. *1247, Oct. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 466; Lib. V, 210. Pertzii exemplar contulimus cum Boczek, Cod dipl. Moraviae t. III, p. 78, n. 105.

Potthast, Reg. 12718; Berger 3289.

Fratribus domus Theutonicorum de Sarkemberch[a] [1] et de Gotensten[2] castra tenentibus.

Presentium vobis auctoritate in virtute obedientie firmiter precipiendo mandamus, quatinus de Starkemberch et de Gotenstein castra, que clare memorie . . dux Austrie tamquam inexpugnabilia ad tempora longa munivit, curetis cum omni diligentia et sollicitudine, ita quod ad manus Friderici quondam imperatoris vel fautorum ipsius pervenire non valeant[3], custodire; mandatum nostrum in hac parte taliter impleturi, quod studium vestrum non immerito commendantes, teneamur vobis proinde ad merita gratiarum.

Dat. Lugduni, V Id. Octobr. anno V°.

441.

Innocentius IV papa abbatissae et conventui monasterii Scandensis obtentu Ulrici de Clingen, per se ac suos ad honorem sedis apostolicae intenti, mandat, ut Rudegero de Tundorf presbytero de beneficio ecclesiastico ad collationem suam spectante provideant.

1247, Oct. 11.

Inn. IV Reg. Vol. I. 176; Lib. V, 312. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. O. de Falke. Berger 3392.

. . abbatisse et conventui monasterii Scandensis[4] ordinis sancti Benedicti Curiensis diocesis.

Inducimur meritis dilecti filii nobilis viri Ulrici de Clingin[b] [5], ad hoc prout accepimus intenti sollicite, quod per se ac suos honorem apostolice sedis possit Deo propitio promovere, ut in hiis, que digne possumus, ipsius desideriis annuamus. Hinc est, quod nos eius obtentu ac etiam intuitu dilecti filii F. canonici Beronensis[6], predicte sedis honorem sicut accepimus devotione sincera et stabili procurantis, universitatem vestram rogandam duximus et monendam, mandantes quatinus dilecto filio Rudegero de Tundorf[7] presbytero, devoto prefati nobilis et nepoti eiusdem canonici, in aliqua ecclesiarum ad vestram collationem spectantium de beneficio ecclesiastico competenti, quod solet clericis secularibus assignari, quam cito se facultas obtulerit, pro apostolice sedis et nostra reverentia providere curetis — non obstante si vobis pro aliis scripta nostra direximus, quibus nolumus etc. usque: generari, sive aliqua indulgentia, de qua specialem in litteris nostris oporteat fieri mentionem —: preces nostras et mandatum taliter impleture, ut apud nos digna laudibus et favore propter hoc

a) *ita P*; Sarkemberroch *B.*; Starkemberch *Bo.*, *quod legas.* b) Cligin *R.*; *leg.* Clīgin.

1) *Cf. n. 427.* 2) *Guttenstein, non multum a castro Starkemberc distans.* 3) *Cf. p. 209, not. 2.* 4) *Schannis, inter lacum Turicensem et lacum Walensee.* 5) *Klingen in Kant. Thurgau, e mer. civ. Constantiensis.* 6) *Hunc fuisse putamus Fridericum can. Ber. notarium et consiliarium comitum de Kiburg, de quo cf. Berger 3130, 3346, 3358, 3394.* 7) *Fortasse Tunsdorf, Donzdorf in wurtemb. O. A. Geislingen.*

vestra sinceritas habeatur. Alioquin dilecto filio .. abbati[1] de Vrinilpere[2] Cisterciensis ordinis Constantiensis dioecesis litteris nostris iniungimus, ut super hoc mandatum apostolicum exequatur: contradictores etc.

Dat. Lugduni, V Idus Octobris, anno V°.

442.

Innocentius IV papa praeposito ecclesiae de Minori Augia mandat, ut causam audiat et decidat de quibusdam bonis monasterio de Wettingen a [Ludovico III] comite de Froburc venditis, quae Hartmannus frater H[ermanni] comitis de Homburc vi occuparerit. *1247, Oct. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 472; Lib. V, 306. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit V. Cl. O. de Falke.

Berger 3356.

.. preposito ecclesie de Minori Augia[a] Premonstratensis ordinis Constantiensis diocesis.

Conquesti sunt nobis dilecti filii .. abbas et conventus monasterii de Wettingen[4] Cisterciensis ordinis, quod licet nobilis vir .. comes de Froburc[5] quasdam possessiones cum pertinentiis earundem ac res alias, que[a] in villa de Arneuestorf[6] spectante ad ipsum eisdem consensu dilectorum filiorum R. prepositi Boningensis[7] ac nobilium virorum H. comitis de Hombere[8] et Hertmanni, natorum ipsius[9], pro certa vendiderit pecunie quantitate, tamen dictus Hartmannus prefatas possessiones et bona pro sue voluntatis arbitrio per violentiam occupavit et contra iustitiam detinet occupata in eorum preiudicium et gravamen. Cum itaque religiosa loca per auxilium favoris apostolici deceat in oportunitatibus relevari, mandamus, quatinus, si est ita, dictis[b] abbate[c] et conventu, sicut iustum fuerit, ad omnia predicta bona primitus restitutis, audias causam et appellatione remota debito fine decidas, faciens quod decreveris etc.: proviso ne in terra dicti nobilis etc.: — nullis litteris obstantibus veritati et iustitie preiudicantibus super hoc a sede apostolica impetratis. Testes autem etc.

Dat. Lugduni, V Id. Oct. anno V°.

443.

Innocentius IV papa P[etrum] Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem, apostolicae sedis legatum, apud W[ilhelmum] regem Romanorum laborare iubet, ut H[artmanno] et H[artmanno] comitibus de Kiburg pecuniam a quondam H[enrico]

a) *ita R.* b) dēi *R.* c) abbati *corr.* abbate.

1) *Henrico.* 2) *Frienisberg ex occ. cir. Bern.* 3) *E mer. mon. Weingarten.* 4) *In Kant. Aargau, infra Turegum.* 5) *In Kant. Solothurn, ex occ. cir. Olten.* 6) *Arnolestorf, Arisdorf prope Augst, ex or. cir. Basiliensis.* 7) *Bonigen ex or. cir. Interlaken.* 8) *Ex sept. et occ. castri Froburg.* 9) *Sine dubio Ludovici comitis de Froburc, cui tres filii erant, Hermannus et Hartmannus laici et Rudolfus, quem praepositum Zofingensem, postea Beronensem quoque fuisse legimus; cf. ap. Trouillat, Monuments etc. de Bale, t. II, indic. p. 791 et inprimis p. 69, 158 et 168.*

rege Romanorum promissum solvat, cum comites, in partibus suis potentes, imperii negotium multum promovere possint. *1247, Oct. 14.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 476; Lib. V, 341.
Berger 3391.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Cum clare memorie H. rex Romanorum dilectis filiis nobilibus viris H. et H. comitibus de Kimburch[a], ut ei contra F. quondam imperatorem assisterent, quandam promiserit quantitatem pecunie[1], eodem rege interim[b] sublato de medio non potuit huiusmodi negotium consumari. Quia vero per eosdem comites, qui potentes sunt in partibus illis, imperii negotium multum poterit promoveri, mandamus, quatinus diligenter ac sollicite secundum datam a Deo prudentiam elabores, ut carissimus in Christo filius noster W. rex Romanorum illustris eisdem comitibus pecuniam ipsis a predicto rege promissam persolvere studeat, ut assistant ei contra F. prefatum viriliter et potenter[2].

Dat. Lugduni, II Idus Oct. anno V°[3].

444.

Innocentius IV papa abbati Indensi mandat, ut [Conradum] archiepiscopum Coloniensem ab omnium excommunicationum sententiis vice sua absolvat.
1247, Oct. 17.

Inn. IV Reg. Vol. I, 171; Lib. V, 290. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit V. Cl. O. de Falke.
Berger 3340.

.. abbati monasterii Indensis[4] Coloniensis diocesis.

Presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus venerabilem fratrem nostrum .. archiepiscopum Coloniensem absolvas ab omnium excommunicationum sententiis, tam canonis quam hominis, vice nostra.

Dat. Lugduni. XVI Kal. Novembr. anno V°[5].

445.

Innocentius IV papa Gerardo de Peis archidiacono Leodiensi mandat, ut excommunicationis sententiam, quam [Conradus] archiepiscopus Coloniensis in quosdam abbates

a) *ita R.; leg.* Kiburch. b) interdum *R.*

1) *Cf. n. 432.* 2) *Sub Sept. 3 papa episcopo Constantiensi mandaverat, ne ecclesias, in quibus comites de Kiburc ius patronatus obtinerent, plus debito aggravaret; Berger 3326. Aliae gratiae comitibus tum factae ap. Berger 3104, 3122—3124, 3130—3132, 3192, 3193, 3328, 3344, 3346, 3358, 3393, 3394.* 3) *Nota chronologica minus recte adscripta videtur; nam Willelmus rex Oct. 3 apud villam Woringen infra Coloniam situm electus est [Bohmer-Ficker, l. c. 1885c], et nuntium ab hoc loco decem diebus Lugdunum pervenisse credi vix potest. Nomen regis ante Nov. 8 in epistolis papalibus iterum non commemoratur. Epistola, quae magni momenti est, in qua papa rectori Sanctae Mariae in Cosmidin, qualiter electio regis facta fuerit, enarravit, neque nota chronologica munita est neque in Reg. extat; Potthast, Reg. 12734.* 4) *E mer. et or. civ. Aachen.* 5) *Eodem die comitissae Senensi, de qua cf. Cardauns, Konrad von Hostaden p. 65 et sequ., quandam gratiam fecit; Berger 3341. — De abbate Indensi cf. etiam Berger 3103; Potthast, Reg. 12736.*

et clericos Frisiae Traiectensis diocesis quintam sibi solvere denegantes promulgaverit, publicari et observari faciat. *1247, Oct. 17.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 478; Lib. V, 358.
Berger 3408.

Gerardo de Peis archidiacono Leodiensi.

Ex parte venerabilis fratris nostri . . archiepiscopi Coloniensis fuit propositum coram nobis, quod cum ei quintam ecclesiasticorum proventuum provincie Coloniensis certo tempore duxerimus concedendam[1], . . preposito ecclesie Tillensis[2] et collega[a] ipsius eidem[b] super hoc in Traiectensi diocesi nichilominus executoribus deputatis, iidem executores in quosdam abbates et alios clericos, tam seculares quam regulares, Friscie predicte diocesis, pro eo quod quintam ipsam eidem archiepiscopo solvere de suis proventibus ecclesiasticis contumaciter denegabant, excommunicationis sententiam exigente iustitia promulgarunt. Quare predictus archiepiscopus postulavit a nobis, ut eandem sententiam faceremus robur debitum firmitatis habere. Quocirca mandamus, quatinus sententiam ipsam per loca, in quibus expedire videris, per te et alios publicans[c] pulsatis campanis et candelis accensis diebus dominicis et festivis, facias eandem sententiam, sicut rationabiliter est prolata, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari; contradictores etc.

Dat. Lugduni, XVI Kal. Nov. anno V°[3].

446.

Innocentius IV papa [Henrico] episcopo Bambergensi usque ad beneplacitum suum procurationem ecclesiae Chiemensis committit, cuius episcopi cessionem, licet eadem non tenuerit, in odium tamen personae eius ratam habuerit. *1247, Oct. 19.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 473; Lib. V, 311.
Berger 3361.

. . episcopo Bambergensi.

Quia per inimicos Dei et ecclesie bonis tuis fere omnibus dinosceris spoliatus[4], ita quod non habes, unde possis comode substentari, nos super hoc tibi affectu paterno compatimur ac provisionis dexteram in tante[d] necessitatis articulo aperimus. Cum igitur . . quondam episcopus Kimensis pro sua Kimensi ecclesie cesserit voluntate, nos, licet huiusmodi cessio non tenuerit, in odium tamen persone sue cessionem eandem ratam et gratam habentes[5], procurationem ipsius ecclesie tibi usque ad nostre voluntatis beneplacitum duximus committendam, plenam tibi amministrationem eius tam in spiritualibus quam in temporalibus concedentes. Quocirca mandamus, quatinus geras fideliter ac sollicite curam eius, omnia faciens[e], que ad huiusmodi procurationis et amministrationis officium noveris expedire. contradictores etc.

Dat. Lugduni, XIIII Kal. Novembr. anno V°[6].

a) college *R.*: *fortasse* collegis *legendum est.* b) eisdem *R.* c) publicantes *R.* d) tanto *B.* e) faciendo *B.*

1) *Cf. n. 65.* 2) *Tiel ad Waal flumen.* 3) *Sub Oct. 23 papa eidem Gerardo mandavit, ne permitteret, ut archiepiscopus, capitulum et clerus Colonienses ad aliqua debita persolvenda compellerentur, nisi ipsi constitisset ea fuisse conversa in utilitatem ecclesiae Coloniensis; Potthast, Reg. 12730a; quae ep. in Reg. non extat.* 4) *Cf. p. 207, not. 1 et n. 436.* 5) *Cf. p. 118, not. 4.* 6) *De hac procuratione facta papa sub eodem die Philippum procuratorem ecclesiae Salisburgensis et in eundem modum clerum*

447.

Innocentius IV papa Petro Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato, mandat, ut [Wilbrandum] archiepiscopum Magdeburgensem et [Rudigerum] Pataviensem et [Conradum] Frisingensem episcopos, pro eo quod Friderico quondam imperatori auxilium praestent, Magdeburgensi matrimonium inter eum et filiam ducis Saxoniae procurante, ad sedem apostolicam citet, et [Henricum] marchionem Misnensem, [Ottonem II] Bawariae et [Albertum] Saxoniae duces, filiam ducis Saxoniae, nobiles Austriae et Stiriae et eorum capitaneum [Ottonem] de Eberstein compellat, ut a dicto F. penitus recedant. *1247, Oct. 26.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 176; Lib. V, 337. Pertzii exemplar contulimus cum Rayn. Ann. eccl. a. 1247, § 8 et cum Boczek, Cod. dipl. Moraviae t. III, p. 78, n. 106.
Potthast, Reg. 12731; Berger 3387.

Petro Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Dolet et dolere debet ecclesia generalis, et nos cum ea et pro ea dolemus plurimum et turbamur, cum audiamus prelatos, qui persecutorum flammas, quibus exuritur ecclesia in presenti, deberent extinguere, non solum nolle defensionis manum persecutionum ignibus adhibere, verum etiam quodam modo ignes accendere ignibus, eamdem ecclesiam multipliciter persequendo. Cum enim . . Magdeburgensem archiepiscopum[1] et . . Pataviensem[2] ac . . Frisiensem[a][3] episcopos velud nobilia membra ecclesie adeo deberet comedere zelus eius, ut non possent obprobria illi exprobrantium et usurpantium iura eius equanimiter sustinere, iidem, quod non absque amaritudine cordis accepimus, non solum non assistunt ipsi ecclesie eorum matri contra malitiam eam persequentium, ut deberent, opponendo se murum pro ea ascendentibus ex adverso, sed etiam divino timore ac humano pudore postpositis et pontificali gravitate neglecta nec non et clavibus ecclesie dampnabiliter vilipensis, Friderico quondam imperatori, excommunicato et Dei et ecclesie inimico, prestant[b] manifeste auxilium, consilium et favorem: per quod dictam ecclesiam ut hostes publici persecuntur, eodem Magdeburgensi matrimonium inter ipsum Fridericum et filiam . . ducis Saxonie[4] procurante. Accepimus siquidem, quod . . marchio Misnensis[5], . . Bavarie[6] ac . . Saxonie duces et filia ipsius ducis Saxonie nec non et nobiles de Austria et Stiria et H.[7] de Evurstein[c], qui pro ipsorum nobilium capitaneo nomine dicti F. se gerit, viri nobiles genere sed suis perversis artibus ignobilitantes se ipsos et in reprobum sensum dati, prefato F. contra Deum et ipsam ecclesiam assistunt viriliter et potenter. Ideoque mandamus, quatinus predictos archiepiscopum et episcopos auctoritate nostra citans, prefigas eis terminum peremptorium competentem, quo personaliter ad presentiam nostram accedant pro meritis recepturi, alios[d] vero iam

a) Frisien. *R.; leg.* Frisingensem b) *Rayn., Bo.;* procurant *P.* c) *ita Bo.;* Ewrasten *P.;* Ovurstem *Rayn* d) alias *P., Rayn., Bo.*

et populum Cluenenses certiores fecit; Berger 3362; cf. infra sub a. 1248, Apr. 9. — Aliae gratiae episcopo Babenb. tum factae ap. Berger 3634 et 3635.

1) *Cf. n. 218—220; archiepiscopus electioni Willelmi regis non interfuit.* 2) *Cf. n. 427.* 3) *Cf. p. 100, not. 3. Etiam a. 1246, Ian. 24 excommunicatus non erat; cf. Additam. A. 1246, Iul. 25 eum denuo excommunicatum et suspensum reperimus; cf. p. 155, not. 2. Quo tempore postea absolutus sit, nescimus.* 4) *Cf. 233, not. 3 et Ann. Stadenses a. 1247, SS. t. XVI, p. 371.* 5) *Cf. n. 346 et 347.* 6) *Cf. p. 163, not. 2.* 7) *'O.' i. e. 'Otto de Eberstein' legendum est. Cf. p. 209, not. 2 et Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 573.*

dictos nobiles, ut ab eodem F. penitus recedentes, non prestent ei auxilium, consilium et favorem, ac ad unitatem sancte matris ecclesie revertantur, monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas[a], si videris expedire.

Dat. Lugduni, VII Kal. Novembris, anno V°.

448.

Innocentius IV papa decano et capitulo Monasteriensibus ad preces [Conradi] Coloniensis archiepiscopi et [Engelberti] Osnaburgensis et [Simonis] Padeburnensis episcoporum et B[ernhardi III] domini de Lippia mandat, ut Ernestum canonicum Osnaburgensem, qui suis et L. domini de Steinford et aliorum consanguineorum suorum meritis adiuvetur, in fratrem et canonicum admittant. *1247, Oct. 30.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 477; Lib. V, 351. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. O. de Falke. Berger 3401.

. . decano et capitulo Monasteriensibus.

Debemus illos in suis honore condigno prosequi, qui nobis et ecclesie sunt devoti, ut sit eis causa letitie illis congrue provisionis gratiam provenisse. Sane dilectus filius Ernestus canonicus Osnaburgensis, apud nos de honestis moribus et conversatione laudabili commendatus, dilecti filii nobilis viri L. domini de Steinford[1] et aliorum consanguineorum suorum, devotorum sedis apostolice, dicitur iuvari meritis, ut apud nos invenisse gaudeat donum gratie specialis. Nos itaque propter hoc ac etiam intuitu venerabilium fratrum nostrorum . . Coloniensis archiepiscopi et . . Osnaburgensis ac . . Padeburnensis[2] episcoporum nec non dilecti filii nobilis viri B. domini de Lippia[3], qui pro ipso nobis direxerunt litteras speciales, universitatem vestram rogamus et hortamur attente, mandantes quatinus eundem E. pro apostolice sedis et nostra reverentia in fratrem et canonicum admittatis et de prebenda, quam cito se facultas obtulerit, liberaliter provideatis eidem — non obstante certo canonicorum numero, iuramento seu quacumque firmitate vallato, aut quod alias beneficiatus existit, vel si vobis pro aliis scripta nostra direximus, quibus nolumus etc. usque: generari, sive aliqua indulgentia, de qua specialem in litteris nostris oporteat fieri mentionem —: preces nostras et mandatum taliter impleturi, ut ex hoc processu temporis meruisse apud nos augmentum favoris et gratie gaudeatis. Alioquin dilectis filiis . . decano, Hermanno et Vromoldo canonicis ecclesie sancti Iohannis Osnaburgensis per litteras nostras iniungimus, ut super hoc mandatum apostolicum exequantur; contradictores etc.

Dat. Lugduni, III Kal. Novembris, anno V°[4].

449.

Innocentius IV papa [Iacobo] episcopo Metensi administrationem monasterii sancti Martini Glandariensis ei per decanum Sancti Salvatoris Metensis de mandato P[etri]

a) compellas *deest P.;* compellendo *Rayn.;* cogas *Bo. In R.* co *legi videtur.*

1) *Ex sept. et occ. civ. Münster.* 2) *Simon episcopus, frater Bernhardi III domini de Lippia, cum 'electus' adhuc esset, cum altero fratre suo Ottone electo Monasteriensi et episcopis praenominatis electioni Willelmi regis interfuit; Böhmer-Ficker, l. c. 4888.* 3) *De hoc cf. n. 365.* 4) *Sub eodem die papa cum Ernesto super pluralitate beneficiorum dispensavit; Berger 3402.*

Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, apostolicae sedis legati, commissam confirmat. *1247, Nov. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 479; Lib. V, 366.
Berger 3416.

. . episcopo Metensi.

Tue nobis tenor petitionis exposuit, quod . . quondam abbate monasterii sancti Martini Glandariensis[1] ordinis sancti Benedicti Metensis diocesis cedente regimini abbatie, ad quod impotens et inutilis propter senium habebatur, . . decanus ecclesie sancti Salvatoris Metensis de mandato dilecti filii nostri P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, apostolice sedis legati, administrationem monasterii eiusdem in spiritualibus et temporalibus tue circumspectioni commisit, ut ipsum ad statum prosperitatis, a quo multum per impotentiam ipsius abbatis exciderat, tui favoris auxilio festinanter exurgat. Nos itaque, intuitu profectus huiusmodi ac etiam qui condigno libenter tuam prosequimur honore personam, tuis precibus inclinati, quod ab eodem decano super hoc provide factum est, ratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc.[2].

Dat. Lugduni, Nonis Novembr. anno V°.

450.

Innocentius IV papa P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato, significat, se W[ilhelmo] regi Romanorum scripsisse, ut operam det, ut [Henricus] episcopus Bambergensis a fideiussione [Ottoni II] duci Meraniae aliisque ad instantiam quondam H[enrici] regis praestita liberetur; mandat, ut regem ad id moneat. *1247, Nov. 8.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 478—479; Lib. V, 365. Pertzii exemplar contulimus cum Meerman, Geschied. van Willem van Holland t. V, p. 14, n. 11.
Potthast, Reg. 12740 et 12739; Berger 3415.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali apostolice sedis legato.

Cum, sicut venerabilis frater noster . . episcopus Bambergensis proposuit coram nobis, idem ad instantiam clare memorie H. regis Romanorum nobili viro duci Maravie[a] [3] et quibusdam aliis nobilibus de partibus illis se fideiussorie obligarit, nos carissimo in Christo filio nostro W. regi Romanorum illustri dirigimus scripta nostra, ut modis quibus poterit, quod idem episcopus a fideiussione huiusmodi liberetur, det opem et operam efficacem[4]. Quocirca mandamus, quatinus habens eundem episcopum pro apostolice sedis et nostra reverentia favorabiliter commendatum, eundem regem ad id moneas attentius et inducas desque ad hoc secundum datam tibi a Deo pruden-

a) Moravie *M.; leg.* Meranie; *cf. Böhmer-Ficker, l. c. 3476a.*

1) *Cf. n. 353.* 2) *Metensis civitas imperatori tum favisse videtur; Ellenhardi Chron. SS. t. XVII, p. 121; cf. n. 115.* 3) *Hic a. 1245, Iul. adhuc imperatori faverat; Böhmer-Ficker 3494. Sub a. 1247, Ian. 5 papa ei indulserat, ut nemo in eum et familiam et terras eius sententiam excommunicationis ferre valeret absque mandato apostolico; Berger 3509; Potthast, Reg. 12550; cf. etiam Berger 3510 et 3511, 3694—3696 et Böhmer-Ficker, l. c. 3708 et 3728.* 4) *Cf. n. 128 et 146.*

tiam operam efficacem, ita quod sollicitudinem tuam proinde dignis in Domino laudibus commendemus.

Dat. Lugduni, VI Idus Nov. anno V°.

In eundem fere modum carissimo in Christo filio nostro W. regi Romanorum illustri.

451.

Innocentius IV papa [Galgano II] electo Vulterrano eos, qui de partibus Tusciae F[riderico] quondam imperatori adhaerendo excommunicati ad ecclesiam redire velint, cautione recepta absolvendi, devotis veniam largiendi et excommunicatis communicandi, si necesse fuerit, facultatem concedit. *1247, Nov. 12.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 552; Lib. V, cur. 9.
Berger 4058.

. . electo Vulterano[1].

Sedi apostolice, que [unicuique, quod][a] suum est, exibens non claudit gremium ad eam redire volentibus, auctore Domino licet immeriti presidentes, devotioni tue presentium auctoritate concedimus, ut illos, qui de partibus Tuscie adherendo et favendo F. quondam imperatori contra ecclesiam excommunicationis sententiam incurrerunt, volentes relicto eo ad unitatem ecclesie cum humilitate redire, ab ipsis de non adherendo vel favendo dicto F. de cetero sufficienti et idonea cautione recepta, possis ab ipsa sententia iuxta formam ecclesie absolvere vice nostra, iniuncto ipsis quod secundum Deum videris iniungendum. Ut autem adherentes ac faventes ecclesie contra F. eundem fructum assequi valeant, qui non perit, eadem auctoritate ipsis, prout expedire videris, suorum peccatorum veniam, de quibus vere contriti et confessi fuerint, largiaris. Super eo vero quod, sicut asseris, excommunicatos vitare non potes, tibi relinquimus, ut pro ecclesie utilitate ipsis communicare valeas, ita ut[b] per hoc alicuius excommunicationis sententiam non incurras.

Dat. Lugduni, II Id. Novembr. anno V°[2].

452.

Innocentius IV papa [Henrico III] electo Leodiensi, ut liberius negotia ecclesiae in Alamannia prosequi possit, indulget, ut nullus eum ad suscipiendum aliquem ordinem sacrum sine mandato apostolico cogere possit. *1247, Nov. 15.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 489; Lib. V, 410.
Berger 3460.

. . electo Leodiensi.

Attenta sedis apostolice circumspectio congrue temporum vices pensans quibusdam interdum concedit[c] aliqua ex plenitudine potestatis, que alias ipsis minime

a) unicuique, quod *deest R.* b) ut *deest R.* c) concedat *R.; cf. n. 471.*

1) *De eodem cf. Berger 3385 et 3386.* 2) *Sub Nov. 20 papa archipresbytero Florentino idem fere mandavit; Berger 3474; Potthast, Reg. 12759a. Hae ep. inprimis ad res civitatis Florentinae spectare videntur, ex qua pars Guelforum a. 1248, Febr. 2 eiecta est; cf. Bohmer-Ficker, l. c. 3665 et 3672.*

indulgeret, et quedam aliquando denegat, que aliis forsan temporibus largiretur, dispensans oportune iuxta necessitatem temporis suarum munera gratiarum, nunc ea impendendo[a] benigne, nunc autem inspecta utrobique ipsius qualitate temporis merito denegando, ut in hiis, quod utile ac salubre fore perspexerit, semper agat. Hinc est, quod cum ad negotiorum promotionem, que in Alamannie partibus ecclesie imminere noscuntur, te sollicite oporteat et efficaciter laborare, nos, considerantes quod ob hoc tuis et ecclesie tibi commisse vacare non potes sicut expedit agendis, devotionis tue supplicationibus inclinati, quod nullus te ad suscipiendum aliquem ordinem sacrum sine speciali mandato nostro, plenam faciente de hac indulgentia mentionem, etiam si de recipiendis ordinibus prestiteris iuramentum, cogere valeat, tibi, ut liberius possis eadem negotia prosequi, auctoritate presentium indulgemus[1]. Nulli ergo etc.

Dat. Lugduni, XVII Kal. Decembr. anno V°.

453.

Innocentius IV papa [Alberto] archiepiscopo Pruscie, apostolicae sedis legato, ad preces [Wilhelmi] regis Romanorum mandat, ut secundum id, quod ore tenus sibi dixerit, de consilio Petri Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, apostolicae sedis legati, et ipsius regis vota transmarina crucesignatorum Frisonum comitatus Hollandiae commutet in auxilium ipsius regis. *1247, Nov. 17.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 553; Lib. V, cur. 20. Pertzii exemplar contulimus cum Meerman, l. c. t. V, p. 15, n. 12.

Potthast, Reg. 12749; Berger 4070.

. . archiepiscopo Pruscie, apostolice sedis legato.

Ex parte carissimi in Christo filii nostri . . regis Romanorum illustris fuit nobis cum instantia supplicatum, ut cum de comitatu Hollandie ad eum iure hereditario pertinente multi Frisones receperint ad Terre Sancte subsidium signum crucis, eis in auxilium regis crucem huiusmodi commutare ac illam eis peccatorum suorum veniam, ac si transfretassent personaliter, elargiri de benignitate solita curaremus. Quocirca mandamus, quatinus super hoc quod tibi ore tenus diximus de consilio dilecti filii nostri Petri Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, apostolice sedis legati, et ipsius regis vel alterius eorundem ordines et disponas[2].

Dat. Lugduni, XV Kal. Decembr. anno V°[3].

454.

Innocentius IV papa ad preces [Wilhelmi] regis Romanorum capellanis, notariis et clericis eius concedit, ut quamdiu in servitio eius permanserint, proventus beneficiorum suorum percipiant, ac si in ecclesiis residerent. *1247, Nov. 17.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 553; Lib. V, cur. 21. Pertzii exemplar contulimus cum Meerman, l. c. t. V, p. 16, n. 13.

Potthast, Reg. 12750; Berger 4071.

---

a) impendenda *R.*

1) *Henricus, frater minor nata Ottonis II comitis Geldriae, fautoris Willelmi regis, Sept. 26 ecclesiae Leodiensi praefectus erat et laicus remansit usque ad depositionem suam a. 1274; Bohmer-Ficker, l. c. 4885c [p. 919] et 4887a. De eodem cf. Berger 3378 et 3473.* 2) *Cf. p. 310, not. 1 et n. 462.* 3) *Sub Nov. 19 papa Iacobum archidiaconum Leodiensem cum variis mandatis in Poloniam, Prusciam et Pomeraniam destinavit; cf. Berger 4075–4082; Potthast, Reg. 12763–12765, 12770a, 12771, 12772.*

. . regi Romanorum illustri.

Celsitudinis tue votis libenter annuimus et petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus. Tuis[a] itaque supplicationibus inclinati, capellanis, notariis tuis et clericis presentium auctoritate concedimus, ut quamdiu in servitio tuo permanserint beneficiorum suorum proventus integre, cotidianis exceptis distributionibus, percipere valeant, ac si personaliter in ecclesiis, in quibus eadem beneficia obtinent, residerent, — non obstante[b] contraria consuetudine seu statuto, iuramento vel confirmatione sedis apostolice aut quavis firmitate alia roborato, vel quacumque indulgentia sedis eiusdem, per quam huiusmodi gratia retardari vel impediri valeat et de qua specialem oporteat fieri in presentibus mentionem. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. ut supra.

455.

Innocentius IV papa Petro Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato, mandat, ut omnes praelatos legationis suae [Wilhelmo] regi Romanorum non obedientes ad sedem apostolicam citet iisque nuntiet, sive venerint sive non, ad eorum depositionem processum iri. *1247, Nov. 17.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 552; Lib. V, cur. 10.
Berger 4059.

Petro Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Cum instans negotium, quod pre manibus agitur, ad ecclesiam generalem pertineat, ad cuius destructionem omnimodam aspiratur, molestius gerimus de prelatis, qui tamquam columpne sustentare debent ecclesiam, si eidem negotio se opponant. Quocirca mandamus, quatinus si quos prelatos in terris tue legationis inveneris, qui carissimo in Christo filio nostro . . regi Romanorum illustri non obediant ut tenentur, eos ex parte nostra peremptorie citans, ut infra terminum, quem eorum cuilibet prefigendum duxeris, compareant coram nobis depositionis sententiam audituri, eisque denuntians, quod sive veniant aut non, nichilominus contra eos ad depositionis sententiam procedetur, ecclesiarum suarum amministrationem tam in spiritualibus quam in temporalibus committas interim discretis aliquibus, prout videris expedire, contradictores etc.

Dat. Lugduni, XV Kal. Decembr. anno V°.

456.

Innocentius IV papa eidem mandat, ut contra F[idericum] quondam imperatorem per Teutoniam crucem praedicet et praedicari faciat. *1247, Nov. 19.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 552; Lib. V, cur. 13. Pertzii exemplar contulimus cum Merman, l. c. t. V, p. 18, n. 15.
Potthast, Reg. 12752; Berger 4062.

a) *M.*; Tuisque *P.* b) *an* non obst. — non obstantibus?

Petro Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato[a].

Nemo sane mentis ignorat, quod cum F. quondam imperator, membrum diaboli, sathane minister et infelix prenuntius Antichristi, ad destructionem orthodoxe fidei, conculcationem nobilium et aliorum fidelium et omnimodam ecclesie deletionem aspiret, plus expedit[b] et acceptius est Deo nostro et domino Iesu Christo, in cuius iniuriam talia presumere non formidat, ut contra sue iniquitatis perfidiam carissimo in Christo filio nostro . . regi Romanorum illustri succurratur ad presens, quam[c] etiam Terre Sancte, cum illi terre, cuius templum idem iniquus coinquinari fecit a Sarracenorum spurcitia, tamquam cum eis dampnabiliter sentiens, hinc succurri valeat et fideles Christi nullum inde sperare possent auxilium, quantacumque necessitas immineret. Quocirca mandamus, quatinus[d] contra predictum F. crucem predices et facias per Theutoniam predicari eamque signum crucis ob hoc assumentibus peccatorum suorum indulgentiam largiaris, quam[e] instanti negotio, quod succursu festino indiget, videris expedire.

Dat. Lugduni, XIII Kal. Decembr. anno V°.

457.

Innocentius IV papa eidem mandat, ut ad pacem inter [Sigefridum III] archiepiscopum Maguntinum et [Henricum II] ducem Brabantiae reformandam de consilio [Willhelmi] regis Romanorum partes suas interponat. 1247, Nov. 19.

Inn. IV Reg. Vol. I, 552; Lib. V, cur. 14. Pertzii exemplar contulimus cum Meerman, l. c. t. V, p. 19, n. 16.

Potthast, Reg. 12953; Berger 4063.

Eidem.

Cum instanti negotio, quod pre manibus agitur, multum expediat, ut inter fideles imperii pax et concordia reformetur, mandamus, quatinus ad reformationem pacis inter venerabilem fratrem nostrum . . archiepiscopum Maguntinum et nobilem virum . . ducem Brabantie interponas de consilio carissimi in Christo filii nostri . . regis Romanorum illustris, cuius interest, efficaciter partes tuas, ita quod tuum studium, et sollicitudinem possimus proinde non immerito commendare [1].

Dat. ut supra.

458.

Innocentius IV papa eidem ad pacem inter [Conradum] archiepiscopum Coloniensem et Galeranum fratrem [Willelmi IV] comitis Iuliacensis reformandam idem mandat. 1247, Nov. 19.

Inn. IV Reg. Vol. I, 552; Lib. V, cur. 15. Pertzii exemplar contulimus cum Meerman, l. c. t. V, p. 20, n. 17.

Potthast, Reg. 12754; Berger 4064.

a) Eidem *R.; antecedit n. 466.* b) expediat *R.* c) quem *R.* d) quatinus *deest R.* e) quem *R.*

1) *Cf. n. 463.*

Eidem.

Cum instanti negotio etc. ut supra usque: pacis inter venerabilem fratrem nostrum . . Coloniensem archiepiscopum et nobilem virum Galaranum fratrem nobilis viri . . comitis Iuliacensis[1] interponas de consilio etc. ut supra.

459.

Innocentius IV papa eidem vota crucesignatorum, transmarinis exceptis, commutandi in auxilium [Wilhelmo] regi Romanorum contra Fridericum quondam imperatorem ferendum facultatem concedit. *1247, Nov. 19.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 552: Lib. V, cur. 16. Pertzii exemplar contulimus cum Meerman, l. c. t. V. p. 20, n. 18.

Potthast, Reg. 12755; Berger 4065.

Eidem.

Cum in imperio multi ad diversa exequenda pia opera receperint vel[a] acceperint signum crucis: quia succurri ad presens carissimo in Christo filio nostro . . regi Romanorum illustri contra Fredericicam perfidiam ad destructionem fidei anhelantem opus piissimum reputamus, commutandi eorundem crucesignatorum vota in prefati regis auxilium, illis dumtaxat exceptis qui crucem pro Terre Sancte subsidio receperunt, plenam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem[2].

Dat. ut supra.

460.

Innocentius IV papa civibus Coloniensibus gratias refert, quod [Willelmum] regem Romanorum sponte receperint et honoraverint, eosque hortatur, ut in devotione eius persistant. *1247, Nov. 19.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 552; Lib. V, cur. 17. Damus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1247, § 6.
Potthast, Reg. 12757; Berger 4066.

Civibus Coloniensibus.

Sicut a Domino factum est, quod quasi ex insperato persona non tam digna quam dignissima ad imperii fastigium est assumpta, ita credimus a Domino esse factum, quod Coloniensis civitas adeo famosa et celebris et quodammodo in Theutonie partibus singularis, prout sui magnitudine, nobilitate et potentia precellit alias civitates, sic in recipiendo et honorando personam ipsam, videlicet carissimum in Christo filium nostrum . . regem Romanorum illustrem, spontanea voluit, super quo vobis gratiarum multimodas actiones referimus, esse prior[3]. Ex quo nos[b] et sedem apostolicam ac eundem regem tanto vobis fortius obligastis, quanto per hoc dinoscitur ipsius regis processus feliciter dirigi et status eius prospere sublimari. Cum igitur non incipientium sed usque in finem perseverantium sit corona, licet inter alios de virtute constantie et nomen habeatis et omen, quia tamen non nocet immisso subdere

a) ut *R.* b) vos *Rayn.*

1) *Cf. Cardauns, Konrad von Hostaden p. 71. De Willelmo comite, qui hucusque in inferioribus partibus Rheni caput partis imperialis fuerat, cf. Bohmer-Ficker, l. c. 4519, 4915 et 4932, et infra sub a. 1248, Apr. 29.* 2) *Cf. n. 465.* 3) *Quibus conditionibus Colonienses regi permiserint, ut civitatem suam intraret, ex charta eius ap. Bohmer-Ficker, l. c. 4890 intelligitur.*

calcar equo[1], universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, in remissionem vobis peccaminum imponentes[a], quatinus, considerato prudenter quod prudentum est de virtute proficere in virtutem, sic in ipsius regis devotione firmitate inconcussa et solita persistatis, quod, proinde vobis favore apostolico et regio insimul accrescente, possitis apud Deum et homines de vestre[b] perseverantia fidei non immerito commendari.

Dat. ut supra.

461.

Innocentius IV papa cives Maguntinos monet, ut solitam sedis apostolicae devotionem in persona [Wilhelmi] regis Romanorum continuent eique viriliter assistant.

1247, Nov. 19.

Inn. IV Reg. Vol. I, 552; Lib. V, cur. 18. Pertzii exemplar contulimus cum Meerman, l. c. t. V, p. 21, n. 19.

Potthast, Reg. 12758; Berger 4067.

Civibus Maguntinis.

A nostra et apostolice sedis memoria numquam excidet, quanta pro ea pertuleritis, et constans devotio, quam in negotio ecclesie, prout experimento didicimus, habuistis hactenus et habetis; super quo vobis gratiarum quas possumus referimus actiones. Licet autem de vestra simus inconcussa firmitate securi, ut tamen nostrum in exhortatione officium exequentes, nichil, quantum in nobis est, de contingentibus omittamus, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente ac in remissionem vobis iniungimus peccatorum, quatinus continuantes in persona carissimi in Christo filii nostri . . regis Romanorum illustris solitam prefate sedis devotionem et constantiam consuetam, sic eidem regi viriliter assistatis, quod proinde vobis divinum, apostolicum et regium favorem ac laudem hominum comparantes, de die in diem virtuosiores per effectum probemini et in tanto negotio fortiores.

Dat. ut supra.

462.

Innocentius IV papa praedicatoribus Frisiae mandat, ut super votis crucesignatorum in auxilium [Wilhelmi] regis Romanorum commutandis de consilio P[etri] Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, apostolicae sedis legati, procedant.

1247, Nov. 19.

Inn. IV Reg. Vol. I, 553; Lib. V, cur. 19. Pertzii exemplar contulimus cum Meerman, l. c. t. V, p. 17, n. 11.

Potthast, Reg. 12751, male sub Nov. 17; Berger 4068.

Predicatoribus in Frixia constitutis.

Ex parte carissimi in Christo filii nostri . . regis Romanorum illustris etc. ut supra[c] usque: curaremus. Quocirca mandamus, quatinus super hoc et aliis ad crucis

a) *ita Rayn.;* iniungentes *alias dicebatur; cf. p. 331, not. b.* b) fide *Rayn.* c) *scil. ut in n. 165 [cur. 11]. Sed verisimilius est verba ep. n. 153 [cur. 20] supplenda et ordinem, in quo exempla primitus fuerint, confusum esse [id quod iam propter n. 163, cur. 19 bis, probabile est], ita ut ep. cur. 19 hoc loco falso inserta, post cur. 20 poni debuerit; cf. N. A. t. X, p. 558 et 559 et 529.*

1 *Cf. Ovidii Ex Ponto Lib. II ep. 6 vers. ult.*

negotium pertinentibus de consilio dilecti filii nostri P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, legati sedis apostolice, procedatis[1].

Dat. ut supra[a].

463.

Innocentius IV papa [Sigefridum III] archiepiscopum Maguntinum hortatur, ut super dissensione inter ipsum et [Henricum II] ducem Brabantiae de quadam terra exorta id faciat, quod P[etrus] Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, apostolicae sedis legatus, duxerit ordinandum. 1247, Nov. 19.

Inn. IV Reg. Vol. I, 553; Lib. V, cur. 19 bis. Pertzii exemplar contulimus cum Meerman, l. c. t. V, p. 22, n. 20.

Potthast, Reg. 12756; Berger 4069.

. . archiepiscopo Maguntino.

Cum inter te et dilectum filium nobilem virum . . ducem Brabantie occasione cuiusdam terre dissentionis materia ut accepimus sit exorta, fraternitatem tuam rogandam duximus attentius et hortandam, mandantes quatinus pro nostra et apostolice sedis reverentia super hoc facias, quod dilectus filius noster P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, apostolice sedis legatus, duxerit ordinandum, nec te reddas pro honore ecclesie difficilem in hac parte[2].

Dat. ut supra.

464.

Innocentius IV papa [Sigefridi III] archiepiscopi Maguntini et suffraganeorum eius sollicitudinem, quam in creatione [Wilhelmi] regis Romanorum habuerint, laudat, eosque monet, ut regi potenter assistant. 1247, Nov. 19.

Inn. IV Reg. Vol. I, 553; Lib. V, cur. 22. Exemplar Rayn. Ann. eccl. a. 1248, § 5 contulimus cum Meerman, l. c. t. V, p. 23, n. 21.

Potthast, Reg. 12759; Berger 4072.

. . archiepiscopo Maguntino et eius suffraganeis.

Studium et sollicitudinem, quam in creatione carissimi in Christo filii nostri . . regis Romanorum illustris habuisse noscimini, dignis in Domino laudibus commendantes; gratiarum vobis, quas possumus, referimus actiones. Quia vero, quanto maius est inceptum negotium, tanto ad felicem eius consumationem auxilio indiget potiori, fraternitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, in remissionem vobis peccaminum imponentes[b], quatinus, considerato prudenter quod non est in tam arduo negotio dormiendum, ad ea, que ipsi negotio expedire videritis, dantes opem et operam secundum prudentiam a Domino vobis datam, eidem regi viriliter et potenter assistatis constantia consueta.

Dat. Lugduni, XIII Kal. Decembr. anno V°.

In eundem modum . . archiepiscopo Coloniensi[3] et eius suffraganeis.

---

a) *De nota chronol. cf. p. 330, not. c.* b) *ita Rayn. et M.; alias* iniungentes *dicebatur; cf. p. 330, not. a.*

1) *Cf. etiam infra ep. a. 1248, Apr. 8.* 2) *Cf. n. 157.* 3) *Conrado.*

In eundem modum . . archiepiscopo Treverensi[1] et eius suffraganeis.
In eundem modum . . archiepiscopo Bremensi[2] et eius suffraganeis.
In eundem modum . . episcopo Herbipolensi[3].
In eundem modum . . episcopo Argentinensi[4].
In eundem modum . . episcopo Monasteriensi[5].
In eundem modum . . electo Spirensi[6].
In eundem modum . . duci Brabantie[7].
In eundem modum . . comiti Guelrensi[8].
In eundem modum . . comiti de Los[9].

465.

Innocentius IV papa Petro Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato, mandat, ut vota quinque crucesignatorum nobilium de regno Franciae et quindecim de imperio in subsidium W[ilhelmi] regis Romanorum commutet.

1247, Nov. 20.

Inn. IV Reg. Vol. I, 552; Lib. V, cur. 11.
Berger 4060.

Petro Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato[a].

Ex parte carissimi in Christo filii nostri . . regis Romanorum illustris fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum eidem regi quidam nobiles tam de regno Francie quam Alamannie crucesignati desiderent contra eius adversarios subvenire, eis crucesignatis commutare votum crucis in ipsius regis auxilium paterna providentia curaremus. Quia vero idem rex, qui causam agit fidei et ecclesie, succursu indiget bellatorum, mandamus, quatinus eisdem crucesignatis, quorum quinque sint de regno Francie, quindecim vero de imperio, commutes in ipsius regis subsidium votum crucis; contradictores etc.[10]

Dat. Lugduni, XII Kal. Decembr. anno V°.

466.

Innocentius IV papa eidem mandat, ut omnes de imperio compellat, ut [Wilhelmi] regis Romanorum mandatis obediant. *1247, Nov. 20.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 552; Lib. V, cur. 12. Pertzii exemplar contulimus cum Meerman, l. c. t. V, p. 26, n. 23.
Potthast, Reg. 12768; Berger 4061.

---

a) Eidem *R.; antecedit n. 455.*

1) *Arnoldo.* 2) *Gerhardo.* 3) *Hermanno.* 4) *Henrico.* 5) *Ottoni.* 6) *Henrico. Haec ep. sine dubio etiam ad singulos alios episcopos et electos missa est, qui electioni regis interfuerunt: Böhmer-Ficker, l. c. 4888. Ex eo enim, quod nomina eorum subscripta non sunt, minime sequitur iis epistolam destinatam non fuisse; cf. p. 122, not. 6 et N. A. t. X, p. 562, not. 1.* 7) *Henrico.* 8) *Ottoni; de hoc cf. Böhmer-Ficker, l. c. 4889.* 9) *Arnoldo V.* 10) *Haec ep. cum n. 459 concinere non videtur. Credimus igitur hanc ep. legato missam esse, ut auctoritate eius et precibus supplicantium annuere et eas denegare posset, prout expedire sibi videretur; cf. p. 130, not. 2. Legatus, quomodo in hac causa procedere deberet, 'ore tenus' per archiepiscopum Prusciae compererat; cf. n. 453.*

Eidem.

Volentes carissimo in Christo filio nostro . . regi Romanorum illustri ab omnibus de imperio devote ac humiliter obediri, mandamus, quatinus universos et singulos, cuiuscumque ordinis vel professionis extiterint, quod ipsius regis mandatis salubribus firmiter obediant et intendant, districtione qua convenit appellatione postposita — non obstante quavis apostolice sedis indulgentia — compellere non postponas[1].

Dat. Lugduni, XII Kal. Decembr. anno V°.

467.

Innocentius IV papa principes apud Aquisgranum in proxima curia congregandos hortatur, ut [Wilhelmo] regi Romanorum viriliter assistant, quia ex eius electione principibus Alamanniae sine dubio accreverit, cum Friderici quondam imperatoris progenies imperium quasi ex successione sibi vindicare niteretur. *1247, Nov. 20.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 553; Lib. V, cur. 23. Pertzii exemplar contulimus cum Meerman, l. c. t. V, p. 26, n. 21.

Potthast, Reg. 12769; Berger 1073.

Principibus, ducibus, marchionibus et aliorum principum nobilium nunciis apud Aquisgranum in proxima curia congregandis[2].

Scire vos credimus, quod carissimus in Christo filius noster . . rex Romanorum illustris, cuius persona non tam digna quam dignissima ad tantam dignitatem dinoscitur, non ministerio[a] hominis sed potius divino misterio quasi ex insperato ad imperii fastigium est assumptus; ex quo tanto potius debent omnes, maxime devoti ecclesie et fideles imperii, exultare ac in ipsius auxilium prompta magnanimitate consurgere, quanto id inspiratione vel potius dispositione divina non ambigitur esse factum. Quia vero ex hoc principibus Alamannie non est dubium accrevisse, cum F. quondam imperatoris reprobata proienies niteretur sibi quasi ex successione imperium vendicare[3], universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente ac in remissionem vobis iniungimus peccatorum, quatinus predicto regi potenter et viriliter assistentes, exhibeatis eidem contra prefatum F., Dei et ecclesie ac imperii manifestum adversarium, consilium et auxilium oportuna, ita quod apud Deum et homines possitis proinde non inmerito commendari, et nos, qui eiusdem regis participamur[b] successibus et in ipsius prosperis prosperamur, ad vestra et vestrorum obligemur comoda et honores.

Dat. Lugduni, XII Kal. Decembr. anno quinto.

a) misterio *R.* b) *ita M.;* participium *P.*

1) *Cf. n. 155.* 2) *Sicut haec inscriptionis forma indicat, epistola singulis principibus transmissa non est sed in curia illa legi debuit; eam Petro legato commissam esse putamus, cf. p. 121, not. 1.* 3) *Haec verba notanda sunt.*

468.

Innocentius IV papa cives Aquenses hortatur, ut considerantes [Wilhelmum] regem Romanorum per se ac suos, quibus circumdati sint, ipsos et terram ipsorum in libertate et gratia tenere velle, ab obsequio Friderici quondam imperatoris recedant.

1247, Nov. 20.

Inn. IV Reg. Vol. I. 553; Lib. V. cur. 21. Pertzii exemplar contulimus cum Meerman, l. c. t. V, p. 27, n. 25.

Potthast, Reg. 12770; Berger 4071

Civibus Aquensibus spiritum consilii sanioris.

Scire vos credimus etc. ut supra usque: assumptus; ex quo debent omnes et vos maxime, utpote sibi eiusque generi viciniores, gaudere ac in ipsius auxilium etc. usque: esse factum. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, mandantes quatinus, considerato prudenter quod idem rex per se ac suos, quibus circumdati estis [1], vos et terram vestram favorabiliter tenebit in libertate, gratia et honore, ab obsequio et dampnata devotione Friderici, ab imperali et regali dignitate depositi et anathematis mucrone ligati, protinus ac penitus recedentes, eidem regi assistatis viriliter ac potenter, ita quod apud Deum et homines possitis proinde non immerito commendari et prefatus rex ad vestra honores et comoda fortius obligetur nosque devotionem vestram dignis prosequamur actionibus gratiarum.

Dat. ut supra.

469.

Innocentius IV papa P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato, mandat, ut secundum promissionem suam [Henrico II] duci Brabantiae datam praelatos Alamanniae moneat et inducat, ut ei viriliter assistant.

1247, Nov. 20.

Inn. IV Reg. Vol. I, 486–487; Lib. V, 380. Pertzii exemplar contulimus cum Meerman, l. c. t. V, p. 25, n. 22.

Potthast, Reg. 12767; Berger 3430.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Cum, sicut accepimus, promiseris dilecto filio nobili viro . . duci Brabantie ac Lotharingie facere promittere omnes prelatos Alamannie per patentes litteras eorundem, quod assistant ei tamquam socii sociis et amici amicis viriliter et patenter in negotio ecclesie contra F. quondam Romanorum imperatorem et filios et adiutores et fautores eorum: nos, attendentes quod huiusmodi promissio digna est prosecutione favoris quodque iidem ipsorum viribus conflatis in unum causam ecclesie que nunc agitur, cum non sit propria sed communis, poterunt intrepide prosequi et inimicorum impetum minime formidare, mandamus, quatinus dictos prelatos ad id moneas efficaciter et inducas et, si necesse fuerit, auctoritate nostra sublato appellationis impedimento, prout videris expedire, compellas.

Dat. Lugduni, XII Kal. Decembris, anno V°.

1 *l. c. per vicinos; nam civitas non ante finem mensis Apr. a. 1248 obsideri coepta est: Bohmer-Ficker, l. c. 4917a*

470.

Innocentius IV papa eidem mandat, ut [Henrico II] duci Brabantiae ecclesiae contra F[ridericum] quondam imperatorem assistenti et omnibus ei in hoc subvenientibus plenam suorum peccaminum veniam largiatur. *1247, Nov. 20.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 487; Lib. V, 383.
Berger 3433.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Ut certantes pro ecclesia contra persecutores ipsius fructum assequi valeant qui non perit, volumus et devotioni tue presentium auctoritate mandamus, quatinus dilecto filio nobili viro . . duci Brabantie ac Lotharingie, assistenti per se ac suos nobis et ecclesie Romane contra F. quondam Romanorum imperatorem et filios et adiutores et fautores eorum viriliter et patenter, et quibuscumque aliis in hoc assistentibus dicto duci plenam suorum peccaminum, de quibus vere contriti fuerint et confessi, veniam auctoritate apostolica largiaris.

Dat. Lugduni, XII Kal. Decembris, anno V[a, 1].

471.

Innocentius IV papa cum W[illelmo] nato [Margaritae] comitissae Flandriae dispensat, ut in matrimonio cum Maria [Beatrice] nata [Henrici II] ducis Brabantiae contracto, quarto consanguinitatis gradu non obstante, remanere possit.

1247, Nov. 26.

Inn. IV Reg. Vol. I, 489. Lib. V, 106. Hanc epistolam [1] V. Cl. O. de Falke ex Regestis descripsit et cum altera [2] contulit, quae de matrimonio Willelmi cum Beatrice contrahendo scripta, ad verbum cum illa concordans, ibid. f. 196, n. 172 legitur.
Berger 3456 et 3522.

Nobili viro W. nato dilecte in Christo filie nobilis mulieris . .[b] comitisse Flandrie.

Attenta sedis apostolice circumspectio, congrue temporum vices pensans, quibusdam interdum concedit[c] aliqua ex plenitudine potestatis, que alias ipsis minime indulgeret, et quedam aliquando denegat, que aliis forsan temporibus largiretur, dispensans oportune iuxta necessitatem temporis suarum munera gratiarum, nunc ea impendendo[d] benigne, nunc autem inspecta utrobique ipsius qualitate temporis merito denegando, ut in hiis, quod[e] utile ac salubre fore perspexerit, semper agat. Cum

a) Dat. ut supra *R.* b) *2; . . desunt 1.* c) *2;* concedat *1; cf. n. 152.* d) *2;* impendenda *1.* e) que *2.*

1) *Inter hanc ep. et antecedentem in Reg. leguntur duae epistolae eodem die datae, abbati Loci Sancti Bernardi directae, cui mandatur, ut in Leodiensi, Cameracensi et Traiectensi civitatibus et diocesibus 1) redemptiones et obventiones votorum crucesignatorum, qui vota exequi non possunt, 2) vicesimam omnium possessionum ab ecclesiis et personis ecclesiasticis succursui Terrae Sanctae deputatam per triennium sibi assignari et in loco apto deponi faciat; Berger 3431 et 3432; cf. supra n. 252 et 408. Quas ep. ad res hic commemoratas referendas esse putamus.*

itaque, sicut te accepimus intimante, cum dilecta in Christo filia nobili muliere Maria[a][1] nata nobilis viri .. ducis Brabantie, te quarto consanguinitatis gradu ut asseris attingente[b][2], matrimonium duxeris contrahendum: nos, tuis supplicationibus inclinati, tecum, ut in sic[c] contracto matrimonio licite remanere valeas — gradu non obstante predicto —, auctoritate apostolica dispensamus. Nulli ergo etc. nostre dispensationis etc.

Dat. Lugduni, VI Kal. Decembris, anno V[3].

472.

Innocentius IV papa potestati et populo Camerinensibus ad sinum ecclesiae reversis indulget, ut ad solvenda pedagia per Marchiam, Ducatum et ubique per Patrimonium minime teneantur. — Priori Sancti Venantii Camerinensis mandat, ne eos super his molestari permittat. *1247, Dec. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 551; Lib. V, cur. 33 et 34.
Berger 4083 et 4084.

I.

. . potestati et populo Camerinensibus[d].

Eos, qui ad matris ecclesie gremium, a quo inimicis ecclesie adherendo recesserant, salubri usi consilio redierunt, benigno nos convenit oculo intueri et apostolice sedis gratia multipliciter confovere. Cum igitur civitas Camerinensis ad ecclesie sinum, extra quem diu erraverat, salubriter sit reversa[4], et propter hoc dampna sustinueritis, gravamina et iacturas, nos, pium ad vos gerentes compassionis affectum, ut ad solvenda pedagia per Marchiam et Ducatum et ubique per patrimonium beati Petri de cetero minime teneamini, auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, Nonis Decembris, anno V°[5].

II.

. . priori Sancti Venantii Camerinensis.

Eos, qui etc. ut supra usque: minime teneantur, eis per nostras litteras duximus indulgendum. Quocirca mandamus, quatinus eos super hiis non permittas contra concessionis nostre tenorem ab aliquibus indebite molestari; molestatores huiusmodi etc.

Dat. ut supra.

a) Beatrice *2.* b) *2:* attingere *1.* c) sic in *1 et 2.* d) Camericen *R.*

1) *Beatrix, soror Mariae, vidua Henrici Raspe regis erat.* 2) *Stemma: Henricus II dux Brabantiae, Henricus I dux et Mathilda, Matthaeus comes Bolonae — Thedericus comes Flandrae — Margarita I, Balduinus IX, Margarita II, Willelmus.* 3) *Papa nondum scivit, utram sororum Willelmus in matrimonium ducere vellet, cupiens autem ei [ut Willelmo regi faveret] gratiam quam citissime elargiri, certum nuntium non exspectavit, sed duas has dispensationes simul exarari iussit, quas Petro legato transmissas esse putamus, ut hic eam, quae rei conveniret, Willelmo exhiberet; cf. N. A. t. X, p. 564. Cf. etiam Berger 3457 et Bohmer-Ficker, l. c. 4923.* 4) *Cf. p. 213, not. 2.* 5) *In Lilii Istoria di Camerino p. 253 legitur epistola papae in Regesta non relata, per quam Camerinensibus concessiones confirmavit, quas iis, cum legatus apostolicus esset, fecisset. Quae ep., 'XI Non. Dec. anno V' subscripta, eodem die Dec. 5 exarata esse videtur, nam signum 'XI' ex verbo 'Lugduni', quod deest, corruptum putamus. — Cf. etiam Berger 3984—3986.*

473.

Innocentius IV papa episcopo Augustensi concedit facultatem, ut quosdam, qui F[riderico] quondam imperatori cum [Amadeo] comite Sabaudiae contra ecclesiam et O[ctavianum] Sanctae Mariae in Via Lata diaconum cardinalem, apostolicae sedis legatum, cum per partes illas transiret, adhaeserint, ab excommunicatione quam incurrerint cautione recepta absolvat. *1247, Dec. 9.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 557: Lib. V, cur. 19.
Berger 4099.

. . episcopo Augustensi.

Cum, sicut accepimus, nonnulli laici tue diocesis, pro eo quod F. quondam Romanorum imperatori cum nobili viro . . comite Sabaudie[1] contra ecclesiam et dilectum filium O. Sancte Marie in Via Lata diaconum cardinalem, apostolice sedis legatum, cum per partes illas transitum faceret[2], adheserunt, excommunicationis sententiam incurrisse noscantur: nos, dilectorum filiorum nobilium virorum Goffridi Vicecomitis et Iacobi de Quinto[a][3] eiusdem diocesis supplicationibus inclinati, fraternitati tue absolvendi eorum homines, qui huiusmodi excommunicationis vinculum incurrerunt, dummodo prestent corporaliter iuramentum, quod parebunt precise mandatis ecclesie ac prefato F. nunquam taliter adherebunt, liberam auctoritate presentium concedimus facultatem.

Dat. Lugduni, V Idus Decembris,[b] anno V°.

474.

Innocentius IV papa [Henrico III] episcopo Argentinensi committit, ut abbati et conventui monasterii Gengembacensis, per fautores Friderici quondam imperatoris depressis, concedat, ut novem ecclesias, in quibus ius patronatus obtineant, si vacent, ad manus suas per annum pro solvendis debitis retineant. *1247, Dec. 12.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 499: Lib. V, 505.
Berger 3555.

. . episcopo Argentinensi.

Ex tuarum serie litterarum accepimus, quod dilecti filii abbas et conventus monasterii Gengembacensis[4] ordinis sancti Benedicti tue diocesis per fautores F. quondam imperatoris affecti multis iniuriis et depressi sunt[c] gravibus nocumentis, quodam ex eisdem fautoribus dictum abbatem accinctum ad iter sedem apostolicam adeundi capere nequiter et aliquamdiu in carcerali detinere custodia presumente. Cum autem propter iacturas huiusmodi dictum monasterium gravibus sit debitis oneratum et ab illis sine apostolici cooperatione subsidii non possit de facili relevari, nos, tuis precibus annuentes, presentium tibi auctoritate committimus, ut dictis abbati et con-

a) Quanto *B.* b) *ita P.;* Novembris *B. V. Cl. O. de Falke nobis significavit locum certe legi non posse, putans* Nov. *potius quam* Dec. *scriptum fuisse. Sed fortasse Pertzius sexaginta annis ante plus vidit.* c) sint *B.*

1) *De hoc cf. p. 257, not. 6.* 2) *Cf. p. 221, not. 1, Nicolai de Curbio V. Inn. IV ap. Baluze, Miscell. t. VII, p. 377, et infra sub a. 1248, Febr. 12.* 3) *Fortasse Quart ex or. cir. Aosta.* 4) *In magno ducatu Badensi, e mer. et or. cir. Offenburg.*

ventui, quod novem ecclesias ex illis, in quibus ius obtinent patronatus, cum eas vacare contigerit, ad manus suas per unum annum duntaxat retinere valeant et illarum proventus integre in solutionem convertere huiusmodi debitorum, tribuas liberam facultatem, ita tamen quod ecclesie ipse debitis obsequiis interim non fraudentur et ministris earum de ipsarum proventibus competens portio relinquatur, de qua congrue valeant sustentari.

Dat. Lugduni, II Idus Decembris, anno quinto[a] [1].

475.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino proventus omnium beneficiorum ecclesiasticorum, quae in civitate et diocesi sua usque ad quinque annos vacare contigerit, per biennium retinendi facultatem concedit. *1247, Dec. 19.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 494; Lib. V, 448.
Berger 3498.

. . archiepiscopo Maguntino.

Cum, sicut te accepimus intimante, pro ecclesie Romane negotiis promovendis non modicas expensas feceris et adhuc te subire oporteat magnos sumptus, nos, ut eadem negotia tuo studio utilius promoveri valeant, tibi retinendi per biennium proventus omnium ecclesiasticorum beneficiorum, etiam curam habentium animarum annexam, que in Maguntina civitate ac diocesi usque ad quinque annos vacare contigerit, et contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi auctoritate presentium concedimus facultatem, proviso quod tantum ex eisdem proventibus reservetur, quod possit interim in ecclesiis, in quibus obtinentur huiusmodi beneficia, per vicarios idoneos commode deserviri.

Dat. Lugduni, XIIII Kal. Ianuar. anno V°[a].

476.

Innocentius IV papa decano et capitulo Sancti Nicolai Magdeburgensis ad preces H[enrici] de Oldenburc et H[enrici] Ascariae comitum et B[urcardi] burcgravii Magdeburgensis, devotorum ecclesiae, mandat, ut Arnoldum clericum de Magdeburc, si nondum alibi pro eo scriptum fuerit, in fratrem et canonicum admittant. *1247, Dec. 20.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 494; Lib. V, 449. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. O. de Falke.
Berger 3499.

. . decano et capitulo Sancti Nicolai Magdeburgensis.

Apud sedem apostolicam dilecti filii nobiles viri H. de Obdriborch[b] [2] et H. Ascarie comites et B. burchervius[c] Magdeburgensis per sue devotionis et fidei merita

a) Dat. ut supra *R.* b) Oldriborch *B.* c) burchivius *R.; leg.* burchrevius *i. e.* burcgravius.

1 *Papa eisdem abbati et conventui sub April. 22 mandavit, ut Everhardo de Horbe clerico, sub eodem Dec. 12 ad preces suas et episcopi et universitatis Argentinensium, ut Reimboldo clerico, filio Reimboldi sculteti de Gengenbach, qui dominium Friderici abdicasset, eiusque institisset obsequiis, de beneficio ecclesiastico competenti spectante ad collationem suam providerent; Berger 2841, 3551, 3556; cf. etiam 2822, 2823, 3073.* 2) *Scil. Henricus comes de Oldenburc, de quo cf. infra sub a. 1248, Mart. 16.*

se dignos illo favore constituunt, ut super hiis que sunt honoris et gratie libenter oportunis temporibus eorum precibus annuamus. Sane dicti nobiles pro dilecto filio Arnoldo clerico de Magdeburc[a], devoto ipsorum, nos affectuose rogarunt[b] per litteras speciales, ut eidem, nullum ecclesiasticum beneficium prout dicitur assecuto, aliquam congruentem gratiam faceremus. Cum autem idem clericus sit apud nos de honestis moribus et conversatione laudabili commendatus, universitatem [vestram][c] attente rogandam duximus et monendam, mandantes quatinus eundem, si nondum alibi pro ipso scripsimus, pro apostolice sedis et nostra reverentia in fratrem et canonicum admittatis ac de prebenda, quam cito se facultas obtulerit, liberaliter provideatis eidem — non obstante[d] certo canonicorum numero iuramento seu quacumque firmitate vallato, vel si pro alio vobis scripta nostra direximus, quibus nolumus etc. usque: generari, sive aliqua indulgentia, de qua specialem in litteris nostris oporteat fieri mentionem —: preces nostras et mandatum taliter impleturi, ut augmentum favoris et gratie vobis apud nos possit exinde provenire. Alioquin dilecto filio . . preposito ecclesie sancti Viti de Niemborch[1] Magdeburgensis diocesis per litteras nostras iniungimus, ut super hoc mandatum apostolicum exequatur; contradictores etc.

Dat. Lugduni, XIII Kal. Ianuarii, anno V°.

477.

Innocentius IV papa homines castri de Cassia a praestatione fodri usque ad sex annos eximit. *1248, Ian. 6.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 199; Lib. V, 191. Pertzii exemplar contulimus cum Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sedis t. I, p. 126, n. 231.

Potthast, Reg. 12803; Berger 3541.

Hominibus castri de Cassia[2], fidelibus nostris, Spoletane diocesis.

Efficax vestre devotionis meretur affectus, ut vestris postulationibus favorabiliter annuamus. Hinc est, quod vestris devotis supplicationibus inclinati, ut a prestatione[e] fodri, in quo annuatim ecclesie Romane tenemini, usque ad sex annos existatis immunes, auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, VIII Idus Ianuar. anno V°.

478.

Innocentius IV papa Hugolino Raynerii et Hugolino Bonicomitis civibus Camerinensibus ad preces suas montana quorundam castrorum Spoletanae diocesis et terram Arnulphorum usque ad beneplacitum apostolicum retinenda concedit. *1248, Ian. 12.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 554; Lib. V, cur. 37. Pertzii exemplar contulimus cum Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sedis t. I, p. 126, n. 232.

Potthast, Reg. 12806; Berger 4087.

a) Magdeburc *R.* b) rgarūt *R.* c) vestram *deest R.* d) an non obst. = non obstantibus? e) paratione *T.*

1) *Nienburg ad Saale fl., e mer. cir. Magdeburg.* 2) *Ex or. Spoleto.*

Nobilibus viris Hugolino Raynerii et Hugolino Bonicomitis civibus Camerinensibus[1].

Apostolice sedis providentia consueta subditorum merita solertis deliberationis examine discutit, et que rationis iudicio potiora diffinit, premiorum remunerat retributione maiorum, uberioribus illa prosequendo favoribus et beneficiis plenioribus attollendo. Hinc est, quod cum vos illo devotionis affectu erga Romanam ecclesiam ferveatis eamque circa ipsam studeatis servare constantiam, ut inter alios eius filios fidelitatis titulo specialiter insigniti mereamini ab ea multipliciter honorari, nos, hec non indigne pensantes ac volentes vestris intendere comodis vestrique honoris augmentum sollicite procurare, vestris supplicationibus inclinati, montana Nursie, Cassii, Cerreti[2] et aliorum castrorum circumiacentium Spoletane diocesis et terram Arnulphorum nec non eorum redditus et proventus vobis auctoritate presentium concedimus, retinenda a[a] vobis usque ad nostre beneplacitum voluntatis. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, II Idus Ianuarii, anno V°.

479.

Innocentius IV papa decano ecclesiae sancti Gengulfi Tullensis respondet, a Cisterciensibus, Hospitalariis, Templariis et fratribus domus Teutonicorum civitatis et dioecesis Tullensis vicesimam exigendam non esse. *1248, Ian. 13.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 499; Lib. V, 501.
Berger 3551.

. . decano ecclesie sancti Gengulphi Tullensis[3].

Consultationi tue breviter respondemus, quod super vicesima exigenda ab ecclesiis et personis ecclesiasticis, tam exemptis quam non exemptis, civitatis et diocesis Tullensis iuxta litterarum formam super hoc tibi a sede apostolica directarum abbates et monachos Cisterciensium, qui[b] oblata eis pietatis intuitu quasi totaliter dispensant[c] per opera caritatis, ac Templarios et Hospitalarios[d] seu fratres hospitalis sancte Marie Theotonicorum, qui se ac ipsorum bona deputant Redemptoris obsequiis, rerum dispendia seu personarum pericula minime metuentes, non intelligimus nec volumus sub generalitate personarum huiusmodi comprehendi.

Dat. Lugduni, Id. Ianuar. anno V°.

480.

Innocentius IV papa P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato, mandat, ut ad matrimonium inter [Gertrudam] ducissam Austriae et [Wilhelmum] regem Romanorum vel alium eidem mulieri aptum et ecclesiae devotum contrahendum operam det. *1248, Ian. 21.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 501; Lib. V, 521. Pertzii exemplar contulimus cum Meerman, Geschied. van Willem van Holl. t. V, p. 28, n. 26.
Potthast, Reg. 12811; Berger 3574.

a) a *deest R.* b) quod *R.* c) dispensare *R.* d) Templariis et Hospitalariis *R.*

1) *Cf. n. 172.* 2) *Ex or. Spoleti; cf. etiam Bohmer-Ficker, l. c. 3698a.* 3) *De eodem cf. Berger 3545.*

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato[a].

Cum dilecta in Christo filia nobilis mulier . . ducissa Austrie[1] super contrahendo matrimonio nostrum requisierit beneplacitum voluntatis, nos, cupientes eam tali matrimonialiter copulari, qui et ei[b] sit aptus et ecclesie Romane devotus, mandamus, quatinus ad contrahendum inter ipsam et carissimum in Christo filium nostrum . . illustrem regem Romanorum sive alium aptum sibi et nobis devotum matrimonium des opem et operam efficacem.

Dat. Lugduni, XII Kal. Februarii, anno V°.

481.

Innocentius IV papa magistro et fratribus de domo Teutonicorum in Prussia mandat, ut cum sibi innotuerit Tartarorum exercitum contra Christianitatem gressus suos dirigere, id sibi quantocius intiment. *1248, Ian. 22.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 555; Lib. V, cur. 39. Pertzii exemplar contulimus cum Turgenevii Russ. monim. t. I, p. 70, qui ep. falso sub IX Kal. Febr. proposuit.

Potthast, Reg. 12813 et 12819; Berger 4089.

. . magistro et fratribus de domo Theotonicorum in Prussie partibus constitutis.

Cum Danieli regi Ruscie illustri et . . fratri eius et nobili viro Alexandro duci Susdaliensi[2] nostras litteras dirigamus, ut cum eis constiterit, quod Tartarorum exercitus versus Christianitatem dirigat gressus suos, id vobis intimare procurent, ut cum hoc per vos ad notitiam nostram pervenerit, qualiter ipsis Tartaris viriliter cum Dei adiutorio resistamus, possimus maturius cogitare, quia pericula possunt facilius evitari, si contra ipsa per providentie clippeum muniamur: mandamus, quatinus cum id vobis innotuerit per eos vel aliquem eorundem, nobis studeatis quamtotius intimare[3].

Dat. Lugduni, XI Kal. Febr. anno V°[c].

482.

Innocentius IV papa abbatem monasterii Scolorum in Wienna reprehendit, quod eorum fautoribus Friderici quondam imperatoris divina celebraverit, eique mandat, ut ab huiusmodi celebratione se abstineat, si penam effugere velit. *1248, Ian. 23.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 555; Lib. V, cur. 41.

Berger 4091.

a) Eidem *R.; antecedit n. 488.* b) ea *P., Mc.* c) Dat. ut supra *R.*

1) *Hanc fuisse Gertrudam, viduam Wladislai marchionis Moraviae, neptem quondam Friderici II ducis Austriae, quae eodem anno Hermanno VI marchioni Badensi nupserit, ex n. 488 apparet; cf. n. 427. — De ducatu Austriae cf. n. 147.* 2) *Ex sept. cir. Moscau.* 3) *De eadem re cf. Berger 4088 et 4092 — Potthast, Reg. 12814 et 12815. Epistolae ap. Berger 4090, cum ep. 4089 concordanti, verbum 'Eidem' inscriptum est. Pro certo dici non potest, cui ea directa fuerit.*

. . abbati monasterii Scothorum de Wina[a][1] Pitavensis[b] diocesis.

Non sine animi turbatione accepimus, quod tu et quidam de monachis tuis non absque tua conscientia coram fautoribus Friderici quondam imperatoris excommunicatis apertis ianuis et alta voce divina procuras officia celebrare. Quia vero id, si verum est, multum a regulari discrepat honestate ac tui honoris et anime confusionem inducere poterit non indigne, discretioni tue presentium auctoritate districte precipiendo mandamus, quatinus, si res ita se habet, ab huiusmodi celebratione coram excommunicatis eisdem et tu ipse abstineas et tuos monachos facias abstinere, quinpotius ipsos artius evitare studeas et a tuis subditis facias evitari, si cupis penam effugere canonice ultionis.

Dat. Lugduni, X Kal. Febr. anno V°.

483.

Innocentius IV papa [Philippo] procuratori ecclesiae Salisburgensis mandat, ut [Gertrudae] ducissae Austriae, inimicis ecclesiae se opponere intendenti, assistat et loca provinciae suae, quorum habitatores Friderico quondam imperatori iuramento se astrinxerint, interdicto supponat. Idem fere [Brunoni] episcopo Olomucensi mandat.

1248, Ian. 23.

Inn. IV Reg. Vol. I, 501; Lib. V, 522 et 526. Pertzii exemplaria contulimus cum Meerman, l. c. l. V, p. 29, n. 27 et p. 30, n. 28.

Potthast, Reg. 12816; Berger 3572 et 3576.

I.

. . procuratori ecclesie Salzeburgensis[2].

Cum, sicut accepimus, dilecta in Christo filia nobilis mulier . . ducissa Austrie[3], zelo fidei et devotionis accensa et femine cogitationi masculinum animum inserens, inimicis ecclesie opponere se intendat:-devotionem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, mandantes quatinus et in hoc ei ac in iure suo exhibeas te favorabilem et assistas viriliter et potenter. Ad hec volumus et mandamus, ut castra et loca tue provincie ac diocesis, quorum habitatores se Fr. quondam imperatori contra ecclesiam iuramenti vinculo astrinxerunt, supponas ecclesiastico interdicto, contra ipsos habitatores alias tam spiritualiter quam temporaliter processurus.

Dat. Lugduni, X Kal. Februarii, anno V°.

II.

. . episcopo Omolucensi[c].

Cum, sicut accepimus, dilecta in Christo filia nobilis mulier . . ducissa Austrie, zelo fidei et devotionis accensa et feminee cogitationi masculinum animum inserens etc. ut supra in DXXII capitulo usque: loca ducatus Austrie, quorum etc. ut supra usque in finem.

In eundem modum . . episcopo Sekowensi[4].

---

a) Winna *E.* b) *leg.* Pataviensis. c) *leg.* Olomucensi.

1) *Wien. De re cf. etiam n. 117.* 2) *De hoc cf. n. 420 et 446.* 3) *Cf. n. 480.* 4) *Ulrico.*

484.

Innocentius IV papa fratri Franco de ordine Minorum ad preces [Gertrudae] ducissae Austriae concedit, ut eius et familiae eius confessiones audiat. 1248, Ian. 23.

Inn. IV Reg. Vol. I, 501: Lib. V, 525. Pertzii exemplar contulimus cum Sbaralea, Bull. Francisc. t. I, p. 505, n. 261.

Potthast, Reg. 12817; Berger 3575.

Fratri Franco de ordine fratrum Minorum.

Devotis[a] dilecte in Christo filie nobilis mulieris . . ducisse Austrie precibus inclinati, presentium tibi auctoritate concedimus, ut eius et aliorum de familia sua, tam virorum quam mulierum, confessiones, quotiens oportunum fuerit, audias et eis pro commissis iniungas penitentiam salutarem, impenso ipsis[b] ducisse ac mulieribus, si necesse fuerit, absolutionis beneficio vice nostra, presentibus post annum minime valituris.

Dat. Lugduni, X Kal. Februarii, anno V°.

In eundem modum eidem pro nobili viro Conrado comite de Handek[1] et . . uxore sua.

485.

Innocentius IV papa [Conrado] praeposito et capitulo Neweburgensibus mandat, ut de castro Kalenberg, in quo [Gertruda] ducissa Austriae propter ipsius munitionem se receperit, nullam permutationem cum aliquo faciant praeterquam cum ipsa ducissa. 1248, Ian. 23.

Inn. IV Reg. Vol. I, 501: Lib. V, 527. Pertzii exemplar contulimus cum Meerman, l. c. t. V, p. 33, n. 31.

Potthast, Reg. 12827; Berger 3577.

. . preposito et capitulo Neweburgensibus[2].

Cum, sicut accepimus, dilecta in Christo filia nobilis mulier . . ducissa Austrie in castro de Obalenberch[3], quod ad ecclesiam vestram spectare dicitur[4], propter ipsius munitionem se receperit et maneat in eodem: universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, districte precipiendo mandantes, quatinus nullam permutationem de ipso castro cum aliquo alio preterquam cum ipsa, que parata est sicut asserit pro eo vobis equivalens assignare concambium, facere presumatis.

Dat. Lugduni, X Kal. Februarii, anno V°[c].

486.

Innocentius IV papa [Belam] regem Ungariae hortatur, ut [Gertrudae] ducissae Austriae, inimicis ecclesiae se opponere intendenti, necessitatis tempore tam in iure suo quam contra ipsos inimicos assistat. 1248, Ian. 28.

Inn. IV Reg. Vol. I, 501: Lib. V, 528. Pertzii exemplar contulimus cum Meerman, l. c. t. V, p. 34, n. 32.

Potthast, Reg. 12824; Berger 3578.

a) *Sb.;* devotionis *P., B.* b) ipsius *P., Sb.* c) Dat. ut supra *R.; antecedit n. 483 H.*

1) *Hardeck in archiducatu Austriae iuxta fines Moraviae, ex occ. civ. Znaym.* 2) *Klosterneuburg ad Danubium fl. supra civ. Wien.* 3) *Leg. Chalenberch i. e. Kahlenberg ex occ. civ. Wien.* 4) *Ab a. 1173 circiter; Meiller, Babenb. Reg. p. 51, n. 86.*

. . illustri regi Ungarie.

Cum, sicut accepimus, etc. usque: Austrie zelo fidei et devotionis accensa inimicis ecclesie opponere se intendat, serenitatem regiam rogamus, monemus et hortamur attente, quatinus dictam nobilem habens pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatam, eidem necessitatis tempore, cum ab ea requisitus fueris, tam in iure suo quam contra ipsos inimicos assistas, ita quod ipsa preces nostras sibi apud te sentiat profuisse nosque sinceritatis tue zelum merito commendemus[1].

Dat. Lugduni, V Kal. Februarii, anno V°.

In eundem modum . . illustri regi Boemie.

487.

Innocentius IV papa Conradum comitem de Hardek hortatur, ut [Gertrudae] ducissae Austriae, sicut hactenus laudabiliter fecerit, in prosecutione iurium suorum et praesertim contra fautores F[riderici] quondam imperatoris assistat. 1248, Ian. 28.

Inn. IV Reg. Vol. I, 501; Lib. V, 529. Pertzii exemplar contulimus cum Meerman, l. c. t. V, p. 34, n. 33.

Potthast, Reg. 12825; Berger 3579.

Nobili viro Conrado comiti de Handek[2].

Gratum gerimus et acceptum, devotionem tuam dignis in Domino laudibus commendantes ac prosequentes actionibus gratiarum, quod, sicut dilecta in Christo filia nobilis mulier . . ducissa Austrie accepimus intimante, in prosecutione suorum iurium et precipue contra inimicos ecclesie astitisti ei viriliter et assistis. Ut igitur, quod super hoc laudabiliter fecisse dinosceris per te ipsum, nostris excitatus monitionibus laudabilius prosequaris, nobilitatem tuam monemus et hortamur attente, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatinus eidem ducisse in suis iuribus et presertim contra fautores F. quondam imperatoris, quibus zelo fidei et devotionis accensa se proponit opponere, assistas et auxilieris[a] viriliter et potenter, ita quod ipsa etc. ut supra in proxima usque in finem.

488.

Innocentius IV papa P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato, mandat, ut magistrum et fratres et fratrem Rasconem domus Teutonicorum in Austria compellat, ut [Gertrudae] ducissae Austriae Starkenberg et Gutenstein et alia castra et bona, eidem a [Friderico II] duce patruo eius concessa, restituant, alioquin [Wenceslaum] regem Bohemiae moneat, ut eidem mulieri de redditibus, quos domus illa in regno suo obtineat, satisfieri faciat. 1248, Ian. 28.

Inn. IV Reg. Vol. I, 501; Lib. V, 523. Pertzii exemplar contulimus cum Meerman, l. c. t. V, p. 32, n. 30.

Potthast, Reg. 12823; Berger 3573.

a) auxiliaris *R.*

1) *Cf. n. 279.* 2) *Cf. n. 484.*

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Cum, sicut ex parte dilecte in Christo filie nobilis mulieris . . ducisse Austrie fuit propositum coram nobis, magister et fratres ac frater Rasco hospitalis domus sancte Marie Theutonicorum in Austria in Starthenberch[a] et in Gentenstrin[b][1] ac quedam alia castra, thesaurum et alia bona mobilia et immobilia, que ad eam ex concessione facta sibi a . . quondam duce Austrie, patruo suo, ex indulto eidem duci privilegio imperiali[c] spectant[2], detinere dicantur: mandamus, quatinus dictos magistrum et fratres, ut predicta omnia ipsi ducisse restituant integre ac de dampnis, que occasione huiusmodi ducissa eadem se incurrisse asserit, satisfaciant, ut tenentur, per te vel per alios monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota previa ratione compellas. Quod si nec sic prefati magister et fratres curaverint restituere supradicta, si expedire videris, carissimum in Christo filium nostrum . . illustrem regem Boemie attentius moneas, ut super hiis de redditibus, quos iidem magister et fratres obtinent in regno suo, satisfieri faciat nobili memorate.

Dat. Lugduni, V Kal. Februarii, anno V°.

489.

Innocentius IV papa abbati in Hersedehusen Paderburnensis diocesis ad preces [Henrici] episcopi Hildeshemensis mandat, ut Hermannum de Glichen canonicum Hildeshemensem, qui a fautoribus F[riderici] quondam imperatoris suffultus bona ecclesiae Hildeshemensis occupaverit, ad sedem apostolicam citet. *1248, Ian. 31.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 502; Lib. V, 531.
Berger 3584.

. . abbati in Hersedehusen[3] Padeburnensis diocesis.

Sua nobis venerabilis frater noster . . Hildesemensis episcopus petitione monstravit[4], quod Hermannus de Glichen canonicus Hildesemensis ecclesie quorundam F. quondam Romanorum imperatoris [fautorum][d] favore suffultus domum episcopalem, civitates, oppida, villas, munitiones et bona ipsius ecclesie per violentiam detinet occupata in eorundem episcopi et ecclesie non modicum preiudicium et gravamen, propter quod venerabilis frater noster . . Maguntinus archiepiscopus in dictum Hermannum excommunicationis sententiam exigente iustitia auctoritate apostolica promulgavit. Sed idem H. huiusmodi sententia vilipensa predicta bona detinere presumit in anime sue periculum et scandalum plurimorum. Quare nobis prefatus episcopus duxit humiliter supplicandum, ut cum ipse in partibus illis propter malitiam et potentiam eiusdem H. effectum iustitie nequeat invenire, providere sibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Mandamus, quatinus dictum H. auctoritate nostra peremptorie citare

a) Starthenbeh *Me.* b) Cententrin *Me.* c) privilegii imperialis *P., Me.* d) fautorum, *quod R. deest, B. addidit.*

1) *Leg. Starchenberch et Gutenstein; cf. n. 427 et 440.* 2) *Sub eodem die ducissae confirmavit omnia, quae dux Austriae patruus eius ei tam in honoribus et iuribus quam aliis bonis mobilibus et immobilibus ad se spectantibus, prout sibi ex imperiali concessione liceret, relinquenda duxisset; Berger 3571; Potthast, Reg. 12826.* 3) *Hardehausen iuxta flumen Diemel prope civ. Warburg.* 4) *Cf. n. 330.*

procures, ut infra spatium duorum mensium post citationem tuam compareat coram nobis, facturus et recepturus super hiis quod ordo dictaverit rationis. Quicquid autem super premissis duxeris faciendum, nobis fideliter rescribere non postponas.

Dat. Lugduni, II Kal. Februarii, anno V°.

490.

Innocentius IV papa praeposito ecclesiae de Riva [Ruti] Constantiensis diocesis scribit, Conradum dictum Iudaman de Turego militem crucesignatum sibi conquestum esse, quod cum a Conrado filio F[riderici] quondam imperatoris temere proscriptus sit, socer suus Egelolfus de Asele miles Itam uxorem suam et dotem eius ad manus suas receperit: mandat, ut eundem ad uxorem et dotem restituendas inducat. *1248, Febr. 4.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 503; Lib. V, 513. Pertzii exemplar contulimus cum Merman. l. c. t. V, p. 36, n. 35.

Potthast, Reg. 12832; Berger 3595.

. . preposito ecclesie de Riva[1] Premonstratensis ordinis Constantiensis diocesis.

Dilectus filius Conradus dictus Iudaman[a] de Turego miles crucesignatus sua nobis petitione monstravit, quod cum Conradus filius F. quondam imperatoris occasione cuiusdam excessus commissi ab eo ipsum, in quem nullam iurisdictionem habebat, temeritate propria duxerit proscribendum, et carissimus in Christo filius noster G. Romanorum rex illustris proscriptionem illam tamquam a non suo iudice factam decreverit nullam esse[2], prout in litteris confectis exinde plenius dicitur contineri, Egelolfus de Asele[3] miles, pater Ite mulieris uxoris militis supradicti, Constantiensis diocesis, occasione huiusmodi predictam Itam uxorem suam [et][b] quasdam domos, vineas, possessiones et res alias ad dotem spectantes eiusdem ad manus suas recipiens, uxorem et bona prefata per violentiam detinet et sibi reddere contradicit. Mandamus, quatinus, si est ita, dictum Egelolphum moneas et efficaciter procures inducere, ut predictam uxorem nec non domos, possessiones, vineas et alias res ipsius, quas constiterit temere occupasse, cum fructibus inde perceptis a tempore occupationis huiusmodi restituere non omittat, ipsum ad hoc, si necesse fuerit, monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione postposita veritate cognita compellendo. Testes autem etc.

Dat. Lugduni, II Nonas Februarii, anno V°[c].

491.

Innocentius IV papa ad preces de Dilingen, de Wirtenberc, de Gruningen et de Calwe comitum, devotorum ecclesiae, dispensat cum Engelberto clerico Argentinensi, ut

a) Iudeman *Me.* b) et *deest P., Me.* c) Dat. ut supra *R.*

1 *Legas Ruti, Rüti, ex sept. cir. Rapperschwyl.* 2 *Hoc decretum Guillelmi regis papa sub eodem die confirmavit: Berger 3592; Potthast, Reg. 12831.* 3 *Hasslen in Kant. Zürich, inter vic. Bubach et Regensberg.*

non obstante defectu natalium, ad sacros ordines, dignitate episcopali excepta, promoveri possit. *1248, Febr. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 503; Lib. V, 550. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. O. de Falke. Berger 3600.

Engelberto clerico Argentinensi.

Etsi geniti ex copula, quam fedus matrimonii non excusat, illegitimi censeantur, illis tamen, qui geniture maculam honestate morum satagunt abolere, tamquam a Domino gratiam consecutis libenter misericordiam impertimur, cum, ubi Dominus largus, servus non debeat esse tenax. Cum igitur defectum natalium, quem pateris de presbytero genitus et soluta, profectu redimas meritorum, nos, bonis benefacere cupientes ac intendentes per hoc et obtentu dilectorum filiorum nobilium virorum . . de Dilgen[1], . . de Wirtemberc[2], . . de Gruningen[3] et . . de Calwe[4] comitum de Suevia, devotorum ecclesie[5], qui nobis pro te cum instantia supplicarunt, gratiam tibi facere specialem, ut — huiusmodi non obstante defectu — ad sacros ordines promoveri et beneficium ecclesiasticum, etiam si curam animarum habeat, obtinere possis, tecum auctoritate presentium dispensamus, ita tamen, quod si te ad episcopalem vocari contigerit dignitatem, illam nequaquam recipias absque sedis apostolice licentia speciali. Nulli ergo etc. nostre dispensationis etc.

Dat. Lugduni, Nonis Februar. anno V°.

492.

Innocentius IV papa abbati et conventui Novillarensibus ad suas et magistrorum, consulum et universitatis civium Argentinensium preces indulget, ut postquam Sanctoro et Simoni, nato Ludovici advocati de Lichtenberc, fuerit provisum, magistro Gervaleo de Argentina, praeferentes eum sex aliis, in ecclesiastico beneficio possint providere.

1248, Febr. 5.

Inn. IV Reg. Vol. I, 503; Lib. V, 551. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit V. Cl. O. de Falke. Berger 3601.

. . abbati et conventui monasterii Novillarensis[6] ordinis sancti Benedicti Argentinensis diocesis.

Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod cum magister Gervaleus de Argentina, clericus vester, vobis et monasterio vestro dudum servierit fideliter et devote, non potestis eidem in competenti ecclesiastico beneficio providere, cum sitis Santoro[a] et Symoni, nato nobilis viri Lodewici advocati de Liethenberc[7], et sex aliis clericis ad nostrum et dilecti filii nostri P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, apostolice sedis legati, mandatum ad conferenda beneficia ecclesiastica obligati. Sed quia dilecti filii magistri, consules et universitas civium Argentinensium nobis per suas litteras cum instantia supplicarunt, ut gratiam ei facere in hac parte de benignitate solita curaremus, nos, eorum et vestris supplicationibus inclinati,

a) *ita R.*

1) *Hartmanni III de Dillingen, de quo cf. n. 130 et 137.* 2) *Ulrici, de quo cf. n. 352 et Berger 3365 et 3721.* 3) *Hartmanni.* 4) *Godefredi, de quo cf. n. 319.* 5) *Cf. p. 313, not. 1.* 6) *Neuweiler in Alsatia, ex sept. cir. Zabern.* 7) *De hoc cf. n. 271.*

auctoritate vobis presentium indulgemus, ut postquam fuerit eidem Sanctoro et nato predicti nobilis de beneficiis debitis provisum, prefato magistro, preferendo ipsum aliis sex, dummodo ipsa beneficia illis non sint in specialibus ecclesiis assignata seu etiam reservata, possitis providere in ecclesiastico beneficio competenti, quod ad collationem vestram pertineat et consueverit clericis secularibus assignari, — non obstante quod alias beneficiatus existit vel quod alias scripsimus pro eodem —, ita tamen quod postmodum predictis sex clericis provideatis ut tenemini ad id, quam primum obtulerit se facultas. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. ut supra[1].

493.

Innocentius IV papa H[enrico] de Klingenberc canonico Curiensi ad preces H[artmanni] senioris et H[artmanni] iunioris comitum de Kiburg, quorum consiliarius sit, indulget, ut [Rudolfo] comiti de Raprechteswiler genero comitis iunioris et aliis fautoribus Friderici quondam imperatoris communicando excommunicationem maiorem non incurrat.

Inn. IV Reg. Vol. I, 501; Lib. V, 563. *1248, Febr. 9.*
Berger 3612.

H. de Klingembere[a] canonico Curiensi.

Ut te dono gratie prosequamur, dilectorum filiorum nobilium virorum H. senioris et H. iunioris comitum de Kiburch, quorum es consiliarius, devota precamina nos inducunt. Cum igitur, sicut exponere curavisti, cum nobili viro . . comite de Raprethtiswiler[3], genero predicti comitis iunioris, ad quem sepe ab eisdem comitibus pro negotiis ecclesie destinaris, ac nonnulis aliis fautoribus F. quondam imperatoris communicare oporteat te frequenter, nos, tue saluti volentes consulere in hac parte, dictorum comitum precibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut communicando predictis occasione huiusmodi, dummodo opem studiosam des et operam, quod ad mandatum ecclesie revertantur, nequaquam excommunicationis vinculum maioris incurras[4]. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni. V Idus Februarii, anno V°.

a) Klugembere *B.*

1) *Sub eodem die episcopo Argentinensi mandavit, ne eos super hoc molestari permitteret; Berger 3602. — Sub Febr. 18 intuitu Gebehardi capellani sui, C[onradi] fratris eius, comitis de Fribure, et Henrici de Gerolseke canonici Spirensis, nepotis electi Spirensis, [de quo cf. n. 327] cum eodem Gerradeo super pluralitate beneficiorum dispensavit; Berger 3683. Sub Mart. 13 abbati et conventui Maurimonasteriensibus concessit, ut magistrum Gerradeum Argentinensem, clericum suum, in canonico et civili iure peritum, maturae aetatis existentem, postquam Walrammo de Gerolsecke canonico Argentinensi provisum fuerit, quinque aliis clericis, litteris apostolicis non obstantibus, praeferrent; Berger 3800. — Sub Ian. 29 abbati et conventui monasterii de Ettenmunster concessit, ut Walterum canonicum Argentinensem, natum W[alteri] de Geroldesecke, advocati sui, negotium ecclesiae pro viribus promovere studentis, aliis, quibus ad mandatum apostolicum providere tenerentur, praeferrent; Berger 3581, cf. 3582.* 2) *In Kant. Thurgau prope locum Homburg, e mer. et occ. civ. Constanz.* 3) *Rapperschwyl ad lacum Turicensem.* 4) *Sub Febr. 10 comitibus de Kiburc, 'cum ipsos, ministeriales et officiales suos oporteret causando, hospitando multisque modis aliis cum fautoribus imperatoris communicare frequenter', idem indulsit; Berger 3613. De eisdem cf. etiam infra n. 496 et sequ. et Berger 3605, 3671, 3819, 4007. Fortasse comites iam tum Lugduni erant [cf. n. 498], sed 'in praesentia papae constituti' nondum fuerant.*

494.

Innocentius IV papa praeposito ecclesiae Novicastri Lausanensis diocesis causam, quam Conradus advocatus de Friburg contra [Rudolfum] dominum de Valkesten aliosque laicos Basiliensis et Constantiensis dioecesum habeat quamque coram iudice saeculari persequi non possit, quia gens partium illarum W[ilhelmo] regi Romanorum adversetur, terminandam committit. *1248, Febr. 10.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 506; Lib. V, 584. Pertzii exemplar contulimus cum Meerman. l. c. t. V, p. 38, n. 36.

Potthast, Reg. 12837; Berger 3633.

.. preposito ecclesie Novicastri[1] Lausanensis diocesis.

Dilectus filius nobilis vir Corradus advocatus de Friburch[2] nobis exposuit conquerendo, quod nobilis vir .. dominus de Valkesten[a] [3] et quidam alii laici Basiliensis et Constantiensis diocesum super terris, debitis et rebus aliis iniuriantur eidem. Unde, cum in partibus illis nequeat super hiis, sicut asserit, coram seculari iudice consequi iustitie complementum, eo quod gens partium earundem carissimo in Christo filio nostro W. regi Romanorum illustri, ad quem spectat ipsius patrie dominium, adversetur[4], persecutori ecclesie adherendo, humiliter supplicavit super hoc sibi sedis apostolice remedio subveniri. Ne vero iniuriatores predicti de sua malitia reportent comodum in hac parte aut contingat hac de causa ius prefati nobilis deperire, mandamus, quatinus par[tibus] co[nvocatis] au[dias] causam[b] et app[ellatio]ne re[mota] usu[capione] ces[sante] etc.[c] usque: observari, proviso ne in terram dicti nobilis etc. Testes etc.

Dat. Lugduni, IIII Idus Februarii, anno V°.

495.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino, archidiacon[is] et aliis praelatis Maguntinae civitatis et dioecesis mandat, ut excommunicationis et interdicti sententias, in synodo provinciali praesertim propter malitiam Thuringorum et Hassanorum post mortem H[enrici] regis Romanorum excrescentem contra violatores clericorum promulgatas, non obstantibus quibuscumque indulgentiis nobilibus diocesis eiusdem concessis, ubique observari faciant. *1248, Febr. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 506; Lib. V, 577.

Berger 3626.

.. archiepiscopo Maguntino et archidiacono[d] ac aliis ecclesiarum prelatis per Maguntinam civitatem et diocesim constitutis.

Ex parte tua, frater archiepiscope, fuit propositum coram nobis, quod licet Thuringorum et Hassanorum nationes tue diocesis, ab antiquo semper malitiose pre aliis, inobedientes tibi fuerint et rebelles, post mortem tamen clare memorie H. Roma-

a) Valbeesten *Me.* b) cām *R.* c) *haec fere supplenda sunt:* fine debito termines, faciens quod statueris per censuram ecclesiasticam observari. d) *ita R.;* archidiaconis *corrigendum videtur.*

1) *Neuchâtel.* 2) *In Helvetia.* 3) *Ex sept. et or. civ. Solothurn.* 4) *Cf. p. 351, not. 3.*

norum regis, cum non sit qui eos valeat coherecere, in tantum prevaluit malitia eorundem, quod nec Deum timentes nec hominem[a] reverentes, tanta in libertatem ecclesiasticam tyrannide degrassantur, quod ausu diabolico ecclesias per incendia devastant, clericos spoliant et captivant et tamdiu affligunt corporum cruciatu, donec personas suas pecunia redimere compelluntur; propter quod cum clerici metu et periculo antedicto non audeant nisi in locis munitis se recipere ad manendum, contingit plurium locorum ecclesias desolatas relinqui et curam negligi animarum. Quare tu predecessoris[b] tui inherens vestigiis in provinciali tua synodo de suffraganeorum tuorum consilio et assensu pro refrenanda dictorum malefactorum rabie statuisti, ut omnia loca, ad que ducerentur spolia clericorum vel ubi clerici tenerentur captivi aut in quibus spoliatores receptaculum obtinerent, si moniti resipiscere non curarent, interdicto subiaceant, donec passis iniuriam satisfactio congrua prebeatur. Sed quia quidam nobiles eiusdem dioecesis asserunt sibi ab apostolica sede concessum, ut in ipsos vel terras eorum excommunicationis vel suspensionis sententie absque speciali mandato nostro nequeant promulgari, per idem statutum occasione huiusmodi in nullo vel modico clerici relevantur. Quare nobis humiliter supplicasti, ut salubre super hoc remedium adhibere paterna sollicitudine curaremus. Nolentes igitur ut hac occasione predicto statuto valeat derogari, universitati vestre mandamus, quatinus statutum ipsum — non obstantibus prefatis indulgentiis — faciatis auctoritate nostra inviolabiliter observari; contradictores etc. Ceterum ad predictorum malefactorum malitiam edomandam statuendi in tua provincia, ut filii eorum, qui clericos quos captivaverant nisi extorta ab eis pecunia vel resignatione beneficii aut aliqua parte proventuum non dimittunt, ad clericatum et beneficia ecclesiastica de cetero nullatenus admittantur, quod si ad clericatum iam et ad beneficia sunt admissi, ad personatus tamen et alias dignitates ecclesiasticas non ascendant, plenam tibi, frater archiepiscope, auctoritate presentium concedimus facultatem.

Dat. Lugduni, III Id. Febr. anno V°.

496.

Innocentius IV papa H[artmannum] seniorem et H[artmannum] iuniorem comites de Kiburg laudat, quod consortium F[riderici] quondam imperatoris et C[onradi] filii eius declinent, eosque ab omni fide et obligatione, quibus iisdem teneantur, absolvit.

Inn. IV Reg. Vol. I, 505; Lib. V, 569. — *1248, Febr. 11.*
Berger 3618.

Nobilibus viris H. seniori et H. iuniori comitibus de Kiburch[1].

Ex fidei puritate et integritate devotionis, quibus honoris nostri comprobamini zelatores, F. quondam imperatoris et C. nati eius declinando consortium et parti ecclesie adherendo, dignum providimus, immo debitum arbitramur, ut vos quavis gratie et honoris excellentia tamquam speciales ecclesie filios efferamus. Ut igitur firma stabilique constantia et proposito inconcusso persistatis in ecclesie Romane obsequio, immo verius Iesu Christi, vestris supplicationibus non indignis gratia nec favore vacuis benignius inclinati, vos ab omni fide, fidelitate et obligatione generali vel

[a] homines *R.* [b] predecessores *R.*

[1] *Cf. n. 193.*

speciali, iuramento seu alia firmitate vallatis, quibus prefatis F. et C. quocumque modo vel ex quacumque causa teneamini vel existatis obligati, auctoritate apostolica duximus absolvendos. Nulli ergo etc. nostre absolutionis etc.

Dat. Lugduni, III Idus Februarii, anno V[to].

497.

Innocentius IV papa [Iohanni] episcopo Lausanensi mandat, ut comitibus de Kiburg contra Bernenses aliosque dioecesis suae, qui O[ctaviano] Sanctae Mariae in Via Lata diacono cardinali, apostolicae sedis legato, et militibus eius viam impedierint transeundi et persecutori ecclesiae adhaereant, quotiens requisitus fuerit, potenter assistat.

Inn. IV Reg. Vol. I, 505; Lib. V, 576. *1248, Febr. 12.*
Berger 3625.

.. episcopo Lausanensi.

In tantum iam excrevit plurimorum presumptuosa temeritas superbientium contra ecclesiam matrem suam, immo verius contra Deum, ut omnino spiritu discretionis et rationis carentes velut animalia brutis peiora percurrant propere et incumbant avide in nostras, ecclesie Romane et eorum creatoris[a] iniurias et offensas; quorum superbie colla, ne nimis insaniant aut eorum protervia per amplius invalescat, humiliari convenit, expedit et domari[1]. Cum igitur, sicut dilecti filii nobiles viri H. senior et H. iunior comites de Kyburc nobis exponere curaverunt, de Berna et alii nonnulli homines tue diocesis, erecta cervice contra Deum et ecclesiam eius persecutori assistentes pro viribus et potenter[2], dilecto filio nostro O. Sancte Marie in Via Lata diacono cardinali, apostolice sedis legato, ac militibus procedentibus in subsidium ecclesie devotorum viam impediverint transeundi[3], quod tanto gravius est ferendum, quanto rebellare contra patrem et matrem grandior est offensa, nos, volentes eorum iniquitatis rumpi[b] vinculum et proterviam dampnande temeritatis compesci, mandamus, quatinus predictis comitibus, qui ex animo ecclesie negotium assumpserunt, et eorum nuntiis, quotiens ab eis fueris requisitus, contra Bernenses predictos et alios ecclesie inimicos assistens in potenti brachio et extenso, in omnes illos, qui dictis Bernensibus et aliis communicaverint emendo, vendendo vel modis aliis quibuscumque, excommunicationis sententiam promulgare et eorum terras ecclesiastico interdicto supponere non postponas, ut discant, quam durum sit contra stimulum calcitrare et fatuum erigere cornua contra patrem.

Dat. Lugduni, II Idus Februarii, anno V[to].

a) creatori *R.* b) rupti *R.*

1) *Sub eodem die abbati Sancti Galli mandavit, ut comites a praemissis omnibus penitus absolutos, ubicumque viderit expedire, publice nuntiaret; Berger 3619.* 2) *Cf. n. 494.* 3) *Haec verba cum ep. n. 473 componentes conicimus legatum per terram Aymonis domini de Fulciniaco, ecclesiae devoti [cf. n. 344], et partes meridionales lacus Lemani in vallem Rhodani fl. profectum esse, ubi Bernenses aliique eum impetierint, indeque super montem Sancti Bernhardi magnum in vallem Augustanam descendisse. — Bernenses quoque legatum molestasse papa tum demum audivisse videtur. — Sub Mart. 5 [Henricum] episcopum Sedunensem [Sion in valle Rhodani fl.] rogavit, ut ad requisitionem comitis de Kiburc, qui cum Willelmo rege Romanorum contra Conradum filium Friderici quondam imperatoris eiusque sequaces hostiliter processurus esset, hos Dei et ecclesiae inimicos patenter et potenter expugnaret; Potthast, Reg. 12856; quae ep. in Reg. non exstat. Cum episcopus ille in terram comitis cum exercitu venire facile non posset, hanc ep. et ipsam contra Bernenses et socios eorum scriptam conicimus, qui comiti et parti eius a tergo*

498.

Innocentius IV papa [Henrico III] episcopo Argentinensi ad preces comitum de Kiburc in praesentia sua constitutorum mandat, ut cum Renaudo canonico Argentinensi, fratre Conradi et Henrici dominorum de Tengen, qui subdiaconus existens cuidam viduae aliquamdiu cohabitaverit, dispenset. *1248, Febr. 13.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 506; Lib. V, 579. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit V. Cl. O. de Falke.

Berger 3628.

. . episcopo Argentinensi.

Dilecti filii nobiles viri H. et H. comites de Kiburc proposuerunt in nostra presentia constituti [1], quod Renaudus canonicus Argentinensis, frater nobilium virorum Corradi et Henrici dominorum de Tengen [2], dudum in ordine subdiaconatus existens, cum quadam vidua de facto ut asseritur contraxit et carnali interveniente copula aliquandiu cohabitavit eidem. Qui tandem, ad cor rediens, viduam ipsam a se prorsus abiecit et ad clericalem ordinem est reversus. Quare dicti comites nobis humiliter supplicarunt, ut cum idem canonicus, quem carum habent plurimum et acceptum, tibi in ecclesie negotiis astiterit viriliter et assistat, ac eius fratres nobiles et potentes parati sint nostris parere beneplacitis et opponere se potenter adversariis ecclesie et patenter, cum eo super hoc dispensare de benignitate solita curaremus. Mandamus, quatinus auctoritate nostra dispenses, ut idem canonicus in minoribus ordinibus ministrare valeat, si videris expedire.

Dat. Lugduni. Id. Febr. anno V° [3].

499.

Innocentius IV papa Alexandro canonico Veronensi, nato Albertini de Belude militis Paduani, ad preces [Azzonis] marchionis Estensis et Alberici de Romano confirmat locum et beneficium, quae ei [Iacobus] episcopus Veronensis in ecclesia Veronensi auctoritate mandati apostolici assignaverit. *1248, Febr. 13.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 508; Lib. V, 602. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. O. de Falke.
Berger 3651.

Alexandro canonico Veronensi, nato dilecti filii Albertini de Belude militis Paduani.

Obtentu dilectorum filiorum nobilium virorum . . marchionis Estensis [4] et Alberici de Romano, pro te nobis per suas litteras supplicantium, tibi, quantum cum Deo possumus, favorem et gratiam impertimur. Cum igitur, sicut lecta coram nobis tua

---

imminebant, cum Conradum aggrederetur; cui coniecturae convenit ep. ap. Potthast, Reg. 12978a, per quam papa sub a. 1248, Iul. 13 eidem episcopo confirmavit, quaecunque de possessionibus, quae a rebellibus Guillelmi regis, Friderico quondam imperatori adhaerentibus, in castris, terris et villis de Brogondella [Burgundia minori] et de Guad. [Vaud] Lausanensis diocesis detinerentur, adeptus esset vel in posterum posset adipisci. — Fortasse huius expeditionis causa comites de K. Lugdunum venerunt; cf. n. 493 et 498. De expeditione facta cf. sub Mai. 15.

1) *Cf. n. 493 et 503.* 2) *Ex sept. et occ. castri Hohentwiel. Sub. Febr. 12 papa ad preces Henrici de Tengen, devoti ecclesiae, quandam gratiam fecerat: Berger 3676.* 3) *Sub Mart. 11 eidem episcopo concessit, ut abbati et conventui Sancti Georgii in Nigra Silva [de quibus cf. n. 404], qui per fautores Friderici quondam imperatoris multis iniuriis et gravibus nocumentis affecti essent, facultatem tribueret retinendi per unum annum proventus decem ecclesiarum, in quibus ius patronatus obtinerent; Potthast, Reg. 12858; quae ep. in Reg. non extat.* 4) *Cf. n. 359 et 362 et p. 293, not. 1.*

petitio continebat, venerabilis frater noster .. episcopus Veronensis[1] tibi locum et beneficium in ecclesia Veronensi, si quod tunc vacabat vel quamprimum ibidem vacare contigerit, nostri auctoritate mandati duxerit assignanda, nos, quod ab eodem episcopo provide factum est in hac parte gratum et ratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Lugduni, Idibus Februar. anno V°.

500.

Innocentius IV papa abbati Sanctae Mustiolae de Turri Senensis diocesis mandat, ut electionem episcopi Massani per impressionem potestatis loci eiusdem, fautoris Friderici quondam imperatoris, celebratam irritam decernat. *1248, Febr. 13.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 505; Lib. V, 571.
Berger 3620.

.. abbati Sancte Mustiole de Turri[2] ordinis Vallis Umbrose diocesis Senensis.

Cum, sicut accepimus, ecclesia Massana[3] pastore vacante .. potestas loci eiusdem, F. quondam imperatoris fautor, canonicos eiusdem ecclesie coegerit invitos ad eligendum quendam in eorum episcopum et pastorem, mandamus, quatinus, si est ita, huiusmodi electionem decernens auctoritate nostra irritam et inanem, eisdem canonicis ex parte nostra precipias, ut ad electionem aliquam non procedant, sed mittant aliquos ex seipsis ad presentiam nostram cum pleno mandato faciendi, quod super hoc duxerimus ordinandum, ac decernas auctoritate nostra irritum et inane, si secus super hoc contigerit attemptari.

Dat. Lugduni, Idibus Februarii, anno V°.

501.

Innocentius IV papa P[etrum] Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem, apostolicae sedis legatum, reprehendit, quod per [Henricum] episcopum Constantiensem de Capella et de Maristella ceterisque abbatibus Cisterciensis ordinis indebitam procurationem pecuniariam imposuerit, eique mandat, ut eam exigi de cetero non permittat.

Inn. IV Reg. Vol. I, 507; Lib. V, 594. *1248, Febr. 15.*
Potthast, Reg. 12842; Berger 3613.

P. Sancti Georgii[a] ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

A te venerabilis frater noster Constantiensis episcopus mandatum dicitur recepisse, ut ab ecclesiis et monasteriis sue civitatis et diocesis, tam exemptis quam non

[a] Sancti Georgii *deest R.*

1) *Cf. n. 240.* 2) *E mer. et or. civ. Senensis, prope civ. Montepulciano.* 3) *Scil. Massae Maritimae.*

exemptis, ad opus tuum certam reciperet pecunie quantitatem. Sane dictus episcopus ipsius pretextu mandati dilectis filiis . . de Capella[1] et . . de Maristella[2] ceterisque abbatibus Cisterciensis ordinis predicte diocesis, prout insinuantibus ipsis accepimus, sub pena excommunicationis et etiam depositionis iniunxit, quod sibi nomine tuo certam pecunie summam infra certum terminum solvere procurarent. Cum autem procurationes pecuniarie pro legatis apostolice sedis exigi non soleant ab ordine memorato, mandamus, quatinus ab ipsis huiusmodi pecuniam exigi de cetero non permittens ac revocari faciens, si forte contra ipsos propter hoc in aliquo est processum, cum ad eorum monasteria vel alia ordinis eiusdem accesseris, sis eo contentus, quod legatis de latere Romani pontificis destinatis consuevit in eodem ordine ministrari.

Dat. Lugduni, XV Kal. Martii, anno V°[3].

502.

Innocentius IV papa Rufino de Aramengo ad preces suas concedit, ut castrum Verrucae Vercellensis diocesis, quod de manibus Friderici quondam imperatoris recuperaverit, per decennium et diutius usque ad beneplacitum apostolicum sub custodia sua teneat.

Inn. IV Reg. Vol. I, 506; Lib. V, 587. *1248. Febr. 17.*
Berger 3636.

Nobili viro Rufino de Aramengo castellano castri Verruce[4] Vercellensis diocesis.

Honorem ecclesie promovere sollicitis non sine incursu multiplicis lesionis digne ab apostolica sede illud debet premium provenire, per quod circa ipsam sincere devotionis suscipere gaudeant incrementum. Sane tue nobis tenor petitionis exposuit, quod tu pro recuperando castro Verruce de manibus F. quondam imperatoris, illud olim occupatum per violentiam detinentis, non sine multi effusione sanguinis labores plurimos et expensas gravissimas pertulisti, maxime cum restaurari muros et domos ipsius castri reparari feceris, quas tunc morantes ibidem destruxerant Sarraceni, ac etiam cum te semper pro conservatione ipsius oporteat haberi sollicitum et subire frequentia onera expensarum ad evidens comodum populi Vercellensis et aliorum devotorum ecclesie, qui stratam per castrum ipsum obtinent et salem ac alia necessaria consequuntur[5]. Ceterum devota Deo et ecclesie tua progenies pro tuenda Vercellensis ecclesie libertate se a longis temporibus contra impetus persequentium murum fortitudinis posuerunt, et idem castrum per aliquos ex eadem progenie per multa temporum spatia fuit fideliter conservatum, te ac ipsis propter tante sinceritatis et fidei vestre constantiam predicti F. tale incurrentibus odium, ut assidua vobis sollicitudo immineat de custodia personarum. Cum itaque dignum sit, ut pro tam

1) *Cappel in Kant. Zürich, ex sept. cir. Zug. Sub a. 1247, Iul. 10 papa abbati et conventui de Capella indulserat, ut cum propter sequaces Friderici quondam imperatoris divina officia in monasterio suo secure celebrare non possent, eadem in ecclesia sancti Stephani Turicensis celebrarent; Potthast, Reg. 12607; quae ep. in Reg. non extat. Sub a. 1248, Mart. 25 Willelmus rex eidem monasterio quandam gratiam fecit; Bohmer-Ficker, l. c. 4905.* 2) *Maris stella, i. e Wettingen. Abbas Conradus tum erat.* 3) *Sub Febr. 1 eidem legato mandaverat, ut a gravatione abbatum Cisterciensium se abstineret; Berger 3610.* 4) *Ad Padum fl., e mer. et occ. cir. Vercellensis.* 5) *Cf. Bohmer-Ficker, l. c. 3665.*

claris meritis tibi proveniat premii compensatio condecentis[a], nobilitati tue[b] presentium auctoritate concedimus, ut idem castrum sub tua custodia teneas usque ad decennium et plus etiam, quantum de nostre beneplacito fuerit voluntatis. Ceterum statuimus, ut de expensis, quas olim pro ipso castro fecisti et facies in futurum, tibi satisfactio plenaria impendatur, ac etiam quod[c] sine speciali mandato nostro plenam et expressam faciente de presentibus mentionem infra tempus ipsius custodie nulla in personam tuam et homines ipsius castri pretextu eiusdem custodie excommunicationis et interdicti sententia valeat promulgari, et si forte lata fuerit, nullum robur obtineat firmitatis. Nulli ergo — nostre concessionis et constitutionis etc.

Dat. Lugduni, XIII Kal. Martii, anno V°.

503.

Innocentius IV papa [Iohanni] episcopo Lausanensi ad preces comitum de Kiburc in praesentia sua constitutorum committit, ut ad sedandas inimicitias dispenset cum Iohanne, nato Willelmi de Gomens, ut Isabellam filiam Petri loci eiusdem, non obstante quarta consanguinitatis linea, matrimonialiter sibi copulet. *1248, Febr. 17.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 507; Lib. V, 588. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit V. Cl. O. de Falke.

Berger 3637.

. . episcopo Lausanensi.

Contra fomitem odii et inimicitie causas salubre remedium libenter apponimus, cum inter Christi fideles ex interno cordis affectu vigere pacem et servari concordiam cupiamus. Sane inter dilectum filium Iohannem, natum nobilis viri Willelmi de Gomens[1], ac suos ex una parte et nobilem virum Petrum . .[d] loci eiusdem tue diocesis ex altera capitales inimicitie procurante inimico humani generis prout accepimus sunt exorte, ex quibus timetur multiplex imminere periculum, nisi propere inter ipsos Deo propitio pacis proveniat lenimentum. Cum autem per dilectos filios nobiles viros H. et H. comites de Kiburc in nostra presentia constitutos[2] affectuose nobis fuerit supplicatum, ut discriminis tanti materiam per apostolice pietatis auxilium excludere dignaremur, tue fraternitatis industrie, de qua in Domino fiduciam gerimus specialem, presentium auctoritate committimus, quatinus cum prefato Iohanne, si est una cum suis devotus ecclesie Romane, dispenses, quod Ysabellam filiam dicti Petri sibi matrimonialiter copulare valeat — non obstante quod quarta consanguinitatis linea contingit eandem.

Dat. ut supra.

504.

Innocentius IV papa episcopo Curoniae mandat, ut cum [Wilhelmus] rex Romanorum causam generalis ecclesiae assumpserit, per totum imperium, secundum quod

a) concedentis *R.* b) nos tibi *R.* c) que *R.* d) *lacuna in R. extat, in qua scriba unum verbum, ut videtur cognomen vel nomen gentis Petri eiusdem, postea supplere voluit.*

1) *Goumoens in Kant. Waadt, Distr. Echallens, ex sept. cir. Lausanne.* 2) *Cf. n. 498.*

P[etrus] Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, apostolicae sedis legatus, sibi iniunxerit, in succursum eiusdem regis crucem praedicet. *1248, Febr. 20.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 507—508; Lib. V, 597. Pertzii exemplar contulimus cum Meerman, l. c. t. V, p. 39, n. 37.

Potthast, Reg. 12841; Berger 3646.

. . episcopo Curonie[1].

Licet Terre Sancte negotium sit quam maxime cordi nostro, causa tamen generalis ecclesie tanto propensiori nos cura sollicitat, quanto maius ex ea, nisi quod absit[a] succedat prospere, periculum imminet, cum ad subversionem tam fidei quam ecclesie persecutor Dei et hominum, tenebrarum angelus, continuatis calide[b] fraudis et doli machinis, ad id se totum totaliter immolans, elaboret. Cum igitur carissimus in Christo filius noster . . rex Romanorum illustris causam ipsam assumpserit eique debeatur[c] merito, cum esse debeat advocatus ecclesie ac defensor, nec ad eam prosequendam sufficere valeat per se ipsum, nos, attendentes quod causa ista non est propria sed communis et ad omnes pertinet Christianos, ac volentes eidem regi modis quibus possumus subvenire, mandamus, quatinus per totum imperium, secundum quod dilectus filius noster P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, apostolice sedis legatus, tibi duxerit iniungendum[2], in succursum eiusdem regis predices et predicari facias verbum crucis, illam eis, qui crucem ad succurrendum predicto regi assumpserint, auctoritate nostra peccatorum suorum veniam largiturus, que conceditur crucesignatis transfretantibus in subsidium Terre Sancte.

Dat. Lugduni, X Kal. Martii, anno V[o d].

505.

Innocentius IV papa praeposito et capitulo Basiliensibus intuitu [Henrici III] episcopi Argentinensis mandat, ut Petrum canonicum ecclesiae Lutembatensis, fratrem Wezelonis de Lapide, eidem episcopo pro libertate ecclesiae viriliter assistentis, in canonicum admittant, alioquin [Liutholdum] episcopum Basiliensem mandatum suum super hoc executurum esse.

Inn. IV Reg. Vol. I, 510; Lib. V, 619. *1248, Febr. 25.*

Berger 3668.

. . preposito et capitulo Basiliensibus.

Personam venerabilis fratris nostri . . Argentinensis episcopi, pro ecclesiastica libertate indefesso spiritu laborantis, condigno libenter honore prosequimur, sed in hiis precipue, que cordi suo grata percipimus et ad profectum Romane ecclesie devotorum redundare sentimus. Hinc est, quod nos eius intuitu, qui pro dilecto filio Petro canonico ecclesie Lutembatensis[3], fratre nobilis viri Wezelonis de Lapide[4], sibi pro libertate predicta viriliter assistentis, apostolicam gratiam per affectuosas litteras imploravit, universitatem vestram rogandam duximus et monendam, mandantes quatinus dictum P. pro apostolice sedis et nostra reverentia in fratrem et canonicum admittatis et de prebenda, quamcito se facultas obtulerit, liberaliter provideatis

a) *ita R.* b) *leg.* callide. c) debetur *R.* d) Dat. ut supra *R.*

1) *Hunc fuisse putamus Henricum episcopum Semigalliensem, de quo cf. n. 123.* 2) *Cf. n. 456.* 3) *Lautenbach prope Munster in Gregorienthal.* 4) *Rheingrafenstein e mer. cir. Kreuznach.*

eidem — non obstante si ecclesia vestra certum habeat canonicorum numerum, iuramento seu quacunque firmitate vallatum, sive aliquam indulgentiam, de qua expressam in litteris nostris oporteat fieri mentionem, sive per quam huiusmodi gratia valeat impediri, aut quod idem alias beneficiatus existit, vel si pro aliis in ecclesia ipsa direximus scripta nostra, quibus nolumus etc. —; preces nostras et mandatum taliter impleturi, ut propter hoc oportunis temporibus vobis que sint favoris et gratie compensemus. Alioquin venerabili fratri nostro . . episcopo Basiliensi per litteras nostras iniungimus, ut super hoc mandatum apostolicum exequatur; contradictores etc.

Dat. Lugduni, VI Kal. Martii, anno V°.

506.

Innocentius IV papa Ph[ilippo] de Vicedominis potestati Parmensi confirmat sententiam G[regorii] de Montelongo subdiaconi et notarii, apostolicae sedis legati, qua ad instantiam consilii Parmensis eum ab observatione statutorum civitatis absolverit.

Inn. IV Reg. Vol. I, 511—512; Lib. V, 638. *1248, Mart. 7.*
Berger 3687.

Nobili viro Ph. de Vicedominis potestati Parmensi[1].

Hiis, que pro bono statu civitatis Parmensis fiunt, libenter adicimus apostolici muniminis firmitatem, ut intemerata consistant, cum nostro fuerint presidio communita. Cum igitur, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, dilectus filius G. de Montelongo subdiaconus et notarius noster, apostolice sedis legatus, ad instantiam et supplicationem consilii Parmensis pro bono statu civitatis eiusdem te a iuramento, quod de observandis eius statutis prestitisse dinosceris, duxerit absolvendum, nos, tuis supplicationibus inclinati, absolutionem eandem ratam et gratam habentes ac supplentes defectum, si quis in ea extiterit, de plenitudine potestatis, ipsam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis et suppletionis etc.

Dat. Lugduni, Nonis Martii, anno V°.

507.

Innocentius IV papa Gregorio de Montelongo subdiacono et notario, apostolicae sedis legato, mandat, ut publicet se omnes dotes et promissiones matrimoniales, quas Cremonenses, Friderico quondam imperatori post latam in eum depositionis sententiam fortius quam antea adhaerentes, in civitate sua et extra eam fecerint, irritare.

Inn. IV Reg. Vol. I, 513; Lib. V, 654. *1248, Mart. 9.*
Berger 3703.

1) *Parmenses imperatorem, qui ab a. 1247. Iul. 2 civitatem suam oppugnaverat, nuper, a. 1248, Febr. 18, penitus fugaverant; Böhmer-Ficker, l. c. 3666a. De obsidione et victoria civitatis cf. etiam Potthast, Reg. 12851. 12852. 12882—12884; quae ep. in Reg. non exstant.*

Gregorio de Montelongo subdiacono et notario nostro, apostolice sedis legato[a].

Dignum est et consentaneum rationi, ut hii, qui divino timore ac animarum salute postpositis non verentur ad fortia mittere manus suas, animadversione debita, ut[b] illorum pena ceterorum metus esse valeat, castigentur. Cum igitur comune Cremonense, exceptis quibusdam fidelibus et devotis ecclesie, post latam in Fridericum quondam imperatorem depositionis sententiam eidem fortius quam antea, quodammodo indissolubiliter, inherentes, ecclesiam eiusque devotos dinoscantur immanius persecuti: nos, excessum huiusmodi alias iuxta enormitatem ipsius ulcisci suo tempore intendentes[1], omnes dotes et contractus dotium seu promissiones factas cuiuscumque matrimonii causa per Cremonenses indevotos ecclesie in civitate Cremonensi vel extra, sive in fraudem facte fuerint sive sponte acceptate a partibus, irritamus. Mandamus[c], quatinus premissa omnia sollempniter publices et publicari facias per omnia loca, in quibus videris expedire; contradictores etc.

Dat. Lugduni, VII Idus Martii, anno V°.

508.

Innocentius IV papa eidem mandat, ut publicet se omnes coniurationes, promissiones et feudorum dationes, quas F[redericus] quondam imperator eiusque nati et fautores post latam in eos excommunicationem de bonis devotorum ecclesiae fecerint, irritare.

Inn. IV Reg. Vol. I, 513; Lib. V, 655. — *1248, Mart. 9.*
Berger 3704.

Eidem.

Volentes devotis ecclesie, contra quos ab ipsius persecutoribus processum dinoscitur, paterna sollicitudine subvenire, omnes coniurationes et securitates ac promissiones et feudorum dationes ac assignationes, factas vel faciendas de personis aut bonis eorundem devotorum per F. quondam imperatorem eiusque natos seu quoslibet alios fautores eorum, postquam fuit in ipsum F. et adherentes eidem excommunicationis sententia promulgata[2], de fratrum nostrorum consilio irritamus, districtius inhibentes ne de cetero talia presumantur. Illi vero, qui ad hec dare presumpserint consilium, auxilium vel favorem, excommunicationis sententie se noverint subiacere. Mandamus, quatinus premissa omnia etc. ut supra usque in finem.

509.

Innocentius IV papa eidem mandat, ut in omnibus civitatibus Lombardiae, quae cum F[riderico] quondam imperatore et filiis eius post latam in eos excommunicationem se tenuerint, baptisma parvulorum et sepulturam ecclesiasticam decedentium inhibeat.

Inn. IV Reg. Vol. I, 513; Lib. V, 656. — *1248, Mart. 9.*
Berger 3705.

---

a) Eidem *R.: antecedit n. 514.* b) ac *R.* c) *B.;* mandantes *P.; cf. n. 508.*

1) *Cf. n. 510—513. Fortasse papa speravit, post victoriam Febr. 18 a Parmensibus reportatam Cremonenses extraneos, eodem modo atque anno praeterito Parmenses, civitate sua pulsuros esse.* 2) *A. 1239, Mart. 20.*

Eidem.

Volentes contra contemptores clavium ecclesie ecclesiasticam aggravare censuram, mandamus, quatinus in omnibus civitatibus Lombardie, que tenuerunt se cum F. quondam imperatore vel eius filiis, postquam in ipsum et coadiutores eius fuit excommunicationis sententia promulgata, inhiberi facias baptisma parvulis et decedentibus ecclesiasticam sepulturam, quamdiu eedem civitates in huiusmodi pertinatia perdurarint; statuas tamen extra civitates ipsas locum idoneum, ad quem baptizandi parvuli deferantur, prout videris expedire; contradictores etc.[a]

Dat. ut supra.

510.

Innocentius IV papa eidem mandat, ut omnes, qui F[riderico] quondam imperatori post promulgatam in eum depositionis sententiam adhaeserint, excommunicatos nuntiet.

Inn. IV Reg. Vol. I, 513; Lib. V, 657. *1248, Mart. 9.*
Berger 3706.

Eidem.

Presentium tibi [auctoritate][b] mandamus, quatinus omnes illos, qui F. quondam imperatori vel eius filiis aut parti eorum, postquam in ipsum F. depositionis fuit sententia promulgata[1], presumpserunt adesse vel presumpserint publice vel private, excommunicatos publice nunties et nuntiari facias per omnia loca, in quibus expedire videris, pulsatis campanis et candelis accensis singulis diebus Dominicis et festivis; contradictores etc.

Dat. ut supra.

511.

Innocentius IV papa eidem mandat, ut potestatem, iudices et commune Cremonenses et omnes eos, qui auxilium dederint, ut bona devotorum ecclesiae, qui Cremonensem civitatem exissent, devastarentur, excommunicatos nuntiet. *1248, Mart. 9.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 513—514; Lib. V, 665.
Berger 3714.

G. de Montelongo subdiacono et notario nostro, apostolice sedis legato.

Dignum est et consentaneum rationi etc. ut supra in DCLIIII[o][c] capitulo usque: persecuti, presumpserintque[d] temerario ausu devastare bona illorum, qui civitatem Cremonensem exeuntes eidem ecclesie adheserunt[2]: nos, excessum huiusmodi alias

a) etc. *deest R.* b) auctoritate *deest R.* c) DCLXIII[o] *R.; cf. n. 507.* d) presumpseruntque *R.*

1) *A. 1245, Iul. 17. Papa ad Cremonenses inprimis spectare videtur; nam in omnibus epistolis de iis tum scriptis [n. 507 et 511—513] hic terminus occurrit, cum in n. 508 et 509 loco simili, 'postquam excommunicatio promulgata est', i. e. a. 1239, Mart. 20, legatur; cf. n. 512.* 2) *In epistola, in Reg. non relata, quae 'XII Ian. a. IV' subsignata, 'XII Kal. Ian. a. IV' i. e. a. 1246, Dec. 21 scripta esse videtur, papa Conradum de Caralcabobus et Amatum de Amatis [Cremonenses], cum intellexisset ipsos simul cum familiis de Guazzonibus, de Summis, de Comitibus, de Oldorinis, de Casanova aliisque zelo*

iuxta enormitatem ipsius ulcisci suo tempore intendentes, potestatem, iudices et comune Cremonensium ac omnes illos, qui ut eadem bona devastarentur, dederunt consilium, auxilium seu favorem, excommunicationis sententia de fratrum nostrorum consilio innodamus, a qua absolvi non valeant, nisi prius illis, quorum bona devastata sunt, satisfecerint plenarie de omnibus dampnis et expensis, que noscuntur occasione huiusmodi incurrisse. Mandamus, quatinus premissa omnia sollempniter publices et publicari facias per omnia loca, in quibus videris expedire; contradictores etc.

Dat. Lugduni, VII Idus Martii, anno V°.

512.

Innocentius IV papa devotos ecclesiae civitatis et diocesis Cremonensis cum omnibus bonis, quae a tempore Lugdunensis concilii possederint, sub protectione sua suscipit et omnes sententias per F[ridericum] quondam imperatorem, Enzium natum eius vel potestatem Cremonensem medio tempore contra eos editas irritat. 1248, Mart. 11.

Inn. IV Reg. Vol. I, 514; Lib. V, 666.
Berger 3715.

Universis devotis et amicis ecclesie civitatis et diocesis Cremonensis.

Attendentes fidei vestre constantiam, quam ad apostolicam sedem habere noscimini, et considerantes etiam dampna, que estis huiusmodi occasione perpessi, personas vestras cum omnibus bonis, que a tempore Lugdunensis concilii possidebatis pacifice et quiete aut in futurum iustis modis poteritis adipisci, de fratrum nostrorum consilio sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus, pacta, promissiones[a], pignorationes, obligationes, donationes, refutationes vel quascunque datas hinc inde factas per principales personas seu alias eorum nomine, sententias quoque, banna, confiscationes, statuta, penas, privilegia, si qua contra vos per F. quondam imperatorem vel Hentium natum eius aut . . potestatem Cremonensem vel officiales seu ballivos eorum medio tempore[1] sunt edita seu prolata, irrita penitus nuntiantes. Nulli ergo etc. nostre protectionis et irritationis etc.

Dat. Lugduni, V Idus Martii, anno V°.

513.

Innocentius IV papa [Alberto] Parmensi et [Guillelmo] Regino episcopis mandat, ut cives Cremonenses, F[riderico] quondam imperatori post promulgatam in eum depositionis

a) possessiones *B.*

fidei et devotionis accensos statuisse sese pio affectu sanctae matri ecclesiae unire derelicta tyrannide Friderici quondam imperatoris, volens proinde praedictos eorundemque asseclas speciali favore prosequi, sub apostolicae sedis protectione cum omnibus eorum bonis susceperat; Potthast, Reg. 12395. Exitus ergo Cremonensium ecclesiae devotorum sub finem a. 1246 factus esse videtur; cf. etiam Repertorio dipl. Cremon. p. 252, a. 1247 et 1248, et infra ep. n. 512.

1) *L. c. inde ab a. 1245, Iul. 17. In ep. n. 508 papa generaliter omnes dationes et assignationes, quas Fridericus et fautores eius de bonis devotorum ecclesiae post promulgatam excommunicationem, i. e. a. 1239, Mart. 20, fecerant, irritaverat. Cremonensium ergo, qui tum ecclesiae adhaerebant, aliqui usque ad a. 1245 imperatori favisse et ab eo gratias accepisse videntur, quas papa revocare noluit; cf. sub n. 511 et 510.*

sententiam auxilium praestantes, omnibus feudis ecclesiasticis priveut eaque devotis militibus Cremonensibus conferant. 1248, Mart. 13.

Inn. IV Reg. Vol. I, 513; Lib. V, 658.
Berger 3707.

. . Parmensi et . . Regino[a] electis.

Cum, sicut accepimus, quidam cives Cremonenses F. quondam imperatori post latam in eum depositionis sententiam prestiterint et prestent consilium, auxilium et favorem, nos, nolentes quod tante presumptionis temeritas transeat aliis in exemplum, mandamus, quatinus eosdem cives omnibus feudis, que a monasteriis vel ecclesiis obtinent, perpetuo auctoritate nostra privantes, ea militibus Cremonensibus devotis ecclesie, qui student ipsius ecclesie promovere negotium, conferatis; contradictores etc.

Dat. Lugduni, III Idus Martii, anno V°.

514.

Innocentius IV papa G[regorio] de Montelongo subdiacono et notario, apostolicae sedis legato, mandat, ut in omnibus civitatibus et dioecesibus Lombardiae, marchiae Tervisinae et Romaniolae, quae Friderico quondam imperatori adhaererent, generaliter inhibeat, ne in ecclesiis earum episcopi et alii praelati et clerici eligantur vel recipiantur sine speciali mandato apostolico. 1248, Mart. 13.

Inn. IV Reg. Vol. I, 512—513; Lib. V, 653.
Berger 3702.

G. de Montelongo subdiacono et notario nostro, apostolice sedis legato.

Cum attendimus diligenter et revolvimus in armario cordis nostri, quot et quales persecutiones passa fuerit ecclesia et nos ipsi, qui terrenis et marinis periculis agitati, proprii corporis, immo quasi mortis discrimina subiimus et labores pro quiete fidelium et salute: expediens universali ecclesie, immo propter instantis malitiam temporis necessarium arbitramur, ut tales ad prelaturas, dignitates, honores et alia ecclesiastica beneficia et precipue in Italie partibus assumantur, qui tamquam Deo grati et[b] hominibus placiti[c] et accepti ecclesias suas utiliter et salubriter gubernantes, in fidei puritate, fervore devotionis et rectitudinis zelo Romanam ecclesiam venerentur, ipsius fideliter et constanter assistentes coadiutoribus et devotis. Verum quia illam de tue discretionis providentia[d], que lege regitur et consilio naturali, fiduciam obtinemus, quod mandatum nostrum exequaris more solito fideliter et prudenter: discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus in omnibus Lombardie, marchie Tervisine, Romaniole ac totius legationis tue civitatibus et diocesibus, que adherent aut favent F. quondam imperatori vel eius nuntiis, edicto inhibeas generali et, ubi tibi videbitur, speciali, ne ecclesiarum civitatum et diocesum earundem capitula, conventus, rectores vel clerici conditionis vel ordinis cuiuscumque aliquem in episcopum, archidiaconum, prepositum, abbatem vel alicuius dignitatis prelatum, canonicum, rectorem, clericum, monachum vel conversum sive ad aliquod ecclesiasticum beneficium de cetero eligere, postulare, recipere vel nominare presumant, nisi super hoc a nobis mandatum seu licentiam receperint specialem. Et ut temeraria presumptio

a) Reginensi *B.* b) *B.; et deest P.* c) placidi *P., B.* d) prudentia *B.*

vel presumptuosa temeritas in hac parte nulli profutura sed potius sit nociva, decernas irritum et inane ac nullius penitus esse momenti, quicquid super hiis contra inhibitionem tuam fuerit attemptatum, penam debite ultionis huius[a] rei transgressoribus nichilominus inflicturus[1].

Dat. Lugduni, III Idus Martii, anno V°.

515.

Innocentius IV papa [Bertholdo] abbati Sancti Galli ad preces suas et comitis de Habsburc, devoti ecclesiae, mandat, ut Waltero de Rotembere clerico, consanguineo suo, in beneficio ecclesiastico provideat. *1248, Mart. 14.*

Inn. IV Reg. Vol. I. 512; Lib. V, 644. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. O. de Falke. Berger 3693.

. . abbati Sancti Galli Constantiensis diocesis.

Ad illorum provisionem potissime promptos esse nos convenit, qui et propriis meritis et devotorum ecclesie precibus adiuvantur. Sane dilectum filium Walterum de Rotembere clericum, consanguineum tuum, tum dono scientie ac nobilitate morum et generis, qua idem clericus pollere dinoscitur, tum etiam obtentu tui et dilecti filii nobilis viri comitis de Habspurc[2], devoti nostri, nobis pro eo supplicantium, cupientes prosequi gratia et favore, mandamus, quatinus eidem clerico in ecclesiastico beneficio, prebendali seu alio, competenti provideas vel provideri facias, si vacat ad presens vel quam primum obtulerit se facultas, ubi videris expedire, — non obstante[b] quod idem clericus alias beneficiatus existit, vel si in loco, in quo sibi duxeris providendum, sit statutum de certo canonicorum numero iuramento sive alia firmitate vallato, aut si direximus scripta nostra pro aliis, quibus nolumus etc. usque: generari, aut aliqua sedis apostolice indulgentia, per quam possit retardari effectus nostre gratie seu etiam impediri et de qua specialem in nostris litteris oporteat fieri mentionem; contradictores etc.

Dat. Lugduni, II Idus Martii, anno V°[3].

516.

Innocentius IV papa Bertoldo de Ortingen clerico ad preces suas et E. de Eichem et E. nati eius, devotorum ecclesiae, confirmat ecclesiam de Rota, quam abbas Campido-

a) huiusmodi *B.* b) *an* non obst. non obstantibus?

1) *Cf. n. 240 et 241.* 2) *Scil. Rudolfi senioris, de quo cf. n. 424. Nepotem eius, Rudolfum postea regem, Friderico favisse sub a. 1247, Iun. 3 [cf. n. 379] et a. 1249, Febr. 1 [cf. Potthast, Reg. 13192] legimus.* 3) *Sub Febr. 17 eidem abbati Sancti Galli concesserat, ut, cum clericis, filiis ministerialium et cassallorum et amicorum suorum sibi in negotiis ecclesiae assistentium, de beneficiis respondere non posset, gravatus non modicum super aliorum provisionibus, per litteras generales ad provisionem alicuius compelli non posset; Berger 3641. Sub Febr. 20 eidem indulserat, ut in eum interdicti, suspensionis vel excommunicationis sententiae promulgari non possent sine sedis apostolicae mandato speciali; Berger 3688, cf. 3689.*

nensis, postquam Henricus quondam rector a P[etro] cardinali legato ea privatus sit, sibi canonice contulerit. *1248, Mart. 15.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 517; Lib. V, 703. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. O. de Falke. Berger 3752.

Bertoldo de Ortingen clerico.

Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam ecclesiam habere dinosceris, nos inducit, ut tibi[a] favorem et gratiam, quantum cum Deo possumus, impendamus. Cum igitur, sicut tua petitio nobis exhibita continebat, dilectus filius . . abbas monasterii Campidonensis[1] ordinis sancti Benedicti Constantiensis diocesis vacantem ecclesiam de Rota cum suis pertinentiis, qua Henricus quondam rector ipsius fuit exigentibus culpis suis auctoritate dilecti filii nostri P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, apostolice sedis legati, privatus, tibi, prout spectabat ad eum, canonice contulisset: nos, tam tuis precibus quam consideratione dilectorum filiorum nobilium virorum E. de Eichem[2] et E. nati sui, nostri ac Romane ecclesie devotorum[3], quorum existis notarius, pro te supplicantium nobis inducti, quod a supradicto abbate provide factum est, gratum et ratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc.

Dat. Lugduni, Idibus Mart. anno V°.

517.

Innocentius IV papa decano et capitulo Osnaburgensibus ad preces [Engelberti] episcopi Osnaburgensis et Ottonis de Tekelenburg et Henrici de Aldenburg comitum et Wicholdi de Holte, devotorum ecclesiae, mandat, ut Weseelum clericum in canonicum recipiant. *1248, Mart. 16.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 511; Lib. V, 667. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. O. de Falke. Berger 3716.

. . decano et capitulo Osnaburgensibus.

Sincere devotionis affectus, quem venerabilis frater noster . . Osnaburgensis episcopus et dilecti filii nobiles viri Octo de Thekeneburg[b][4], Henricus de Aldeburg[c][5] comites et Wicholdus de Holte[6] ad personam nostram et Romanam gerunt ecclesiam, nos inducit, ut eorum precibus, quantum[d] cum Deo possumus, annuamus. Hinc est, quod nos, ipsorum supplicationibus inclinati, universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, mandantes quatinus dilectum filium Weseelum clericum, nullum ut asserit ecclesiasticum beneficium assecutum, de quo nobis laudabile testimonium perhibetur, ob reverentiam apostolice sedis et nostram recipiatis in canonicum et in fratrem, prebendam, quam cito se facultas obtulerit, sibi liberaliter conferentes,

a) quantum cum Deo possumus *etiam hoc loco sequitur.* b) Thekeneburḡ *R.* c) Aldeburg *R.* d) quatū *R.*

1) *Fortasse hic idem abbas Camp. fuit, qui a. 1246, Iul. 25 excommunicatus et suspensus ad sedem apostolicam citatus erat [cf. p. 153, not. 2], scil. Hartmannus III; cf. Gallia Christ. t. V, p. 996.* 2) *Illerrichen prope Iller fl., ex sept. cir. Memmingen; ita corr. etiam p. 261, not. 2.* 3) *Sub Mart. 6 papa consideratione eorum cum Waltero de Rotimbere clerico [de quo cf. n. 515], 'qui nepos eorum esset', super pluralitate beneficiorum dispensaverat; Berger 3722.* 4) *Cf. n. 222.* 5) *Cf. n. 476.* 6) *E mer. et or. cir. Osnabrück.*

— non obstante[a] certo canonicorum numero statuto, iuramento, confirmatione sedis eiusdem seu quacumque firmitate vallato, vel si pro aliis vobis direximus scripta nostra, quibus nolumus etc. usque: generari, aut si vobis a dicta sede indultum existat, quod ad receptionem sive provisionem non teneamini alicuius, vel quod interdici aut suspendi seu excommunicari per litteras apostolicas non possitis, nisi de indulgentia huiusmodi expressam faciant mentionem, sive qualibet alia, per quam huiusmodi gratia impediri valeat vel differri. Alioquin predicto episcopo litteris nostris iniungimus, ut vos ad id monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellat.

Dat. Lugduni, XVII Kal. Aprilis, anno V°[1].

518.

Innocentius IV papa abbati Murbacensi ad preces R[udolfi] comitis Novicastri et H[enrici] domini de Harguel, devotorum ecclesiae, mandat, ut Warnero canonico saecularis ecclesiae monasterii Grandisvallis, cuius consanguinei sedi apostolicae sint devoti, in monasterio Lucernensi, immediate sibi subiecto, de praebendali beneficio provideat.

1248, Mart. 20.

Inn. IV Reg. Vol. I, 515; Lib. V, 687. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. O. de Falke. Berger 3736.

. . abbati monasterii Marbacensis[b] ordinis sancti Benedicti, Basiliensis diocesis.

Ad paterne benignitatis spectat officium, ut cum favore annuat iustis desideriis filiorum, illo tamen studio dispensationis assumpto, ut quem perspexerit potiorem meritis, prosequatur dono gratie plenioris. Sane dilectus filius Warnerus canonicus secularis ecclesie monasterii Grandisvallis, cuius consanguinei sedi apostolice sunt devoti, ut asseritur, honestatis et scientie meritis suffragari dicitur, quod per nos foveri gaudeat benivolentia gratiosa. Nos itaque propter hoc ac etiam intuitu dilectorum filiorum nobilium virorum R. comitis Novicastri[2] et H. domini de Hargnel[3], devotorum nobis et Romane ecclesie, qui per speciales litteras apostolicam pro ipso gratiam implorarunt, devotionem tuam rogamus et monemus attente, mandantes quatinus dicto canonico pro apostolice sedis et nostra reverentia in monasterio Lucernensi, tibi prout asseritur immediate subiecto, de prebendali beneficio competenti spectante ad collationem tuam, quod clericis consuevit secularibus assignari, quam cito se facultas obtulerit, si nondum alibi pro ipso scripsimus, liberaliter providere procures — non obstante[a], si tibi pro aliis scripta nostra direximus, quibus etc. usque: generari, sive aliqua indulgentia, de qua in litteris nostris etc. usque: mentionem. Alioquin . . abbati Bellelagie[4] Basiliensis diocesis per litteras nostras iniungimus, ut ipse super hoc mandatum apostolicum exequatur; contradictores etc.

Dat. Lugduni, XIII Kal. Aprilis, anno V°.

a) *an* non obst. = non obstantibus?   b) *leg.* Murbacensis.

1) *Sub Apr. 1 episcopo Osnaburgensi scripsit quosdam aemulos et indevotos, 'quorum aliqui essent fautores hostium ecclesiae seu consanguinei fautorum ipsorum, se devotos sedi apostolicae mentientes, super provisione sua in civitate vel diocesi Osnab. apostolicas litteras impetrasse', eique mandavit, ut talibus nullam provisionem faceret, et quam forsan fecisset, revocaret; Berger 3777; cf. etiam 3845.*   2) *Cf. n. 413.*   3) *Erguel, Arguel in Helvetia, ex occ. civ. Biel.*   4) *Bellelay prope civ. Munster in montibus Iurae Bernensis.*

519.

Innocentius IV papa [Conrado] archiepiscopo Coloniensi ad preces Adolfi comitis de Monte, sororii eius, mandat, ut magistrum Gerlacum canonicum Osnaburgensem, qui propter merita sua et devotionem consanguineorum suorum gratia dignus sit, in ecclesia Frizlariensi in canonicum recipi faciat. 1248, Mart. 23.

Inn. IV Reg. Vol. I, 515; Lib. V, 685. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. O. de Falke. Berger 3734.

. . archiepiscopo Coloniensi.

Per studia laudabilis conversationis et vite dilectus filius magister Gerlacus canonicus Osnaburgensis se dignum reddere dicitur, ut a benignitate sedis apostolice, benemeritis affectum exhibere benivolum delectantis, specialem gratiam consequatur. Hinc est, quod nos, intuitu meritorum huiusmodi et optentu consanguineorum suorum, prout accepimus promovere studentium apostolice sedis honorem, ac etiam contemplatione dilecti filii nobilis viri Adolfi comitis de Monte, sororii tui[1], qui pro dicto magistro, devoto suo, affectuosas preces nobis direxit per litteras speciales, mandamus, quatinus ipsum in ecclesia Frizlariensi Maguntine diocesis auctoritate nostra in canonicum et fratrem recipi ac de prebenda, quam cito se facultas obtulerit, sibi auctoritate nostra provideas vel facias provideri — non obstante si ecclesia ipsa certum habeat canonicorum numerum, iuramento seu quacumque firmitate vallatum, sive aliquam indulgentiam, de qua plenam aut expressam in litteris nostris oporteat fieri mentionem, sive pro aliis in eadem ecclesia scripta nostra direximus, quibus etc. usque: generari —: contradictores etc.

Dat. Lugduni, X Kal. Aprilis, anno V°.

520.

Innocentius IV papa [Henrico III] episcopo Argentinensi scribit, se ei pridem commisisse, ut si cives Basilienses ad mandatum ecclesiae et [Wilhelmi] regis Romanorum redire velint, eis, quamdiu [Liutholdus] episcopus Basiliensis impotens vel remissus fuerit, B[ertholdum] praepositum Grandivallensem defensorem et capitaneum concedat, sed nunquam, ut idem coadiutor episcopi fiat, intentionis suae fuisse; mandat ei, ut episcopum, si sufficiens habeatur, de negotiis suis libere disponere et civibus capitaneum et defensorem esse permittat. 1248, Mart. 24.

Inn. IV Reg. Vol. I, 519—520; Lib. V, 732. Pertzii exemplar contulimus cum Meerman, Geschied. van Willem van Holland t. V, p. 40, n. 38.
Potthast, Reg. 12874; Berger 3780.

. . episcopo Argentinensi.

Intellecto pridem quod cives Basilienses sub certa forma redire vellent ad mandatum ecclesie et carissimi in Christo filii nostri . . regis Romanorum illustris, tibi direxisse dicimur nostras litteras inter alia continentes, ut dilectum filium B. prepositum Grandivallensem[2] canonicum Basiliensem, quamdiu venerabilis frater noster . .

1) *Uxor eius Margarita, filia Lotharii de Hostaden, soror Conradi archiepiscopi erat. — De Adolfo cf. etiam duas chartas Willelmi regis ap. Bohmer-Ficker, l. c. 4912 et 4913 et ib. 4932.* 2) *De hoc cf. n. 413 et Berger 3331.*

Basiliensis episcopus esset impotens aut negligens vel remissus, predictis civibus in defensorem aut capitaneum auctoritate nostra concedens, ipsis ex parte nostra promitteres, quod eos, si iuxta tenorem litterarum ipsarum redirent ad mandatum ecclesie et in eius devotione persisterent, super eo quod domum eiusdem episcopi destruxerunt[1], servari faceremus indempnes, nec permitteremus eos super hoc ab eodem episcopo vel aliquo alio molestari[2]. Sane nunquam propter hoc nostre intentionis extitit vel existit, quod idem prepositus prefati episcopi esset in aliquo coadiutor, maxime cum ipse super hiis, que spectant ad honorem Dei et exaltationem ecclesie ita patenter sollicitus et efficax sit inventus, quod ei non competit alicuius coadiutoris auxilium, quamdiu ad executionem cure sibi credite sufficit per se ipsum. Propter hoc autem digne volumus et fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus, si dictus episcopus quocumque modo ad executionem huiusmodi sufficiens habeatur, ipsum de iminentibus sibi negotiis pro sua disponere[a] voluntate permittas et affectu sincero iuxta morem super illis, cum oportunum fuerit, assistas eidem. Ceterum, si idem episcopus est per Dei gratiam, prout asseritur, ita convalescentie restitutus, ut prefatis civibus esse possit capitaneus et defensor, disponas cum preposito memorato, quod de huiusmodi defensione ac de aliis, que spectant ad ipsum episcopum, se de cetero nullatenus intromittat; contradictores autem, si qui fuerint vel rebelles, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescas — nullis litteris obstantibus a sede apostolica impetratis vel etiam impetrandis, que de presentibus plenam non fecerint mentionem.

Dat. Lugduni, VIIII Kal. Aprilis, anno V°[3].

521.

Innocentius IV papa [Henrico] episcopo Constantiensi mandat, ut magistrum Fridericum, notarium F[riderici] quondam imperatoris, ecclesia de Uberlingen privet eamque Eberhardo praeposito Sancti Stephani Constantiensis, nepoti suo, conferat.

Inn. IV Reg. Vol. I, 517; Lib. V, 702. *1248, Mart. 28.*
Berger 3751.

. . episcopo Constantiensi.

Cum, sicut accepimus, magister Fridericus notarius F. quondam imperatoris, rector ecclesie de Uberlingen[4], eidem F. faveat manifeste: quia idem ex hoc beneficio ecclesiastico indignum se reddit, mandamus, quatinus, si est ita, ipsum ecclesia privans eadem, ipsam dilecto filio Eberhardo preposito Sancti Stephani Constantiensis, nepoti tuo[5]. — non obstante quod alias beneficiatus existit —, auctoritate nostra conferas et assignes ipsumque in corporalem eiusdem ecclesie possessionem inducas et tuearis inductum; contradictores etc.

Dat. Lugduni, V Kal. Aprilis, anno V°[6].

---

a) disponeret *R.*

1) *Cf. n. 415.* 2) *Haec ep., in qua praeterea de 'electione consulum et iudicum, advocatia et quibusdam aliis' scriptum erat, neque in Reg. neque alibi conservata est. Ea aliquanto tempore ante exarata videtur, nam sub Mart. 30 papa civibus Basil., 'eorum supplicationibus inclinatus, quicquid episcopus Argentinensis super his iuxta ipsarum litterarum tenorem ordinavit vel statuit', confirmavit; cf. n. 523.* 3) *Sub. Mart. 26 papa episcopum Basiliensem de hac epistola scripta certiorem fecit; Berger 3781; Potthast, Reg. 12875; cf. n. 525.* 4) *Uberlingen ad lacum Bodensee.* 5) *De eo cf. etiam Berger 3187. De Peregrino praeposito Constantiensi, fratre episcopi, cf. Berger 3750, 3913, 3914.* 6) *Sub Febr. 10 papa episcopo Constant. facultatem concesserat statuendi, ut nisi cives Constantienses et*

522.

Innocentius IV papa civibus Basiliensibus, cum ad devotionem ecclesiae persecutore eius derelicto redierint, varias indulgentias largitur. *1248, Mart. 30.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 518 et 523; Lib. V, 713, 714, 764.
Berger 3761, 3762, 3812.

I.

Civibus Basiliensibus.

Consuevit sedes apostolica precibus condescendere devotorum [et][a] eis interdum facere gratiam specialem. Vestris itaque supplicationibus inclinati, ut malefactores seu debitores vestros super incendiis, spoliis, debitis et rebus aliis coram ecclesiastico iudice libere convenire possitis, auctoritate vobis presentium indulgemus, presentibus post biennium minime valituris. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, III Kal. Aprilis, anno V°.

II.

Eisdem.

Cum ad devotionem ecclesie ac mandatum redieritis, persecutore ipsius penitus derelicto, votis vestris libenter annuimus et petitiones vestras, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus. Vestris itaque supplicationibus inclinati, ut secundum statutum civitatis vestre super bonis, que per annum et diem bona fide possederitis, annalis inter presentes prescriptio currat, auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli etc. nostre concessionis etc.

Dat. ut supra[1].

III.

Civibus Basiliensibus.

Cum ad devotionem ecclesie derelicto persecutore illius redieritis tamquam viri catholici et fideles, nos, intendentes [vos][b] ob hoc universos et singulos gratia prosequi et favore, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut extra civitatem vel districtum Basiliensem in causam trahi usque ad quinquennium per litteras apostolicas non possitis. Nulli etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, III Kal. April. anno V°.

Datus est eis super hoc . . abbas de Weetingen Cisterciensis ordinis Constantiensis diocesis conservator sub eadem data.

---

a) et *deest R.; fortasse plus excidit.* b) vos *deest R.*

aliarum civitatum diocesis suae Friderico et Conrado nato eius adhaerentes infra mensem ad ecclesiae mandatum redierint, nullus de ipsorum progenie ad clericatus ordinem de cetero admitteretur. Sub Febr. 18 praelatis Constant. civitatis et diocesis mandaverat, ut sententiam episcopi Constant. latam in consules et cives Constant., quod statuta quaedam fecissent in praeiudicium libertatis ecclesiasticae, publicarent et executioni mandarent: Potthast, Reg. 12838a et 12843a; quae ep. in Reg. non extant. Cf. etiam n. 339 et 538 I et Berger 2664. — Sub Febr. 6 episcopum ab omnibus excommunicationum sententiis absolverat ad cautelam; Berger 3595; cf. etiam 3897 et 3898.

1) *Sub eodem die abbati de Wettingen mandavit, ne eos super his indultis indebite molestari permitteret; Berger 3763.*

523.

Innocentius IV papa civibus Basiliensibus ad preces eorum confirmat, quidquid [Henricus III] episcopus Argentinensis super destructione domus episcopalis, electione consulum et iudicum, advocatia aliisque rebus ex mandato apostolico ordinaverit.

Inn. IV Reg. Vol. I, 523; Lib. V, 765. *1248, Mart. 30.*
Berger 3813.

Eisdem.

Licet ea, que de mandato nostro fiunt, plenam in se habeant firmitatem, ut tamen sint in suo robore firmiora, ipsa libenter apostolico fulcimus munimine, ut intemerata consistant, cum nostro fuerint presidio communita. Cum igitur venerabili fratri nostro . . episcopo Argentinensi super destructione domus venerabilis fratris nostri . . episcopi Basiliensis, electione consulum et iudicum, advocatia et quibusdam aliis sub certa forma direxerimus scripta nostra, nos, vestris supplicationibus inclinati, quicquid idem episcopus Argentinensis super hiis iuxta ipsarum litterarum tenorem ordinavit vel statuit, ratum et gratum habentes auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus[1]. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc.

Dat. ut supra.

Datus est eis super hiis conservator . . abbas de Wectingen Cisterciensis ordinis Constantiensis diocesis sub eadem data.

524.

Innocentius IV papa [Conrado] abbati de Wettingen mandat, ut civibus Basiliensibus, cum ad mandatum ecclesiae redierint, iura et consuetudines antiqua illaesa servari faciat. *1248, Mart. 30.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 523; Lib. V, 766.
Berger 3814.

. . abbati de Wectingen Cisterciensis ordinis Constantiensis diocesis.

Cum dilecti filii cives Basilienses ad devotionem ecclesie derelicto persecutore ipsius redierint tanquam viri catholici et fideles, nos, intendentes ipsos ob hoc gratia prosequi et favore, mandamus, quatinus iura et consuetudines ipsis ab antiquo debita illesa facias auctoritate nostra servari; contradictores etc.

Dat. ut supra.

525.

Innocentius IV papa [Henrico III] episcopo Argentinensi scribit sibi placere, ut se ad coadiutorem [Liutholdo] episcopo Basiliensi dandum et capitaneum seu defensorem

---

1) *Cf. n. 520. Papa sub Mart. 31 ad preces 'nobilis viri advocati Basiliensis', sub Apr. 7 ad preces 'advocati, consulum, rectorum universitatisque civium Basil.' et sub Apr. 13 ad preces 'episcopi Argentinensis et consulum et civium Basil.' quasdam gratias fecit; Berger 3811, 3820 et 3821.*

civibus Basiliensibus concedendum procedat, de his [Bertholdo] preposito Grandivallensi provideat. *1248, Mart. 31.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 522; Lib. V, 757.
Berger 3805.

. . episcopo Argentinensi.

Cum tibi super dando coadiutore venerabili fratri nostro . . episcopo Basiliensi ac concedendo capitaneo seu defensore civibus Basiliensibus diversas litteras dirigamus, et ad hec dilectus filius . . prepositus Grandivallensis propter suam nobilitatem [1], industriam et potentiam idoneus reputetur, videtur nobis expedire ac placet, quod de ipso ad premissa, si ad ea processurus es, debeas providere, maxime cum illius terre nobilibus ac prefatis civibus gratus sit et velit et possit una cum eis ecclesie negotium et viriliter et utiliter promovere [2].

Dat. Lugduni, II Kal. April. anno V°.

526.

Innocentius IV papa eidem mandat, ut si [Liutholdo] episcopo Basiliensi coadiutor sit necessarius, ei de aliquo idoneo provideat. *1248, Mart. 31.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 522; Lib. V, 758.
Berger 3806.

Eidem.

Gerentes de circumspectione tua fiduciam in Domino pleniorem, mandamus, quatinus diligenter attendens, si venerabili fratri nostro . . episcopo Basiliensi sit necessarius coadiutor, tu ei auctoritate nostra de idoneo coadiutore provideas, qui sit devotus ecclesie ac possit ac velit eiusdem negotium, quod imminet, utiliter promovere; contradictores etc.

Dat. ut supra.

527.

Innocentius IV papa eidem mandat, ut si cives Basilienses capitaneum vel defensorem habere voluerint, et [Liutholdus] episcopus Basiliensis ad hoc officium exequendum inutilis sit, eis devotum aliquem et potentem concedat. *1248, Mart. 31.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 522; Lib. V, 759.
Berger 3807.

Eidem.

De circumspectione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus, quatinus si cives Basilienses pro bono statu ecclesie ac civitatis et diocesis Basiliensis voluerint capitaneum vel defensorem habere et venerabilis frater noster episcopus Basiliensis sit adeo impotens, negligens vel remissus, quod ad predicta sit inutilis exe-

1) *Bertholdus frater Ulrici comitis de Ferreto erat.*

2) *Hanc ep., quia cum n. 520 minime concinit, secretam fuisse putamus et per eam episcopum Argent. instructum esse, quid papa fieri vellet, si episcopus Basil. 'negligens vel remissus' esset; cf. infra sub Apr. 12 et 14. Etiam ipsa instrumenta, per quae episcopus Argent., si necesse esset, de iure procedere posset, ei simul missa sunt, n. 526 et 527; quae et ipsa in publicam notitiam tum venire sine dubio non debebant; cf. n. 539 et N. A. t. X, p. 565.*

quenda, tu eis auctoritate nostra concedas aliquem devotum ecclesie ac potentem, qui velit et valeat ipsos defendere ac ipsorum et ecclesie negotium utiliter promovere, cui, consideratis eius laboribus et expensis, de bonis episcopatus et ecclesiarum, que collegiate sunt, et aliarum civitatis et diocesis Basiliensis auctoritate nostra provideri facias, prout decuerit et videris[a] expedire; contradictores etc.

Dat. ut supra[1].

528.

Innocentius IV papa Praefecto Urbis, Petro Bonifatii et aliis Praefectanis Bledam et Vicum et alia castra, quibus a capitaneis Friderici quondam imperatoris spoliati fuerint, restituit, concedens ut possessionem eorum, quam cito possint, ingrediantur.

Inn. IV Reg. Vol. I, 526; Lib. V, 804. *1248, Mart. 31.*
Berger 3852.

Nobilibus viris . . prefecto Urbis, Petro Bonifatii et aliis Prefectanis[2].

Apostolice sedis providentia consueta subditorum merita sollertis deliberationis examine discutit, et que rationis iudicio potiora diffinit, premiorum remunerat retributione maiorum, uberioribus illa prosequendo favoribus et beneficiis plenioribus attollendo. Hinc est, quod cum vos etc. ut supra in CXIII capitulo[b] usque: procurare, vestris supplicationibus inclinati, Bledam[3], Vicum[4] et alia castra vestra cum dominio, iuribus, honoribus eorundem omnibusque aliis pertinentiis, quibus omnibus capitanei Friderici quondam imperatoris vos, pro eo quod contra ipsum eidem adheretis ecclesie, spoliarant, vobis vestrisque successoribus, sicut ea hactenus habuistis, restituimus de gratia speciali, tenore vobis presentium concedentes, ut predictorum omnium possessionem, quamcito facultatem habueritis, libere ingredi valeatis. Nulli etc. nostre restitutionis et concessionis etc.

Dat. Lugduni, II Kal. Aprilis, anno V°.

529.

Innocentius IV papa [Gentili] abbati Farfensi mandat, ut Gualtero clerico plebis de Vado Faesulanae diocesis, qui una cum suis a Friderici fautoribus pro devotione ecclesiae multis molestiis oppressus sit, ecclesiam sanctae Felicitatis de Augusta Tiburtinae diocesis conferat. *1248, Mart. 31.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 530; Lib. V, 822. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. O. de Falke.
Berger 3870.

---

a) viderit *E.* b) *haec ep. ap. Berger 3162 integra non praebetur; sed verba sine dubio eadem fuerunt atque supra in n. 300.*

1) *Sequuntur in Reg. tres ep., sub eodem die episcopo Argentinensi, abbati de Wettingen et episcopo, praeposito et capitulo Basiliensibus directae, in favorem Werneri conversi monasterii de Wettingen scriptae, 'qui in promovendo ecclesiae negotio laboret utiliter et prudenter' et ob id 'multorum incurrerit odia'; Berger 3808, 3809, 3810; de eodem Wernero cf. 3612 et 3797.* 2) *Cf. n. 334.* 3) *E mer. cir. Vetralla.* 4) *Inter cir. Cività Castellana et Viterbo.*

. . abbati Farfensi.

Iusta desideria devotorum affectu benigno prosequi delectamur, sed illorum precipue quos pretextu ecclesiastice libertatis sentimus dispendia pertulisse. Cum itaque dilectus filius Gualterus clericus plebis de Vado Fesulane diocesis una cum suis a Friderici fautoribus pro fide ac devotione, quam circa Romanam gerunt ecclesiam, multis et diversis molestiis prout accepimus sit oppressus[1], nos, digne volentes quod ipse benignitatem apostolicam invenisse sibi gaudeat gratiosam, mandamus, quatinus eidem ecclesiam sancte Felicitatis de Augusta Tiburtine diocesis, si, prout asseritur, de iure vacat ad presens, amoto ab ea quolibet illicito detentore, auctoritate nostra conferre et assignare procures, faciens eum pacifica possessione gaudere, — non obstante aliqua indulgentia sedis apostolice, per quam huiusmodi gratia impediri valeat vel etiam retardari —; contradictores etc.

Dat. Lugduni, II Kal. Aprilis, anno V°[2].

530.

Innocentius IV papa R[aynerio] Sanctae Mariae in Cosmidin diacono cardinali, apostolicae sedis legato, mandat, ut iis de Romaniola, qui ad gremium ecclesiae redire cupiant, super relaxandis excommunicationis sententiis provideat, sicut viderit expedire.

Inn. IV Reg. Vol. I, 557; Lib. V, cur. 50. *1248, Apr. 2.*
Berger 4100.

R. Sancte Marie in Cosmidin diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Spiritu consilii et pietatis nunc[a] potissime duci videtur ecclesia, quando ad id sue dirigit providentie[b] studium, per quod animarum salus et libertatis ecclesiastice proveniat incrementum. Cum itaque nonnulli de Romaniola, prout accepimus, a iugo servitutis eripi et redeundo ad gremium sedis apostolice libertatis gaudio cupiant confoveri, nos, de tua probata circumspectione confisi, presentium tibi auctoritate committimus, ut super relaxandis excommunicationum sententiis, quas persone huiusmodi adherendo inimicis ecclesie seu quascumque alias incurrerunt, et remittendis offensis universis et singulis, quas intulerunt eidem, libere provideas, sicut ipsorum saluti et honori eiusdem ecclesie videris expedire. Nos enim ratum et firmum habebimus, quicquid super hiis duxeris faciendum[3].

Dat. Lugduni, IIII Non. April. anno V°.

---

a) nunc *deest B. an* tunc? b) prudentie *P.*

1) *Haec quoque ad res civitatis Florentinae spectare videntur; cf. p. 325, not. 2.* 2) *Sub Mai. 11 papa 'Gualtero de Vado clerico, familiari nobilis viri Pandulfi de Colle Alto, ecclesiae devoto', vacantem ecclesiam sanctae Mariae de Marcianello Tiburtinae diocesis, amoto ab ea quolibet illicito detentore, conferri iussit; Berger 3873.* 3) *'Interea [i. e. a. 1248, Ian. et antea] civitates Romagne, scilicet Ymola, Ravena [Mai. 6; Bohmer-Ficker, l. c. 3698a], Faventia [cf. infra sub Apr. 6], Ariminum, Furlinum [Forli], Furnipopulum [Forlimpopoli], Cesena, de consensu Tomarii de Marcu [Materia], Apulie vicarii et comitis pro imperatore illarum partium, domno Octaviano [cardinali legato] se tradiderunt, imperatori rebellantes. Preterea civitates vallis Spoleti cardinali Raynerio se tradiderunt'; Ann. Placent. Gib. a. 1248, SS. t. XVIII, p. 497.*

531.

Innocentius IV papa domino de Aucheim [Aicheim] Augustensis diocesis indulget, ut ea, quae de bonis Conradi filii F[riderici] quondam imperatoris occupaverit, libere retineat. *1248, Apr. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 520; Lib. V, 739.
Berger 3787.

Nobili viro domino de Aucheim[a1] Augustensis diocesis.

Cum pro ecclesiastica libertate ac fide catholica defendenda, quam Corradus filius F. quondam imperatoris et ecclesie inimicus vinculo excommunicationis astrictus impugnat, cum E. nato tuo et quibusdam aliis tibi adherentibus resistendo sibi viriliter, quedam de bonis suis occupasse dicaris: ut ea bona salva conscientia libere valeas retinere, tuis devotis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, Nonis April. anno V°.

532.

Innocentius IV papa abbati Sancti Iohannis Parmensis mandat, ut archipresbyterum plebis Sancti Vincentii, natum Iacobi Veltri de Valvisneria, arcem eiusdem loci et terras alias, quae pro communi Parmensi in eorum montanis tenentur, conservantis, in aliqua ecclesiarum cathedralium Lombardiae, Parmensi, Ianuensi, Regina et Placentina exceptis, recipi faciat in canonicum. *1248, Apr. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 520; Lib. V, 737. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. O. de Falke.
Berger 3785.

. . abbati Sancti Iohannis Parmensis.

Cupientes proni ad gratiam inveniri etc. ut supra[b] usque: vendicare. Hinc est, quod pro dilecto filio . . archipresbytero plebis Sancti Vincentii, nato dilecti filii nobilis viri Iacobi Veltri[c] de Valvisneria[2], arcem eiusdem loci et terras alias, que pro communi Parmensi in eorum montanis tenentur, ad honorem Dei et ecclesie non sine magnis expensis et laboribus conservantis[3], mandamus, quatinus ipsum in aliqua ecclesiarum cathedralium Lombardie, Parmensi, Ianuensi, Reginensi et Placentina exceptis, auctoritate nostra recipi faciens in canonicum et in fratrem, prebendam, si qua in ecclesia ipsa vacat ad presens, vel quam primum ad id obtulerit se facultas, ei liberaliter conferre procures — non obstante[d] si pro aliis ibidem direximus scripta nostra, quibus etc. usque: generari, seu si de mandato dilecti filii G. de Montelongo subdiaconi et notarii nostri, apostolice sedis legati, aut per capitulum ipsius ecclesie auctoritate propria in eadem aliqui sunt recepti, quibus eum preferri volumus, sicut de iure fuerit preferendus, et statuto de certo canonicorum numero iuramento vel

---

a) Ancheim *B.* b) *epistola, quae sic incipit, non antecedit; cf. n. 139.* c) Vetri *B.* d) *an* non obst. = non obstantibus?

1) *Aicheim, Illereichen, legendum est. De eodem et E. nato eius cf. n. 516.* 2) *Ex or. Pontis Tremuli, in montibus Apennini.* 3) *Initio mensis Martii imperator castra Medexanae et Bereeti [ex sept. angustiarum Pontis Tremuli] ceperat; Böhmer-Ficker, l. c. 3672 b—d.*

confirmatione sedis apostolice seu quacumque firmitate alia roborato, aut indulgentia aliquibus forte ab apostolica sede concessa, quod non teneantur ad receptionem seu provisionem alicuius per litteras apostolicas, que de ipsa indulgentia expressam non facerent mentionem —: contradictores etc. — non obstante constitutione de duabus dietis etc.

Dat. Lugduni, Non. Aprilis, anno V°.

533.

Innocentius IV papa Gualteroni canonico Pistoriensi mandat, ut Salmoni de Ficeclo, a nuntiis F[riderici] quondam imperatoris omnibus bonis suis spoliato, in dioecesi Lucana provideat, cum idem ex provisionibus a R[aynerio] Sanctae Mariae in Cosmidin diacono cardinali in Pratensi et G[regorio] de Montelongo subdiacono, apostolicae sedis legatis, in Faventina ecclesiis sibi factis propter turbationem instantis temporis nullum commodum assecutus sit. *1248, Apr. 6.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 520; Lib. V, 738. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit V. Cl. O. de Falke.

Berger 3786.

Gualteroni canonico Pistoriensi.

Ad provisionem illorum nos teneri potissime arbitramur, qui pro fide ac ecclesiastica libertate servandis ammissionem bonorum temporalium incurrerunt. Cum igitur dilectus filius Salmon de Ficeclo[1] Lucane diocesis, pauper clericus, pro servanda fide ac ecclesiastica libertate nec non et obsequiis impensis ecclesie Romane devotis a nuntiis F. quondam imperatoris spoliatus sit, ut asserit, omnibus bonis suis, et non habeat beneficium, de quo valeat comode[a] sustentari, nos, ei gratiam facere intendentes, mandamus, quatinus personatum[b] seu plebanatum, quem primo in diocesi Lucana vacantem duxerit acceptandum, sibi auctoritate nostra conferas et assignes — non obstante[c] quod dilectus filius noster R. Sancte Marie in Cosmidin diaconus cardinalis[2] in Pratensi[3], et dilectus filius G. de Montelongo subdiaconus et notarius noster, apostolice sedis legati, in Faventina[4] ecclesiis super ipsius receptione scripserunt, licet impediente turbatione instantis temporis nullum sit ex eorundem litteris commodum assecutus, aut si in loco, in quo ei provideris, direximus scripta nostra pro aliis, quibus etc. usque: generari, seu aliqua ipsius sedis indulgentia, per quam possit retardari effectus nostre gratie vel etiam impediri —: contradictores etc.

Dat. Lugduni, VIII Id. Apr. anno V°.

534.

Innocentius IV papa P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato, ad preces W[ilhelmi] regis Romanorum committit, ut vota Friso-

a) valeat *add. R. iterum.* b) personatuum *R.* c) *an* non obst. = non obstantibus?

1) *Fucecchio prope Arnum fl., e mer. et or. civ. Lucanae.* 2) *De hoc cf. n. 530.* 3) *De civ. Pratensi, ex sept. et occ. civ. Florentinae, cf. Bohmer-Ficker, l. c. 3671. Cf. etiam n. 529.* 4) *Cf. p. 371, not. 3.*

num pro Terrae Sanctae subsidio cruce signatorum in subventionem negotii ecclesiae in partibus Teutoniae convertat. *1248, Apr. 8.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 519; Lib. V, 731. Pertzii exemplar contulimus cum Meerman, Geschied. van Willem van Holl. t. V, p. 45, n. 51.

Potthast, Reg. 12891; Berger 3779.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato[a].

Carissimus in Christo filius noster W. rex Romanorum illustris per litteras speciales petivit a nobis, ut cum sit necessarium in Theotonie partibus ecclesie negotium magnifice promoveri, vota Frisonum crucesignatorum pro Terre Sancte subsidio in subventionem predicti negotii commutemus[1]. Nos autem, de tua circumspectione confisi, presentium tibi auctoritate committimus, quatinus, consideratis circumstantiis universis, crucesignatos huiusmodi usque ad numerum, quem videris expedire, a voto crucis absolvas[2], ita quod ipsi usque ad terminum, quem eis duxeris prefigendum, predicto regi super ipsius promotione negotii viriliter[b] et diligenter assistant, concessa eis propter hoc peccatorum venia, que Ierosolimam euntibus indulgetur.

Dat. Lugduni, VI Idus Aprilis, anno V°[c] [3].

535.

Innocentius IV papa decano, thesaurario et magistro Conrado canonico Wormatiensibus ad preces Emichonis comitis de Liningen mandat, ut Guerardo canonico Sancti Andreae Wormatiensis in civitate vel dioecesi Wormatiensi de beneficio ecclesiastico provideant. *1248, Apr. 8.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 546; Lib. V, 991. Epistolam, quae non ante exeuntem mensem Iun. in Reg. relata est, descripsit V. Cl. O. de Falke.

Berger 4040.

.. decano, .. thesaurario et magistro Corrado canonico Warmaciensibus.

Iniunctum nobis apostolatus officium nos admonet et pietas persuadet, ut assumptis in sortem Domini faciamus de Christi patrimonio provideri. Volentes igitur dilecto filio Guerardo[d] canonico ecclesie sancti Andree Warmaciensis obtentu nobilis viri Emethonis comitis de Linengen[e] [4], nobis per suas litteras supplicantis pro eodem, gratiam facere specialem, mandamus, quatinus prefato canonico provideatis auctoritate nostra vel provideri faciatis in Warmaciensi civitate vel diocesi in prebendali seu alio ecclesiastico beneficio competenti, cum cura vel sine cura, si quod vacat ibidem

a) Eidem *R.* b) utiliter *Me.* c) Dat. ut supra *R.* d) Everardo *B.* e) Lineng̃ *R.*

1) *Cf. n. 153 et 162.* 2) *Cf. Bohmer-Ficker, l. c. 1931a.* 3) *Sub eodem die eidem legato causam matrimonialem inter Nicolaum de Stribese laicum, vassallum [Willelmi] regis Romanorum, et Wrowelinam mulierem decernendam commisit; Berger 3778; Potthast, Reg. 12893. Sub Mai. 21 eidem mandavit, ut Thomae de Bellomanso praeposito Remensi concederet, ut per triennium existens in obsequiis [Willelmi] regis contra Fridericum, proventus praebendarum suarum integre perciperet et ut ipse et sui, cum eo hoc propositum per triennium adimplentes, aliis quoque indulgentiis gauderent, quibus gauderent proficiscentes in subsidium Terrae Sanctae; Berger 3885—3887; Potthast, Reg. 12935—12937.* 4) *De hoc cf. p. 216, not. 3.*

ad presens vel quam primum ad id obtulerit se facultas, — non obstante[a] si in ecclesia, in qua ei duxeritis providendum, statutum sit de certo canonicorum numero iuramento vel confirmatione sedis apostolice seu quacumque alia firmitate vallato, vel quod idem canonicus alias beneficiatus existit, aut aliqua indulgentia, per quam posset huiusmodi gratia impediri et de qua expressam oporteat fieri in nostris litteris mentionem, aut si in eadem civitate vel diocesi super consimili gratia direximus scripta nostra pro aliis, quibus etc. usque: generari, —; contradictores etc. Quod si non omnes etc.

Dat. [Lugduni], VI Idus Aprilis, [anno V°][b].

536.

Innocentius IV papa [Philippum] procuratorem ecclesiae Salisburgensis reprehendit, quod [Henricum] episcopum Bambergensem vi compulerit, ut episcopatui Chiemensi renuntiaret, eundemque episcopatum [Ottoni] praeposito Salisburgensi de facto contulerit; mandat, ut haec irritet. *1248, Apr. 9.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 522; Lib. V, 750. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit V. Cl. O. de Falke.
Berger 3798.

. . procuratori ecclesie Salzeburgensis.

Sua nobis venerabilis frater noster . . episcopus Bambergensis petitione monstravit, quod cum ei episcopatum Kimensem in provincia Salzeburgensi vacantem concesserimus retinendum usque ad nostre beneplacitum voluntatis[1], tu, cum ad renuntiandum huiusmodi gratie nunc minis, nunc blanditiis, nunc timore, qui cadere in constantem poterat, pro tua voluntate compellens, episcopatum ipsum . . preposito Salzeburgensis ecclesie de facto, cum de iure nequiveris, contulisti. Quia vero ea, que vi metusve causa fiunt, carere debent robore firmitatis, mandamus, quatinus, huiusmodi renuntiatione ac collatione, quas iuribus carere decernimus, nequaquam obstantibus, predictum episcopum in corporalem possessionem eiusdem episcopatus, amoto ab eo predicto preposito et quolibet illicito detentore, auctoritate nostra inducas et tuearis inductum ipsumque eiusdem episcopatus pacifica facias possessione gaudere; alioquin dilecto filio . . decano Ratisponensi damus nostris litteris in mandatis, ut ipse super hiis mandatum apostolicum exequatur; contradictores etc. — non obstantibus constitutione de duabus dictis etc., seu indulgentia, si qua sit tibi vel eisdem contradictoribus ab apostolica sede concessa, ut excommunicari, suspendi aut interdici per litteras apostolicas vel extra diocesim Salzeburgensem trahi ad iudicium non possitis.

Dat. Lugduni, V Id. Apr. anno V°[2].

537.

Innocentius IV papa [Liutholdo] episcopo Basiliensi concedit, ut capitaneus vel defensor, si quem forte civibus Basiliensibus praefici contingat, disponendi de iis, quae ad officium episcopi spectent, nullam habeat potestatem. *1248, Apr. 12.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 524; Lib. V, 779.
Berger 3827.

a) *an* non obst. = non obstantibus? b) *locus et annus desunt R.*

1) *Cf. n. 416.* 2) *Sub eodem die praeposito Salisburgensi inhibuit, ne se de episcopatu Chiemensi intromitteret ulterius; Berger 3799.*

. . episcopo Basiliensi.

Multos et frequentes pati pro ecclesiastica libertate labores tibi quodammodo delitiosum reputans, te ad cuncta pro Dei gloria reddidisti sollicitum, per que possit ecclesia[a] consequi honoris augmentum. Nos itaque, propter hoc personam tuam[b] speciali favore prosequi delectantes, presentium tibi auctoritate concedimus, ut si forte civibus Basiliensibus pro evidenti necessitate contingat auctoritate nostra prefici capitaneum vel aliquem defensorem, ipse disponendi de hiis, que ad tuum spectant officium, seu de bonis ad te vel ecclesias Basiliensis civitatis et diocesis pertinentibus nullam omnino habeat potestatem, nec etiam sibi ministrare necessaria vel exhibere procurationes aliquas tenearis, convenienti dumtaxat excepto subsidio, si quod forte propter hoc venerabilis frater noster . . Argentinensis episcopus ex causa rationabili tibi et aliis duxerit imponendum[1]. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, II Idus April. anno V°.

538.

Innocentius IV papa abbati Sancti Urbani Constantiensis diocesis ad preces comitum de Kiburg mandat, ut praebendam, quam Ulricus de Sancto Nicolao presbyter in ecclesia Turicensi obtineat, qui fautor Friderici quondam imperatoris existat in villa Turicensi interdicto supposita de licentia [Henrici] episcopi Constantiensis moram trahens, Radulfo clerico notario comitis iunioris conferat. — Idem mandat de praebenda Burcardi rectoris ecclesiae de Mura Henrico de Clingenberg consiliario comitum conferenda.

Inn. IV Reg. Vol. I, 523; Lib. V, 769 et 770. *1248, Apr. 13.*
Berger 3817 et 3818.

I.

. . abbati Sancti Urbani[2] Cisterciensis ordinis Constantiensis diocesis.

Dilecti filii nobiles viri H. senior et H. iunior comites de Kiburch porrecta nobis petitione monstrarunt, quod nos[c], intellecto quod Ulricus de Sancto Nicolao presbyter, canonicus ecclesie Turicensis Constantiensis diocesis, fautoribus Friderici quondam imperatoris manifeste adherens, eis contra ecclesiam prestabat consilium, auxilium et favorem, . . abbati de Altaripa[3] Lausanensis diocesis nostris dedimus litteris in mandatis, ut si esset ita, ipsum canonicatu et prebenda auctoritate nostra privans ecclesie Turicensis, ipsam prebendam auctoritate nostra conferret Radulfo clerico et notario dicti comitis iunioris[4], contradictores etc. usque: compescendo. Verum quia idem Ulricus, sicut eidem Radulfo ut asseritur plene constat, in villa Turicensi ecclesiastico supposita interdicto, cuius habitatores F. favent predicto, de licentia venerabilis fratris nostri . . Constantiensis episcopi moram traxit[5], propter quod ipse assequi ex huius-

a) ecclesie *R.* b) eius *R.* *Papa de hac ep. destinata alium, fortasse episcopum Argentin., certiorem fecisse, in qua altera ep. verbum* eius *recte positum erat, et utriusque ep. authenticum ex hoc eodem exemplo scribendum fuisse videtur; cf. infra n. 547 et N. A. t. X, p. 529, 532 et 548.* c) quod cum nos *R.*

1) *Papa episcopum Basil. aptum, qui capitaneus vel defensor civium esset, duxisse non videtur, sed offendere eum noluit; cf. n. 520, 525 et 539.* 2) *Ex or. cir. Solothurn.* 3) *E mer. cir. Freiburg in Helvetia.* 4) *De hoc cf. Berger 3122, 3123, 3131, 3132, 3314, 3393.* 5) *Sub Febr. 11 papa eidem episcopo declaraverat, castrum Turicense, pro eo quod habitatores Friderico quondam imperatori*

modi gratia commodum nullum potest: dicti comites nobis humiliter supplicarunt, ut eidem Radulfo, qui una cum eis pro negotiis ecclesie fideliter et utiliter laboravit, rerum dispendia et persone pericula non formidans, in hac parte subvenire de benignitate solita curaremus. Ipsorum itaque comitum precibus inclinati, mandamus, quatinus ipsi prebendam, quam dictus Ulricus obtinet in ecclesia Turicensi, eo cedente vel decedente, auctoritate nostra conferens et assignans, eum recipi facias a . . preposito et capitulo eiusdem ecclesie ad prebendam ipsam in canonicum et in fratrem, — non obstante[a] certo canonicorum numero iuramento seu quacumque firmitate vallato, aut si pro aliis eis direximus scripta nostra, seu quod alias scripsimus pro eodem, vel quod alias beneficiatus existit —: contradictores etc.

Dat. Lugduni, Idibus Aprilis, anno V°.

II.

Eidem.

Dilecti filii etc. ut supra: intellecto quod Burcardus canonicus Turicensis, rector ecclesie de Mura Constantiensis diocesis, fautoribus Friderici etc. usque: conferret Henrico de Clinginberch[1] consiliario comitum eorundem etc. usque: quatinus ipsi prebendam, quam Ulricus de Thrishe[2] obtinet in ecclesia Turicensi etc. usque in finem.

539.

Innocentius IV papa [Henrico III] episcopo Argentinensi significat, id quod pridem ei de B[ertholdo] praeposito Grandivallensi defensore Basiliensibus concedendo scripserit, sibi nunc quoque placere, sed ei se mandare, ut si eum vel alium [Liutholdo] episcopo Basiliensi deputare velit coadiutorem, prius episcopi percipiat voluntatem.

Inn. IV Reg. Vol. I, 521: Lib. V, 780. *1248, Apr. 14.*
Berger 3828.

. . episcopo Argentinensi.

Pridem sinceritati tue litteras direximus, continentes quod si venerabilis frater noster . . Basiliensis episcopus esset impotens vel negligens aut remissus, dilectum filium B. prepositum Grandivallensem canonicum Basiliensem dilectis filiis civibus Basiliensibus auctoritate nostra in defensorem aut capitaneum deputares, proviso quod si dictus episcopus esset per Dei gratiam ita convalescentie restitutus, ut eisdem civibus esse possit capitaneus et defensor, cum preposito prefato disponeres, quod de

a) *an* non obst. = non obstantibus?

praestarent auxilium et favorem, interdicto suppositam esse, se tamen praeposito aliisque clericis ecclesiae adhaerentibus permisisse, ut ibidem permanerent; Potthast, Reg. 12839a; quae ep. in Reg. non extat. De eodem episcopo cf. etiam n. 521.

1) *De hoc cf. n. 493.* 2) *Pro verbis 'Ulricus de Thrishe' 'dictus Burcardus' legendum esse apparet. Sed unde verba 'de Thrishe' sumpta sunt, quae neque in authentico huius ep. neque in antecedente extiterunt? Credimus Ulricum illum in actis, quae in conciliis a papa cum consiliariis suis habitis de epistolis mittendis scribebantur, 'Ulricum de Thrishe' vocatum esse, et cum ex forma ep. antecedentis et notis actorum illorum 'minuta' huius alterius epistolae exararetur, in ea pro nomine Burcardi nomen Ulrici, idque nomen integrum sicut in actis illis legebatur, ex errore aliquo positum esse. Quia vero hic error nisi in componenda 'minuta' commissus esse non potest, 'minutam' ipsam ad verbum transcriptam Regesta praebere videntur. Cf. N. A. t. X, p. 535.*

huiusmodi defensione[a] ac aliis, que spectant ad ipsum episcopum, se de cetero nullatenus intromittere procuraret[1]. Sane id quod nobis taliter[2] ab initio de preposito ipso placuit, placet et modo. Sed tamen cum prefatus episcopus potenter et patenter in hiis, que spectant ad honorem ecclesie, se olim fructuosum studuerit exhibere, volumus et fraternitati tue mandamus, quatinus si pro evidenti[b] necessitate contingat, quod sepedictum prepositum vel aliquem alium velis coadiutorem iuxta formam tibi traditam[3] eidem episcopo deputare, prius ipsius episcopi percipias voluntatem, ut talem sibi de consensu suo deputes, qui eius cordi placeat et coadiutoris officio iuxta intentionem nostram oportunus existat.

Dat. Lugduni, XVIII Kal. Maii, anno V°.

540.

Innocentius IV papa archipresbytero Sancti Fidelis de Casate Mediolanensis diocesis ad preces Iacobi nepotis sui, nati quondam Bernardi Rubei, mandat, ut Iacobo dicto Muscae canonico ecclesiae Decimanorum Mediolanensis in civitate vel diocesi Mediolanensi de prelatura provideat. *1248, Apr. 14.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 521; Lib. V, 781. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. O. de Falke. Berger 3829.

. . archipresbytero Sancti Fidelis de Casate Mediolanensis diocesis.

Dilecti filii nobilis viri Iacobi nepotis nostri, nati quondam Bernardi Rubei[4], devota precamina nos induceunt, ut dilecto filio Iacobo dicto Musce canonico ecclesie Decimanorum Mediolanensis specialem gratiam faciamus. Hinc est, quod nos, volentes ei facere gratiam specialem[c], eiusdem precibus inclinati, mandamus, quatinus ei in civitate vel diocesi Mediolanensi de aliqua prelatura ad minus valente duodecim libras[d] imperialium annuatim, si qua vacat ad presens vel quamprimum ad id se facultas obtulerit, auctoritate nostra studeas providere; contradictores.

Dat. ut supra[5].

541.

Innocentius IV papa archiepiscopis, episcopis et aliis praelatis Alamanniae notum facit, se Fridericum quondam imperatorem sicut hactenus sic die Iovis sancto proximo praeterito [Apr. 16] propter excessus suos, qui enumerantur, excommunicasse et anathe-

a) defensore *R.* b) evidentia *R.* c) *sequitur iterum* nos; *verba antecedentia quoque corrupta videntur.* d) lib'r *R.*

1) *Cf. n. 520 et 525.* 2) *Scil. quoad officium capitanei vel defensoris. Per ea, quae sequuntur, papa verba ep. n. 525 et 526 moderatus est; cf. n. 537.* 3) *Scil. n. 526; unde concludere licet hanc quoque ep. [n. 539] secretam fuisse, praesertim cum in n. 537 haec res non commemoretur.* 4) *Hic, sororius papae, caput Guelforum Parmensium, a. 1248, Mart. 19 in pugna interfectus erat; Bohmer-Ficker, l. c. 3681 a.* 5) *Sub Mai. 28 papa ad preces nobilium virorum Alberti Azarii civis Parmensis et Aczonis de Presentiano, ecclesiae devotorum, quandam gratiam elargitus est; Berger 4017; cf. etiam 3710, 3711 et 3765.*

matis vinculo innodasse, et decrevisse, ut quicunque ei post duos menses proximo futuros auxilium praestiterit, eidem poenae subiaceat; mandat, ut haec publicent.

1248, Apr. 18.

Inn. IV Reg. Vol. I, 555; Lib. V, cur. 44. Damus ex Rayn. Ann. eccl. a. 1248, § 3. Potthast, Reg. 12901; Berger 4094.

Archiepiscopis et episcopis et[a] abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis per Alamanniam constitutis.

Cum nos olim Fredericum quondam Romanorum imperatorem citaverimus, ut in concilio Lugdunensi personaliter vel per nuntios compareret, responsurus nobis et aliis, qui vellent aliquid proponere contra eum, et satisfactionem idoneam prestiturus[1]: tandem, quia in eodem concilio multa inter cetera contra ipsum sic certa et evidentia, quod in eis inficiationi prorsus locus esse non poterat, manifeste comperimus, ex quibus de vitio pravitatis heretice merito debebat haberi suspectus, — maxime[2] cum post excommunicationis sententiam a bone memorie I. episcopo Sabinensi et . . tituli Sancte Sabine presbytero cardinali latam in ipsum, postquam etiam felicis recordationis Gregorius papa predecessor noster eum anathematis vinculo innodavit, ac post ecclesie Romane cardinalium, prelatorum et clericorum ac aliorum etiam diversis temporibus ad sedem apostolicam venientium captionem, ecclesie claves contempserit[b], sibi faciens celebrari, vel potius, quantum in eo fuit, profanari divina, constanter et patenter asserens se prefati predecessoris sententias non vereri, et insuper coniunctus amicitia detestabili Sarracenis, eorum ritus amplectens et aliquos ex ipsis in quotidianis eius obsequiis secum tenens, nuncios soldani Babylonie, postquam idem soldanus, cum quo dictus Fredericus, prout ex ipsius soldani accepimus litteris, a tempore patris eiusdem soldani familiaritatem et dilectionem mutuam ac concordiam perfectam habuisse dinoscitur, Terre Sancte ac eius habitatoribus Christianis per se ac suos dampna gravissima et inextimabiles iniurias irrogarat, fecerit per regnum Sicilie cum laudibus ad eiusdem soldani extollentiam honorifice suscipi et magnifice procurari, necnon aliorum infidelium perniciosis et horrendis obsequiis contra fideles abutens, illis, qui dampnabiliter vilipendentes apostolicam sedem ab unitate ecclesie discesserunt, procuraverit amicitia et affinitate coniungi, — ipsum in prefato concilio propter hec et alia plurima, que in sententia tunc prolata contra eum a nobis plenius continentur, abiectum omnique honore ac dignitate tam imperii quam regnorum privatum a Domino denuntiavimus, eum nichilominus sententiando privantes, excommunicationis solemniter in eundem propter has et alias causas sententia promulgata; quam postmodum annuatim certis solemnitatibus more Romane ecclesie duximus innovandam.

Sed ipse, tanquam in suis obfirmatus nequitiis, nec adhuc de tam nefanda et dampnabili suspicione satisfacere, nec ad gremium matris ecclesie redire curavit, licet Panormitanum archiepiscopum, episcopum Papiensem et quosdam alios ad sedem destinarit eandem, qui venerabilibus fratribus Portuensi et Albanensi episcopis et dilecto filio nostro H. tituli Sancte Sabine presbytero cardinali, quos eis concessimus auditores, instrumentum cuiusdam tabellionis et litteras munitas bulla aurea presentarunt, in quibus continebatur, quod cum idem Fredericus fuisset in premisso concilio habitus de heretica pravitate suspectus, ipse, interrogatus et examinatus ab eis super articulis contentis in symbolo et aliis ad fidem catholicam pertinentibus, dixit se illos

a) B.; et deest Rayn. b) contempsit Rayn.

1) Cf. n. 78. 2) Cf. n. 124 et 187.

firmiter credere ac iuravit; in quibus etiam constituit examinatores ipsos procuratores suos ad iurandum in anima eius, quod eos credebat, et ad purgationem etiam in presentia nostra in loco idoneo super suspicione huiusmodi offerendam. Qui hec eisdem retulerunt auditoribus viva voce, quodque sic erant iurare parati, ex parte ipsius Frederici purgationem huiusmodi offerentes. Nos autem his intellectis talem examinationem et purgationem, cum nec ubi nec de quibus neque coram quibus debuit, presumpta fuerit, cum iidem examinatores et eorum consanguinei sint de ipsius curia seu terris, potestati vel verius tyrannidi sue subiectis, illusoriam, prout erat, et frivolam reputantes, ipsam de fratrum nostrorum et multorum prelatorum, qui nobiscum tunc aderant, consilio decrevimus irritam et inanem, processum eorundem examinatorum super hiis presumptum penitus reprobando. Concessimus tamen, si veniret idem Fredericus personaliter infra tempus legitimum sine armis et cum modico comitatu, quod ipsum super purgatione, quam de suspicione predicta se coram nobis velle prestare dicebat, si de iure et sicut de iure faciendum existeret, audiremus.

Verumtamen non solum postmodum venire neglexit, sed quasi delectet eum malefacere, prioribus nequiora committens; quandam execrabilem edidit sanctionem, inter alia continentem, ut 'quicunque[1] clericus vel religiosus ad papale vel papalis legati mandatum publice forsan omiserit missarum seu alia celebrare solemnia et sacramenta fidelibus ecclesiastica propinare, de civitate vel loco, cuius incola reperietur, eiectus, bonis suis patrimonialibus et ecclesiasticis, ut penam de tanta temeritate tulisse se doleat, spolietur, clericis mandato predicto parere nolentibus et in fide sua ferventibus ecclesiasticis applicandis, patrimonialibus autem proximis, ab intestato venientibus scilicet, assignandis'. Unde, quia merito contra eum, qui penitere despiciens peccata peccatis accumulat et ortam contra se suspicionem dictis et factis innuit esse veram, est durius procedendum: nos prefatum Fredericum, sicut hactenus, sic in die Iovis sancto proximo preterito, quinimo districtius pro eo quod suspectus vehementer de heresi et anathematizatus ad sinum prefate matris ecclesie redire ac ea facere, quae a sic suspecto ac excommunicato fieri debent, omnino contempsit, excommunicavimus et anathematis vinculo duximus innodandum, denuntiantes nichilominus sibi, presente generali et publica congregatione fidelium[2], et per alios etiam ei nuntiari volentes, quod si deinceps in huiusmodi contumacia duxerit persistendum, contra ipsum graviter, quantumcumque secundum Deum expedierit, procedemus. Pronuntiavimus preterea, quod quicunque sibi post duos proximo futuros menses ab eodem die Iovis computandos consilium aut auxilium prestiterit vel favorem publicum vel occultum, illi eidem pene subiaceat tam in persona quam in rebus, cui talium fautores subiacent secundum canonicas et legitimas sanctiones. Mandamus, quatinus predicta omnia et singula publicetis et publicari faciatis per loca, in quibus videritis expedire.

Dat. Lugduni, XIIII Kal. Maii, anno V°.

In[a] eundem modum archiepiscopis et episcopis et abbatibus, prioribus, archidiaconis, archipresbyteris, prepositis et aliis ecclesiarum prelatis[b] per Italiam constitutis.

a) In — constitutis *addidimus ex B.* b) *Animadvertas hanc inscriptionem ab ea, quae supra data est, discrepantem et minus accuratam, cum 'praepositi' certe 'archipresbyteris' antecedere deberent; cf. sub n. 542 et 543 et N. A. t. X, p. 538 et sequ.*

1) *Ea, quae sequuntur, paucis verbis mutatis ex ep. Friderici nota chronologica destituta ap. Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 581, Bohmer-Ficker, l. c. 3657, sumpta sunt.* 2) *Ea ergo, quae in hac ep. et in n. 542 et 543 contenta sunt, quaeque in haec scripta redacta papa die sabbati ante pascham comprobarit, idem duobus diebus ante, festo coenae Domini, in publicam notitiam populi, qui propter*

542.

Innocentius IV papa archiepiscopis, episcopis et aliis praelatis Lombardiae, marchiae Tervisinae et Romaniolae scribit, se Ezelinum de Romano, qui de haeresi suspectus ad sedem apostolicam citatus non venerit, praeterito die sancto Iovis [Apr. 16] anathematis laqueo innodasse et velle, ut ei nuntietur, nisi usque ad festum beati Iohannis proximum comparuerit, gravius contra eum processum iri; mandat, ut haec publicent.

Inn. IV Reg. Vol. I, 556; Lib. V, cur. 45. — *1248, Apr. 18.*
Potthast, Reg. 12903; Berger 4095.

Archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus etc. ut supra usque: prelatis per Lombardiam, marchiam Tervisinam et Romaniolam constitutis.

Cum Ezelinus de Romano multis ex causis et probabilibus argumentis de heretica pravitate suspectus merito habeatur, ad inquisitionem contra ipsum per viros religiosos duximus procedendum; quibus super hoc inquirentibus diligenter et invenientibus circa id debere ipsum digne reputari suspectum, tandem nuntios ad sedem apostolicam destinavit, quibus venerabilem fratrem nostrum . . Sabinensem episcopum[1] dedimus auditorem, coram quo ipsi offerre curarunt, quod in anima ipsius Ezelini erant iurare parati, qualiter idem Ezelinus de Deo et fide catholica credit, secundum quod Romana tenet ecclesia et docet esse credendum. Sed a[a] dicto episcopo vel a nobis purgatione huiusmodi non admissa, cum de tanto crimine non per nuntios sed per propriam personam esset prestanda purgatio coram nobis, sibi terminum duximus prefigendum, ut usque ad Kalendas Augusti proximo tunc futuras apostolico se conspectui presentaret, super hiis facturus quod ordo exposceret rationis, de securitate persone in veniendo et redeundo sibi oblata plenaria cautione[2]. Et quia nec[b] in termino nec post terminum sic venire nec[c] mittere procuravit, qui plurium est excommunicationum alias vinculis irretitus, et quod de fide catholica male sentiat, certa ratione suspectus, eundem[d] anathematis laqueo in die sancto Iovis proximo preterito duximus innodandum, et ei mandavimus ac id sibi volumus nuntiari[3], quod nisi usque ad festum beati Iohannis[4] proximo venturum comparuerit coram nobis, super premissis ecclesie mandatis et beneplacitis pariturus, ex tunc contra eum gravius procedemus iuxta canonicas et legitimas sanctiones. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus predicta omnia et singula publicetis et publicari faciatis per loca, in quibus videritis expedire[5].

Dat. ut supra.

In[e] eundem modum patriarche Aquilegensi[f].

---

a) Sed cum a *R.*; *in simili ep. a. 1250, Iul. 3:* Sed quoniam . . . . purgatio . . . . admissa non extitit. b) *ita ep. cit.*; quoniam *R.* c) vel *ep. cit.* d) eodem *R.*; ipsum *ep. cit.* e) In — Aquilegensi *supplerimus ex B.* f) *Fortasse huic soli epistola directa non est, sed nomen eius in inscriptione, quae supra data est, poni debebat, ita ut* patriarchis [*vel* . . Aquilegensi et . . Gradensi patriarchis] et archiepiscopis et episcopis *etc. scriptum fuerit; cf. N. A. t. X, p. 511 et 545 de ep. n. 294, 295, 318, 319.*

festum paschae apud sedem apostolicam convenerat, viva voce ipse pertulerat; cf. t. I, n. 306, 399 et Addenda p. 786.

1) *Guillelmum.* 2) *Hoc anno praeterito factum esse non videtur; nam episcopus Sabinensis in privilegiis papalibus ab a. 1246, Nov. 9 usque ad a. 1249, Febr. 20 testis non invenitur; Berger 2189 et Potthast, Reg. p. 1284.* 3) *Cf. p. 380, not. 2.* 4) *Iun. 24* 5) *Epistola, quam Potthast, Reg. 12899 de Ezelino praebet, eadem est atque n. 15331.*

543.

Innocentius IV papa [Bertholdo] abbati Sancti Galli scribit praeterito die sancto Iovis [Apr. 16] se [Volcardo] episcopo Curiensi, fautori F[riderici] quondam imperatoris, iniunxisse, ut usque ad festum pentecostes [Henrico] episcopo Constantiensi omnia castra ecclesiae suae, quae idem voluerit, assignet et personaliter apud sedem apostolicam compareat, alioquin ad eius depositionem processum iri; mandat, ut haec episcopo nuntiet et, ubi expedire viderit, publicet. *1248, Apr. 18.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 557; Lib. V, cur. 48.
Berger 4098.

. . abbati Sancti Galli.

Cum olim excommunicaverimus episcopum Curiensem[1], immo potius denuntiaverimus eum vinculo excommunicationis astrictum, pro eo quod F. quondam imperatori cum adiutoribus et fautoribus suis excommunicato favebat, certum sibi terminum assignantes, infra quem coram nobis comparere curaret, super hoc mandatis apostolicis pariturus, et depositionis penam comminantes eidem, nisi predicta efficaciter adimpleret: licet idem episcopus postmodum per nuntium suum, quem ad sedem apostolicam destinavit, coram venerabili fratre nostro P[etro] Albanensi episcopo a nobis auditore concesso super premissis iuraverit nostris parere mandatis, et ipsi Curiensi episcopo tam per nuntium mandaverimus memoratum quam per litteras speciales, ut in manibus venerabilis fratris nostri . . Constantiensis episcopi plene caveret, quod predicto F. aliquod auxilium non prestaret et mandatis nostris humiliter obediret, dictus tamen episcopus Curiensis coram prefato Constantiensi episcopo nullam nisi iuratoriam tantum inde prestare voluit cautionem; propter quod iustam possemus in eundem episcopum Curiensem depositionis sententiam promulgare. Volentes autem adhuc agere misericorditer cum eodem, in die sancto Jovis proximo preterito, presente publica et generali congregatione fidelium, sibi duximus iniungendum[2], ut usque ad festum pentecostes[3] proximo venturum dicto episcopo Constantiensi omnia castra Curiensis ecclesie, que voluerit idem Constantiensis episcopus, offerat et assignet nomine ipsius ecclesie Curiensis detinenda, et infra illud festum personaliter compareat coram nobis, mandatis nostris et beneplacitis pariturus. Alioquin ex tunc omni dilatione remota secundum morem apostolice sedis ad ipsius depositionem, sive ipse absens fuerit sive presens, auctore Domino procedemus. Canonicis vero predicte Curiensis ecclesie districte mandamus, ut usque ad predictum festum aliquos ex se ipsis ad presentiam nostram mittant, qui si predictus episcopus preceptum nostrum non adimpleverit in hac parte, plenam habeant potestatem super provisione Curiensis ecclesie supradicte recipiendi et etiam adimplendi nostre beneplacitum voluntatis. Quocirca mandamus, quatinus predicta omnia et singula eidem episcopo in loco, in quo ad eum sine periculo haberi possit accessus, nuntiari facias ac etiam per omnia loca, in quibus expedire videris, publices et facias publicari[4].

Dat. Lugduni, XIIII Kal. Maii, anno V°.

In eundem modum Constantiensi episcopo, verbis competenter mutatis.

In eundem modum archiepiscopis et episcopis et abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prelatis[a] per Alamaniam constitutis, verbis competenter mutatis.

[a]) *Cf. p. 380, not. b.*

1) *Cf. n. 326.* 2) *Cf. p. 380, not. 2.* 3) *Iun. 7.* 4) *Cf. infra sub Iun. 9.*

544.

Innocentius IV papa potestati, consilio et populo Parmensibus mandat, ut statuant, ut eorum omnium, qui in favorem Friderici quondam imperatoris et detrimentum civitatis Parmensis, postquam ad devotionem ecclesiae redierit, vel in dispendium societatis Lombardiae aliquid tractaverint vel tractent, bona publicentur et ipsi de sua et aliis civitatibus societatis perpetuo forbanniantur. *1248, Apr. 22.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 556; Lib. V, cur. 46. Pertzii exemplar contulimus cum authentico eiusdem ep. Ianuensibus sub Apr. 26 directae in Ann. Ianuen. SS. t. XVIII, p. 225 [A].
Potthast, Reg. 12905; Berger 4096.

.. potestati, consilio et populo Parmensibus.

Cum diligenter attendimus et sollicite meditamur, quot et quales vobis parat insidias Fridericus quondam imperator ecclesie persecutor, quibus ingeniis sive modis, fallaciis et dolositatibus fideles ecclesie trahere ad se velit, ut eos morsu mordeat amarissimo et impie tradat morti: expediens, immo propter instantis malitiam temporis necessarium arbitramur, ut illorum temeritatis presumptio, qui in ipsius, vestrum sanguinem sitientes, auxilium privatim vel publice se convertunt, digno castigentur[a] verbere ac pena debita feriantur[a]. Cum igitur circa statum vestrum et omnium aliorum ecclesie devotorum in prospera dirigendum, sicut nos duxistis aliquando requirendos[b], hactenus intenderimus toto posse totoque ingenio insistamus, cum nil amplius cupiamus ad presens, quam [quod][c] negotio communi quod agitur profectus accedant prosperi et felices succedant eventus, ac id nequaquam valeat provenire sitque labor noster inutilis, si contingat vos in contrarium laborare: volumus et per apostolica scripta[d] precipiendo mandamus, quatinus submoto cuiuslibet dilationis et difficultatis dispendio statuatis et iuretis deinceps a vobis irrefragabiliter observari, ut illorum omnium, qui inventi fuerint aliquid tractare vel etiam tractavisse in favorem F. predicti et detrimentum civitatis vestre vel societatis dispendium Lombardie, a tempore quo[e] ad devotionem ecclesie rediistis, bona quelibet publicentur vestris communibus usibus applicanda, eis tam de vestra quam de omnibus aliis civitatibus societatis predicte perpetuo forbannitis, quorum filii et nepotes ad nulla penitus officia vel potestarias in vestra vel aliqua societatis eiusdem civitate de cetero assumantur. Illi vero, qui tales in officiales sue civitatis presumpserint assumere vel etiam potestates, se noverint excommunicationis sententia innodandos et terras eorum supponendas[f] ecclesiastico interdicto [1].

Dat. Lugduni, X Kal. Maii, [anno V°][g].

In eundem modum .. potestati, consilio et communi Placentinis usque: dispendium Lombardie, a tempore quo depositionis tulimus sententiam in eundem.

In eundem modum .. potestati, consilio et communi Novariensibus.

In eundem modum .. potestati, consilio et communi Bononiensibus.

In eundem modum .. potestati, consilio et communi Mantuanis.

In eundem modum .. potestati, consilio et communi Mediolanensibus.

In eundem modum .. potestati, consilio et communi Brixiensibus [2].

---

a) *ita R. et A.* b) *A.;* recurrendos *R.* c) quod *deest R. et A.* d) vobis *add. A.* e) quo depositionis tulimus sententiam in eundem *A.; cf. infra.* f) *A.;* suspendendas *R.* g) anno V° *deest R.*

1) *Fortasse ea quoque, quae in hac ep. et in sequenti contenta sunt, papa festo coenae Domini populo praesenti viva voce pronuntiaverat; cf. p. 380, not. 2.* 2) *Epistola eiusdem tenoris sub Apr. 26 Ianuensibus missa, Potthast, Reg. 12908, de qua cf. supra, registrata non est. Aliis quoque civitatibus eiusdem regionis, quae ecclesiae tum adhaerebant, ut Ferraria, Crema, Vercellae, eandem epistolam directam esse putamus; cf. N. A. t. X, p. 562, not. 1. De notis chronol. cf. ibid.*

545.

Innocentius IV papa O[ctaviano] Sanctae Mariae in Via Lata diacono cardinali, apostolicae sedis legato, mandat, ut F[riderici] quondam imperatoris filios et nepotes, marchiones, comites et barones, praelatos et clericos et omnes alios, qui eidem F. faveant, excommunicet, loca ei adhaerentia interdicto supponat et ea et praefatos omnes omni honore privet, contra Ezelinum de Romano et fautores eius similiter procedat et contra omnes illos in terris legationis suae crucem praedicet. *1248, Apr. 27.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 557; Lib. V, cur. 17. Pertzii exemplar contulimus cum eo, quod Hofler, Fried. II, p. 376, n. 33 edidit, quod mendis abundat, quae non annotavimus.

Potthast, Reg. 12910; Berger 4097.

O. Sancte Marie in Via Lata diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Instantem persecutionem ecclesie ac persecutoris tirampnidem diligentius attendentes, cogimur querendo remedia procedere contra illos, qui persecutioni huiusmodi facto vel dicto, ope vel opere causam prestant. Cum igitur multi de diversis partibus F. quondam imperatori adhereant immemores sue salutis, nos, nolentes hec sub dissimulatione transire, ne quod absit assumant exemplum exinde convicini, mandamus, quatinus prefati F. filios et nepotes, nominibus eorum expressis, necnon marchiones, comites et barones, prelatos etiam et clericos, cuiuscumque fuerint dignitatis vel ordinis, et alios omnes, qui eidem F. quovis modo favere presumunt aut ad curiam eius seu nepotum vel filiorum eiusdem vocati vel non vocati vadunt vel mittunt, excommunicationis mucrone percellas ipsosque excommunicatos publice nunties et nuntiari facias per loca, in quibus expedire videris, pulsatis campanis et candelis accensis singulis diebus dominicis et festivis. Civitates quoque, castra, villas et loca dicto F. adherentia nominatim ecclesiastico interdicto supponens, prives ea et iudices ac tabelliones eorum et prefatos omnes omni honore, quolibet officio, quavis dignitate ac quibuslibet, nisi dumtaxat in casu a iure concesso, ecclesiasticis sacramentis, baptismate parvulorum et penitentiis morientium solum exceptis [1]; quibus nulli prorsus teneantur in iudicio respondere. Interdicas etiam specialiter, ut nullus ex fautoribus prefati F. in potestatem aut rectorem vel ad aliquod officium seu dignitatem eligi valeat vel assumi [2], excommunicationis in illos, qui contra fecerint, sententia promulgata. Et quia Ezelinus de Romano [3] tanquam menbrum diaboli et iniquitatis vasculum contra ecclesiam ad prefati persecutoris obsequia dampnabiliter se devovit, contra eundem Ezelinum et fautores eius simili modo, ut predictum est, procedere non postponas; contra quos omnes in terris tue legationis crucem predices et facias predicari, illam signum crucis adversus predictos assumentibus peccatorum suorum veniam, protectiones et privilegia concessurus, que conceduntur crucesignatis transfretantibus in subsidium Terre Sancte [4].

Dat. Lugduni, V Kal. Maii, anno V°.

In eundem modum G[regorio] de Montelongo subdiacono et notario nostro, apostolice sedis legato.

In eundem modum R[aynerio] Sancte Marie in Cosmidin diacono cardinali, apostolice sedis legato [5].

---

1) *Cf. n. 509.* 2) *Cf. n. 544.* 3) *Cf. n. 542.* 4) *Cf. p. 383, not. 1.* 5) *Fortasse eadem ep., mutatis mutandis, etiam Petro Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato per Teutoniam constituto, transmissa est; cf. p. 383, not. 2.*

546.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino ad preces [Henrici III] electi Leodiensis mandat, ut cum [Willelmo IV] comite Iuliacensi et [Margarita] uxore eius, sorore electi, recepta ab iis cautione de insistendo servitio ecclesiae contra Fridericum quondam imperatorem et fautores eius, dispenset, ut in matrimonio contracto, quarta consanguinitatis linea non obstante, remaneant. *1248, Apr. 29.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 525; Lib. V, 793. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. O. de Falke. Berger 3841.

. . Maguntino archiepiscopo.

Ex parte dilecti filii . . Leodiensis electi fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum nobilis mulier . . soror sua et nobilis vir . . comes Iubacon.[a], qui licet[b] in quarta consanguinitatis linea se contingunt[1], matrimonialiter sint coniuncti[2], quod, non obstante impedimento huiusmodi, possint in sic contracto matrimonio remanere, dispensare cum eis auctoritate apostolica curaremus. Ipsius igitur electi obtentu mandamus, quatinus, recepta prius ab ipsis nobilibus sufficienti et idonea cautione de insistendo servitio ecclesie Romane contra Fridericum quondam imperatorem ac fautores eius persecutores ipsius ecclesie viriliter et patenter[3], cum eis auctoritate nostra dispenses, quod remanere valeant in matrimonio sic contracto.

Dat. Lugduni, III Kal. Maii, anno V[o c].

547.

Innocentius IV papa abbati Vallis Sancti Lamberti mandat, ut redemptiones votorum cruce signatorum contra Fridericum quondam imperatorem et legata huiusmodi negotii subsidio deputata in terris [Henrici III] electi Leodiensis colligat et eidem electo, qui ipse crucem contra praedictum F. sumpserit, assignet. *1248, Apr. 29.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 525; Lib. V, 794.
Berger 3842.

. . abbati Vallis Sancti Lamberti[4] Leodiensis diocesis.

Ad impendendam dilecto filio . . electo Leodiensi[5] gratiam et favorem et crucis reverentia, qua insignitus est contra F. quondam imperatorem ac fautores eius, persecutores ecclesie, ac sincere devotionis affectu, quem ad nos et Romanam ecclesiam matrem suam noscitur[d] habere, inducti, mandamus, quatinus redemptiones votorum crucesignatorum contra eosdem F. ac fautores suos, qui debiles et inabiles sunt ad pugnandum, nec non et legata huiusmodi negotii subsidio [deputata][e] in terris, feudis, castellaniis et dominio dicti electi colligas et eidem electo assignes[6], absolvens a voto

a) Iubacoñ *R.; leg.* Iuliacen. b) *aut* qui in — contingunt *aut* licet in — contingant *legendum videtur.* c) Dat. ut supra *R.* d) nosceris *R. Ita in ep. [quae non superest] de hac re 'electo' directa scriptum est, cuius ep. authenticum ex hoc eodem exemplo confectum esse propter hunc errorem certum est; cf. p. 376, not. b.* e) deputata *deest R.*

1) *Stemma: Margarita, Gerardus III comes Geldriae et Margarita, Henricus I dux Brabantiae, Godefridus III et Margarita — Henricus II dux de Limburc — Henricus III, Walramus IV, Mathilda et Willelmus III comes Iuliac., Willelmus IV.* 2) *Iam ab a. 1237.* 3) *Cf. p. 329, not. 1.* 4) *Val-Saint-Lambert ad Mosam fl., supra Leodium.* 5) *De eodem cf. n. 452.* 6) *Cf. p. 335, not. 1, n. 549 et Berger 3834.*

crucis crucesignatos huiusmodi et concedens eis illas suorum veniam peccatorum et indulgentiam, que transeuntibus in Terre Sancte subsidium in generali concilio sunt concesse; contradictores etc., — non obstante indulgentia, si qua est aliquibus ab apostolica sede concessa, ut interdici vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, que de ipsa indulgentia expressam non fecerint mentionem, seu aliqua alia, de qua in litteris nostris mentio fieri debeat specialis.

Dat. ut supra.

548.

Innocentius IV papa praefecto Urbis, Petro Bonifatii, Amatori filio quondam Gabrielis de Praefectis et aliis Praefectanis scribit se decrevisse, ut homines de Vico et de Bleda et aliis terris, eorum vassalli, qui se et castra eadem capitaneis Friderici quondam imperatoris proditorie exhibuissent, ad gratiam ecclesiae non admitterentur, nisi plenarie satisfecissent; mandat, ut his et aliis rebellibus ecclesiae viriliter resistant. — Iisdem idem fere scribit de quibusdam aliis infidelibus Patrimonii in Tuscia, qui eis gravia damna irrogarerint. *1248, Apr. 30.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 526; Lib. V, 801 et 802. Pertzii exemplar epistolae primae contulimus cum Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sedis t. I, p. 126, n. 233.

Potthast, Reg. 12916; Berger 3849 et 3850.

1.

Nobilibus viris . . prefecto Urbis, Petro Bonifatii, Amatori filio[a] quondam Gabrielis de Prefectis dominis de Vico et aliis Prefectanis[1].

Quia cuique pro meritis retributione convenit congrua responderi, fideles et devotos ecclesie, maxime quos presentis temporis examinavit necessitas, dignis decet remunerari premiis et infidelium ac indevotorum inconstantiam pena debita castigari, ut et illorum remuneratio inducat alios ad ipsius ecclesie famulatum et istorum vindicta ceteris ausum cohibeat delinquendi. Hinc est, quod cum homines de Vico et Bleda ac aliis terris vestris, vassalli vestri, fidelitate qua vobis tenentur astricti relicta, vobis in devotione ecclesie persistentibus, tamquam proditores se et castra vestra ubi morabantur capitaneis F. quondam Romanorum imperatoris exhibere presumpserint, nichilominus in aliis castris, vassallis et bonis dampna gravia irrogantes: nos, ne de illatis taliter vobis offensis relinquantur impunes, presentium auctoritate precipimus, ut omnia huiusmodi dampna sic vobis a predictis vassallis vel occasione illorum illata, et que deinceps, quamdiu in huiusmodi infidelitate perstiterint, inferri contigerit, nec non et ablata omnia vobis ab ipsis vassallis et fructus ac proventus ipsorum castrorum taliter ammissorum vobis integre restaurentur, antequam plenarie satisfecerint de premissis ad gratiam ecclesie nullatenus admittendis. Et quia iidem vassalli vos et alios ecclesie fideles impugnare ac offendere non desistunt, eadem vobis auctoritate concedimus, ut de offensis illatis rebellibus et aliis ecclesie inimicis ac etiam de cetero vobis inferendis occasione huiusmodi non possitis ab aliquo conveniri; de quibus vos duximus absolvendos. Precipimus insuper, ut nulla comunitas civitatis vel castri, baro vel alia persona ipsos vassallos vestros ac bona eorum, qui in vos, dominos suos,

a) filio *deest B. et T.*

1) *Cf. n. 531 et 528.*

tantum facinus commiserunt, defendere, receptare ac in ipsorum bonis vos aliquatenus molestare presumant. Ut autem fidei vestre puritas semper clarius elucescat, nobilitatem vestram rogamus et hortamur attente, mandantes quatinus eisdem ac aliis ecclesie rebellibus promptitudine ac fortitudine spiritus premuniti resistatis viriliter, in ipsius ecclesie devotione, que vos inter ceteros eius filios favore et gratia proponit attollere speciali, stabiles more solito permanendo.

Dat. Lugduni, II Kal. Maii, anno V°.

II.

Eisdem.

Quia cuique etc. Hinc est, quod cum communitates civitatum et castrorum tam patrimonii beati Petri in Tuscia quam aliarum partium vicinarum, comes Anguillarie[1], Gregorius Cinthii et filii eius, domini Tulfe veteris, Tuscanenses, Vetrallenses, Gallesani[2] ac homines de Turricella[3], Barbarani[4], et alteri[a] ecclesie Romane fidelitate relicta tamquam filii degeneres vobis in devotione ipsius existentibus dampna in castris, vassallis et aliis bonis vestris gravia irrogarint, nos, ne de illatis vobis offensis etc. ut supra usque: huiusmodi dampna vobis ab eisdem communitatibus et personis vel occasione illorum illata etc. usque: contigerit, necnon ablata omnia vobis a predictis omnibus integre restaurentur etc. ut supra usque in finem.

549.

Innocentius IV papa [Henrico III] electo Leodiensi concedit, ut ad prosequendum negotium ecclesiae contra Fridericum quondam imperatorem proventus beneficiorum ad collationem suam spectantium, quae usque ad triennium in civitate et diocesi Leodiensi vacaverint, per annum percipiat. *1248, Mai. 4.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 526; Lib. V, 800.
Berger 3848.

. . Leodiensi electo[5].

Ad prosequendum ecclesie negotium contra Fridericum quondam[b] imperatorem ac fautores suos, persecutores eiusdem ecclesie, tuis petitionibus favorabiliter annuentes, percipiendi pro expensis ad hoc necessariis per annum fructus beneficiorum ad tuam collationem spectantium, que usque ad triennium in civitate ac diocesi Leodiensi vacare contigerit, et compescendi, si necesse fuerit, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione remota tibi auctoritate presentium concedimus facultatem, proviso quod tantum de beneficiorum ipsorum fructibus reservetur, ut interim in ecclesiis, in quibus beneficia sunt predicta, possit per personas idoneas congrue deserviri.

Dat. Lugduni, IIII Nonas Maii, anno V°[6].

a) *ita R.* b) Romanorum *pro* quondam *R.*

1) *E mer. et or. civ. Sutrii.* 2) *Ex sept. Civitatis Castellanae.* 3) *E mer. et occ. civ. Reatinae.* 4) *Ex occ. civ. Sutrii.* 5) *Cf. n. 547.* 6) *Sub Mai. 6 eundem reprehendit, quod, sicut advocatus, maior, iurati, scabini et communia de Hoio [Huy] et de Dinant sibi exposuerint, eos exactionibus indebitis aggravet ac personas et res eorum capiens, villas arcte obsederit in gravi plurimorum scandalum; mandat, ut in requirendis a subditis suis isto praecipue tempore iuribus suis patiens sit et a praedictis, sicut*

550.

Innocentius IV papa [Conrado] episcopo Frisingensi aliisque nominatis mandat, ut [Ottonem II] ducem Bawariae, A[gnetem] uxorem et filios eius et quosdam alios fautores Friderici quondam imperatoris efficaciter inducant, ut Conrado comiti de Wasserburg castra et possessiones, quae detineant occupata, restituant, eosque, si hoc facere noluerint, per excommunicationis et interdicti sententias ad id cogant. *1248, Mai. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 528; Lib. V, 809. Pertzii exemplar contulimus cum Sbaralea, Bullar. Francisc. t. I, p. 515, n. 277. Initium insuper, quousque nomina propria leguntur, iterum cum Regestis contulit V. Cl. O. de Falke.

Potthast, Reg. 12885; Berger 3857.

.. Frisingensi, .. Pataviensi[1], .. Ratisponensi et .. Eistetensi[a] episcopis ac dilectis filiis .. electo Augustensi et .. procuratori ecclesie Salzburgensis.

Cum, sicut dilectus filius nobilis vir Conradus comes de Wazeburc[2] crucesignatus, ecclesie Romane devotus, nobis exposuit conquerendo, nobilis vir .. dux Bawarie[3] et A. uxor et filii[b] eius, Rapoto palatinus Bawarie, Bertholdus marchio de Hohenburch[4], Gebeardus de Hisperch[5], Octo de Bleien[6] et Albertus de Mesburch[7] comites, Liutzemannus de Lapide[8], Wernerus de Laber[9], Henricus de Wilheam[10], Ludowicus de Hogenowe[11], Engescalcus de Haginebere[12] et Hermannus frater eius, Henricus de Lechsberch[13], Sifridus de Frounberch[14], Ulricus de Friuntsberch[15], Sifridus de Fronohven[16] et Bertoldus[c] de Schilthberch[17] et quidam alii sequaces eorum vestrarum diocesum, fautores Friderici quondam imperatoris, Dei et ecclesie inimici, castra, villas et possessiones suas hostiliter invadentes, ea omnia occuparint et detineant occupata[18], propter quod sui voti executio impeditur: mandamus, quatinus, si est ita, dictos ducem, uxorem et filios necnon comites ac alios, ut eidem comiti castra, villas et possessiones predicta cum fructibus a tempore occupationis huiusmodi perceptis ex eis restituant ut tenentur, et ab ipsius ac terre sue molestia et gravaminibus de cetero conquiescant, moneatis attentius et efficaciter inducatis, ipsos ad id, si monitis acquiescere non curaverint, per excommunicationis in personas et in terras eorum interdicti sententias appellatione remota cogentes, easque sententias, si protervitas exegerit eorundem, singulis diebus dominicis et festivis per loca, in quibus expedire videritis, pulsatis campanis et candelis accensis innovantes sollempniter et

a) Cist'ceñ *R.* b) filiis *R.* c) Betoldus *R.*

asserant in ipsius fidelitate promptissimis, nihil exigat contra consuetudinem a praedecessoribus suis observatam, cum parati sint coram papa iuri stare, addens: nec te gravet aut tibi molestum existat, si ex quadam urgenti necessitate et evidenti utilitate propter instans negotium mandamus, ut ad presens agas mitius cum predictis, quoniam tempore aptiori super exigendis et habendis ab eisdem plenarie tuis iuribus tibi efficaciter assistemus *etc.; Berger 3864.*

1) *De his cf. n. 417.* 2) *Wasserburg ad Inn fl. infra civ. Rosenheim.* 3) *Hic hoc fere tempore capitaneus imperialis ducatus Austriae constitutus est; Bohmer-Ficker, l. c. 3707, cf. 3708.* 4) *E mer. civ. Amberg; de marchione cf. Bohmer-Ficker, l. c. 3637 et 3706.* 5) *Hirzberg ex sept. et or. civ. Eichstadt.* 6) *Playen ex occ. civ. Salzburg* 7) *Mosaburg ex sept. et or. civ. Freising.* 8) *Stein ex sept. et or. civ. Ingolstadt.* 9) *Ex sept. et occ. civ. Regensburg.* 10) *E mer. lacus Ammersee.* 11) *Hagenau ad Inn fl. infra civ. Oetting.* 12) *E mer. et or. civ. Augsburg; cf. Bohmer-Ficker, l. c. 4511.* 13) *Ex occ. lacus Ammersee.* 14) *E mer. et or. civ. Freising; cf. Bohmer-Ficker, l. c. 3556.* 15) *Ex or. civ. Innsbruck.* 16) *Frauenhofen prope civ. Dachau.* 17) *Ex or. castri Wittelsbach.* 18) *Castrum Wasserburg a. 1247, circa festum sancti Martini [Nov. 11], occupatum esse tradunt Ann. Scheftlar. a. 1247, SS. t. XVII, p. 343. Comes a. 1249, Mart. 21 in curia Willelmi regis fuisse videtur; Bohmer-Ficker, l. c. 4972.*

facientes usque ad satisfactionem condignam auctoritate nostra sublato appellationis obstaculo inviolabiliter observari; districtius inhibendo ut interim in terris ipsis preter penitentias morientium et baptismata parvulorum nullum celebretur divinum officium aut exhibeatur ecclesiasticum sacramentum, — non obstante indulgentia, si qua supradicto duci Bawarie vel aliquibus predictorum a sede apostolica est concessa, ut excommunicari aut terre ipsorum ecclesiastico interdicto supponi aut ipsi trahi ad iudicium extra eorum terras non possint per litteras apostolicas absque apostolice sedis speciali mandato faciente plenam de ipsa indulgentia mentionem, seu aliqua alia, de qua in litteris nostris mentio fieri debeat specialis. Alioquin, ne idem comes pro defectu vestro sui iuris dispendium patiatur, damus dilectis filiis fratribus Henrico de Ankesperge[1] et Hermanno de Botenbrunnen[2] ordinis fratrum Minorum et . . vicedomino Ratisponensi[3] nostris litteris in mandatis, ut ipsi mandatum super hoc apostolicum exequantur.

Dat. Lugduni, III Non. Maii[4], anno V°[5].

Illis scriptum est verbis competenter mutatis usque: exequantur, — non obstante indulgentia, qua ordini fratrum Minorum dicitur esse concessum, ut de causis vel executionibus non teneantur se intromittere fratres eiusdem ordinis seu cognoscere per litteras apostolicas, que de ipsa indulgentia non fecerint mentionem. Quod si non omnes etc.

Dat. ut supra.

551.

Innocentius IV papa iisdem mandat, ut in civitatibus et dioecsibus suis contra Fridericum quondam imperatorem et C[onradum] natum eius crucem praedicent et crucesignatis eam indulgentiam largiantur, quae proficiscentibus in Terrae Sanctae subsidium concessa sit. *1248, Mai. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 529; Lib. V, 812. Pertzi exemplar contulimus cum Mone, Anzeiger a. 1838, p. 350, qui exemplar, quod ex Reg. manasse videtur, proposuit; cf. infra not. 4.
Potthast, Reg. 12920; Berger 3860.

Eisdem[a].

Illius vices, licet immeriti, gerentes in terris, qui non vult mortem peccatoris sed vitam inquirit, tanto artiori dolore turbamur, quanto nobilius membrum in ecclesie corpore interdum ledi contingit. Unde, quia tectum vulnus, si dimittatur intactum, solet in scandalum corporis latius evagari, nos olim, videntes quod F. quondam

a) *Cf. infra not. 5.*

1) *Angersberg v mer. et occ. cir. Enns.* 2) *Pottenbrunn ex sept. et or. cir. St. Polten.* 3) *Bertholdo de Sigemaringen, fratri Alberti ep. Ratisponensis. Sub Mai. 23 papa abbati Sancti Emmerami Ratisp. commisit, ut eum absolveret ab irregularitate, si quam incurrisset prosequendo negotia ecclesiae contra fautores Friderici; Berger 3905; Potthast, Reg. 12940. Cf. p. 396, not. 3.* 4) *'Kal. Apr.' ap. Mone, Anzeiger f. Kunde d. deutschen Mittelalters a. 1838, p. 348 legitur, qui ep. ex Cod. Vatic. 7183 proposuit; falso, cum epistolae codicis illius, quas edidit, ex Reg. sumptae videantur. Nam a) omnes ep. in Reg. quoque extant. b) Omnibus ep., sicut Reg. mos est, nomen papae antepositum non est, cum Mone falso eas Gregorio IX papae attribuerit. c) Difficile est intellectu, qua de causa vel quo modo ep. cod. illius colligi potuerint nisi in Reg.* 5) *Sub eodem die papa eisdem mandavit, ut Conrado comiti viriliter et potenter assistant et ut eidem in suis necessitatibus subvenire velint hilariter et libenter; Berger 3858 et 3859; Potthast, Reg. 12921 et 12922.*

imperator propriam negligendo salutem excommunicationis sententiam, quam in eum suis culpis exigentibus ecclesia Romana protulerat, dampnabiliter contempnebat, et expectantes diutius ut percussus dolens ad percutientem se in humilitate rediret dominum exercituum inquirendo, immo, quod dolentes referimus, indurato corde medicinam exhorrens et increpationem abhominans discipline ac malleum velut stipulam reputans non solum nulla penitudine se correxit, verum etiam addiciens peccatum peccatis contra se audacter irritavit Dominum, in ecclesia sua eum[a] in multis gravissime persequendo, eundem F. ab omni dignitate ac honore, quibus se indignum reddiderat, sententiando privavimus ac omnes, qui ei tenebantur iuramento astricti, a iuramento huiusmodi perpetuo duximus absolvendos. Verum quia in omnibus hiis non
Es. 5. 25. est aversus[b] furor eius sed adhuc manus eius extenta, ita ut plaga eius insanabilis videatur, et dignum est, ut quos divinus timor a malo non revocat, temporalis saltem coerceat disciplina, si forte vexatio ei tribuat intellectum: per apostolica vobis scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatinus singuli vestrum in vestris civitatibus et diocesibus contra dictum F. et C. natum eius ac fautores ipsorum proponatis subiectis vobis populis verbum crucis, eosdem populos adversus ipsos tamquam perversores fidei et libertatis ecclesiastice subversores studiosius animando, concessuri auctoritate nostra eis, qui huiusmodi onus in propriis personis et rebus assumpserint, illas suorum peccatorum veniam et indulgentiam, que proficiscentibus in Terre Sancte succursum in generali concilio sunt concesse; preceptum nostrum taliter impleturi, quod sollicitudinis vestre studium clareat per effectum et apostolica sedes, quantum de vobis confidere debeat, in hoc argumentum evidens capiat, vosque de inobedientia vel contemptu argui non possitis.

Dat. ut supra.

552.

Innocentius IV papa fratribus Henrico de Ankesperge et Hermanno de Botenbrunnen ordinis Minorum et [Bertholdo] vicedomino Ratisponensi ad preces Conradi comitis de Wasserburc mandat, ut contra cives de Hochnowe, ministeriales comitis et filios eorum et Conradum militem de Sebruke, qui ecclesiae iterum rebellent, excommunicationis et, si necesse fuerit, interdicti sententias promulgent, nisi infra festum assumptionis beate Mariae satisfecerint. *1248, Mai. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 529; Lib. V, 813. Pertzii exemplar contulimus cum Sbaralea, Bull. Francisc. t. I, p. 514, n. 276.

Potthast, Reg. 12919; Berger 3861.

Dilectis filiis fratribus Henrico de Ankesperge[c] et Hermanno de Botenbrunnen ordinis fratrum Minorum et .. vicedomino Ratisponensi[1].

Dilectus filius nobilis vir Corradus comes de Wazerburc proposuit coram nobis, quod licet cives de Hochnowe[d] [2], ministeriales sui et uxores ac filii eorundem necnon et Conradus miles de Sebruke[3] Frisingensis diocesis ab excommunicationis sententia,

a) *ita M.;* eum *deest P.* b) adversus *P., M.* c) Arbrespergo *B.;* Arbruspergo *Sb.* d) Hochnowe *B.;* Hachnowe *Sb.*

1) *Cf. n. 550.* 2) *Altenhohenau ad Inn fl. supra civ. Wasserburg.* 3) *Seebruck in parte septentrionali lacus Chiemsee.*

quam per sedem apostolicam in omnes adherentes F. quondam imperatori latam incurrerant, olim fuerint per dilectum filium . . electum Ferrariensem, tunc apostolice sedis legatum, iuxta formam ecclesie absoluti, prestito ab eis de perseverando in fidei puritate ac ecclesiastica[a] devotione corporaliter iuramento; nichilominus tamen ipsi, tamquam canes ad vomitum redeuntes, inimicis ecclesie assistere animosius solito sibique, ipsorum domino, rebellare in suarum animarum periculum non verentur. Ne igitur iidem de ingratitudinis et infidelitatis vitio se reportasse comodum glorientur, mandamus, quatinus, nisi predicti et alii in hoc eis similes ad cor reversi ad mandatum ecclesie cum satisfactione super hoc edita infra festum assumptionis beate Marie virginis[1] proximo venturum redire curaverint, ex tunc excommunicationis sententie subiciatis eosdem et faciatis excommunicatos per loca, in quibus expedire videritis, singulis diebus dominicis et festivis pulsatis campanis et candelis accensis usque ad satisfactionem condignam sollempniter nuntiari. Si vero protervitas exegerit eorundem, terras ipsorum supponatis districtissimo ecclesiastico interdicto, ita quod preter penitentias morientium et baptismata parvulorum tam per seculares quam regulares clericos nullum in eis divinum celebretur officium aut exhibeatur ecclesiasticum sacramentum. Et ut eis forte vexatio tribuat intellectum, ipsos omnibus legitimis actibus et feudis, que ab ecclesiis tenent, denuntietis auctoritate nostra privatos, concessa illorum dominis disponendi de ipsis libera facultate; contradictores etc., — non obstante indulgentia, qua ordini fratrum Minorum etc. Quod si non omnes etc.

Dat. ut supra[b] [2].

553.

Innocentius IV papa [Alberto] Ratisponensi et [Conrado] Misnensi episcopis mandat, ut barones et nobiles regni Bohemiae, qui licet contra F[ridericum] quondam imperatorem et fautores eius signum crucis receperint, eisdem auxilium praestent, diligenter moneant, ut ad gremium ecclesiae revertentes [Wenceslao] regi Bohemiae, ecclesiae devoto, potenter assistant, alioquin eos excommunicatos nuntient. *1248, Mai. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 529; Lib. V, 811. Pertzii exemplar contulimus cum Boczek, Cod. dipl. Moraviae, t. III, p. 87.

Potthast, Reg. 12917; Berger 3862.

. . Ratisponensi et . . Misnensi episcopis.

Significante carissimo in Christo filio nostro . . illustri rege Boemie nobis innotuit, quod cum ipse pro devotionis fervore ac fidei puritate, quam ad nos et Romanam ecclesiam habere noscitur, F. quondam imperatori eiusque fautoribus se potenter opposuerit et opponat pro defendenda ecclesiastica libertate, nonnulli[c] barones et nobiles regni sui, qui contra eundem F. aliosque inimicos ecclesie receperant signum crucis, in reprobum sensum dati, sicut canes ad vomitum redeuntes, dicto F. eiusque sequacibus prestare presumunt[d] in proprie salutis dispendium consilium, auxilium et favorem[3]. Mandamus, quatinus barones et nobiles supradictos, quod eiusdem F. relicta

a) ecclesie *Sb.* b) *ita R;* IV Non. Maii *Sb. falso.* c) ac nonn. *P.;* at nonn. *Bo.* d) *Bo.;* presumant *P.*

1) *Aug. 15.* 2) *Sub Mai. 11 eisdem mandavit, ut [Rudigero] episcopo Pataviensi inhiberent, ne castra, villas, oppida, terras et alia bona ecclesiae Pataviensis aliquatenus vendere, distrahere aut alienare praesumeret; Potthast, Reg 12925: quae ep. in Reg. non extat.* 3) *Cf. Wenceslai regis hist. SS. t. IX, p. 167.*

perfidia ad gremium matris ecclesie revertentes, eisdem ecclesie ac regi potenter ac patenter assistant, monere diligentius ac inducere procuretis. Quod si forte monitis vestris non acquieverint in hac parte idque propter metum regis eiusdem se forte asserant non audere: ad huiusmodi occasionis materiam amputandam tam a rege predicto, quod in personis vel rebus ipsos aliquatenus non offendat, quam etiam ab eis, quod premissa observent, iuratoria et fideiussoria cautione receptis, ipsos auctoritate nostra ab excommunicationis sententia, quam propter hoc incurrisse noscuntur, iuxta formam ecclesie absolvatis, alioquin eos excommunicatos publice nuntietis ac faciatis ab omnibus artius evitari, supponentes terras eorum ecclesiastico interdicto, ita quod preter parvulorum batisma[a] et penitentias morientium nullum in eis penitus divinum officium celebretur aut exhibeatur ecclesiasticum sacramentum, ad hoc, si necesse fuerit, invocato auxilio brachii secularis: contradictores etc.

Dat. ut supra[1].

554.

Innocentius IV papa [Alberto] episcopo Ratisponensi mandat, ut contra cives Ratisponenses, nisi infra festum assumptionis beatae Mariae [Aug. 15] ad mandatum ecclesiae redierint et de variis excessibus, quos Friderico quondam imperatori adhaerentes commiserint, competenter satisfecerint, excommunicationis et interdicti sententias promulget easque observari faciat. *1248, Mai. 13.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 532; Lib. V, 832. Pertzii exemplar contulimus cum Rayn. Ann. eccl. a. 1248, § 10. Potthast, Reg. 12927; Berger 3880.

. . episcopo Ratisponensi.

Immanitas detestandorum facinorum, que cives Ratisponenses in Deum et homines attemptarunt, ipsum proculdubio incitat et incitare debet homines contra eos ipsosque reddere odibiles universis, qui perfidie dolositatem oderunt et diligunt fidei puritatem. Iidem enim cives, sicut te accepimus intimante, bone memorie Siffridum episcopum, predecessorem tuum, quia Fridericum quondam imperatorem, Dei et ecclesie inimicum, excommunicatum et depositum auctoritate apostolica prout tenebatur denuntiavit[2], tamquam eidem Friderico in animarum suarum periculum prestantes auxilium, consilium et favorem in subversione ecclesiastice libertatis[3], de civitate Ratisponensi et sede sua eicere temere presumpserunt, et latas in ipsos ab eodem predecessore propter hoc excommunicationis et in civitatem ipsam interdicti sententias dampnabiliter contempnentes, mortuos suos tradiderunt ausu nephario ecclesiastice sepulture[4], ipsum predecessorem non longe post defunctum sepeliri honore congruo in Ratisponensi ecclesia temere prohibendo. Postmodum vero te assumpto ad regimen ecclesie supradicte[5], dicti cives in te nichilominus insurgere presumentes, licet eis omnem humanitatem et reformationem ipsorum in spiritualibus et temporalibus promitteres, te

a) baptisma *Bo., quod legas.*

1) *Sub Mai. 1 papa [Philippo] procuratori ecclesiae Salisburgensis mandaverat, ut Engelberto decano Wissegradensi et procuratori regis Bohemiae de aliquo beneficio in provincia Salisburgensi provideret; Berger 3865; Potthast, Reg. 12918.* 2) *Cf. p. 116, not. 2.* 3) *Sub a. 1245, Nov. imperator in favorem civium constitutionem contra libertatem civitatum episcoporum a. 1231, Dec. editam [cf. Böhmer-Ficker, l. c. 1917 et 1953] revocaverat et iis indulserat, ut communia consilia sibi statuerent et magistros seu rectores civium vel quoslibet officiales alios libere sibi ordinarent; Böhmer-Ficker, l. c. 3516.* 4) *Cf. ibid. 4504.* 5) *Cf. p. 163, not. 4.*

nichilominus eiecerunt et iuribus tuis in moneta, theloneo, iudiciis et aliis ad te spectantibus[1] per violentiam spoliantes, ea omnia Conrado nato dicti Friderici integre assignarunt; propter quod tam tu quam dilectus filius . . electus Ferrariensis, tunc in partibus illis apostolice sedis legatus[2], in eos excommunicationis et in civitatem eandem interdicti sententias proferentes, fecistis eos excommunicatos denuntiari publice ac ab omnibus artius evitari. Sed ipsi, clavibus ecclesie vilipensis ut prius mortuos suos excommunicatos sepelientes in cimiterio, et corpus cuiusdam converse[a] ad mandatum ecclesie redeuntis, que extra civitatem in campo, ut mortuis non communicaret que non communicarat et vivis, sepeliri petiit, exhumantes, illud, quod detestabile est narrare, cum fune per medium civitatis in Iesu Christi et ecclesie contumeliam diutius tractum tandem extra muros proiecerunt canibus et aliis bestiis ac avibus ad vescendum. Preterea quendam sacerdotem ad tuum mandatum et ecclesie redeuntem cedentes alapis ac usque ad effusionem sanguinis verberantes, conspuerunt in eum, et in opbrobrium Crucifixi extensis manibus ducentes eundem tam diu tenuerunt carceri mancipatum, donec pro redemptione sua solvit eis pecuniam quam petebant, alias sibi dampna plurima inrogando. Insuper addicientes peccata peccatis quoddam inter se fecere statutum, ut nullus cruce signatus cum signo crucis vestibus suis imposito modo aliquo audeat apparere, et qui cum hoc signo reppertus fuerit, penis affectus variis debeat morti tradi. Ne igitur tante temeritatis excessus, si repressi non fuerint, transeant aliis in exemplum et facilitas venie incentivum tribuat aliis delinquendi, nos, cupientes ipsos cives iuxta officii nostri debitum ad viam ab invio revocare, mandamus, quatinus nisi prenominati cives a te moniti diligenter infra festum assumptionis beate Virginis proximo futurum[3] ad ecclesie mandatum redierint et immobiles perstiterint in fide ac[b] devotione ipsius et competenter satisfecerint de premissis, ex tunc eos excommunicatos et civitatem ipsam interdicto suppositam publice nunties, faciens utramque sententiam auctoritate nostra usque ad satisfactionem condignam appellatione remota inviolabiliter observari, ita quod in ea nullus religiosus vel alius clericus pretextu alicuius sedis apostolice indulgentie preter penitentias morientium et baptismata parvulorum celebret divinum officium aut exhibeat ecclesiasticum sacramentum, et ipsos nichilominus omnibus feudis, que ab ecclesiis tenent, privans omnino, eis, ad quos illorum collatio pertinet, conferendi eadem devotis ecclesie ac impugnantibus indevotos eosdem licentiam largiaris, districtius inhibendo ut nullus cum eis exerceat commercium vel contractum ac de debitis seu depositis eis, quamdiu in huiusmodi duraverint pertinacia, debeat respondere, ac debitores et depositarios a iuramentis sive penis, quibus forte tenentur, interim absolvendo, eisdem civibus omnibus actibus legitimis nichilominus interdictis. Ad hec, ut vindicta tantorum scelerum in penam parentum ad eorum posteros extendatur, volumus et mandamus, ut heredes clericos civium eorundem usque ad quartam generationem beneficiis prives ecclesiasticis et privatos publice studeas nuntiare[4], ac omnia privilegia et indulgentias a quibuscumque illis concessa decernas auctoritate nostra cassa et irrita et nullius esse penitus firmitatis; contradictores, si qui fuerint, vel rebelles etc.

Dat. Lugduni, III Idus Maii, anno V°.

a) *ita R. FALKE;* comitisse *Rayn.* b) ad *R.*

1) *Cf. p. 392, not. 3.* 2) *Usque ad a. 1247, Febr. exeunt. legatus erat; cf. p. 218, not. 1.* 3) *Aug. 15.* 4) *Cf. Potthast, Reg. 12951, quae ep. in Reg. non extat.*

555.

Innocentius IV papa praeposito ecclesiae de Dairago Mediolanensis diocesis ad preces G. comitis de Cavalliate mandat, ut David dicto Bonavento clerico Mediolanensi in aliqua ecclesiarum Mediolanensis civitatis vel diocesis, cathedrali excepta, de beneficio ecclesiastico provideat. 1248, Mai. 13.

Inn. IV Reg. Vol. I, 532; Lib. V, 833. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. O. de Falke. Berger 3881.

.. preposito ecclesie de Dairago[1] Mediolanensis diocesis.

Ad provisionem illorum, qui clericali militie sunt ascripti, officii nostri debitum nos inducit. Cum igitur dilectus filius David dictus Bonaventus clericus Mediolanensis nullum adhuc, prout asserit, ecclesiasticum beneficium sit adeptus, nos, obtentu dilecti filii nobilis viri G. comitis de Cavalliate[2] nobis pro eo supplicantis inducti. mandamus, quatinus eidem clerico in aliqua ecclesiarum Mediolanensis civitatis vel diocesis, cathedrali dumtaxat excepta, provideas auctoritate nostra vel provideri facias in ecclesiastico beneficio competenti, etiam si curam habeat animarum, si vacat ad presens vel quam primum ad id obtulerit se facultas, — non obstante etc. ut supra in DCCCXXVII capitulo[a] usque: preferendus —; contradictores etc.

Dat. ut supra.

556.

Innocentius IV papa Swiggero canonico Spirensi ad preces Conradi comitis de Wasserburc indulget, ut ei praeter beneficia iam obtenta unicum aliud beneficium, si ipsi canonice offeratur, retinere liceat. 1248, Mai. 13.

Inn. IV Reg. Vol. I, 534; Lib. V, 859. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. O. de Falke. Berger 3907.

Scoiggero[b] canonico Spirensi.

Dignum est, ut gratia sedis apostolice uberius extendatur ad illos, qui eam sibi student et propriis donis et nobilium devotorum ecclesie precibus vendicare. Ad faciendam igitur tibi gratiam specialem et ob[c] nobilitatem morum et generis, quibus adiuvari diceris, et obtentu dilecti filii nobilis viri Conradi comitis de Wazeburc[d 3] nobis pro te supplicantis inducti, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut preter beneficia ecclesiastica, que nunc obtines, quorum quedam ut asseris curam habent animarum annexam, liceat tibi unicum beneficium vel dignitatem aut personatum, etiam si similem curam habeat, si tibi canonice offeratur, recipere ac unacum obtentis libere retinere — constitutione generalis concilii super hoc edita non obstante —; proviso quod beneficia, dignitates et personatus etc. usque: negligatur. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, III Idus Maii, anno V°.

---

a) *in hac ep., Berger 3875, talia sine dubio non extant; fortasse* DCCCXXVIII *legendum est, fortasse* DCCXXXVII *[v. supra sub n. 532], ubi formulae perscriptae sunt.* b) *ita R.; leg.* Swiggero. c) et *apogr. F.* d) Wirzeburc *B.*

1) *Inter civ. Mediolanensem et Lacum maiorem.* 2) *Caraglià, ex sept. et occ. civ. Vercellensis. Sub a. 1248, Nov. imperator Iorino et Petro fratri eius et omnibus aliis comitibus de Cavalliate comitatum et possessiones suas confirmavit; Bohmer-Ficker, l. c. 3727.* 3) *Wasserburg, cf. n. 550 et 552.*

557.

Innocentius IV papa magistro Radulfo rectori ecclesiae de Ringingin ad preces H[ugonis IV] comitis palatini de Tubingin indulget, ut ei praeter ecclesias de Ringingin et de Laichingin unicum aliud beneficium, si ipsi canonice offeratur, retinere liceat.

1248, Mai. 13.

Inn. IV Reg. Vol. I, 534; Lib. V, 860. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. O. de Falke. Berger 3908.

Magistro Radulfo rectori ecclesie de Ringuigin[a1] Constantiensis diocesis.

Ad faciendam tibi gratiam specialem tue probitatis meritis, super quibus laudabile testimonium perhibetur, et precibus dilecti filii nobilis viri H. comitis palatini de Ciugin[b2] nobis et ecclesie Romane devoti pro te nobis supplicantis inducti, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut preter de Ringuigin et de Laichingin[3] ecclesias, quas curam animarum habentes te proponis canonice assecutum, liceat tibi unicum beneficium, etiam si similem curam habeat, si tibi canonice offeratur, recipere ac unacum eisdem ecclesiis libere retinere — constitutione generalis concilii super hoc edita non obstante —, ita tamen quod eedem ecclesie et beneficium etc. usque: negligatur. Nulli etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, III Idus Maii, anno V°.

558.

Innocentius IV papa [Conradum] abbatem Augiensem laudat, quod cum hactenus circa negotium ecclesiae negligens visus fuerit, nuper H. de Kiburg et aliis comitibus ecclesiae devotis contra C[onradum] natum F[riderici] quondam imperatoris in pugna ita astiterit, ut ille tergum vertens fere captus fuerit, eumque in gratiam apostolicam admittit.

1248, Mai. 15.

Inn. IV Reg. Vol. I, 544; Lib. V, 968. Pertzii exemplar contulimus cum Rayn. Ann. eccl. a. 1248, § 16, et cum Mone, Anzeiger a. 1838, p. 351, qui exemplar cod. Vatic. 7183, quod ex Reg. manasse videtur, proposuit; cf. p. 389, not. 4. Edd. valde mendosae sunt.

Potthast, Reg. 12928; Berger 4015.

Abbati Augensis monasterii ordinis sancti Benedicti ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis Constantiensis diocesis[c4].

Venerabilis fratris nostri . . Constantiensis episcopi[5] et dilectorum filiorum nobilium virorum H[artmanni] de Kyburch[6], L[udovici] de Froburc[7], G[otefridi] de

---

a) *leg.* Ringingin. b) Cingin *R.;* Tuīgin *i. e.* Tubingin *legendum est.* c) Eidem *R.; antecedit n. 560.*

1) *Ringingen in württemb. O. A. Blaubeuren.* 2) *Cf. n. 313.* 3) *Ex sept. et occ. circ. Blaubeuren.* 4) *De hoc cf. n. 366. Sub a. 1247, Sept. 28 Petro cardinali legato mandaverat, ut si idem inutilis et remissus inveniretur eumque a regimine monasterii amoveri contingeret, monasterium ipsum abbati Sancti Galli spiritualiter et temporaliter tamdiu gubernandum committeret, donec de eo ab apostolica sede aliter provisum esset; Berger 3273.* 5) *Cf. n. 521.* 6) *Cf. p. 351, not. 3.* 7) *Cf. n. 442.*

Signeringen[1] et H[artmanni] de Grueningen comitum Romane ecclesie devotorum per litteras nobis extitit intimatum, quod si actenus circa negotium ecclesie visus fueris negligens et remissus, provenit ex industria, non contumacia vel defectu, videlicet ut temporis oportunitate captata magis posses resistentes offendere quam offendi, opinione pro ipsorum assertione manifestius faciente, quod cum nuper C. natus F. quondam imperatoris aggregatis undique viribus, non attendens quod non in multitudine exercitus victoria belli sed est de celo tantummodo fortitudo, cum ipsis comitibus congredi attemptasset, astitisti eis viriliter et potenter cum decenti armatorum et honorabili comitiva, ita quod persecutor ecclesie terga vertens relictis rebus quam plurimis fere fuit manu valida captivatus[2]. Quare pro te nobis humiliter supplicarunt, ut tamquam ecclesie devotum filium in nostram gratiam et favorem te admittere ac prosequi benivolentia specialis gratie dignaremur. Nos vero, sperantes quod de cetero non latitet lucerna sub modio sed in lucem veniat et in evidentiam expectatam, contemplatione eiusdem episcopi et dictorum nobilium in gratiam et favorem apostolice sedis et nostram te duximus admittendum, mandantes quatinus taliter te habeas in futurum, quod per evidentia opera cognoscamus, quod vera sunt, que de te iidem nostris auribus intimarunt. Petitiones vero tuas, quantum cum Deo poterimus, favorabiliter admittemus.

Dat. Lugduni, Idibus Maii, anno V°[3].

559.

Innocentius IV papa [Henrico III] episcopo Argentinensi concedit facultatem dispensandi cum Conrado comite de Friburc, ecclesiae devoto, ut in matrimonio, quod ad sedandas discordias cum Sophia nata Friderici comitis de Zolre olim contraxerit, quarta consanguinitatis et affinitatis linea non obstante, remaneat. *1248, Mai. 18.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 533; Lib. V, 840. Exemplar, quod Schöpflin, Alsat. dipl. t. I, p. 398, n. 530 edidit, cum Regestis contulit V. Cl. O. de Falke.

Potthast, Reg. 12931; Berger 3888.

.. episcopo Argentinensi.

Etsi coniunctio copule coniugalis in quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu etc. ut supra[a] usque: exposcit. Cum igitur, sicut ex parte nobilis viri Conradi comitis de Friburch[4] accepimus, ad sedandas graves discordias et graves[b] inimicitias sopiendas, inter progenitorem[c] eius et nobilem virum Fridericum comitem de Zolre[5] diutius non

a) *epistola, quae sic incipit, non antecedit; formula saepius occurrit, cf. n. 68 I.* b) *ita R.* c) progenitores *S.*

1) *Sub a. 1247, Aug. 19 papa episcopo Constantiensi mandaverat, ut cum Bertholdo clerico, familiari Giberardi comitis de Sigemoringim contra inimicos ecclesiae se viriliter exercentis et potenter, dispensaret; Berger 3327. Sub a. 1247, Nov. 27 gratiam ad preces comitis de Sigemeringen, et alteram obtentu H. de Grunngen et G. de Sigemaringen comitum fecit; Potthast 12773c et b; cf. 13148a; quae ep. in Reg. non extant. Cf. n. 491.* 2) *Cf. Böhmer-Ficker, l. c. 4520c.* 3) *Sub Mai. 13 papa ad faciendum honorem Ratisponensi episcopo, electo Spirensi, abbati Sancti Galli, abbati Augiensi comitibusque et baronibus Sueviae, devotis ecclesiae, Eichstetensi episcopo mandaverat, ut Bertoldo vicedomino Ratisponensi in provincia Salisburgensi de beneficiis ecclesiasticis usque ad summam centum marcarum provideret. Sub eodem die eidem Bertoldo consideratione Ratispon. episcopi et G. comitis de Sigmaringen, fratrum eius, indulserat, ut praeter vicedominatum suum beneficia usque ad summam ducentarum marcarum reciperet; Berger 3892 et 3891; cf. n. 550 et 552.* 4) *Cf. n. 392, p. 348, not. 1 et infra sub Iun. 3.* 5) *Hic sub charta quadam in praesentia Conradi regis a. 1246, Aug. 29 conscripta testis invenitur; Böhmer-Ficker, l. c. 4511. Nepos eius, Fridericus burgravius de Nuremberc, parti ecclesiae adhaerebat; cf. ibid. 4879, 4883 et 4968.*

sine multa strage hominum agitatas, nobilem mulierem Sophiam natam ipsius Friderici, quarta eum consanguinitatis et affinitatis linea contingentem, duxerit in uxorem ac prolem susceperit ex eadem nec possit huiusmodi matrimonium dirimi absque gravi et grandi periculo plurimorum dictusque comes de Friburch in ecclesie devotione persistat: nos tibi, qui super hiis poteris habere notitiam pleniorem, dispensandi cum eodem comite, ut in huiusmodi matrimonio — impedimento non obstante predicto — remanere licite valeant, nec suscepte proli ex matrimonio sic contracto, quominus reputetur legitima, preiudicium generetur, plenam tibi concedimus facultatem.

Dat. Lugduni, XV Kal. Iunii, anno V°.

560.

Innocentius IV papa [Conrado] abbati Augiensi pro negotio ecclesiae aliquas possessiones monasterii sui titulo pignoris obligandi facultatem concedit. *1248, Mai. 19.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 544; Lib. V, 967.
Berger 4014.

.. abbati Augensis monasterii ordinis sancti Benedicti ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis Constantiensis diocesis[1].

Ut negotium ecclesie in tuis manibus suscipiat incrementum, quod non potest effici absque gravi onere expensarum, ut aliqua de possessionibus tui monasterii de consilio conventus ipsius possis pro tuis necessitatibus titulo pignoris obligare, auctoritate tibi presentium concedimus liberam facultatem.

Dat. Lugduni, XIIII Kal. Iunii, anno V°[2].

561.

Innocentius IV papa eidem concedit, ut ministeriales et vassallos monasterii sui C[onrado] nato F[riderici] quondam imperatoris adhaerentes per subtractionem feudorum compellat, ut a molestatione monasterii desistant. *1248, Mai. 20.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 543—544; Lib. V, 966.
Berger 4013.

.. abbati Augensis monasterii ordinis sancti Benedicti ad Romanam ecclesiam[a] nullo medio pertinentis Constantiensis diocesis.

Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod nonnulli ministeriales et vassalli monasterii tui, a te feuda tenentes, spreto iuramento fidelitatis, quo tibi tenentur,

a) *sequitur in R.:* etc. ut supra in proxima; *cf. infra not. 2.*

1) *Cf. n. 558.* 2) *Sub Mai. 20 abbati et conventui Augiensibus indulsit, ut ad receptionem seu provisionem alicuius per litteras apostolicas generales compelli non possent; sub Mai. 29, ut cum monasterium eorum, 'in medio pravae et perversae nationis situm', in temporalibus collapsum esset, fructus primi anni beneficiorum, ad collationem ipsorum spectantium, quae infra triennium vacare contingeret, percipere ac libere obtinere possent; Berger 4016 et Potthast. Reg. 12934a; Berger 4012.*

C. nato F. quondam imperatoris suisque fautoribus contra te ac Romanam ecclesiam dampnabiliter adherere presumunt, alii vero contra te nequiter consurgentes[a] iura et libertates ipsius monasterii enervare ac infringere non verentur, sicque tu eorundem malitiis impeditus nequis apostolice sedis negotiis, prout in tuis votis geritur, efficaciter imminere. Quare petebas a nobis, ut super hoc providere tibi paterna sollicitudine curaremus. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, compescendi per subtractionem feudorum ipsorum ministeriales et vassallos predictos, quod ipsius C. et fautorum eius relicta perfidia tibi in negotiis ecclesie assistant viriliter et potenter nec non a molestatione ipsius monasterii omnino desistant, auctoritate presentium tibi concedimus facultatem — indulgentia sedis apostolice contraria non obstante.

Dat. Lugduni, XIII Kal. Iunii, anno V°.

562.

Innocentius IV papa [Egenoni] episcopo Brixinensi mandat, ut cum auctoritate apostolica ecclesia Tridentina commissa ipsi fuerit, archidiaconum et capitulum eiusdem ecclesiae sibi inobedientes excommunicatos publice nuntiet, eique concedit, ut eos beneficiis privare eademque devotis conferre possit. *1248, Mai. 22.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 537; Lib. V, 891. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. O. de Falke. Berger 3942.

. . episcopo Brixinensi[1].

Tua nobis fraternitas intimavit, quod cum dilectus filius noster O. Sancte Marie in Via Lata diaconus cardinalis, apostolice sedis legatus, amministrationem ecclesie Tridentine tam in spiritualibus quam temporalibus tibi usque ad nostrum beneplacitum auctoritate nostra committens[2], mandarit . . archidiacono et capitulo ipsius ecclesie, ut per se vel per alium te super[b] amministratione ipsa non perturbarent in aliquo, quin potius tibi super hoc obedirent, in eos, si secus facerent, excommunicationis sententiam proferendo: iidem eam[c], faciendo contra, incurrere minime formidarunt, tuque in ipsos auctoritate commissionis huiusmodi, quia in hac tibi ratione amministrationis eiusdem obedire ac intendere contumaciter denegabant, canonica monitione premissa excommunicationis sententiam exigente iustitia protulisti; et licet ipsi ab eodem legato ex eo gravatos se asserentes, quod ad locum non tutum citabas[d] eosdem, ad nostram audientiam appellassent, dictus tamen legatus appellationem eorum reputavit frivolam, prout erat; sed archidiaconus et capitulum supradicti tamquam ecclesie clavium contemptores in huiusmodi contumacia persistentes, sic ligati excommunicatis aliis divina celebrare, immo quantum in eis est verius prophanare, ac ministrare sacramenta ecclesiastica non verentur, in animarum suarum periculum, tuum preiudicium et ecclesiastice discipline contemptum. Ut igitur pena docente cognoscant, quam temerarium sit apostolicis iussionibus contraire, mandamus, quatinus — appellatione non obstante premissa — ipsos excommunicatos publice nunties et tamquam excommunicatos facias usque ad satisfactionem condignam ab omnibus arcius evitari, eosdem, si nec sic resipuerint, suspendendi ab officiis et beneficiis privandi eaque beneficia

a) corrigentes *R.* b) desuper *R.* c) eum *R.* d) *ita R., ut F. annotavit;* citabat *B.*

1) *De eodem cf. n. 382 et 563 et Berger 3270 et 3271.* 2) *Cf. n. 293.*

conferendi personis idoneis et ecclesie Romane devotis, necnon dispensandi cum illis de ipso capitulo, qui per devotionis et obedientie studium se gratie duxerint[a] coaptandos, super irregularitatis nota, si quam contraxisse noscuntur, tibi auctoritate nostra facultate concessa; contradictores etc.

Dat. Lugduni, XI Kal. Iunii, anno V°.

563.

Innocentius IV papa [Egenoni] episcopo Brixinensi facultatem concedit, ut praelatos et clericos ecclesiae Tridentinae curae ipsius commissae, qui ei obedire contemnant, ab officiis suspendat et beneficiis privet. *1248, Mai. 25.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 533; Lib. V, 848.
Berger 3896.

.. episcopo Brixinensi.

Ut indevoti de indevotione iacturam et devoti comodum ex devotione reportent, suspendendi ab officiis et privandi beneficiis ecclesiasticis prelatos et clericos, tibi et ecclesie Tridentine tue cure auctoritate nostra commisse subiectos, qui tibi obedire contempserint, eaque beneficia conferendi personis idoneis et ecclesie Romane devotis nec non et dispensandi cum illis ex eisdem prelatis et clericis, qui per devotionis et obedientie studium se gratie coaptarint[b], super irregularitatis nota, si quam forsitan contraxerunt, et compescendi contradictores, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione remota fraternitati tue auctoritate presentium concedimus facultatem[1].

Dat. Lugduni, VIII Kal. Iunii, anno V°.

564.

Innocentius IV papa patriarcham Hierosolymitanum, apostolicae sedis legatum, aliosque devotos in partibus transmarinis constitutos laborare iubet, ut Thomasius comes Acerrarum, qui pro F[riderico] quondam imperatore in comitatu Tripolitano commorans devotis noceat, a partibus illis recedat. *1248, Mai. 25.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 558; Lib. V, cur. 53. Pertzii exemplar contulimus cum Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 623.
Potthast, Reg. 12941; Berger 4103.

Patriarche Ierosolimitano, apostolice sedis legato, archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis prelatis, Templariis et Hospitalariis et fratribus domus Theutonicorum necnon baronibus universis devotis ecclesie in transmarinis partibus constitutis.

Cum, sicut accepimus, Thomasius comes Acerrarum, qui pro F. quondam imperatore in comitatu Tripolitano dicitur commorari, devotis ecclesie noceat per

a) duxerit *R.* b) coaptarent *R.*

1) *Cf. n. 562.*

modos et fraudes a domino suo solitos sicut potest, universitati vestre mandamus, quatinus quod idem comes de partibus illis omnino recedat, sollicite laboretis. Tu vero, frater patriarcha, loca, ubi moratur et ad que ipsum pervenire contigerit, auctoritate nostra supponas ecclesiastico interdicto; contradictores etc.[1]

Dat. Lugduni, VIII Kal. Iunii, anno V°.

565.

Innocentius IV papa patriarchae Hierosolymitano, apostolicae sedis legato, mandat, ut Pisanos et alios, qui si ad civitatem Acconensem applicent, et alibi vexilla F[riderici] quondam imperatoris portent, ab hac praesumptione desistere faciat. *1248, Mai. 25.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 558; Lib. V, cur. 54. Pertzii exemplar contulimus cum Huillard-Bréholles, l. c. t VI, p. 623.

Potthast, Reg. 12942; Berger 4104.

. . patriarche Ierosolimitano, apostolice sedis legato.

Cum, sicut accepimus, Pisani et plures alii in eorum navibus, cum ad Acconensem applicant civitatem, vexilla F. quondam imperatoris extensa portare ipsaque in ecclesiis in sollempnitatibus ponere presumant in animarum suarum periculum et scandalum plurimorum, mandamus, quatinus hoc omnino fieri prohibens, predictos et alios, quod de cetero ab huiusmodi presumptione omnino desistant, monitione[a] premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescas, invocato ad id, si necesse fuerit, auxilio brachii secularis[2].

Dat. ut supra.

566.

Innocentius IV papa eidem mandat, ut cum [Henrico] rege Cypri de custodia regni Hierosolymitani contra Sarracenos infestantes disponat. *1248, Mai. 25.*

Inn. IV Reg. Vol I, 558; Lib. V, cur. 55.

Berger 4105.

Eidem.

Cum, sicut accepimus, regnum Ierosolimitanum a Sarracenis incessanter et multipliciter infestetur, mandamus, quatinus de ipsius regni custodia de consilio carissimi in Christo filii nostri . . regis Cypri illustris et baronum eiusdem regni disponas, prout videris expedire; contradictores etc.[3]

Dat. ut supra.

---

a) *ita H. B.;* moneas per cens. — compescendo *P.*

1) *Cf. n. 412.* 2) *Cf. n. 389.* 3) *Cf. n. 411.*

567.

Innocentius IV papa eidem mandat, ut contra eos, qui in civitate Acconensi domos suas meretricibus locent, procedat. *1248, Mai. 25.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 558; Lib. V, cur. 56.
Berger 4106.

Eidem.

Cum, sicut accepimus, religiosi et alii de civitate Acconensi domos suas publicis meretricibus locare presumant, propter quod scandala multa proveniunt et pericula animarum, mandamus, quatinus predictos et alios, quod de cetero ab huiusmodi presumptione omnino desistant quodque predicte meretrices loca ipsa dimittant, monitione premissa districtione qua convenit appellatione remota compellas.

Dat. ut supra.

568.

Innocentius IV papa [Guillelmo] magistro et conventui militiae Templi Hierosolymitani mandat, ut cum quidam seditiose procurent, qualiter regnum Hierosolymitanum ad manus F[riderici] quondam imperatoris et C[onradi] nati eius pervenire possit, dominium regni aliquatenus immutari non permittant. *1248, Mai. 25.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 558; Lib. V, cur. 57.
Potthast, Reg. 12943; Berger 4107.

Magistro et conventui militie Templi Ierosolimitani.

Cum, sicut accepimus, quidam de partibus vestris, tam religiosi quam alii, seditiose procurent, qualiter regnum Ierosolimitanum possit ad manus F. quondam imperatoris et C. nati eius inimicorum ecclesie pervenire, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, firmiter precipiendo mandantes quatinus persistentes in devotione Romane ecclesie constantia inconcussa non inmutetis nec quantum in vobis est ab aliquo permittatis ipsius regni dominium aliquatenus inmutari. Alioquin tam vos quam alii privilegiati de partibus illis, qui contra presumpserint, poterunt merito formidare, quod omnibus privilegiis, libertatibus et inmunitatibus vobis et eis ab apostolica sede concessis in perpetuum privabuntur.

Dat. ut supra.

In eundem modum . . vicemagistro et conventui domus Hospitalis Ierosolimitani.

In eundem modum . . magistro [1] et conventui hospitalis sancte Marie Theutonicorum.

In eundem modum archiepiscopis et episcopis ac abbatibus, prioribus, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis per regnum Ierosolimitanum constitutis.

In eundem modum universis baronibus et militibus regni Ierosolimitani.

In eundem modum consulibus et communitati Ianuensium in regno Ierosolimitano commorantibus.

In eundem modum consulibus et communitati Venetorum in regno Ierosolimitano commorantibus.

In eundem modum consulibus et communitati Pisanorum in regno Ierosolimitano commorantibus.

In eundem modum populo civitatis Acconensis.

1) *Henrico de Honloch.*

569.

Innocentius IV papa [Frigerio] episcopo [Perusino] concedit facultatem absolvendi Perusinos a sententia excommunicationis, quam incurrerint, quod statuta contra libertatem ecclesiasticam ediderint et ecclesias et personas ecclesiasticas civitatis et diocesis Perusinae collectis aggravaverint. *1248, Mai. 26.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 545; Lib. V, 977. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit V. Cl. O. de Falke.

Berger 4024.

.. episcopo Clusino[a 1].

Cum dilectos filios cives Perusinos ob sincere devotionis fervorem, quem ad nos et Romanam ecclesiam matrem suam habere noscuntur, sic geramus in visceribus caritatis, ut animarum suarum salutem totis mentis desideriis affectemus, absolvendi eos iuxta formam ecclesie ab excommunicationis sententia, quam pro eo incurrisse dicuntur, quod statuta quedam contra libertatem ecclesiasticam edere ac ecclesias et personas ecclesiasticas civitatis et diocesis Perusine aggravare collectis et exactionibus presumpserunt, recepta prius ab ipsis sufficienti et idonea cautione, quod statuta eadem revocantes omnino, ab huiusmodi collectis et exactionibus de cetero penitus conquiescant, auctoritate tibi presentium concedimus facultatem.

Dat. Lugduni, VII Kal. Iunii, anno V°.

570.

Innocentius IV papa Iacobo de Aspello clerico [Nicolai] patriarchae Constantinopolitani indulget, ut cum provisionem in ecclesia sancti Laurentii de Spello propter malitiam temporis assequi non potuerit, alius in eadem ecclesia sibi non praeferatur. *1248, Mai. 26.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 7, n. 177. Epistola circa finem mensis Sept. registrata est.

Potthast, Reg. 13461; Berger 4170.

Iacobo de Aspello clerico venerabilis fratris nostri .. patriarche Constantinopolitani.

Constitutus in presentia nostra nobis humiliter supplicasti, ut cum litteras, quas tibi super provisione tua in ecclesia sancti Laurentii[b] de Spello[2] diocesis Spoletane[3] concessimus, nequiveris propter malitiam temporis presentare[4], ne interim aliis a nobis vel legatis apostolice sedis similem gratiam in eadem ecclesia impetrantibus tibi preiudicium generari valeat, providere super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, ut omnibus, qui in eadem ecclesia post datam litterarum tuarum similem gratiam impetrarunt, in assecutione preferaris prebende, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, VII Kal. Iunii, [anno V°][c].

a) Eidem *R.; cf. not. 1.* b) Laur. *R.* c) anno V°, *quae verba sine dubio supplenda sunt, desunt R.*

1) *Sub Mai. 11 papa archipresbytero et capitulo [in eundem modum clero et populo] Perusinis significaverat, se postulationem ab iis de episcopo Clusino factam admittere eundemque ad ecclesiam Perusinam transferre; et sub eodem die episcopum Clusinum de ea re certiorem fecerat eumque a vinculo, quo ecclesiae Clusinae tenebatur adstrictus, absolverat: Berger 4022 et 4023. Unde huic epistolae verbum 'Eidem' minus recte superscriptum videtur, cum 'episcopo Perusino' legi debeat.* 2) *Ex sept. civ. Fuligni.* 3) *Civitas hodie ad dioecesim Fulginatensem pertinet.* 4) *Cf. p. 371, not. 3 et p. 186, not. 2.*

571.

Innocentius IV papa [Henrico III] episcopo Argentinensi ad preces suas et multorum nobilium de Teutonia mandat, ut gratias, quas quondam Hermanno clerico intuitu Eberardi de Etendorf, patris eius, ecclesiae devoti, per litteras suas fieri iusserit, alii filio eius, Ulrico clerico, iuxta litteras easdem conferat. 1248, Mai. 30.

Inn. IV Reg. Vol. I, 535; Lib. V, 867. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit V. Cl. O. de Falke.

Berger 3915.

. . episcopo Argentinensi.

Intellecta puritate devotionis et fidei, qua dilectus filius nobilis vir Eberardus de Erendof[a] circa obsequia sedis apostolice studet conspicuus inveniri, se opponendo viriliter iniquis et reprobis, qui decus et decorem impetunt ecclesiastice dignitatis, dilectis filiis . . decano et capitulo Argentinensibus, quod quondam Hermannum clericum natum dicti nobilis in canonicum et in fratrem reciperent et prebendam conferrent eidem, . . abbati vero et conventui monasterii de Wissenburch ordinis sancti Benedicti Spirensis diocesis preces et mandatum direxisse dicimur, quod sibi de competenti ecclesiastico beneficio, spectante ad collationem ipsorum et consueto secularibus assignari clericis, liberaliter providerent[1]. Sane predicti decanus et capitulum prefatum clericum in canonicum recepisse ac iidem abbas et conventus per patentes eorum litteras sibi promisisse dicuntur, quod quam cito sibi[b] facultas occurreret, sibi de beneficio iuxta mandatum apostolicum providere curarent. Cum autem idem clericus, sicut Domino placuit, de medio postmodum sit sublatus, et predictus nobilis super hiis, que ad honorem redundant ecclesie, pristine devotionis continuare dicatur affectum, nos, ipsum propter hoc dignum gratia favoris precipui reputantes et etiam ipsius mestum animum volentes de pietatis apostolice gratia reddere consolatum, pro quo multi nobiles et potentes de Teutonia, ecclesie Romane devoti, nobis una tecum affectuosas litteras direxerunt, fraternitati tue mandamus, quatinus dilectum filium Ulricum clericum, natum eiusdem nobilis, in quem gratiam a nobis factam predicto H. fratri suo volumus omnino refundi, iuxta continentiam litterarum, quas decano et capitulo necnon abbati et conventui memoratis super ipsius H. provisione direximus, in canonicum et in fratrem Argentinensis ecclesie recipi ac sibi conferri prebendam et ab eisdem abbate et conventu de beneficio facias provideri; contradictores etc.

Dat. Lugduni, III Kal. Iunii, anno V°.

572.

Innocentius IV papa [Henrico III] episcopo Argentinensi concedit, ut cum quaedam castra, quae F[ridericus] quondam imperator ab ecclesia Bambergensi tenuerit in feudum, ceperit, ad ea restituenda non teneatur, nisi sibi de damnis et expensis plene satisfactum fuerit. 1248, Iun. 3.

Inn. IV Reg. Vol. I, 535; Lib. V, 868. Pertzii exemplar contulimus cum Schöpflin, Alsat. dipl.

a) *ita R.; leg.* Etendorf. b) se *R.; fortasse* se fac. offerret *legendum est.*

1) *Cf. n. 325.*

t. I, p. 399, n. 531, ubi exemplar Reg. [S. 1], et ibid. p. 366, n. 462, ubi exemplar cod. Vatic. 7183, quod ex Reg. manasse videtur, proposuit [S. 2]; cf. p. 389, not. 4.

Potthast, Reg. 12955; Berger 3916.

.. episcopo Argentinensi.

Ne inde possis incurrere dampnum, unde meruisse dinosceris comodum et favorem, libenter apponimus remedium et cautelam. Cum igitur, sicut patet per opera [et][a] ex parte tua fuit propositum coram nobis, oppidum[b] de Gengenbach[1] et de Mulberc[2] et de Otemberc[c 3] castra cum pertinentiis suis, que F. quondam imperator ab ecclesia Bambergensi tenebat in feudum, ceperis non sine magnis oneribus expensarum, nos, indempnitati tue volentes paterna sollicitudine precavere, presentium tibi auctoritate concedimus, ut ad eorum restitutionem minime tenearis neque predicta per venerabilem fratrem nostrum .. episcopum Bambergensem vel successorem ipsius aut aliquem alium aliquo modo alienari valeant; quam alienationem, si forsan presumi contigerit, decernimus irritam et inanem, nisi primo tibi et adiutoribus ac hominibus tuis de dampnis et expensis, que hac ratione subiisse noscimini, fuerit plenarie satisfactum. Nulli ergo etc. nostre concessionis et constitutionis etc.

Dat. Lugduni, III Non. Iunii, anno V°.

Dati sunt ei super hoc conservatores .. decanus et .. thesaurarius Sancti Thome Argentinensis.

573.

Innocentius IV papa [Iohanni] archiepiscopo Ianuensi committit iurisdictionem spiritualem in nonnullis locis diocesis Terdonensis, ad civitatem Ianuensem pertinentibus, ut indevota civitas Terdonensis in honore suo mulctata ex confusione quaerere nomen Dei discat. *1248, Iun. 3.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 557; Lib. V, cur. 51. Scriptura Reg. nonnullis locis omnino deleta, aliis lectu difficilis est.

Berger 4101.

.. archiepiscopo Ianuensi.

Recti statera iudicii equo tunc examine temperatur, cum digna virtutibus premia et congrua vitiis stipendia recompensat. Sic enim quibusque quod suum est ex ordine reddente iustitia, obsequiis videlicet gratiam et iniuriis talionem, ad benemerendum lentos promovent exempla mercedum, et pronos in delicta interdum ab incentivo[d] prave similitudinis metus cohibet ultionis. Veniunt quippe in frequentem memoriam clara probate devotionis obsequia, per que dilecti filii .. potestas et commune Ianuensium non solum nobis diebus istis sed et predecessoribus nostris in necessitatibus preteritorum temporum multipliciter placuerunt[4]. Econtra inportune se ingerit perversa insolentia .. potestatis et communis Terdonensium rebellantium

a) et *deest P. S. 1;* sicut par et per op. ex p. *S. 2.* b) quod oppidum *S. 2.* c) Ortemberch *S. 1;* Steinberc *S. 2.* d) incetivo *R.*

1) *Cf. n. 471.* 2) *In magno ducatu Badensi e mer. civ. Lahr.* 3) *Ortenberg, e mer. civ. Offenburg. Sub a. 1248, Iul. 28 papa Conrado comiti de Friburc promissiones per Henricum Rasponem regem factas super restitutione castrorum et oppidorum, quorum nomina Nuwenburg, Offenburg et Ortenberg fore proponeret, iure successionis ad comitem pertinentium, cum ea de potestate inimicorum ecclesiae liberari contingeret, confirmavit; Potthast, Reg. 12988; cf. Bohmer-Ficker, l. c. 4877 et 5039 et Ellenhardi Chron. SS. t. XVII, p. 121.* 4) *Cf. Berger 2289, 3492–3494; Potthast, Reg. 12367, 12777, 12778, 12780.*

lumini cum filiis tenebrarum, qui post vestigia perditi filii F. quondam imperatoris a ventre matris ecclesie ac consortio fidelium aberrantes, Deum co[nvicii]s[a] ac sedem apostolicam contemptu et iniuriis provocant et sibi exinde iram in die ire obdurata cordium malitia thesaurizant[1]. In libra igitur equitatis appendentes merita utrorumque, dignum ducimus, ut de fructibus viarum suarum aliquid devoti pregustent[b], aliquid sentiant indevoti, et quod malemeritis in penam culpe detrahitur, benemeritis accrescat in retributionis augmentum. Inde est, quod cum iidem . . potestas et commune Ianuensium in nonnullis castris et locis diocesis Terdonensis pos[itis ultra] iugum[c 2] versus Lombardiam, in quibus Terdonensis ecclesia iurisdictionem ecclesiasticam habere dinoscitur, obtineant dominium temporale, nos, volentes ut civitas Terdonensis honoris sui, quem intelligere non videtur, aliqua portione mulctata discat ex confusione sua querere nomen Dei, et civitas Ianuensis ob devotionem suam honorum titulis decorata de apostolice sedis gratia manifestis reddatur certior experimentis[d], iurisdictionem spiritualem in eisdem castris et locis ad predictam Terdonensem ecclesiam [de iu]re[e] vel consuetudine pertinentem tibi et successoribus tuis usque ad nostre voluntatis beneplacitum duximus auctoritate presentium committendam, statuentes ut iura episcopalia secundum legem utramque ex eis plene percipias et apostolice sedis fultus presidio exequaris — contradictione venerabilis fratris nostri . . episcopi[3] et ecclesie Terdonensium aliquatenus non obstante. Nos enim eisdem super hiis premisso tibi tenore concessis silentium imponentes, si quas excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententias memoratus episcopus seu ipsius archidiaconi vel vicarii aut quicumque alii ecclesie auctoritate predicte in castra et loca predicta vel ecclesias constitutas in illis aut personas ecclesiasticas sive seculares degentes ibidem quacumque occasione ferre presumpserint, eas decernimus penitus non tenere. Nulli ergo etc. nostre commissionis, impositionis et constitutionis etc.

Dat. Lugduni, III Non. Iunii, anno V°.

574.

Innocentius IV papa [Leoni] archiepiscopo Mediolanensi et suffraganeis eius mandat, ut in solemnibus populorum conventibus Terdonenses publice moneant, ut a Friderico quondam imperatore recedant et ecclesiae reconciliari procurent, alioquin civitatem eorum dignitate episcopali privandam esse. *1248. Iun. 3.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 558; Lib. V, cur. 52. Pertzii exemplar contulimus cum Sbaralea, Bull. Francisc. t. I, p. 518, n. 283.

Potthast, Reg. 12956; Berger 4102.

. . archiepiscopo Mediolanensi et suffraganeis suis.

Quos ad maternum pectus dulcedo non revocat pietatis, paterne severitatis debet domare flagellum, ne impia crudelis miserationis sit pietas fluxa mollium viscerum

a) co . . . . . s *R.* b) pregustant *R.* c) *ita legit Laporte du Theil ap. B.;* pos . . . . ingum *P.;* po[sitis in terra L]igure *B.* d) cert[ior ar]gumentis *B.* e) [in]re *P.;* [de iure] *B.*

1) *Sub a. 1247, Sept. 8 imperator civibus Terdonensibus, fidelibus suis, concesserat, ut cum eos pro servitiis suis subire oporteret multitudinem expensarum, potestati pro suis vel civitatis servitiis proficiscenti singulis diebus pro expensis ultra viginti solidos Papienses solvere non tenerentur; Salice, Annali Torton. p. 771, doc. n. 69; cf. similem ep. in favorem civitatis Auximanae ap. Böhmer-Ficker l. c. 3615. Cf. etiam ibid. 3748. — Sub Mai. 26 papa R. de Bagnaria consanguineo suo, civi Terdonensi, promiserat se nullam cum Friderico vel civibus Terdonensibus compositionem facturum esse, nisi de Bagnaria et aliis hominibus, adiutoribus ipsius, ac eo ipso in ea, si ad suam reduceretur memoriam, expressa mentio haberetur; Berger 3926; cf. 3925.* 2) *Scil. Apennini.* 3) *Petri.*

lenitate impunia pertinaciter delinquentium preterire peccata et temporali pena debitos dimittere gehennali. Sane .. potestas et commune Terdonensium F. quondam imperatori contra Deum et ecclesiam pertinaciter adherentes contra consilium Dei, quo in illum pro salute publica universalis animadvertit ecclesia, necnon manus suas cum illo mittentes ad subvertendam libertatem catholicam et statum Italie diruendum, pactum cum inferno et fedus videntur pepigisse cum morte. Non enim ad salutem misericorditer revocanti respondent nec aspiciunt clementiam porrigentis in eorum presidium manum suam, sed sponte pereunt sub dampnata moderni tyrampnide Pharaonis, sequentes per abruta[a] ducem precipitem velud ceci. Nos itaque, volentes adhuc apostolice sedis mansuetudinis uti moderamine circa ipsos, que libentius emendat in subditis peccata quam punit, mandamus, quatinus in sollempnibus populorum vestrorum conventibus eosdem Terdonenses publice moneatis, ut cessante pernitioso eis more dispendio a prefato F. Dei et ecclesie inimico penitus recedentes, mandatis nostris devote parendo unitati ecclesiastice reconciliari procurent et communioni fidelium in obedientia Dei et devotione ecclesie adunari. Alioquin noverint nos ad privandum civitatem ipsorum episcopalis dignitatis honore et graviores nichilominus penas infligendas eisdem, si ipsorum exegerit pertinacia, processuros, ut quos Dei timor a malo non retrahit, atterat digna severitas ultionis.

Dat. ut supra.

In eundem modum .. archiepiscopo Ianuensi et suffraganeis eius.

575.

Innocentius IV papa [Alberto] episcopo Mutinensi mandat, ut Bartholomaeum canonicum Reginum, qui a fautoribus F[riderici] quondam imperatoris, subtractis bonis omnibus ecclesiasticis et patre in carcere dicti F. constituto, de terra et domo propria eiectus sit, in aliqua ecclesia cathedrali Lombardiae, Placentina, Parmensi et Ianuensi exceptis, in canonicum recipi faciat. 1248, Iun. 5.

Inn. IV Reg. Vol. I, 537; Lib. V, 889. Exemplar, quod Berger edidit, cum Regestis contulit V. Cl. O. de Falke.

Berger 3937.

.. episcopo Mutinensi.

Etsi sedes apostolica veluti pia mater[b] nonnunquam extraneis et ignotis in provisionis gratia liberalem se consueverit exhibere, devotis tamen et notis non debet eius provisionis munificentia non adesse, sed tanto suis in retributione debet assurgere meritorum, quanto ipsos habet per rerum experientiam comprobatos. Cum igitur dilectus filius Bartholomeus canonicus Reginus, nepos quondam magistri Philippi capellani nostri, ob sincere devotionis affectum, quem ipse ac sui erga nos et Romanam ecclesiam habere noscuntur, a fautoribus F. quondam imperatoris, subtractis sibi omnibus bonis suis ecclesiasticis et patre ipsius[1] in carcere dicti F. miserabiliter constituto, de terra [et][c] domo propria sit eiectus[2], nos, cupientes ipsum propter hoc

a) *leg.* abrupta. b) *sequitur in R.:* etc. ut supra in DCXXII° capitulo usque: comprobatos. c) et *deest R.*

1) *'Maranono de Bonizis', ut in innovatione huius mandati sub Sept. 20 scripta legimus; Berger 4178.* 2) *Cf. n. 321. Regini ab imperatore deficere paulo ante intenderant; cf. Bohmer-Ficker, l. c. 3698 b et 3700 et ep. Henrici regis Sardiniae Regium ab imperatore ob hoc missi ap. Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 371. Sub Iun. 25 papa archipresbytero de Cartenova Reginae dioc. et Roberto de Corrigia canonico*

debite provisionis gratia consolari, mandamus, quatinus eum in aliqua ecclesiarum cathedralium totius Lombardie, quam duxerit[a] acceptandam, Placentina, Parmensi et Ianuensi dumtaxat exceptis, auctoritate nostra recipi facias in canonicum et in fratrem ac provideri sibi de prebenda, si qua in ipsa vacat ad presens vel quam primum etc. usque: facultas, — non obstante[b] si in eadem ecclesia sit statutum de certo canonicorum numero iuramento seu quacunque firmitate alia roborato, aut si pro aliis in ipsa scripta nostra direximus, quibus nolumus etc. usque: generari, vel qualibet indulgentia sedis apostolice, per quam possit huiusmodi gratia impediri et de qua specialem in litteris nostris oporteat fieri mentionem —: contradictores etc. — non obstante constitutione de duabus dietis etc. usque: generali.

Dat. Lugduni, Non. Iunii, anno V°.

576.

Innocentius IV papa Arnoldo canonico Curiensi confirmat promissionem, quam ei [Volcardus] episcopus Curiensis attendens fidem eius, pro qua graves expensas et carceris angustiam subierit, de beneficio conferendo fecerit. *1248, Iun. 9.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 543; Lib. V, 958. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. O. de Falke. Berger 4006.

Arnoldo canonico Curiensi.

Solet sedes apostolica annuere eo libentius supplicationibus devotorum, quo se ipsis reddunt per grata et accepta obsequia cariores. Cum igitur, sicut nobis exponere curavisti, venerabilis frater noster . . Curiensis episcopus[1], attendens tue fidei puritatem et integritatem devotionis, quibus te circa ecclesie negotium paratum, promtum et sollicitum prebuisti non sine gravibus laboribus et expensis ac carceris angustia diriori, tibi sui capituli accedente consensu de beneficio ad donationem suam spectante, quod duxeris acceptandum, quamcito facultatem habuerit, promiserit providere, se tibi ad id per litteras suas obligando ipsius et dicti capituli sigillorum munimine roboratas: nos, tibi, ut eo devotior circa obsequia ecclesie et promptior habearis, quo ab ea te magis perpenderis honorari, volentes facere gratiam postulatam, tuis precibus inclinati, promissionem huiusmodi gratam et ratam habentes, ipsam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Lugduni, V Idus Iunii, anno V°[2].

577.

Innocentius IV papa [Adiuto] episcopo Fanensi mandat, ut Nicolao Pede quingentas libras monetae Anconitanae et Ravennatis, pro quibus ad opus fratris sui, quondam

a) duxert *R.* b) *an* non obst. = non obtantibus?

Regino mandaverat, ut excommunicatos denuntiarent R. quondam priorem Columbari et huius prioratus monachos, necnon G. filium Bonacursi de Palude [qui sacri imperii a Papia superius erat vicarius] ab eis in abbatem Marolae electum, qui auctoritate Henrici filii Friderici quondam imperatoris in possessionem huius monasterii se intrusisset; Potthast, Reg. 12821; quae ep. in Reg. non extat.

1) *Cf. supra sub Apr. 18, n. 543. Episcopus ergo interim papae se subiecit.* 2) *Sub Iun. 11 papa cum eodem ad preces H[artmanni] iunioris comitis de Kiburc super pluralitate beneficiorum dispensarit; Berger 4007.*

M[arcellini] episcopi Aretini, qui pro defensione ecclesiasticae libertatis mortis subire periculum non expaverit, quibusdam creditoribus se obligaverit, de bonis ecclesiae Aretinae persolvi faciat. *1248, Iun. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 542; Lib. V, 945. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. O. de Falke. Berger 3993.

.. episcopo Fanensi.

In obsequiis apostolice sedis bone memorie M. Aretinus episcopus[1] illam fidei puritatem et fervorem habuit, quod defensioni ecclesiastice libertatis insistens, dispendia multa substinuit et tandem pro ipsa mortis subire periculum non expavit[2]. Propter hoc siquidem digne sollicíti corde reddimur, ut caros eius et intimos affectu benivolo suo tempore prosequamur. Sane dilectus filius Nicolaus Pecte civis Anconitanus, frater ipsius episcopi, nobis exposuit, quod ad opus eiusdem tunc prefatis obsequiis insistentis pro quingentis libris Anconitane et Ravennatis monete se quibusdam creditoribus etc. ut in proxima verbis competenter mutatis usque: expeditum[a], mandamus, quatinus, si tibi constiterit de premissis, predicto civi de bonis ecclesie Aretine predictas quingentas libras sine dilationis obstaculo convertendas in solutione debitorum huiusmodi, usuris omnino cessantibus, facias cum integritate persolvi; contradictores etc. — non obstante constitutione de duabus dietis etc. Testes autem etc.

Dat. Lugduni, III Idus Iunii, anno V[o b 3].

578.

Innocentius IV papa abbati Sancti Vincentii Bisuntini mandat, ut inhibeat, ne per litteras procedatur, quas quidam clerici super provisione sua in ecclesiis monasterii Murbacensis fraudulenter impetraverint, cum eorum consanguinei F[riderico] quondam imperatori manifeste adhaereant. *1248, Iun. 19.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 539; Lib. V, 908. Pertzii exemplar contulimus cum eo, quod Lünig, Spicil. eccl. Cont. I (Reichs-Arch. t. XIX) p. 973, n. 38 edidit quodque sine dubio ex authentico manavit [A]. Potthast, Reg. 12961; Berger 3956.

Abbati Sancti Vincentii Bisuntini.

Cum, sicut ex parte dilecti filii .. abbatis monasterii Morbacensis[c 4] ordinis sancti Benedicti fuit propositum coram nobis, nonnulli clerici Basiliensis, Argentinensis et Constantiensis civitatum et diocesum, mendaciter asserentes se ac suos nobis et ecclesie Romane in apostolice sedis negotiis fideliter servivisse, super ipsorum provisione in ecclesiis ad monasterium suum pleno iure spectantibus et assignari clericis secularibus consuetis contra eum nostras litteras impetrarint, certis super hoc eis executoribus deputatis[5], et iidem clerici non devotos sed indevotos potius se nobis

a) *verba huius ep. F. non annotavit; certe supplendum est:* se obligavit; *cf. Berger 3992.* b) Dat. ut supra *R.* c) Murbacensis *A.*

1) *Qui rector marchiae Anconitanae fuerat; cf. n. 403.* 2) *A parte Gibellina captus et per tres menses et amplius in carcere detentus, iussu imperatoris 'in prima dominica instantis quadragesimae', 'tertio die ante suum et Victoriae exterminium' i. e. Febr. 16 patibulo suspensus erat, ut narrat Raynerius Sanctae Mariae in Cosmidin diaconus cardinalis ap. Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 603. — De rebus Marchiae [cf. n. 472] tum imperatori denuo prosperis cf. ibid. p. 754, not. 1 et Böhmer-Ficker, l. c. 3701.* 3) *Sub eodem die Nicolao 'Pette' ipsi restitutionem pecuniae promisit; Berger 3992.* 4) *Theobaldi; cf. n. 518.* 5) *Sub a. 1247, Iul. 12 abbati et conventui Murbacensibus indulserat, ut ad receptionem alicuius in beneficiis ecclesiasticis compelli de cetero non possent per litteras apostolicas, quae de hac indulgentia expressam non fecerent mentionem; Potthast, Reg. 12610; cf. 12611; quae ep. in Reg. non extant.*

redditerint, ipsorum consanguineis F. quondam imperatori contra nos et eandem ecclesiam adherentibus manifeste: nos, reputantes indignum ut predicti clerici provisionis nostre gratiam assequantur, mandamus[a], quatinus, si est ita, eisdem executoribus ex parte nostra inhibere cures[b], ut supersedentes prefatis litteris per huiusmodi fraudem obtentis, per eas aliquatenus non procedant[1].

Dat. Lugduni, XIII Kal. Iulii, anno V°.

579.

Innocentius IV papa Hydum priorem provincialem fratrum Praedicatorum in Alamannia omnes crucesignatos Frisiae, Hollandiae et Selandiae compellere iubet, ut ita se praeparent, ut mense Martio proximo in Terrae Sanctae subsidium proficisci possint.

1248, Iun. 22.

Inn. IV Reg. Vol. I, 540; Lib. V, 919. Exemplar, quod Ripoll, Bull. Praed. t. I, p. 182, n. 199 edidit, cum Regestis contulit V. Cl. O. de Falke.

Potthast, Reg. 12965; Berger 3967.

Hydo priori provinciali fratrum Predicatorum in Alamania.

Ut voventes iuxta prophetarum eximium reddant Domino vota sua, discretioni Es. 19, 21.
tue presentium auctoritate in virtute obedientie precipiendo mandamus, quatinus omnes crucesignatos de Frisia, Hollandia et Zellandia per te vel per aliquos de fratribus tui ordinis, quos ad hoc idoneos esse cognoveris, moneas attentius et inducas et, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas, quod ita se preparent, ut in mense Martii proxime futuro iter arripiant, in Terre Sancte subsidium profecturi[2], — non obstante[c] quod eidem ordini a sede apostolica est indultum, ut de causis vel negotiis, fratribus dicti ordinis ab eadem sede concessis, cognoscere vel se intromittere non teneantur inviti, seu indulgentia si qua est aliquibus ab eadem sede concessa, ut interdici[d], suspendi et excommunicari non possint per litteras apostolicas absque ipsius sedis speciali mandato faciente plenam de hac indulgentia mentionem, seu qualibet alia, de qua in nostris litteris mentio fieri debeat specialis, sive constitutione de duabus dictis edita in concilio generali.

Dat. Lugduni, X Kal. Iulii, anno V°.

580.

Innocentius IV papa [Henrico] episcopo Constantiensi mandat, ut postquam ecclesia Basiliensis vacaverit, electionem seu postulationem capituli sine assensu ipsius faciendam

a) discretioni tue per apostolica scripta mandamus A. b) curetis *R. et A.* c) *an* non obst. — non obstantibus? d) *sequitur in R.:* etc. ut supra in DCCCCXVIII *[leg.* XVII = *Berger 3965]* capitulo usque: specialis, sive constitutione *etc.*

1) *Cf. p. 364, not. 1.* 2) *Cum Ludowicus IX rex Francorum paratus ad iter iam esset, qui Aug. 28 naves ascendit, papa hac epistola Frisonibus simul indulsit, ut cum eo transfretare non deberent. Viribus eorum contra Aquenses uti volebat; cf. n. 534.*

inhibeat et consilium praebeat, ut [Bertholdus] abbas Sancti Galli ad regimen ecclesiae assumatur. *1248, Iun. 27.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 542; Lib. V, 950. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. O. de Falke. Berger 3998.

. . episcopo Constantiensi[a].

Cum tibi direxerimus scripta nostra[b], ut postquam Basiliensem ecclesiam contigerit vacare pastore, inhibeas eiusdem ecclesie capitulo, ne ad electionem vel postulationem alicuius procedant sine tuo consilio et assensu[1]: volumus et fraternitati tue presentium auctoritate mandamus, quatinus ea vacante prebeas consilium et assensum, ut dilectus filius . . abbas Sancti Galli ad ipsius regimen assumatur.

Dat. Lugduni, V Kal. Iulii, anno V°[c].

581.

Innocentius IV papa [Iacobo] episcopo Mantuano ad preces Mabilon. uxoris [Azzonis VII] marchionis Estensis mandat, ut Benedicto scolari nato quondam Ricardi Ponzeconi civis Pergamensis in aliqua ecclesiarum Mantuanae vel Ferrariensis civitatis vel diocesis de ecclesiastico beneficio provideat. *1248, Iul. 5.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 1, n. 24.
Potthast, Reg. 13417; Berger 4109.

. . episcopo Mantuano.

Ad provisionem illorum, qui Domino militare desiderant in ordine clericali, officii nostri debitum et pietas nos inducunt. Obtentu ergo dilecte in Christo filie nobilis mulieris Mabilon., uxoris nobilis viri . . marchionis Estensis[2], supplicantis nobis pro Benedicto scolari nato quondam Ricardi Ponzeconi civis Pergamensis, volentes eidem scolari gratiam facere specialem, mandamus, quatinus sibi, cupienti ut asserit clericali caractere insigniri, provideas auctoritate nostra vel provideri facias in aliqua ecclesiarum Mantuane vel Ferrariensis civitatis vel diocesis, cathedralibus dumtaxat exceptis, in ecclesiastico beneficio competenti, si vacat ad presens vel quam primum ad id obtulerit se facultas, — non obstante si in ecclesia, in qua ei provisum fuerit, statutum sit de certo canonicorum numero iuramento vel confirmatione sedis apostolice seu quacumque alia firmitate vallato, sive aliqua indulgentia, de qua expressam oporteat in nostris litteris fieri mentionem, vel si in ea direximus scripta nostra pro aliis, quibus nolumus etc. usque: generari; contradictores etc.

Dat. Lugduni, III Non. Iulii, anno VI°.

a) Eidem *R.* b) *in R. sequitur:* etc. ut supra in DCCCCXLVIIII [*leg.* III] capitulo usque: mandamus. c) Dat. ut supra *R.*

1) *Berger 3997, quae ep. et ipsa Iun. 27 scripta est. Sub eodem die eidem mandavit, ut si capitulum post inhibitionem suam ad electionem vel postulationem procederet, eam irritaret et ecclesiae Basiliensi de pastore provideret: Berger 3996. Apparet tres has epistolas secretas fuisse.* 2) *Sub Aug. 25 papa priori Sancti Romani Ferrariensis mandavit, ne permitteret, ut ecclesiae terrae Azzonis marchionis Estensis, cum propter guerrarum discrimina non modicum essent gravatae, provisionibus aliquorum per litteras apostolicas ab aliquibus molestarentur: Potthast, Reg. 13002 a; quae ep. inter ep. Reg., quot supersunt, non extat.*

582.

Innocentius IV papa universis patriarchis, archiepiscopis et aliis praelatis in ultramarinis partibus constitutis [Odonem] episcopum Tusculanum commendat, cui plenae legationis officium concesserit et liberam potestatem relaxandi excommunicationis sententiam, quam nonnulli partium earundem adhaerendo F[riderico] quondam imperatori incurrerint. *1248. Iul. 21.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 66, cur. n. 19.
Potthast, Reg. 13732; Berger 4680.

Universis patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis aliisque ecclesiarum prelatis, tam exemptis quam non exemptis, in ultramarinis partibus constitutis.

Salubrem[1] et prosperum vestrarum partium statum, exaltationem ecclesie ac Terre Sancte liberationem totis desideriis affectantes, venerabilem fratrem nostrum . . episcopum Tusculanum, virum scientia preditum, honestate decorum et in[a] consiliis circumspectum, ad partes ipsas pro eiusdem ecclesie ipsiusque terre promovendo negotio ac utilitate dictarum partium procuranda tamquam pacis angelum duximus transmittendum, plene sibi legationis officio ac libera potestate relaxandi excommunicationis sententiam, quam nonnulli partium earundem adherendo F. quondam Romanorum imperatori suisque fautoribus contra ecclesiam ipsam et quascumque alias in eisdem existentes partibus incurrerunt vel incurrerint, et remittendi liberaliter iniurias et offensas, si quas eidem intulerunt ecclesie, ipsosque in nostram et ipsius ecclesie gratiam admittendi concessis[2]. Quia vero ipsum inter alios fratres nostros specialis dilectionis brachiis amplexamur, universitati vestre mandamus atque precipimus, quatinus eum, immo potius nos in ipso, benigne recipientes et honorifice pertractantes, eidem tanquam apostolice sedis legato super predictis omnibus intendatis. Quicquid enim super premissis duxerit faciendum, firmum[b] habebimus et acceptum. Alioquin sententiam sive penam, quam spiritualiter vel temporaliter tulerit in rebelles etc. usque: observari.

Dat. Lugduni, XII Kal. Augusti, anno VI°[c][3].

583.

Innocentius IV papa abbati Sancti Marini Treverensis mandat, ut cum P[etrus] Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, apostolicae sedis legatus, ecclesiae

a) in *deest R.; cf. n. 304 III et 205.* b) *signum* et *puncto deletum add. R.* c) Dat. ut supra *R.*

1) *Verba epistolae mutatis mutandis cum ep. n. 304 III concordant.* 2) *Cf. n. 564—568.* 3) *Mandata eidem legato cum Ludovico IX rege Francorum transfretaturo commissa antecedunt, Lib. VI, cur. 1—18, Berger 4662—4679, Potthast, Reg. 12984—12987, quae omnia et ipsa sub Iul. 21 data sunt. Ep., qua legatus clero et saecularibus transmarinis commendatus est, legitur sub Iun. 22 ap. Berger 3965.*

Wormatiensi de Riccardo providerit, capitulum autem Corradum [Eberhardum] praepositum suum in episcopum elegerit, partes ad sedem apostolicam citet. 1248, *Aug.* 4.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 14, n. 249. Exemplar Baluzii, Misc. t. VII, p. 437 contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 12994; Berger 4241.

. . abbati Sancti Martini Treverensis.

Ex parte dilecti filii R. electi Warmaciensis fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum dilectus filius noster P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, apostolice sedis legatus, electione, quam capitulum Warmaciense de Corrado[1] preposito Warmaciensis ecclesie de facto celebraverant, rite cassata, de predicto Riccardo ipsi ecclesie duxerit in episcopum providendum, provisionem eandem confirmare de benignitate sedis apostolice curaremus. Licet autem vehementer presumamus pro hiis, que a legato acta sunt in hac parte, plenius tamen de premissis, an canonice omnia processerint, certificari volentes, mandamus, quatinus prefatum electum et alios, si qui fuerint qui se provisioni facte de dicto R. velint opponere, ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra competentem terminum a te[a] prefigendum eisdem cum omnibus rationibus et munimentis suis per se vel sufficientes et idoneos procuratores nostro se conspectui representent, facturi et recepturi quod iustitia suadebit.

Dat. Lugduni, II Non. Augusti, anno VI°.

584.

Innocentius IV papa Agneti moniali Sanctae Petronillae Senensis, sorori fratris Grifonis, indulget, ut si qui usurarii vel alii civitatis vel diocesis Eugubinae, qui damna aliis intulerint, satisfacere ipsi sponte voluerint, de satisfactionibus usque ad centum libras recipiat. 1248, *Aug.* 21.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 52, n. 586. Epistola non ante medium mensem Iun. a. 1249 registrata est. Potthast, Reg. 13670; Berger 4576.

Agneti moniali monasterii sancte Petronille Senensis, sorori fratris Grifonis.

Cum tibi de monasterio, in quo degis, ad ecclesiam sancti Angeli de Cuti Eugubine diocesis te cum duabus monialibus eiusdem monasterii concesserimus licentiam transferendi[b], ut ibidem sub regulari observantia una cum illis Domino famuleris: tuis inclinati precibus, si[c] qui de civitate ac diocesi Eugubina usurarii de usuris a quibuscumque extortis ac aliqui eiusdem civitatis et diocesis, qui dampna aliis intulerunt[2], de dampnis huiusmodi tam suo quam progenitorum suorum seu

a) vobis *R. Fortasse in ep. de hac re capitulo Worm. directa, quae ex hoc eodem exemplo scribenda fuit,* vobis prefigendum ab eodem *vel similia ponenda fuerunt.* b) transeundi *R.* c) ut si *R.*

1) *Nomen falso scriptum videtur. Nam Conradus, qui decanus Maguntinus fuerat, a papa confirmatus [cf. n. 429] et a legato consecratus erat, sed a. 1247, Oct. 7 vel 30 e vita decesserat; Ann. Wormat. a. 1247, SS. t. XVII, p. 51, et Zorn, Wormser Chron. in Bibl. d. Litt. Ver. in Stuttgart, p. 88. Postea vero capitulum Wormatiense Eberhardum praepositum suum in episcopum elegerat, qui a. 1247, Dec. 13 ab archiepiscopo Maguntino confirmatus erat, et huic legatus Ricardum opposuerat; Ann. Worm. l. c., Zorn, l. c. p. 89.* 2) *Sub a. 1248, Mai. imperator communi Eugubii, fidelibus suis, propter grata servitia sibi praestita castrum Collis Pergulae in perpetuum concesserat; Bohmer-Ficker, l. c. 3704.*

aliorum eos contingentium nomine pro ipsius ecclesie ac officinarum fabrica tibi satisfacere sponte voluerint, recipiendi de huiusmodi satisfactionibus usque ad centum libras tibi auctoritate presentium concedimus facultatem, dummodo illi reperiri non valeant, quibus de iure huiusmodi satisfactio debeatur. Illos autem ad satisfactionem aliam volumus non teneri, a quibus, ut dictum est, vobis fuerit satisfactum. Nulli ergo etc.

Dat. Lugduni, XII Kal. Septembris, anno VI°.

585.

Innocentius IV papa S[tephano] tituli Sanctae Mariae Transtiberim presbytero cardinali, vicario suo in Urbe, mandat, ut in Urbe, Campania et Maritima contra Fr[idericum] quondam imperatorem crucem praedicet, iis de regno Siciliae, qui ei adhaeserint, maxime postquam exercitus ecclesiae introducendus illuc pervenerit, poenas intentet, devotis autem ecclesiae gratias largiatur, nuntians ecclesiam ab eodem F. ulla poenitentiae fictione falli non posse neque eum neque aliquem de eius propagine ad imperatoriam vel regiam maiestatem rediturum esse. *1248, Aug. 30.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 67—68, cur. n. 20. Exemplar, quod edidit Hofler, Alb. v. Behaim p. 207, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 13007; Berger 4081.

S. tituli Sancte Marie Transtiberim presbytero cardinali, vicario nostro in Urbe.

Ab exordio vocationis, que nos licet indignos ad apostolice dignitatis apicem sublimavit, mentis oculos ad contemplandas inpacati orbis inquietudines dirigentes, super hiis inspirante Domino spiritum compunctionis atraximus, et infirmitatem nostram celestis virtutis constantia inducente, cogitavimus in Deo pacificare eum mundo pacis publice turbatorem, aut eo in sua duritia persistente, contra ipsum Deo auxiliante stare pro populo et obfirmare vultum adversus implacabilem pestilentie principem, letiferis aquilonis flatibus mala, quibus mundus atteritur, commoventem. Inhesit quidem inseparabiliter cordi nostro de Christiano populo aut perniciosas discordiarum radices avellere aut harum genitricem maligni principatus Fr. quondam imperatoris extirpare tirampnidem, per quam videbatur universalis status mundi collabi, fides orthodoxa subverti et decus everti ecclesiastice libertatis. Verum postquam circa illum studii nostri non proficiente conatu, eiusdem inexorabilis pertinacia pravitatis, quodlibet salutis aspernata consilium, latam divinitus per nos sacro universali approbante concilio sententiam iuste dampnationis excepit, per quam idem Fr. abiectus a Deo, ne ulterius regnet vel imperet, declaratur: ad liberandum de ipsius faucibus regnum Sicilie, quod est Romane ecclesie speciale, cuius ipse dilatatus pinguetudine ac viribus roboratus calcaneum erexit in Dominum, tanto attentius propositi nostri aspirat intentio, quanto magis eiusdem regni conditio miseranda, in quam illud redegit regnantis iniquitas, compassionis in nobis provocat pietatem. Non enim potest a piis animis absque gemitu cogitari regnum, quod sub priscis regibus libertatis gloria, nobilitatis decore, sinceritate fidei, opulentia rerum et iocunda populi frequentia prepollebat, in tantam servitutis miseriam, ignobilitatis iniuriam, lapsum fidei, exinanitionis angustiam et tam grave populorum excidium corruisse. Sed et Romana ecclesia super hiis pre

ceteris profundius ingemiscit, que peculiares filios, eiusdem regni videlicet incolas, quos ad ingenuam genuerat libertatem, videt a gremio materne communionis abstractos duro vinculo mancipari, ut non minus illos conterat impressio tyrampni urgentis ad onera insueta, quam olim filios Israel presserit inclementia Pharaonis. Propter quod contra eum, quem innumera preter hec mala ab honoris sui culmine deiecerunt, quia in quo positus esset gradu eminentie factus insipiens non agnovit, ac fautores ipsius induendum est zeli pallium ad vindictam et in oppressorum presidium, quorum nos interpellant amara suspiria, potentius adsurgendum, ut excutere grave iugum dominii et in libertatem resurgere valeant filiorum ac singulis proprii status prior conditio reformetur. Ad hoc autem invitanda sunt subsidia oportuna fidelium, tuba verbi crucis vivifice altius solito intonante, et contra tyrampnicam feritatem summi regis signa victricia explicanda, in quibus conteri solent maligni superbarum exercitus potestatum.

Quocirca mandamus, quatinus contra memoratum Fr. in Urbe, Campania atque Maritima publice predices et frequenter ac per viros idoneos predicari facias sollempniter verbum crucis, illam| eis, qui contra eundem F. in subsidium ecclesie ad eliminandam de regno memorato perfidiam, ab infecto capite in menbra subiacentia defluentem, et ibidem pristinum cultum fidei reparandum zelo fervido curaverint crucis insigniri caractere, auctoritate nostra concedens veniam peccatorum, que proficiscentibus in Terre Sancte subsidium in generali concilio est concessa, ac denuntians sollempniter nichilominus et faciens[a] nuntiari eundem F. ac omnes dantes ei consilium, auxilium vel favorem in personis vel rebus, publicum vel occultum, excommunicationis a nobis vinculo innodatos, necnon et universum regnum Sicilie, quamdiu eidem adheserit, ecclesiastico suppositum interdicto. Prelatos quoque necnon et clericos omnes seculares vel cuiuscumque religionis speciem pretendentes, qui prelationes, dignitates, prebendas vel quelibet alia ecclesiastica beneficia per favorem eiusdem F. seu ministrorum ipsius recipere presumpserunt quique illi orationes et laudes aliaque sibi post deiectionem ipsius divina prophanarunt officia, ne dixerimus celebrarunt, necnon et illos, qui sumpta malignandi audatia in conservos, religiosos viros, facto, precepto, consilio vel defensione proturbatos exulare a propriis mansionibus compulerunt, eos etiam, qui contra ecclesiam vel ecclesie adherentes proprie professionis obliti arma sumpserunt, denunties et facias nuntiari non solum excommunicationi subiectos, verum etiam privatos officiis ac dignitatibus et beneficiis perpetuo destitutos, inquirens nichilominus vel per famam de prelatis, qui eidem F. dampnabiliter adherentes, ei prestant consilium vel favorem, ut contra ipsos ad perpetue depositionis sententiam procedatur.

Sane volentes eiusdem regni populos prenuntio denuntiationis apostolice premoneri, ut cum salus eis desiderate liberationis advenerit, que ipsis per apostolice sedis sollicitudinem destinatur, inexcusabiles, si eam proterve respuerint, aut commendabiles, si eam prudenter susceperint, habeantur: publice proponas[b] et proponi facias, quotiens verbum crucis seminatum fuerit in auribus populorum, quod si que civitates vel oppida, comites vel barones, nobiles aut milites, cives sive municipes vel alie quecumque ipsius regni persone absque difficultate vel mora a sepefato F. suisque complicibus penitus recedentes se fidelibus in gremio matris ecclesie per promptam fidelitatis obedientiam curaverint adunare, de consilio fratrum nostrorum ad illam tranquille libertatis dulcedinem nos eos adducturos promittimus, qua fideles ecclesie speciales in sinu eius suaviter confoventur, iugi servilis et dominationis

---

a) facias *R.* b) volentes — proponas *R.: quibus verbis inceperit scriptor oblitus esse videtur.*

tyrampnice inexperti, qui non exactoris virga ferrea sed leni paterne mansuetudinis gubernaculo diriguntur. Illi vero, cuiuscumque ordinis vel conditionis extiterint, quos, maxime postquam exercitus ecclesie introducendus in regnum illuc Deo duce pervenerit, tam inconsulta vesania eidem F. tenuerit alligatos, ut potius velint tanquam servi sub ipsius perire tyrampnide quam ad libertatis gloriosa premia redeuntes in sinu libere matris cum filiis contineri, sciant exnunc, ne in posterum habeant ex ignorantie allegatione presidium, se, si fuerint civitates vel oppida, privilegiis et honoribus civitatum et immunitatibus quibuscumque, si comites aut barones vel qualescumque alii militari honore decorati seu quilibet alii laici, feudis, iuribus ac ceteris temporalibus bonis suis, si autem clerici, ecclesiasticis dignitatibus et beneficiis pro sue rebellionis ac perfidie pertinatia perpetuo spoliatos. Dignum est enim, ut digne retributionis consequantur stipendia una cum sui auctore periculi iam dampnato, qui cum Deo postposito suam constituunt portionem. Et ut plenius agnoscant suum ex pena peccatum, fame decore mulctati reddantur infamie perpetue indecori, ut tanquam illegitimi a legitimis actibus alieni, ad testimonium nullatenus admittantur, et intestabiles facti libera testamentorum careant factione, nec ad successiones accedant.

Porro nemo sibi de benignitate sedis apostolice blandiatur, quod tunc solum, cum repugnare non poterunt, ad ipsius clementiam recurrentes restitutionis possint misericordiam invenire, sed quisquis obstinate rebellionis culpam admiserit, certissime noverit, quod per seram penitentiam restitutionis veniam non habebit, quia erga huiusmodi misericorditer rigebit iusti disciplina vigoris ad terrorem similium in futurum, quibus crudeliter indulta clementia presumptionis pareret incentivum. Etenim si talium culpam contingeret beneficentia quod absit vel impunitate nutriri, bonorum virtus improperio contemptus exprobrata deficeret et malorum latius quam bonorum in pernitiem publicam texerentur exempla. Si vero hominum aliquarum civitatum vel locorum regni prefati adhuc persecutori ecclesie adherentium Dominus corda tetigerit, ut iugum onerose tyrampnidis et sceptrum insatiabilis exactoris a cervicibus propriis deponentes consurgant cum ecclesia stentque fideliter adversus iniquitatis filium, cuius manus contra omnes est, propter quod fieri debent manus omnium contra eum: non[a] solum eis statutam euntibus in Terre Sancte subsidium indulgentiam elargimur illamque plenitudinem perpetue libertatis, qua florent ecclesie filii inexperti servilis iniurie, statuimus in mercedem, verum etiam ipsis insuperabile protectionis et defensionis auxilium, in nullo eis defuturum articulo[b], pollicemur, cum dignum sit eos, qui ad propositum omnibus bonum primi precucurrerint et preduces aliorum, potioribus eternorum et temporalium premiis preveniri. Nec vereantur illi, qui se subiecerint mandato matris ecclesie, in eiusdem F. vel filiorum eius dominium se ullis temporibus reducendos, cum eorum libertatem eis ut dictum est impendendam a nobis defendere Deo iuvante totis viribus intendamus. Licet enim dolus eius tenebrosis fraudibus institutus, dum olim bonarum interdum specierum ymagine tegeretur, puritatem ecclesie ambulantis in luce sepe deluserit, sub mentito pacis osculo menbris eius morsum lesionis infigens[c], sic tamen iam innotuit detecta nocendi malignitas in versuto et supplantandi versutia in maligno, quod decetero eandem ecclesiam, quam reddiderunt preteritorum casuum experimenta cautissimam, ulla penitentie fictio, ulla humilitatis simulatio fallere non valebit, ut ruina prostrati de culmine imperialis et regii principatus aliquo remedio ad pristinum solium reparetur. Scimus quippe, quod in communem casum resurgeret, quem iusti iudicii censura deiecit, nec posset statui absque destitutione multorum, et in proprium moliretur exitium, quisquis reparare temptaret omnium exitia molientem. Propter quod de cordibus fidelium omnis hesitatio tituba-

a) nec *corr.* non. b) articulum articulo *R.* c) insigens *R.*

tionis abscedat, quos idem F. de sue ad honorem perditum reconciliationis opinione suspendit, quia iudicium Dei, quod in reprobationem ipsius de celesti throno per os universalis ecclesie prodiit, aliqua humane dispensationis miseratio non mutabit, ut amplius exurgat vel resurgat ad imperatoriam seu regiam magestatem[1]. Absit enim, ut in populo Christiano sceptrum regiminis ulterius maneat apud illum vel in vipeream eius propaginem transferatur, quem adeo felicitatis sue tumor[a] inflavit, quod quasi oblitus ex hominibus se fuisse progenitum, inhumaniter furit in homines, quos ferina rabie perimens ut oves escarum, in ipsum effertur humanitatis auctorem, cuius ymaginem in humana despicit et dissipat creatura; propter quod quicunque iustitiam diligit, gaudere debet, quod in hostem omnium est pro omnibus vindicatum, et lavare manus in sanguine peccatoris.

Ecce misimus tibi, fili, misericordie oleum, quo demulceri ad obedientiam humiles, et vinum severitatis, quo compungi debeant contumaces. Infunde illa, quamvis de longe ......[b] officio, illius sauciati regni vulneribus, quod predo usque ad nuditatem expolians deiecit in hac mundi area quasi quibusdam plagis superimpositis semivivum. Assume igitur verbum quo te dotavit gratie Dei donum, et tubam tue vocis exalta, si forte gens illa dilacerata miserabiliter et convulsa, exeunte in fines eius sono tuo, sermonum nostrorum baiulo, in spem vel metum expergefacta consurgat, stansque prospiciat ad liberationis iocunditatem sibi a Domino venientem et ad susceptionem eius promptum pandat amplexum.

Dat. Lugduni, III Kal. Septembris, anno VI°.

586.

Innocentius IV papa abbati Sancti Petri monasterii de Ebulo mandat, ut Iohanni de Phileeto militi Capudaquensis diocesis, qui bonis suis spoliatus exulare cogatur, in regno Siciliae de feudo militari provideat. *1248, Sept. 9.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 60, n. 648. Epistola non ante finem mensis Ian. a. 1249 registrata est. Potthast, Reg. 13019; Berger 4638.

.. abbati Sancti Petri monasterii de Ebulo[c 2] Salernitane diocesis.

Consuevit pia mater ecclesia indigentibus filiis pietatis gremium aperire illosque precipue oportune subventionis beneficio confovere, qui pro ea bonis propriis spoliati[d] coguntur miserabiliter exulare. Cum itaque, sicut dilectus filius Iohannes de Phileeto[3]

a) timor *R.* b) *nonnulla verba decsse videntur;* quamvis de longe | *in ras.* c) Ebul' *R.* d) spolia | ri *R.*

1) *Mense Iul. praeterito inter imperatorem et papam mediante Ludowico IX rege Franciae, qui Lugduni tum erat, de pace denuo frustra tractatum est; cf. Bohmer-Ficker, l. c. 3716 a. Sub Iul. circiter papa cuidam devoto suo scripsit se tractatum pacis admissurum non esse, nisi adhaerentes ecclesiae in ea ponerentur et Fridericus aut aliquis de sua progenie nunquam de cetero ad imperii regimen assumeretur; circa mensem Aug. cuidam [regi ut videtur, fortasse Willelmo,] nuntiavit, cum tractatus concordiae a se admissus non esset, per quem Friderico vel Conrado nato eius imperium vel regnum remanere posset, nuntios eius suo casso proposito abiisse; Potthast, Reg. 12992 et 13008; quae ep. inter epistolas Reg. Lib. VI, quot supersunt, non extant. — Simulatque Ludowicus rex, ut in Terram Sanctam transfretaret, naves ascendit [Aug. 28], papa hac epistola crucem contra Fridericum praedicari iussit.* 2) *Eboli ex or. Salerni.* 3) *Feltto e mer. cir. Eboli.*

miles Capudaquensis diocesis in nostra proposuit presentia constitutus, de regno Sicilie dudum eiectus, bonis suis paternis et maternis omnibus confiscatis, defectus innumeros patiatur et penis exterminii affligatur amaris: nos, necessitatibus compatientes ipsius, mandamus, quatinus eidem militi et suis heredibus ex eo descendentibus de aliquo competenti feudo militari congruo consideratis ipsius militis meritis in regno predicto, quam cito se facultas obtulerit, auctoritate nostra providere procures; contradictores etc.

Dat. Lugduni, V Id. Septembris, anno VI°.

587.

Innocentius IV papa P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato, mandat, ut cum Henrico milite de Limelate crucesignato, qui in negotio ecclesiae et [Wilhelmi] regis Romanorum fideliter laboret, super matrimonio irregulariter contracto dispenset. *1248, Sept. 13.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 7, n. 175.
Potthast, Reg. 13159; Berger 4168.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Ex parte dilecti filii Henrici militis de Limelate[1] Leodiensis diocesis crucesignati fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum ipse quandam carnaliter mulierem cognoscens, postmodum Aelidim, que in quarto consanguinitatis gradu mulieri attinebat eidem, immemor huius facti sibi matrimonialiter copularit, cum eis, quod in sic contracto matrimonio possent libere remanere, dispensare misericorditer curaremus. Cum igitur idem miles in negotio ecclesie ac carissimi in Christo filii nostri . . regis Romanorum illustris, ad quod est crucis caractere insignitus, dicatur[a] fideliter laborare, propter quod dignus redditur gratia et favore, mandamus, quatinus, si est ita, cum eisdem milite ac uxore super hoc auctoritate nostra dispenses, prout secundum Deum ipsorum animarum[b] saluti videris expedire.

Dat. Lugduni, Id. Septembris, anno VI°.

588.

Innocentius IV papa Hermanno marchioni de Baden ducatum Austriae, ei rite et liberaliter inter vivos a G[ertruda] ducissa Austriae uxore sua donatum, ad quam per successionem hereditariam devolutus sit, confirmat. *1248, Sept. 14.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 3, n. 141.
Potthast, Reg. 13022; Berger 4133.

Nobili viro Hermanno marchioni de Badon[c].

Illa quam ad apostolicam sedem habes devotio promeretur, ut tuis petitionibus eo favorabilius annuamus, quo plenius iustitie sapiunt debitum et equitatem iuri con-

a) dicitur *R.* b) ipsorum | *[fol. 7']* ipsorum animarum *R.* c) *ita etiam in margine.*

1) *Limelette prope civ. Warre, e mer. et or. civ. Bruxellae.*

sonam noscuntur apertius continere. Hinc est, quod nos, devotionis tue precibus inclinati, ducatum sive principatum Austrie cum omni honore, districtu et iure ipsius tibi donatum rite ac liberaliter inter vivos a nobili muliere G. ducissa Austrie[1] uxore tua, ad quam idem ducatus per successionem hereditariam secundum antiquam et approbatam ipsius terre consuetudinem, nec non per summos pontifices, imperatores et reges Romanorum ut asseris confirmatam, dicitur legitime devolutus, auctoritate tibi apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Lugduni, XVIII Kal. Octobris, anno VI°.

589.

Innocentius IV papa de Lovania et de Antwerpia prioribus Praedicatorum mandat, ut redemptiones votorum crucesignatorum tam contra F[idericum] quondam imperatorem et C[onradum] natum eius quam in subsidium Terrae Sanctae, et legata ei rei deputata in Coloniensi provincia et in iis partibus Cameracensis et Tornacensis diocesum, quae de imperio sint, et vicesimam proventuum ecclesiasticorum totius Alamanniae sibi assignari et conservari faciant. *1248, Sept. 19.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 7, n. 173.
Potthast, Reg. 13027; Berger 4166.

.. de Lovania[2] et .. de Anwerpia prioribus ordinis Predicatorum Cameracensis et Leodiensis diocesum.

De circumspectione vestra plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus, quatinus redemptiones et obventiones ex quacumque causa provenientes votorum crucesignatorum tam contra F. quondam imperatorem et C. natum eius ac fautores ipsorum quam in subsidium Terre Sancte, qui iusto impedimento detenti nequiverint personaliter exequi vota sua, necnon et legata deputata huiusmodi subsidiis in provincia Coloniensi et illis partibus Cameracensis et Tornacensis diocesum, que de imperio esse noscuntur, ac vicesimam ecclesiasticorum proventuum totius Alemanie per vos vel per alios, quos ad hoc expedire videritis, colligatis et ab aliis iam collecta assignari faciatis vobis et etiam conservetis usque ad nostre beneplacitum voluntatis. contradictores etc., quantitatem eorum nobis vestris litteris fideliter rescripturi, — non obstantibus indulgentia, qua ordini vestro vel alii persone, cui hoc duxeritis committendum, a sede apostolica est concessum, quod eiusdem ordinis fratres seu dicta persona non teneantur cognoscere vel se intromittere de causis sive negotiis ab apostolica sede committendis eisdem, aut aliqua alia, quod aliqui interdici, suspendi et excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam de indulgentia huiusmodi mentionem.

Dat. Lugduni, XIII Kal. Octobris, anno VI°.

---

1) *Gertruda nepte Friderici II ducis, vidua Wladislai marchionis Moraviae; de qua cf. n. 480 et 483—488.* 2) *Loven ex or. cir. Bruxellae.*

590.

Innocentius IV papa [Engelberto] episcopo Osnaburgensi committit, ut cum praeposito Osnaburgensi, germano suo, et duobus aliis clericis sibi obsequentibus super pluralitate beneficiorum dispenset. *1248, Sept. 22.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 9, n. 196.
Potthast, Reg. 13029; Berger 4188.

. . episcopo Osnaburgensi.

Tuam volentes honorare personam et per honorem tibi exhibitum aliis providere, fraternitati tue presentium auctoritate committimus, ut cum dilecto filio . . preposito ecclesie Osnaburgensis, germano tuo[1], et duobus aliis clericis tibi obsequentibus, quod preter beneficia ecclesiastica, que obtinent, alia quoque, licet curam habeant animarum, libere possint recipere, si eis[a] canonice offerantur, et cum obtentis licite retinere — non obstante constitutione concilii generalis —, usque ad illam quantitatem auctoritate nostra dispenses, de qua pensatis ipsorum meritis saluti animarum suarum videris expedire; proviso quod beneficia ipsa debitis etc. usque: negligatur.

Dat. Lugduni, X Kal. Octobris, anno VI°[b][2].

591.

Innocentius IV papa praeposito et capitulo Ratisponensibus inhibet, ne sine consensu [Alberti] episcopi sui statuta faciant. *1248, Sept. 23.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 10, n. 205.
Potthast, Reg. 13031; Berger 4197.

. . preposito et capitulo Ratisponensibus.

Ex parte venerabilis fratris nostri . . episcopi Ratisponensis nobis est oblata querela, quod vos eo inscio et irrequisito statuta edere, institutiones ac destitutiones nec non et alia ad ipsum et vos communiter de iure spectantia facere pro vestra voluntate presumitis, in eius non modicum preiudicium et gravamen[3]. Cum igitur vos tamquam membra non deceat discedere ab ipso episcopo, qui est utique capud vestrum, mandamus, quatinus premissa statuta, institutiones et destitutiones sine consensu dicti episcopi nullatenus faciatis. Alioquin eas decernimus irritas et inanes[4].

Dat. Lugduni, VIIII Kal. Octobris, anno VI°.

---

a) eos *corr.* eis. b) *nota chronol. alia manu coaeva et alia tinctura scripta est.*

1) *Brunone, qui Engelberto a. 1250 successit.* 2) *Sub Nov. 20 papa scolastico Mindensi ad preces comitis de Holdenburg [Oldenburg], devoti ecclesiae, mandavit, ut [Lutberto] canonico Osnaburgensi praebendam vacantem assignari faceret; Potthast, Reg. 13079; quae ep. in Reg. non extat.* 3) *Cf. Janner, Gesch. d. Bisch. v. Regensburg, t. II, p. 424.* 4) *Sub a. 1249, Ian. 30 papa unionem hospitalis sanctae Catherinae et ecclesiae sancti Magni Ratisponensium confirmavit, quam episcopus fecerat cum consensu capituli sui; Berger 4318; Potthast, Reg. 13523. — Sub a. 1249, Febr. 6 episcopo et thesaurario Ratisp. mandavit, ut hospitali sanctae Catherinae Ratisp. contra iurasorum audaciam assisterent; Potthast, Reg. 13203; quae ep. in Reg. non extat.*

592.

Innocentius IV papa Philippo procuratori ecclesiae Salisburgensis inhibet, ne ipse vel aliquis archiepiscopus Salisburgensis castra et bona, quae quondam [Fridericus II] dux Austriae et [Rapoto] comes palatinus Bawariae ab ecclesia Salisburgensi tenuerint et ipse post mortem eorum recuperaverit, papa irrequisito unquam ab eadem ecclesia alienent. *1248, Sept. 24.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 9, n. 199.
Potthast, Reg. 13030; Berger 4191.

Philippo procuratori ecclesie Salzeburgensis.

Cum, sicut petitio tua nobis exhibita continebat, castra, vassalli, possessiones, redditus ac alia bona, que quondam . . dux Austrie Stirieque et . . comes palatinus Bawarie[1] ab ecclesia Salzeburgensi tenebant in feudum, ad ius ipsius ecclesie redierint, nullo ex eis legittimo herede superstite qui succedere in feudum debeat remanente, que iam pro parte recuperasse te asseris non sine magnis laboribus et expensis et aliam partem recuperaturum in brevi dante Domino te confidis: nos, super hiis utilitati eiusdem ecclesie volentes inposterum paterna sollicitudine providere, auctoritate presentium districtius inhibemus, ne tu vel aliquis archiepiscoporum, qui pro tempore ecclesie Salzeburgensi prefuerint, castra vel alia supradicta infeudare seu alias alienare vel distrahere quoquo modo irrequisito Romano pontifice de cetero presumatis. Nos enim decernimus irritum et inane, quicquid super premissis vel aliquo premissorum contra inhibitionem nostram a quoquam contigerit attemptari. Nulli ergo etc. nostre inhibitionis et constitutionis etc.

Dat. Lugduni, VIII Kal. Octobris, anno VI°[2].

593.

Innocentius IV papa [Iohanni] electo Taurinensi mandat, ut Mediolanenses, Ianuenses et Placentinos compellat, ut Bonifatio marchioni Montisferrati pacta, quae cum eo de militibus et balistariis ipsi concedendis inierint, observent. *1248, Sept. 24.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 8, n. 180.
Potthast, Reg. 13031a; et 13064, falso sub Oct. 25; Berger 4173.

. . Taurinensi electo.

Ex parte dilecti filii nobilis viri Bonifatii marchionis Montisferrati fuit propositum coram nobis, quod cum ipse cum . . Mediolanensis, . . Ianuensis et . . Placentine civitatum potestatibus, consiliariis et communibus ac ipsi cum eo quedam pacta et conditiones tam super militibus et balistariis sibi concedendis ab eis quam aliis articulis

1) *Rapoto comes de Ortenburg, de quo cf. n. 550.* 2) *Sub a. 1249, Mart. 21 Wilhelmus Romanorum rex Philippo 'electo' Salisburgensi et fratri eius Ulrico ducatum Carinthiae, si B[ernhardum] ducem patrem eorum transire contingeret ex hoc saeculo, in solidum contulit, ita ut si Ulricus sine prole idonea mortuus fuerit, Philippus superstes ducatu potiretur in omni parte sicut pater eius, non obstante quod in Salisburgensem archiepiscopum esset electus consecrandus aut etiam consecratus; Bohmer-Ficker, l. c. 4972.*

amicabiliter adinvicem hactenus duxerint inienda[a] [1], iidem ea, licet super hoc nostris litteris moniti fuerint, pro sue voluntatis libito denegant observare. Ideoque mandamus, quatinus, si est ita, dictos potestates, consiliarios et communia, ut pacta et conditiones eadem infra competentem terminum a te prefigendum eisdem ut tenentur adimpleant et observent, moneas attentius et inducas, eos, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione ac frivola exceptione cessantibus compellere non obmittens[b].

Dat. Lugduni, VIII Kal. Octobris, anno VI° [2].

594.

Innocentius IV papa potestati Spoletano mandat, ut bona quondam Manentis Rainaldi, quae postquam idem pro fidelitate ecclesiae servanda de civitate Spoletana discesserit, occupata fuerint, F. uxori et Manenti nato eius restitui faciat. *1248, Oct. 4.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 10, n. 207.
Potthast, Reg. 13476; Berger 4199.

.. potestati Spoletano[c].

De libro memorie nostre non delevit oblivio, ab oculis nostre mentis temporis lapsus non subtrahit, quam sincera erga Romanam ecclesiam quondam Manentis Rainaldi Spoletani devotio[d] ferbuerit, quamque ferventi desiderio sui honoris optaverit incrementa; propter quod indignum existeret, si nos, qui sumus omnibus in iustitia debitores, dilectis in Christo filiis nobili mulieri F. uxori et Manenti nato suis, qui ob ipsius memoriam sunt ab eadem ecclesia diligendi, in suis iuribus deessemus. Cum itaque, sicut iidem sua nobis petitione monstrarunt, nonnulla bona et iura, que dictus M. habuit et possedit, a quampluribus, postquam pro ecclesie fidelitate servanda de civitate Spoletana discessit, fuerint occupata [3]: mandamus, quatinus super hiis inquirens de plano et sine iudicii strepitu veritatem, que taliter occupata inveneris vel detenta, sibi potestate tibi tradita restitui facias ac eisdem de perceptis ex eis fructibus et proventibus satisfactionem congruam exhiberi [4] — statuto contrario iuramento seu quacunque firmitate alia roborato aliquatenus non obstante. Alioquin .. rectori ducatus Spoletani litteris nostris iniungimus, ut ipse mandatum super hoc apostolicum exequatur; contradictores etc.

Dat. Lugduni, IIII Non. Octobris, anno VI° [5].

---

a) *ita R.* b) obmittas *R.* c) Spoletañ *R.* d) devotione *R.*

1) *Marchio, a. 1245, Iul. cum imperatore reconciliatus, a. 1247 exeunte ab eo defecerat; a. 1248, Oct. ei denuo se subiecit; Bohmer-Ficker, l. c. 3490g, 3665 et 3724b, et Ann. Placent. Gib. a. 1247 et 1248, SS. t. XVIII, p. 496 et 498.* 2) *Sub Sept. 22 eidem mandaverat, ut in ecclesiam sanctae Mariae de Lumbriasco ordinis sancti Augustini Taurinensis diocesis graviter collapsam, 'utpote positam in medio perversorum', ordinem Cisterciensium induceret; quam ecclesiam sub a. 1249, Mai. 20 eidem in spiritualibus et temporalibus administrandam commisit; Berger 4190 et 4538; Potthast, Reg. 13653. De eadem regione cf. Berger 4372, 4189, 4490, 4607; Potthast, Reg 13552, 13625, 13626, 13694.* 3) *Id. a. 1241, Iun. factum esse videtur, cum civitas imperatori se redderet; Bohmer-Ficker, l. c 3212. Spoletani a. 1247, circa medium mensem Nov. ad ecclesiam redierunt. Sub Nov. 13 enim a. 1247 Rainerius diaconus cardinalis, in patrimonio ecclesiae in Tuscia, Ducatu et Marchia vicem papae gerens, iis, 'petitiones eorum decernens exaudire', magnum privilegium, 'si statim redierint', concessit; Sansi, Storia di Spoleto, Docum. p. 288, n. 42; cf. etiam supra p. 371, not. 3 et Berger 3324.* 4) *Cf. infra n. 602.* 5) *Sub Iul. 31 papa Symoni Aegidii civi Spoletano officium tabellationatus concesserat. Sub Oct. 14 Andriono civi Spoletano, quoad vixerit, viginti*

595.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino mandat, ut novam observationem, quam comes de Swilemberg aliique ad tutelam Christianae pacis et munimentum fidei in regno Teutoniae instituere cupiant, cum aliquibus Praedicatorum et Minorum fratribus discutiat, eamque, si ex ea fidei augmentum provenire posse viderit, corrigat et ad sedem apostolicam mittat. *1248, Oct. 7.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 4, n. 150.
Potthast, Reg. 13043; Berger 4142.

. . archiepiscopo Maguntino.

Etsi periculosa sint tempora et mundus positus in maligno, non tamen desunt in fluctibus quarumlibet tempestatum consolationum remedia sponse Christi. Non enim prevalet Herodiane persecutionis impietas, quin puer Iesus datus nobis celitus in hereditatem gentium supervivat. Non attingit votum proprium Pharaonis astutia, satagens conterere in masculis Israelem, quin sacra Deum videntium soboles increbrescat. Ecce enim fecunditas sacrosancte matris ecclesie recenti semper semine innovatur, unde divino numini assidue succrescit in laudis frequentiam copiosior numerus electorum. Accepimus sane, quod in agro Domini, latitudine regni videlicet Theutonie, sumptum de celesti plantario granum non modicum seminatur, in magne ramoseque arboris altitudinem dante incrementa Domino provehendum, pium scilicet propositi regularis initium a nobili viro . . comite de Swilemberch[1] et quibusdam aliis nobilibus et viris ecclesiasticis iam mente conceptum ad tutelam Christiane pacis et fidei munimentum. Petebatur autem huic rei vigor consensionis a capite, summa videlicet Petri sede, a quo descendit quidquid est salutifere vegetationis in membris, ut novella structura solidaretur in lapide angulari, in quo omnis edificatio constructa in templum sanctum in Domino consumatur. Verum quia uberiores fructus ex bonarum rerum dispositionibus producuntur, que maturioribus fuerint digeste consiliis, et arduis negotiis tunc felicior exitus consumationis adicitur, cum per deliberationem consultius ineuntur, mandamus, quatinus ascitis tecum aliquibus Predicatorum et Minorum fratribus scientia et religione probatis, Deum et libertatem catholicam pre oculis solum habens, qualitatem et numerum personarum, que predictum propositum conceperunt, ipsamque vivendi normulam, secundum quam desiderant Domino regulariter famulari, una cum eisdem fratribus discutias diligenter. Postquam vero prudenti cautela ex personis negotium et ex negotio pensaveris studia personarum, si videris, [quod][a] ex institutione huiusmodi nove observantie provenire possit[b] magnum fidei augmentum, animabus salus[c] et moribus disciplina[d], tu eam modereris et corrigas addens et adimens, prout de predictorum fratrum consilio noveris expedire, ipsius seriem sub tuis et fratrum ipsorum sigillis ad sedem apostolicam transmissurus, ut super ea, quod secundum Deum expedire videbitur, statuamus.

Dat. Lugduni, Non. Octobris, anno VI°.

a) quod *deest R.* b) possit *superscript.* c) salutem *R.* d) disciplinam *R.*

quinque rasengas frumenti concessit, percipiendas annis singulis de proventibus, quos haberet ecclesia Romana in castro Trebarum Spoletanae diocesis; Berger 4530 et 4145, cf. 4146; Potthast, Reg. 13647, 13111, 13115.

1) *Schwalenberg, e mer. cir. Pyrmont. Widekindus comes de S. sub charta Henrici Raspe regis a. 1246, Mai. 25, Volkwinus comes de S., pater eius, sub charta Willelmi regis a. 1248, Apr. 25 invenitur; Bohmer-Ficker, l. c. 4868 et 4911.*

596.

Innocentius IV papa episcopo Calinensi propter devotionem suam concedit, ut cum uno clerico suo super pluralitate beneficiorum dispensare possit. *1248, Oct. 7.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 21, n. 307. Epistola non ante medium mensem Ian. a. 1249 registrata est. Potthast, Reg. 13516; Berger 4299.

. . episcopo Calinensi[1].

Devotioni tue, quam erga sedem apostolicam gessisse te novimus, volentes facere gratiam specialem, tuis supplicationibus inclinati, presentium tibi auctoritate concedimus, ut cum uno clerico tuo, quem moribus et scientia noveris adiuvari, quod beneficia ecclesiastica, etiam si curam habeant animarum annexam, si sibi canonice offerantur, usque ad summam viginti unciarum auri licite recipere ac libere retinere possit — constitutione generalis[a] concilii non obstante —, auctoritate nostra valeas dispensare, proviso quod beneficia ipsa debitis etc. usque: negligatur.

Dat. Lugduni, Non. Octobris, anno VI° [2].

597.

Innocentius IV papa fratri Henrico de ordine Praedicatorum poenitentiario suo dispensandi cum [Bertoldo] abbate Sancti Galli, ut cum episcopatu Curiensi, cuius episcopus [Volcardus] cesserit, abbatiam suam retinere possit, facultatem concedit. *1248, Oct. 13.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 9, n. 192. Potthast, Reg. 13048; Berger 4184.

Fratri Henrico de ordine Predicatorum penitentiario nostro.

Cum per te recepta cessione venerabilis fratris nostri . . episcopi Curiensis[3] mandemus prefici dilectum filium . . abbatem Sancti Galli Curiensi ecclesie in episcopum et pastorem[4]: quia ita claruisse dinoscitur dicti abbatis devotio probata in necessitate qua cognoscuntur amici, ut specialis[b] caritatis prerogativa diligentes eundem, cupiamus eum prosequi gratia et favore[5], dispensandi cum eo, ut cum episcopatu Curiensi possit abbatiam Sancti Galli tenere usque ad nostre beneplacitum voluntatis, auctoritate tibi presentium concedimus facultatem — non obstante indulgentia, qua ordini tuo dicitur ab apostolica sede concessum, ut dicti ordinis fratres de causis vel negotiis ab eadem sede committendis eisdem non teneantur cognoscere vel se

---

a) gnal' *R.* b) speciali *R.*

1) *Calenum ex sept. et occ. cir. Capuae. Episcopus ille Petrus fuisse videtur, qui a. 1244—1247 apud curiam papalem exulabat et postea Sorrentum translatus est; cf. Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 333.* 2) *Sub Oct. 15 papa Anagnino et Verulano episcopis mandavit, ut Dominico clerico episcopi in regno Siciliae providerent; Berger 4298; Potthast, Reg. 13515.* 3) *De hoc cf. n. 576.* 4) *Cf. n. 580.* 5) *Sub Sept. 7 papa abbati monasterium de Rinowe commiserat, cum episcopus Constantiensis, cui illud antea commisisset, rebus humanis exemptus esset; Potthast, Reg. 13015—13017. Sub eodem die abbati et conventui Sancti Galli concesserat, ut ecclesiam de Wila, in qua ius patronatus haberent, cum eam vacare contingeret, in proprios usus retinerent; U.B. d. Abt. St. Gallen, t. III, p. 119, n. 907 et 908; quae ep. in Reg. non extant.*

intromittere per litteras apostolicas, non facientes expressam de hac indulgentia mentionem.

Dat. Lugduni, III Id. Octobris, anno VI°[1].

598.

Innocentius IV papa magistro Petro de Atino scriptori suo confirmat ecclesiam sancti Marciani de Atino a quondam L. episcopo Aquinati ipsi collatam, non obstante quod eam canonici de Atino una cum I. nepote Petri de Vinea iudicis, qui pro eorum praeposito se gesserit, communi mensae suae temere deputaverint. *1248, Oct. 15.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 36, n. 441. Epistola non ante a. 1249, Apr. ineuntem registrata est. Potthast, Reg. 13051; Berger 4433.

Magistro Petro de Atino[a][2] scriptori nostro canonico Atinensi[a], rectori ecclesie sancti Marciani de Atino[a] Sorane diocesis.

Cum, sicut nobis significare curasti, bone memorie L. episcopus Aquinas ecclesiam sancti Marciani de Atino[a] tibi auctoritate felicis recordationis G. pape predecessoris nostri duxerit conferendam, in contradictores vel rebelles excommunicationis sententiam proferendo, tuque in ipsius possessione diu fueris pacifica et quieta: nos, tuis supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem episcopo factum est ratum et gratum habentes, dictam ecclesiam tibi auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus — non obstante quod canonici de Atino[a] post collationem huiusmodi quendam ex ipsis de ipsa ecclesia investisse ac eam una cum I., iudicis Petri de Vinea nepote, qui pro eorum se gerebat preposito, auctoritate propria communi mense postmodum temere deputasse et id iuramento firmasse dicuntur; que et quicquid aliud de ipsa ecclesia vel bonis eius in tuum gravamen et preiudicium sunt presumpta, nullius decernimus existere firmitatis. Nulli ergo etc. nostre confirmationis et constitutionis etc.

Dat. Lugduni, Id. Octobris, anno VI°.

Dati sunt ei super hoc conservatores . . abbas Casemarii et . . prior Sancti Dominici Verulane et Sorane diocesum, ut ipsum non permittant contra confirmationis et constitutionis nostre tenorem ab aliquibus molestari. Quod si non ambo etc.

Dat. ut supra.

599.

Innocentius IV papa [Gerhardo] episcopo Ambianensi mandat, ut Iohanni de Riencort militi et Hugoni filio eius, contra Aquenses proficisci paratis, illam

[a] Atin *R.*

1) *Sub a. 1249, Febr. 5 eidem Henrico ad preces abbatis mandavit, ut cum eo super irregularitatibus, a quas, cum conscientia remordente, incurrisset, dispensaret, dummodo ex enormi excessu non processissent; Berger 4329; Potthast, Reg. 13532.* 2) *Ex sept. Montis Casini.*

peccatorum veniam concedat, quae euntibus in Terrae Sanctae subsidium dari consueverit. *1248, Oct. 17.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 8, n. 189. Exemplar Baluzii, Misc. t. VII, p. 422 contulimus cum Reg. Potthast, Reg. 13053; Berger 4181.

. . episcopo Ambianensi.

Cum dilectus filius Iohannes de Riencort[1] miles et Hugo filius eius tue diocesis zelo fidei et devotionis accensi parati sint, ut asserunt, contra Aquenses in subsidium universalis ecclesie proficisci[2], mandamus, quatinus eisdem, facientibus quod offerunt, et hiis, quos secum ad hoc idoneos bellatores adduxerint, congruo ibi secundum tuam providentiam temporis spatio moraturis, illam concedas auctoritate nostra veniam peccatorum, que dari euntibus in Terre Sancte subsidium consuevit.

Dat. Lugduni, XVI Kal. Novembris, anno VI°.

600.

Innocentius IV papa electo Castrensi mandat, ut episcopo Plovacensi, ab officialibus et fautoribus Hentii nati F[riderici] quondam imperatoris a sede sua eiecto et bonis spoliato, ab ecclesiis et monasteriis Sardiniae in centum libris Ianuensibus annuatim provideri faciat, quousque ad ecclesiam suam redire valeat. *1248, Oct. 21.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 15, n. 253. Exemplar Baluzii, Misc. t. VII, p. 439 contulimus cum Reg. Potthast, Reg. 13058; Berger 4245.

. . electo Castrensi[3].

Etsi passim sit quibuslibet indigentibus miserendum, ut misericordes circa proximos existentes in retributione[a] iustorum misericordiam consequantur, circa fratres tamen et coepiscopos nostros debet esse cura propensior, et eis debet affluentius subveniri, qui ex divitiis in egestatem et exilium absque suo vitio inciderunt. Cum igitur venerabilis frater noster . . episcopus Plovacensis[4] ab officialibus et fautoribus Hentii nati F. quondam imperatoris a sede propria, sicut asserit, miserabiliter sit eiectus et bonis suis omnibus spoliatus, nos, gerentes super hoc circa ipsum debite compassionis affectum ac cupientes eidem, ne, quod absit, in obprobrium pontificalis officii mendicare cogatur, congruo remedio subveniri, mandamus, quatinus eidem tam ab archiepiscopis et episcopis quam ecclesiis et monasteriis Sardinie, a quibus expedire videris, in centum libris Ianuensibus[b], inter personas et eadem loca iuxta tue discretionis arbitrium proportionaliter dividendis, quousque ad Plovacensem ecclesiam redire valeat et secure morari, facias auctoritate nostra annis singulis provideri — non obstantibus constitutione de duabus dietis etc., seu si personis ecclesiarum et monasteriorum ipsorum a sede apostolica sit indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius compelli aut interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, nisi expressam fecerint de ipsa indulgentia mentionem, vel qualibet alia, per quam posset impediri huiusmodi gratia vel differri, —; contradictores etc.

Dat. Lugduni, XII Kal. Novembris, [anno VI°][c 5].

---

a) retributionem *R.; cf. n. 321.* b) Ian *R.* c) *nota chronol. in loco raso;* anno VI° *deest R.*

1) *Riencourt ex occ. cir. Amiens.* 2) *Civitas Aquensis Oct. 18 Willelmo regi se reddidit; Bohmer-Ficker, l. c. 4931 a.* 3) *Castro in parte septentrionali et occidentali insulae Sardiniae.* 4) *Ploaghe ibidem.* 5) *Sub Oct. 25 episcopo et capitulo Plovacensibus omnes immunitates a Romanis pontificibus et alias*

601.

Innocentius IV papa magistro Adinulfo de Arpino ruralem ecclesiam sancti Petri de Campomayn., a magistro Berardo Carazolo capellano papae, professore iuris civilis, ipsi collatam, non obstante si ea a Fr[iderico] quondam imperatore alii collata sit, confirmat. — Abbatem saecularis ecclesiae sancti Petri de Canneto executorem constituit.

1248, Oct. 25.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 36, n. 445 et 446. Epistolae non ante initium mensis April. a. 1249 registratae sunt.

Potthast, Reg. 13065 et 13591; Berger 4437 et 4438.

1.

Magistro Adinulfo de Arpino canonico ecclesie sancte Marie Castri Scipionis Sorane diocesis.

Personam tuam sincera diligentes in Domino caritate, libenter tuis petitionibus benignum accomodamus auditum, eas precipue ad exauditionis gratiam admittendo, que tuum honorem et comodum specialiter respicere dinoscuntur. Cum itaque dilectus filius magister Berardus Carazolus capellanus noster, iuris civilis professor, ruralem ecclesiam sancti Petri de Campomayn.[a] Sorane diocesis, que per mortem[b] Iohannis de Gaydo rectoris ipsius de iure vacabat, de speciali mandato nostro tibi contulerit, prout in ipsius litteris inde confectis plenius continetur, nos, tuis precibus inclinati, collationem huiusmodi gratam et ratam habentes, eam — non obstante si ecclesia ipsa per Fr. quondam Romanorum imperatorem vel per officiales suos alii sit collata, seu quod alias beneficiatus existis — auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, decernentes irritum et inane, si contra collationem ipsam et huiusmodi confirmationem nostram contigerit aliquid attemptari, tenorem litterarum ipsarum presentibus de verbo ad verbum inseri faciendo, qui talis est:

Viro provido et discreto magistro Adenulfo de Arpino canonico ecclesie sancte Marie Castri Scipionis Sorane diocesis Berardus Carazolus domini pape capellanus, iuris civilis professor, salutem in Domino. Cum dominus et pater noster sanctissimus Innocentius summus pontifex volens tibi facere gratiam specialem nobis iniunxerit, ut ruralem ecclesiam sancti Petri de Campomayn.[a] Sorane diocesis, que per mortem Iohannis de Gaydo rectoris eiusdem de iure vacabat, tibi auctoritate conferremus ipsius — non obstante si dicta ecclesia per Fr. quondam Romanorum imperatorem vel per officiales suos alii sit collata, seu quod alias beneficiatus existis —: nos de mandato speciali[c] predicti summi pontificis tibi ecclesiam predicto modo vacantem conferimus memoratam. Ad huius autem rei memoriam presentes litteras fieri fecimus et nostro sigillo muniri.

Act. Lugduni, VIIII Kal. Novembris, pontificatus eiusdem[d] domini pape anno VI°.

Nulli ergo etc. nostre confirmationis et constitutionis etc.

Dat. Lugduni[e], VIII Kal. Novembris, anno VI°.

---

a) Campomayn̄ *R.* b) *litterae* ōtē *in loco raso.* c) speciali *in loco raso.* d) pontificatus eiusdem *in loco raso.* e) Lugd' *superscriptum.*

libertates et exemptiones saecularium exactionum a iudicibus Sardiniae et aliis Christi fidelibus indultas, non obstante quod dicti iudices aliquando contra easdem libertates et exemptiones venisse dicerentur, confirmarit; Berger 4246; Potthast, Reg. 13059.

II.

.. abbati secularis ecclesie sancti Petri de Canneto Verulane diocesis.

Personam dilecti filii magistri Adenulfi de Arpino clerici Sorane diocesis sincera diligentes in Domino caritate, libenter ipsius petitionibus benignum accomodamus auditum, etc. ut supra verbis competenter mutatis usque: attemptari. Mandamus, quatinus eundem magistrum in ecclesie predicte corporalem possessionem inducas et defendas inductum; contradictores etc.

Dat. ut supra.

602.

Innocentius IV papa Manenti nato quondam Manentis Rainaldi civis Spoletani ob merita patris, qui olim pro devotione ecclesiae civitatem suam exierit, concedit, ut homines, vassallos et bona sua sub eadem libertate possideat, qua pater eius ea obtinuerit.

1248, Nov. 5.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 10, n. 206.
Potthast, Reg. 13475; Berger 4198.

Manenti nato quondam Manentis Rainaldi civis Spoletani[1].

Ut apostolice sedis gratiosa benignitas erga te, quem in suum ecclesia Romana suscepit alumpnum, plena prerogativa favoris semper te preveniat et sequatur, obsequiosa genitoris tui apud nos merita interpellant, cum etsi ab eius primordio iuventutis ad exequenda, que statum sedis predicte ac sui communis salubrem et honorificum contingebant, ferventius inter ceteros aspirarit, sic suum tamen cursum finaliter consumarit[a], ut tua te tunc genitrice in alvo gestante potius elegerit extra lares patrios ad Urbem, in qua consequenter exul obiit, sub alis moraturus ecclesie se transferre, quam quod fidem sedis negaret eiusdem ac prefati communis, cuius futurum previdebat exitium, pateretur excidio consentire, quod tunc temporis publicus Italie persecutor de sua civitate suisque perdendis concivibus dampnabiliter venabatur. Eapropter condecens et congruum attendentes, ut in te paterne benedictionis et gratie ab ecclesia Romana propter hoc retributio gratuita refundatur, auctoritate tibi apostolica duximus concedendum, ut homines, vassallos, castra, villas, et alia bona tua, quemadmodum idem pater tuus pro se ab omnibus alterius, tam communis quam persone publice vel private, servitiis, exactionibus et collectis eadem obtinuit libera et exempta, simili statu et eadem libertate pacifice possideas et quiete, statuentes ne quisquam audeat in premissis aliter quam patris tui tempore iurisdictionem vel exactionem aliquam exercere. Nulli ergo etc. nostre concessionis et constitutionis etc.

Dat. Lugduni, Non. Novembris, anno VI°.

Datus est ei super hoc conservator .. episcopus Spoletanus[2].

a) consumavit *R.*

1) *Cf. n. 594.* 2) *Bartholomaeus.*

603.

Innocentius IV papa potestati, consilio et communi Ianuensibus indulget, ut in eos excommunicationis vel interdicti sententiae promulgari non possint sine sedis apostolicae mandato speciali. *1248, Nov. 5.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 11, n. 217. Exemplar Reg. contulimus cum authentico in Lib. iurium reipubl. Genuens. [Hist. patr. mon.] t. I, p. 1034, n. 786 [A.].
Potthast. Reg. 13068; Berger 4209.

.. potestati, consilio et comuni Ianuensibus.

Ut ex speciali devotione, quam ad nos et Romanam habetis ecclesiam, sentiatis in vobis favorem apostolicum accrevisse, auctoritate vobis presentium indulgemus[a], ut nullus delegatus vel subdelegatus, executor aut etiam conservator per indulgentiam vel apostolicas quantumcunque plenas vel expressas litteras[b], impetratas vel etiam impetrandas, vel processus habitos per easdem, non facientes de hac indulgentia mentionem[c], in vos seu terram vestram excommunicationis vel interdicti sententias valeat promulgare. Nulli ergo etc.

[Dat. Lugduni][d], Non. Novembris, anno VI°.

604.

Innocentius IV papa abbati de Wettingen mandat, ut fratrem Wernerum conversum ipsius, qui multorum odia incurrerit, pro eo quod in ecclesiae negotio fideliter laboravit, ad suggestionem aliquorum ad alia loca transmittere non praesumat. *1248, Nov. 10.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 12, n. 223. Contulimus epistolam cum alia eiusdem fere tenoris sub a. 1248, Mart. 31 scripta, Berger 3809 [1]; cf. p. 370, not. 1.
Berger 4215.

.. abbati monasterii de Wectingen Cisterciensis ordinis Constantiensis diocesis.

Cum dilectus filius frater Wernerus conversus tuus multorum sicut accepimus incurrerit odia, pro eo quod in ecclesie[e] negotio devote ac fideliter laboravit, mandamus, quatinus tu vel aliquis[f] eiusdem ordinis ipsum ad suggestionem aliquorum ad alia loca transmittere nullatenus presumatis, immo ipsum benigno affectu pertractes eique ministres necessaria et fratres conversos, sicut consueverunt huc usque, ut cum eis ecclesie negotia promovere valeat[g], facias obedire — non[h] obstantibus quibuscunque privilegiis vel indulgentiis contrariis ordini Cisterciensi ab apostolica sede vel eius legatis concessis, de quibus specialem vel expressam oporteat fieri in presentibus mentionem.

Dat. Lugduni, IIII Id. Novembris, anno VI°[i].

---

a) presentium indulg'. vobis *R.* b) per apostolicas — litteras vel indulgentias *A.* c) plenariam mentionem *A.* d) *ita A*; Dat. Lugduni *deest R.* e) ecclesiastico *I.* f) aliquis abbas *I.* g) valeant *I. sic!* h) *verba* non — mentionem *desunt I. Apparet epistolam priorem propter hunc defectum renovatam esse.* i) Dat. ut supra *R.*

605.

Innocentius IV papa thesaurario Sancti Petri Argentinensis mandat, ne permittat, ut Hugo canonicus Turicensis, clericus W[illelmi] regis Romanorum, ex eo quod quidam consanguinei sui Friderico quondam imperatori auxilium praestent, super beneficiis suis molestetur. *1248, Nov. 12.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 11, n. 220.
Potthast, Reg. 13078, falso sub Nov. 19; Berger 4212.

Thesaurario ecclesie sancti Petri Argentinensis.

Dilectus filius Hugo canonicus ecclesie Turicensis Constantiensis diocesis, clericus carissimi in Christo filii nostri W. regis Romanorum illustris, in nostra proposuit presentia constitutus, quod cum ipse ex eo sibi timeat, procurantibus forte aliquibus suis emulis, periculum imminere, quod quidam eius consanguinei contra ecclesiam Friderico quondam imperatori prestant auxilium et favorem, quamquam ut eos ad ipsius ecclesie obsequium revocaret, totis[a] viribus laborarit, nobis supplicavit humiliter, ut sibi, qui semper pro posse suo dilexit ecclesiam, providere super hoc misericorditer curaremus. Cum igitur eundem H. fuisse devotum erga Romanam ecclesiam et bonorum ipsius operum exhibitio ut dicitur comprobet et dictus rex in suis litteris protestetur, nec ei, qui prodesse negotio ipsius ecclesie studet pro viribus, debeat[b] iniquitas suorum obesse: mandamus, quatinus dictum H. in devotione sedis apostolice persistentem — non obstantibus aliquibus litteris eiusdem sedis vel legatorum ipsius[c] impetratis vel etiam impetrandis — non permittas ab aliquibus super beneficiis suis aut ipsorum proventibus occasione huiusmodi molestari; molestatores huiusmodi etc.

Dat. Lugduni, II Id. Novembris, anno VI°[1].

606.

Innocentius IV papa S[tephano] tituli Sanctae Mariae Transtiberim presbytero cardinali, vicario suo in Urbe, mandat, ut Matthaeo clerico, nepoti quondam Theodini de Amiterno, qui a tempore primae discordiae motae inter ecclesiam et imperium bonis omnibus privatus exulet, in ecclesia Reatina de praebenda vacante provideat.

1248, Nov. 12.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 41, n. 513. Epistola non ante a. 1249, Mai. ineuntem registrata est.
Potthast, Reg. 13634; Berger 4505.

S. tituli Sancte Marie Transtiberim presbytero cardinali, vicario nostro in Urbe[d].

Etsi ad provisionem cunctorum, qui gratiam nostre provisionis exposcunt, intendere teneamur, circa illos tamen curam[e] nos decet impendere specialem, qui nobilibus

a) totos *R.* b) debet *R.* c) ipsius — etiam im *in loco raso.* d) Eidem *R.* e) cura *R.*

1) *Sub Nov. 20 papa abbati de Wettingen mandavit, ut si fratres et alii consanguinei Hugonis abiurato errore adhaerere ecclesiae promiserint, iis beneficium absolutionis impenderet, decernens ut idem Hugo, iis et aliis, quorum communionem commode vitare non posset, ut eos ad obsequium ecclesiae revocaret, communicans, aliquas excommunicationis vinculum non incurreret [cf. n. 493]. Sub Nov. 10 et 19 papa duas*

orti natalibus coguntur pro defensione libertatis ecclesiastice miserabiliter exulare. Cum igitur dilectus filius Matheus clericus, nepos quondam Theodini de Amiterno[1], a tempore prime discordie mote inter ecclesiam et imperium ab inimicis eiusdem privatus bonis omnibus de domo propria et patria sicut asserit sit expulsus, nos, gerentes super hoc circa ipsum pie compassionis affectum ac reputantes eundem propter hoc dignum speciali sedis apostolice gratia et favore, mandamus, quatinus eidem de prebenda, si qua in ecclesia Reatina vacat ad presens vel quando vacabit, providere procures, faciens ipsum tunc inibi recipi in canonicum et in fratrem, — non obstantibus[a] quod idem clericus alias beneficiatus existit, aut si in eadem ecclesia pro aliis scripsimus, quibus nolumus etc. usque: generari, vel qualibet alia indulgentia eidem ecclesie ab apostolica sede concessa, per quam posset impediri huiusmodi gratia vel differri et de qua etc. usque: mentionem, —: contradictores etc.

Dat. Lugduni, II Id. Novembris, anno VI°[2].

607.

Innocentius IV papa episcopo Tripolitano testandi de bonis mobilibus suis et providendi de eis consanguineis suis, qui per fautores Fr[iderici] quondam imperatoris bonis suis spoliati exulare coguntur, facultatem indulget. *1248, Nov. 17.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 12, n. 226.
Potthast, Reg. 13482; Berger 4218.

.. episcopo Tripolitano.

Accepimus nuper, quod pater misericordiarum et dominus, qui filium quem diligit corripit et castigat, ut tuum custodiret spiritum, te diebus istis flagello valitudinis visitavit. Unde cum de recuperanda salute dubitans, cupias tanquam vir prudens et providus, dum in te viget discretio, de mobilibus bonis, que habes, pro anime tue salute disponere, ac de ipsis quorundam tuorum consanguineorum, qui pro fidei constantia et devotione, quam ad Romanam ecclesiam habent, per fautores[b] Fr. quondam imperatoris bonis propriis spoliati exulare coguntur, necessitatibus providere: fuit nobis ex parte tua humiliter supplicatum, ut id faciendi de benignitate apostolica tibi licentiam largiremur. Nos igitur, qui tuis incomodis affectu paterno compatimur, votis tuis in hac parte benignius annuentes, testandi de bonis predictis ac providendi de ipsis prefatis tuis consanguineis, prout tua discretio expedire viderit,

a) non obst. *R. In ep. antecedente verba* non obstantibus si *etc. litteris perscripta sunt.* b) ha. p. faut. *in loco raso.*

alias ep. in favorem Hugonis scribi iussit; Berger 4213, 4214, 4211; Potthast, Reg. 13480, 13481, 13077. — Sub a. 1248, Iun. 28—30 papa H[enrico] episcopo Constantiensi mandaverat, ut cum universus clerus de Turego propter imminentem discordiam a castro Turicensi recessisset, eidem redeundi et conferendi poenitentibus eiusdem loci viaticum et parvulis baptisma licentiam largiretur; Potthast, Reg 13414 a; quae ep. in Reg. non extat; cf. p. 376, not. 5. Haec epistola ap. Neugart, Episc. Const. t. I, II, p. 437, 'IX Kal. Iul. a. VI.' i. e. a. 1249, Iun. 23 subsignata est. Cum autem H[enricus] episcopus a. 1248, Aug. 25 mortuus iam esset, cui Eberhardus successit, eam 'IV—II Kal. Iul. a. VI.' i. e. 1248, Iun. 28—30 scriptam fuisse par est; initium enim annorum pontificatus Innocentii IV Iun. 28 erat.

1) *Ex sept. et occ. civ. Aquila. De eodem cf. t. I, p. 439, not. 6.* 2) *De epistola in Regestis antecedente, quae in favorem eiusdem Matthaei scripta 'IIII Id. . . . . anno VI°' data est, cf. infra sub a. 1249, Mart. 31.*

fraternitati tue indulgemus auctoritate presentium liberam facultatem, nichilominus concedentes, ut iidem consanguinei tui, quibus de bonis predictis aliqua contulisti vel duxeris conferenda, ipsa licite valeant retinere.

Dat. Lugduni, XV Kal. Decembris, anno VI°[1].

608.

Innocentius IV papa [Alberto] episcopo Ratisponensi mandat, ut Kyliano monacho Eberspergensi, monasterio Scotorum in Vienna, quae civitas interdicto supposita sit, canonice in abbatem praefecto, munus benedictionis impendat, cum loci dioecesanus [Rudigerus] episcopus Pataviensis excommunicatus sit. *1248, Dec. 1.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 13, n. 240. Exemplar Baluzii, Msc. t. VII, p. 434 contulimus cum Reg. Potthast, Reg. 13090; Berger 4232.

. . episcopo Ratisponensi.

Sua nobis dilecti filii . . abbas et conventus monasterii sancti Iacobi Scotorum Ratisponensium[a] ordinis sancti Benedicti ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis petitione monstrarunt, quod ipsi[b], attendentes conventum monasterii sancte Marie Scotorum in Vienna abbatis destituti regimine, ad dictum monasterium sancti Iacobi nullo mediante spectantis, ex eo eligere ea vice non posse, quod in villa Wiennensi auctoritate apostolica supposita interdicto divina temere celebrarunt[2], ne dictum monasterium sancte Marie ex vacatione diutina in spiritualibus et temporalibus incurreret detrimentum, dilectum filium Kylianum monachum Eberspergensem[3], virum, ut accepimus, eminentis scientie ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum, eidem vacanti monasterio canonice ac concorditer, prout ad eos pertinet, prefecerunt, nobis humiliter supplicantes, ut cum . . Pataviensis episcopus loci diocesanus auctoritate predicta vinculo sit excommunicationis astrictus[4], ipsi electo ad sedem apostolicam accedenti munus faceremus benedictionis impendi. Tuam igitur volentes in hoc honorare personam, qui in devotione sedis apostolice stabilis perseveras, mandamus, quatinus, si est ita, eidem electo munus benedictionis impendas eique facias a suis subditis obedientiam et reverentiam devotam et debitam exhiberi; contradictores etc. Nolumus tamen, quod Pataviensi ecclesie per hoc in posterum aliquod preiudicium generetur.

Dat. Lugduni, Kal. Decembris, anno VI°[5].

a) Ratisponeñ *R.* b) *sequitur in R.* mon . *quod punctis suppositis deletum est.*

1) *Sub Dec. 22 papa episcopum 'bonae memoriae' appellavit. Sub a. 1249, Febr. 18 Viviano praeposito ecclesiae de Sorania Parmensis diocesis mandavit, ut si sibi constitisset bonorum ipsorum dispositionem episcopo tempore mortis suae ex indulto apostolico competiisse, curaret, ut fratribus eius Bartholomaeo archidiacono Tripolitano, Gerardo de Tripoli et Roberto secundum ultimam voluntatem eius bona eadem exhiberentur; Berger 4394 et 4364; Potthast, Reg. 13565 et 13547.* 2) *Cf. n. 482.* 3) *Ex or. civ. München.* 4) *Cf. n. 550. Quo tempore denuo excommunicatus fuerit, nescimus; cf. n. 652.* 5) *Sub Dec. 1 et 6 papa abbati Sancti Iacobi Scotorum Ratisponensium de monasteriis et prioratibus in Hibernia sibi subiectis quaedam concessit; Berger 4229 et 4235; Potthast, Reg. 13089 et 13106.*

609.

Innocentius IV papa de Neuenburg et de Ardacher ecclesiarum praepositis Pataviensis diocesis mandat, ut Kylianum electum monasterii Scotorum in Wienna, cum ab [Alberto] episcopo Ratisponensi benedictionis munus acceperit, in monasterii possessionem inducant. 1248, Dec. 1.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 11, n. 241.
Potthast, Reg. 13091; Berger 4233.

.. de Neuerburg[a 1] et .. de Ardacher[2] ecclesiarum prepositis Pataviensis diocesis.

Presentium vobis auctoritate mandamus, quatinus dilectum filium Kylianum electum monasterii sancte Marie Scotorum in Wienna Pataviensis diocesis, cum a venerabili fratre nostro .. Ratisponensi episcopo iuxta mandati nostri tenorem, quod eidem episcopo destinamus[3], munus benedictionis acceperit, in eiusdem monasterii possessionem inducatis et defendatis inductum; contradictores etc., invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii secularis.

Dat. ut supra.

610.

Innocentius IV papa potestati Spoletano mandat, ut cum R[aynerius] Sanctae Mariae in Cosmidin diaconus cardinalis, apostolicae sedis legatus, homines Castri Litaldi ad satisfaciendum Iacobo et Andreae de Castro Litaldi et filiis Iacobi de iniuriis illatis condemnaverit, hanc condemnationem executioni demandet. 1248, Dec. 1.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 15—16, n. 259
Potthast, Reg. 13491; Berger 4251.

.. potestati Spoletano[b].

Cum, sicut ex parte dilectorum filiorum Iacobi et Andree de Castro Litaldi[4], Hermanni, Follis[c], Philippi et Egidii natorum eiusdem Iacobi Spoletane diocesis fuit propositum coram nobis, dilectus filius noster R. Sancte Marie in Cosmidin diaconus cardinalis, apostolice sedis legatus, homines ipsius Castri Litaldi ad satisfaciendum sibi de dampnis illatis ab eis et de aliis etiam, que pro conservanda fidelitate sedis apostolice ammiserunt, duxerit condempnandos; mandamus, quatinus condempnationem huiusmodi de plano et absque iudicii strepitu, ex quo possit cause sequi prolixitas, potestate tibi tradita executioni demandes — non obstante aliquo Spoletane civitatis statuto iuramento vel alia firmitate vallato. Alioquin venerabili fratri nostro .. episcopo Perusino damus nostris litteris in mandatis, ut ipse super hoc mandatum apostolicum exequatur.

Dat. Lugduni, Kal. Decembris, anno VI°[5].

a) Neuburg *R.* b) Spoletan *R.* c) Hermanni, follis *R.: in inscriptione Lib. VI, 260 et in margine et in rubro legitur* Hermanno folli.

1) *Klosterneuburg ex sept. et occ. civ. Wien.* 2) *Ardacker ad Danubium fl. infra civ. Enns.* 3) *Cf. n. 608.* 4) *Castel Ritaldi ex sept. et occ. civ. Spoletanae.* 5) *Sub eodem die Iacobo aliisque condemnationem legati confirmavit. Sub Dec. 2 legato mandavit, ut Hermanno Iacobi notario de Castro Litaldi a sancti Severi Urbevetani et sancti Fortunati Tudertini monasteriis vitae necessaria, quoad vixerit,*

611.

Innocentius IV papa [Roberto] patriarchae Hierosolymitano, apostolicae sedis legato, concedit, ut ex eo, quod patriarcha Antiochenus, apostolicae sedis legatus, quando in Accon fuerit, ea fecerit, quae soli legato a latere competant, ecclesiae suae praeiudicium non generetur. *1248, Dec. 2.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 13, n. 233. Exemplar Baluzii, Misc. t. VII, p. 432, contulimus cum Reg. Potthast, Reg. 13092; Berger 4225.

.. patriarche Ierosolimitano, apostolice sedis legato.

Cum, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, ob nostram, premissa tamen protestatione, reverentiam toleraveris, ut venerabilis frater noster .. patriarcha Antiochenus, apostolice sedis legatus[1], quando fuit in[a] Accon, portare [presumeret][b] legationis insignia, incedere cum rubeis et signare populum Acconensem, cum talia non competant nisi legato a nostro latere destinato: nos, tuis supplicationibus inclinati, presentium tibi auctoritate concedimus, ut per hec nullum ecclesie tue preiudicium valeat generari. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, IIII Non. Decembris, anno VI[o c].

612.

Innocentius IV papa Ofreducio et Andreae fratribus et Hugolino consobrino eorum dominis de Alviano pro recompensatione damnorum, quae ab Henrico de Parcimano et nuntiis F[riderici] quondam imperatoris sustinuerint, castrum Ioris ad eundem Henricum pertinens concedit. *1248, Dec. 4.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 15, n. 255.
Potthast, Reg. 13096; Berger 4247.

Ofreducio et Andree fratribus ac Hugolino consobrino eorum dominis de Alviano[d 2].

Oblata nobis ex parte vestra petitio continebat, quod cum vos pro fide ac devotione Romane ecclesie, quam inconcussa firmitate servatis, ab Henrico de Pareimano[e 3] et per ipsum a nuntiis F. quondam imperatoris, cui adhuc adherere non pudet eundem, dampna gravia in bonis vestris et vassallorum vestrorum sustinueritis et iacturas, precaveri vobis super hiis per sedis apostolice providentiam humiliter supplicastis. Ut igitur fideles ecclesie, ipsorum promerente constantia, debite sublevationis remedium consequantur et persecutores ipsius eam gratis odisse ac eiusdem filios ex

a) ī *superscriptum est.* b) *deest R.; verba* legationis *incipit f. 13'.* c) Dat. ut supra *R.*
d) Alviano *R.* e) Paremiano *B.*; Pareniam *in ep. a. 1249, Mai. 21.*

ministrari faceret. Sub Dec. 4 Iacobum et Andream fratres et filios eorum 'ab universis collectis, exactionibus et quibuslibet publicis oneribus, quae pro expeditionibus vel exercitibus aut pro alia quacumque causa in loco, ubi moram traherent, a communitate Castri Litaldi vel ab aliis imponerentur', eximit; Berger 4252. 4253, 4250; Potthast, Reg. 13495, 13093, 13493.

1) *Successori Alberti, cuius nomen ignoratur, sub a. 1247, Oct. 8 legationis munus commissum erat; Berger 3300, 3299, 3368.* 2) *Alviano ex sept. et occ. civ. Ameliae.* 3) *Hic sine dubio erat idem atque 'H. de Pertingano' [ut videtur Petrignano prope civ. Assisi] ap. Bohmer-Ficker, l. c. 3797.*

innata flagellasse malitia saltem pena pungente se doleant, vestris supplicationibus inclinati, Castrum Iovis[1] cum pertinentiis suis Ameliensis diocesis ad ipsum pertinens pro debita et integra vestrorum recompensatione dampnorum, que ab eodem Henrico vel per ipsum ab aliis propter ecclesiam passi estis, vobis in devotione sedis apostolice persistentibus auctoritate presentium duximus concedendum, statuentes ut idem H. — edicto contrario vel alio quolibet non obstantibus[a] — vobis dampna huiusmodi debeat resarcire. Nulli ergo etc. nostre concessionis et constitutionis etc.

Dat. Lugduni, II Non. Decembris, anno VI°[2].

Dati sunt conservatores eisdem super hoc . . episcopus[3] et . . abbas[b] monasterii sancti Petri Perusini.

613.

Innocentius IV papa acerrime in Fridericum quondam imperatorem invehens, miserabilem statum regni Siciliae describit et statuta de libertate ecclesiarum ibidem reformanda edit. *1248, Dec. 7.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 68—70, cur. n. 22. Exemplar, quod Hofler, Alb. v. Beh. p. 211 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 13110; Berger 4683.

Statuta edita per dominum Innocentium papam quartum pro ecclesiastica libertate in regno Sicilie.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, ad observantiam et memoriam perpetuam. A diebus Frederici, alumpni nequitie, quasi Antichristi prenuntii, Sicilie regnum vim patitur[c] et ministri eius predatione illud diripiunt violenta. Nam, ut vite sue cursum breviloquio transcurramus et longam perversorum actuum eius telam compendiosa verborum serie decurtemus, postquam multas et periculosas apostolice sedis presidio evasit insidias cepitque libere in regno ipso, pleni sibi habenas illa tribuente dominii, principari, sic in superbie altitudinem est elatus et in sevitie acerbitatem obriguit, quod de humilitatis substantia, cuius in adversis se simulabat amicum, et de benignitatis mansuetudine, quam blando prius mentiebatur aspectu, nichil omnino retinens, et de virtute divina non tremuit humanamque parvipendit potentiam, et honorem ecclesie ac libertatem hominum dicti regni tirampnide furibunda depressit; plurimum olim mitis in nubilo, set nimium severus postmodum in sereno; verborum tunc dulcedine melleus, sed postea felleus amaritudine operum; antea quidem promissionis blandimento multimodo liniens, set postremo ut scorpio persecutionis aculeo dire ledens. De multiplicis etenim necessitatis angusto, in quo draco iste latuerat,

a) obst. *R.* b) episcopo et . . abbati *R.* c) patititur *R.*

1) *Giove c mer. et occ. cir. Ameliae.* 2) *Sub eodem die eosdem cum hominibus, vassallis et bonis sub protectione sua recepit, statuens* 'quod homines terre vestre ab aliquibus communitatibus seu aliis quibuscumque personis in ipsorum locis recipi nequeant, vobis invitis, et tali modo recepti cogantur ad priora loca redire, nulla quoque communitas aut alia quevis persona possit eisdem hominibus dare frankytiam nisi consensu vestro libere accedente'. *Sub eodem die eisdem indulsit, ut quaecunque de bonis hostium ecclesiae ipsi, familiares et vassalli eorum habuissent hactenus vel de cetero habere possent, in eorum dominium transirent. Sub Dec. 5 R[ainerio] Sanctae Mariae in Cosmidin diacono cardinali, apostolicae sedis legato, mandavit, ut eidem redditus et alia, quae in comitatu Nucerino ad Romanam ecclesiam pertinerent, usque ad beneplacitum apostolicum concederet; Berger 4248, 4249, 4408; Potthast, Reg. 13097, 13098, 13573.* 3) *Frigerius.*

in[a] affluentis opulentie amplitudinem famelicus et sitibundus exiliens, rapido cepit ore regnum laniare prefatum, carnem illius, rerum suarum scilicet[b] ubertatem, consumens in cibum et sanguinem in potum exauriens, hominum videlicet eius vitam; sic namque in bona et personas ipsius anxia exarsit ingluvie, quod hec insatiabili rapacitate discerpens, illud, prodolor! ferus plus fera qualibet, fere penitus absorbuit in utrisque, nec sexum nec etatem neque ordinem pretermittens. O quam pestilenti colono hic ager commissus extitit tam fertilis[c] et amenus, qui numquam eum coluit, sed semper de ipso collegit; non adauxit cultura congrua fructus eius, set verius illos indebitis collectis exauxit; nusquam ad ipsum cultoris curam adhibuit, sed curiositatem assidue collectoris! O quam perverso rectori tantum ac tale creditum fuit regnum, qui suis tantummodo nefariis votis intentus impie ad illius prosilivit excidium, ut suum ferinum animum inhumanitatis immanitate placaret[d], custos utique predans, gubernator dissipans, defensor offendens, dux devians, princeps precipitans et rex rodens! Heu itaque, quia gratiosum et pretiosum regnum, cui specialiter Dominus in omnibus benedixerat[e], de alto glorie in imum miserie corruit, sub inimice adversitatis dominio variis tribulationibus contristatum, quod olim ex amice prosperitatis arrisu affluentibus commodis letabatur! Heu, quia speciosum regnum tanta mutatum alteratione cernitur, quod omnino a se ipso priore discrepare videtur, et vix illud, qui hoc in sua prima inspexerunt effigie, recognoscunt! Defecerunt enim ipsius optima, immo in[f] contraria diverterunt. En quidem pulcritudo deformis, ingenuitas degener[g], libertas ancilla, fecunditas sterilis, populositas deserta et fortitudo infirma! Subripuit fletus risum eius et gaudium suum desiit in lamentum. O quotiens dolorose suspirat et lacrimatur amare apostolica sedes, quod regnum iuris et proprietatis sue, carum quippe sibi, dura Pharaonice oppressionis mole prosternitur, nec sinitur pia consolationis dextera apostolice relevari!

Porro nec ecclesias et personas ecclesiasticas eorumque iura et bona in regno ipso draconis huius furor preteriit, set in hec eo ferocius[h] escanduit, quo quicquid ecclesiastico discernitur nomine, odio aborruit graviori. Tanta enim impietate corpus ibi obtrectavit ecclesie, quod ipsum huc et illuc more ferali distrahens et discindens quasi ad nichilum hoc redegit. Nam illud omni primum ornamento denudans et deinde, incalescente sevitia factus Herode hic nequam herodior, rabiosis demembrans morsibus, totam demum carnem voravit ipsius; corrosit etiam ossa, et insuper medullas exuxit. Sue denique potestatis honore illud de facto destituit, non solum non permittens ibidem libere auctoritatem ecclesiasticam exerceri, sed et superbe ac inreverenter eam despiciens et conculcans; et tanquam ille, cuius ambitioni totius orbis non sufficeret ambitus, huiusmodi auctoritatem in multis impudenter usurpans, reputando quasi modicum se habere, si solis preesset temporalibus et sibi spiritualia non subessent, in provisionibus cathedralium et aliarum ecclesiarum vacantium, beneficiorum ipsarum collationibus, clericorum causis et aliis ad forum ecclesiasticum pertinentibus ipsa inibi abuti presumpsit. Ad prelatos quoque ac alios clericali presignitos militia manu crudelitatis indifferenter[i] extenta, quamplurimos ex ipsis ignominiosa[k] captione teneri et in atroces detrudi carceres ac tandem morti turpissime[l] tradi fecit; et, ut de inmensis ac innumeris iniuriis et dispendiis ecclesiarum et cleri regni premissi tristem et infinitam materiam brevi oraculo finiamus, sic ibi iurisdictionis ecclesiastice plenitudo prorsus evacuata et libertatis integritas ex toto cominuta conspicitur, quod non solum illic species non apparet ecclesie neque decor, sed etiam de ipsius pene

a) et *R.* b) silicet *R.* c) fertilis *in loco raso.* d) placeret *corr.* placaret. e) benedixit *corr.* benedixerat. f) in *superscript.* g) deneger *R.* h) *litt.* erocius *in loco raso.* i) indefferenter *corr.* indifferenter. k) ignoram. *corr.* ignominiosa. l) *litt.* tu *corr. ex* in.

substantia nil[a] subsistit. Unde respiciens Dominus tam gravem tamque diutinam sui afflictionem populi et motus multa misericordia super eum, insultantis superbi extollentiam deicere ac tyrampni furentis ferire voluit feritatem. Quare in ipsum, qui, cum in honore esset, noluit intelligere[b], ut bene ageret, sed iniquitatem continue meditans peiora semper operatus extitit, dignum et iustum, exigentibus nichilominus quam multis aliis gravissimis culpis suis, quas ad presens silentio relinquemus, est iudicium iaculatum. Sed certe nondum, licet forsan[c] tremuerit, a solita malignitate quievit: quin potius, tanquam in profundum malorum demersus, desperans ulterius et contempnens, in extremum precipitium, committendo incessanter deteriora prioribus, totus abit. Verum quia principalius ad nos spectat de prefati reparatione regni sollicite cogitare, cum quanto specialius ad apostolicam sedem pertinet ac sibi existit vicinius, tanto ipsius profectui et saluti affectuosius intendere teneamur, pensato attente, quod, nisi ecclesia, cum sit mater, plena sua libertate ac auctoritate in regno ipso gaudeat, ad optatam illud letitiam resurgere vix valebit, et si perfecte ipsa restauretur, ibidem illius reformatio facilius et celerius subsequetur, providimus fore clero et ecclesiis eiusdem regni, ut ad bonum et liberum statum adiutore Domino reducantur, cito et efficaciter succurrendum, presertim quia nostra interesse dinoscitur de regno ipso, cum sit speciale sedis eiusdem et rege nunc careat, memorato F. sententialiter illo privato, libere ordinare.

Hinc est, quod nos de fratrum nostrorum consilio deliberatione prehabita diligenti constitutiones omnes seu statuta, ordinationes, dispositiones, iussiones et universa talia in derogationem vel preiudicium libertatis, immunitatis, auctoritatis et iurisdictionis ecclesiastice aut quorumcunque iurium ecclesiasticorum a predicto Frederico ante vel post depositionem ipsius edita, nec non et quaslibet consuetudines, contra hec in eodem regno ab ipso vel suis predecessoribus Sycilie regibus introductas, irritas omnino et vacuas decernentes, singulis ipsius regni ecclesiis, tam secularibus quam regularibus, cathedralibus et aliis, nec non et domibus religiosis civitates, castra, villas, terras, predia, possessiones, homines, vassallos, affidatos ac cetera bona et iura, quibus eas idem F. vel per inquisitiones aut concessiones seu venditiones vel concambia sive quocunque alio modo destituit, plenarie restituimus, integre ab ipsis cum omnibus pertinentiis et iuribus suis de cetero possidenda; concedentes eisdem et prelatis ipsarum reparandi et rehedifficandi de novo civitates, terras, villas et castra sua, de mandato eiusdem F. in parte vel toto diruta seu destructa, et faciendi inhabitata rehabitari liberam potestatem.

Post hec inrefragabili constitutione sancimus, ut in cathedralibus, conventualibus et collegiatis ecclesiis dicti regni, quando vacaverint, electiones libere ac canonice celebrentur, nec eligendi licentia, si rex in eodem regno fuerit, ab ipso aliquatenus postuletur, contraria super hoc consuetudine, cum profecto in enorme libertatis ecclesiastice redundaret dispendium, non obstante; nec etiam post ipsas electiones regius requiratur assensus[1]; provisiones et concessiones seu collationes omnes de prelaturis, dignitatibus, personatibus, ecclesiis, prebendis et aliis beneficiis ecclesiasticis regni prefati, per iamdictum F. vel eius mandato seu per suos officiales, vacantibus vel non vacantibus ecclesiis eiusdem regni, temere presumptas, et si quas in[d] posterum vel[e] per regiam aut quamcunque potestatem aliam secularem de ipsis presumi contigerit, inanes, immo nullas penitus nuntiantes.

a) *litt.* u *corr. ex* f *vel* s. b) intelligerer *R.* c) forsam *R.* d) in posterum *in loco raso.* e) ut *R.*

1) *Talis assensus de iure competebat Friderico; cf. Bohmer-Ficker, l. c. n. 653.*

Statuimus insuper, ut regi seu aliis dominis secularibus eiusdem regni ecclesiarum ipsarum prelati, qui regalia non tenent ab illis, nullum deinceps fidelitatis exhibeant iuramentum.

Antiqua quoque sanctorum patrum statuta sequentes[a], perpetuo firmamus edicto, ut nullus clericus sive quevis persona ecclesiastica regni prefati respondere in criminalibus vel civilibus questionibus, etiam si contra eam de lese maiestatis agatur crimine, in seculari iudicio teneatur; districtius prohibentes, ne in illo, si ad ipsum tracta fuerit, respondere presumat[1].

Decernimus etiam, ut nullus maiori excommunicatione ligatus, sive clericus sive laicus, admittatur in foro ecclesiastico vel seculari in eodem regno, prinsquam absolutus fuerit, ad agendum.

Hiis quoque irrevocabili decreto addicimus, ut archiepiscopis et episcopis eiusdem regni in suis civitatibus et diocesibus et prelatis aliis in locis, in quibus iurisdictionem spiritualem obtinent, iudicandi et puniendi, secundum quod canones censent, adulteria et alia crimina tam ecclesiasticarum quam secularium personarum et censuram propter hoc in ipsas ecclesiasticam exercendi, temporali iurisdictione dominis temporalibus nichilominus reservata, necnon cognoscendi de causis dotium et universis aliis, que ad forum ecclesiasticum pertinent, et eas sententialiter decidendi[b] plena et libera sit facultas.

Nulli ergo omnino hominum liceat hec nostra perpetua statuta infringere vel eis ausu quolibet contraire. Si quis autem attemptare presumpserit, gravi pena se noverit percellendum.

Dat. Lugduni, VII Id. Decembris, anno VI[2].

614.

Innocentius IV papa [Martino] electo Vercellensi, pro guerra contra F[ridericum] quondam imperatorem auxilio indigenti, concedit facultatem, ut vassallos ecclesiae suae, qui infra quindecim dies, postquam in generali praedicatione apud Novariam requisiti fuerint, sibi non astiterint, feudis suis privet. *1248, Dec. 8.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 18, n. 287.
Potthast, Reg. 13109; Berger 4279.

.. electo Vercellensi[c].

Cum ad presens pro guerra, quam contra F. quondam imperatorem et eius fautores habere dinosceris, auxilio indigeas vassallorum, et dampnari obprobrio sempiterno et pena perpetua non immerito debeant, qui dominis suis necessitatis tempore

a) *litt.* quētes *in loco raso.* b) decidenda *R.* c) Eidem *R.; antecedit n. 634.*

1) *Cf. t. I, p. 596, n. 700, LL. t. II, p. 274, n. 18 et Constit. regni Sic. Lib. I, tit. 45 ap. Huillard-Bréholles, t. IV, p. 48.* 2) *Hanc ep. praecipue per fratres Minores et Praedicatores divulgatam esse putamus, qui eo tempore alio quoque modo animos Siculorum contra Fridericum concitabant; Böhmer-Ficker, l. c. 3765 et 3766. Sub Dec. 8 enim papa Stephano cardinali, vicario suo in Urbe, mandavit, ut quasdam constitutiones clericorum Urbis irritaret, per quas iisdem fratribus officium praedicationis prohiberetur; Berger 4258, Potthast, Reg. 13107; cf. Berger 4230, Potthast 13489. Alia quoque consilia ad regnum Siciliae spectantia iam tum coepisse videtur; nam his fere diebus Petrum cardinalem legatum ex Alamannia, ubi res ecclesiae prospere gesserat, revocavit [cf. n. 616 et 623], cui proximo mense Aprili legationis officium in regno commisit.*

non assistunt: privandi perpetuo cunctos vassallos Vercellensis ecclesie, qui infra quindecim dies, postquam a te vel nuntio tuo in generali predicatione apud Novariam, cum hoc tempore propter guerram in domiciliis comode requiri vel moneri nequeant, requisiti aut moniti fuerint[1], tibi et ecclesie non assistent, tanquam tuos et ecclesie prefate rebelles feudis, que tenent ab ipsa, et infeudandi de ipsis feudis alios idoneos et devotos vel ea retinendi ad usus eiusdem ecclesie, prout expedire videris, et[a] contradictores etc. usque: compescendi[b] plenam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Nulli ergo etc.

Dat. Lugduni, VI Id. Decembris, anno VI°.

615.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino et [Henrico II] electo Spirensi mandat, ut vicesimam ecclesiasticorum proventuum Terrae Sanctae subsidio deputatam per regnum Alamanniae colligant eamque nulli assignent sine licentia sua speciali. *1248, Dec. 9.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 14, n. 246. Exemplar, quod Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 682 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 13111; Berger 4238.

.. archiepiscopo Maguntino et .. electo Spirensi[2].

Gerentes de vestre sinceritatis et devotionis constantia fiduciam in Domino pleniorem, mandamus, quatinus vicesimam ecclesiasticorum proventuum Terre Sancte subsidio deputatam colligi per regnum Alamannie facientes, ipsam in tuto loco deponere procuretis, non assignaturi eam alicui sine nostra licentia speciali[3], — non obstantibus aliquibus indulgentiis seu litteris ab apostolica sede obtentis vel etiam obtinendis, per quas huiusmodi collectio impediri valeat vel differri et de quibus specialem oporteat in presentibus fieri mentionem. —: contradictores etc. Quod si non ambo etc.

Dat. Lugduni. V Id. Decembris[c], anno VI°.

a) et *deest R.* b) com^di *R.* c) Decebr' *R.*

1) *Vercellensis civitas ab a. 1243, Mart. ecclesiae adhaeserat; Bohmer-Ficker, l. c. 3356 a. 'Petrus Becherius circa Kal. Octubris [a. 1248] marchionem Lanciam cum milicia Papiae civitatem Vercellarum introduxit. Post hec imperator, qui erat apud Casale, civitatem Vercellarum intravit ...... Interea Gregorius de Montelongo legatus ecclesiae cum Mediolanensibus et CC militibus Placentie civitatem Novarie intravit'; Ann. Placent. Gib. a. 1248, SS. t. XVIII, p. 497 et 498. De civitate Novariae cf. etiam Winkelmann, Acta imp. ined. p. 571, n. 729* 2) *De hoc, qui imperialis aulae cancellarius apud curiam Willelmi regis erat, cf. etiam Bohmer-Ficker, l. c. 4926.* 3) *Cf. n. 589. Willelmus Romanorum rex in charta, fortasse a. 1248, Nov. 20, certe ante Dec. 22 in castris apud Werdam scripta, Lubberto abbati de Egmundia vicesimam 'sibi a summo pontifice concessam per totum imperium' remisit; Bohmer-Ficker, l. c 4913; cf. etiam infra sub n. 631.*

616.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino mandat, ut omnes illos regni Alamanniae, qui a papa vel legatis suis gratias assecuti sint, ad serviendum [Willelmo] regi Romanorum, negotium ecclesiae prosequenti, compellat. 1248, Dec. 9.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 14, n. 247. Exemplar, quod Hofler, Alb. v. Beh. p. 168 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 13112; Berger 1239.

. . archiepiscopo Maguntino.

Dignum est et consentaneum[a] rationi, ut hii maxime assistant ecclesie, qui ab ea beneficia receperunt. Cum igitur tam nos quam legati nostri multis in regno Alamanie prelatis, nobilibus ac aliis fuerimus gratiosi, mandamus, quatinus omnes illos de partibus illis, qui a nobis vel ab eisdem legatis sunt aliquas gratias assecuti, ad serviendum carissimo in Christo filio nostro . . regi Romanorum illustri, ecclesie predicte negotium prosequenti, districtione qua convenit appellatione remota compellas — non obstantibus aliquibus litteris ab apostolica sede obtentis vel etiam obtinendis, per quas id impediri valeat vel differri et de quibus specialem oporteat in presentibus fieri mentionem[1].

Dat. ut supra.

617.

Innocentius IV papa [Petro] episcopo Cathalaunensi et abbati Sancti Sepulchri Cameracensis mandat, ut de natalibus Iohannis et Balduini de Avesnis fratrum, quibus quidam aemuli notam illegitimitatis impingant, diligenter inquirant, non obstante quod super hoc inter eos et fratres eorum aliquamdiu litigatum sit, cum nihil terminatum extiterit. 1248, Dec. 9.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 14, n. 248. Exemplar Baluzii, Misc. t. VII, p. 436 contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 13113; Berger 1240.

. . episcopo Cathalaunensi et . . abbati Sancti Sepulchri Cameracensis.

Sua nobis dilecti filii nobiles viri Iohannes de Avesnis[2] et Balduinus frater eius insinuatione monstrarunt, quod quidam eorum emuli eis malitiose, ut processu temporis a bonis ad eos hereditario iure spectantibus excludi valeant, notam illegitimitatis impingunt, id multorum auribus instillando. Quare nobis humiliter supplicarunt, ut cum eis aut saltem ipsorum heredibus sit valde periculosum, quod id remaneat taliter indiscussum, providere ipsis super hoc paterna sollicitudine curaremus. Quocirca

a) consantaneum *corr.* consentaneum.

1) *Talia mandata, ad totam Alamanniam pertinentia, alias legato, siquem ecclesia ibi habebat, committi solebant [cf. n. 204 III, 303 XIV, 455, 466]; ex quo concludimus Petrum cardinalem legatum fungi legationis munere iam tum desiisse; cf. n. 623.* 2) *Sororius Willelmi regis Romanorum; cf. Bohmer-Ficker, l. c. 4887a, 4894, 4928, 4972, 4975—4977. Sub a. 1246, Oct. 25 papa Iohanni de Avesnis primogenito [Margaritae] comitissae Flandriae et Aelis [Adalheidi] sorori [Willelmi] comitis Hollandiae, uxori eius, concesserat, ut, quarto consanguinitatis gradu non obstante, in matrimonio contracto remanere possent; Potthast, Reg. 12324; quae ep. in Reg. non extat.*

mandamus, quatinus super causa natalium eorundem nobilium — non obstante quod super hoc inter ipsos ex parte una et fratres eorum ex altera fuit coram nobis aliquandiu litigatum et processum[1], cum nichil inde terminatum extiterit, — inquiratis, sicut magis de plano poteritis, diligentius veritatem, et quod canonicum fuerit appellatione postposita statuatis; questione bonorum principali domino reservata.

Dat. ut supra[2].

618.

Innocentius IV papa magistro civium, consulibus et universitati Argentinensibus indulget, ut eorum filiis, nepotibus et consanguineis in provisionibus sedis apostolicae alii non praeferantur. — Huius concessionis conservatores constituit. *1248, Dec. 10.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 27, n. 358 et 359.

Potthast, Reg. 13120 et 13121, falso sub Dec. 11; Berger 4350 et 4351.

I.

.. magistro civium, consulibus et universitati Argentinensibus.

Exigentibus vestre devotionis meritis etc. usque: exaudimus. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod cum tam a nobis quam a legatis nostris pro quibusdam filiis, nepotibus et consanguineis vestris super ipsorum provisionibus diverse ad diversos littere emanarint, quia postmodum nos et iidem legati aliis gratiam tam in genere quam in specie fecisse dicimur, ut predictis debeant in provisionum assecutione preferri, vestrorum provisiones plus debito retardantur; quare [a][a] nobis humiliter postulastis, ut providere super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nolentes igitur, ut hac occasione provisiones huiusmodi debeant retardari, eisdem filiis, nepotibus et consanguineis vestris, dummodo in ecclesie devotione persistant, auctoritate presentium indulgemus, ut nulli, dummodo non sint beneficia[b] assecuti, eis ratione predicte gratie preferantur[3], sed sicut priores sunt per datam[4] et presentationem[5] litterarum ipsarum, ita[c] in executione provisionum[d] sint etiam potiores — non obstantibus aliquibus litteris a nobis vel eisdem legatis obtentis vel etiam obtinendis. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, IIII Id. Decembris, anno VI°[6].

II.

.. Sancti Arbogasti et .. Sancte Trinitatis ecclesiarum prepositis et .. decano Sancti Thome Argentinensibus.

Exigentibus etc. ut supra verbis competenter mutatis usque: obtinendis. Quocirca mandamus, quatinus non permittatis predictos filios, nepotes et consanguineos

a) a *deest R.* b) beneficio *corr.* beneficia. c) *litt.* arum ita *in loco raso.* d) provisionum *in loco raso.*

1) *Cf. n. 71, 128 et 129.* 2) *Cf. infra sub a. 1249, Febr. 25.* 3) *Cf. n. 492 et 570.* 4) *I. e. notam chronologicam.* 5) *Permultae epistolae a curia papali non iis mittebantur, quorum nomina in inscriptione posita erant, sed iis exhibebantur, quibus interfuerat, ut scriberentur. Ii ergo, qui ut dici solebat, 'litteras impetraverant ad aliquos', eas deferebant et praesentabant iis, ad quos mandatum apostolicum directum erat; cf. p. 186, not. 2 et N. A. t. X, p. 566.* 6) *Sub Dec. 11 papa Willelmo regi Romanorum concedit, ut cum nonnulli praelati et capitula Alamanniae precum eius, ut ab antiquo consuetum fuerit, exaudientes primitias promiserint se quibusdam clericis provisuros esse, singuli clerici, quibus ita providere promissum sit aut etiam promittatur, in assecutione provisionum omnibus aliis, pro quibus ipse papa vel legati sui scripserint vel scribant, praeferantur; Potthast, Reg. 13115; quae ep. in Reg. non extat.*

supradictorum Argentinensium etc. usque: molestari; molestatores huiusmodi etc. Quod si non omnes etc.

Dat. ut supra.

619.

Innocentius IV papa potestati et populo de Mevania indulget, ut Fuliginatibus ecclesiae infidelibus pecuniam debitam solvere non teneantur, nisi iidem de damnis illatis ipsis plenarie satisfecerint. *1248, Dec. 11.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 15, n. 251.
Potthast, Reg. 13119; Berger 4243.

.. potestati et populo de Mevania[1] Spoletane diocesis.

Cum, sicut nobis ex parte vestra extitit intimatum, nonnulli cives Fuliginates[2], qui ecclesie Romane devotione relicta inimico ipsius adherere presumunt, aliquibus hominibus terre vestre pecuniam mutuarint et vos et alios ecclesie predicte fideles multipliciter offenderint hactenus et adhuc offendere non desistant: nos, qui fideles ipsius ecclesie favore apostolico debemus attollere ac pene asperitate deprimere infideles, ut et illi de fidelitate comodum et isti dispendium de infidelitate reportent, omnibus hominibus terre vestre eorumque successoribus, ut huiusmodi creditoribus pecuniam ipsam solvere minime teneantur, nisi de dampnis et offensis omnibus vobis ab ipsis illatis plenaria satisfactio prestita fuerit ab eisdem, auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, III Id. Decembris, anno VI°[a].

620.

Innocentius IV papa civibus Aquensibus, cum ad ecclesiam reversi alios virtute constantiae praecellant, confirmat privilegia a Carolo et aliis imperatoribus et regibus concessa, quae [Willelmus] rex Romanorum confirmasse dicatur. *1248, Dec. 12.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 14, n. 245. Exemplar nostrum contulimus cum authentico apud Quix, Cod. dipl. Aquens. t. II, p. 119, n. 172 [A].
Potthast, Reg. 13122; Berger 4237.

Civibus Aquensibus Leodiensis diocesis.

Licet in reversione vestri[b] ad devotionem ecclesie plusquam expedierit fueritis pertinaces[3], quia tamen reversi precellitis, ut accepimus, alios virtute constantie ac fidei puritate, nos, ob hoc volentes vos habere inter devotos sedis apostolice speciales, votis vestris libenter annuimus et petitiones vestras, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris supplicationibus inclinati, privilegia, iura et libertates habitatoribus terre vestre a clare memorie Carolo et aliis imperatoribus et regibus ab antiquo concessa, que carissimus in Christo filius noster ..[c] rex Romanorum illustris confirmasse dicitur[4], vobis persistentibus in de-

a) Dat. ut supra *R.* b) *ita R. et A.* c) W. *A.*

1) *Bevagna ex occ. civ. Fuligni.* 2) *De his cf. Böhmer-Ficker, l. c. 3796 et 3797.* 3) *Oct. 18 civitas Willelmo regi se dederat, postquam paene per sex menses obsessa fuit; Böhmer-Ficker, l. c. 4931 a.* 4) *Ibid. 4932.*

votione ecclesie ac favore et per vos eidem terre auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Lugduni. II Id. Decembris. anno VI°[1].

Datus [est][a] eis super hoc conservator decanus ecclesie Aquensis[2] Leodiensis diocesis.

621.

Innocentius IV papa [Leoni] archiepiscopo Mediolanensi facultatem concedit, ut procedat contra potestatem, assessores eius et consules Mediolanenses, qui inhibeant, ne contra laicos, qui debitas decimas et primitias ecclesiis reddere denegent, in foro ecclesiae procedatur. *1248, Dec. 17.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 19, n. 291.
Berger 4283.

.. archiepiscopo Mediolanensi.

Non indigne super hiis apostolici favoris impertimur presidium, que in munimentum redundant[b] ecclesiastice libertatis, cuius profectum sollicitus amare dinosceris, dum adversus ea diligenter invigilas, que ipsius gravia generant detrimenta. Ex parte siquidem tua nostris est auribus intimatum, quod cum sepe contingat prelatos et alias ecclesiasticas et religiosas personas de laicis civitatis et diocesis Mediolanensis, debitas decimas et primitias solitas ecclesiis ut tenentur reddere denegantibus nec sine ausu sacrilegii et nominis divini offensa detinentibus ipsas[3], nunc sub tuo examine, nunc etiam coram tuis vicariis deponere questionem, nobilis vir potestas, assessores sui et consules civitatis eiusdem, decimarum et primitiarum ipsarum vendicare sibi iudicium molientes temere, ne contra laicos detentores illarum per te aut dictos vicarios tuos libere in foro procedatur ecclesie, sicut ad eam dumtaxat noscitur pertinere, publice faciunt inhiberi, nichilominus, qui contra inhibitionem venirent huiusmodi, forbannire quoslibet presumentes; propter quod enormiter ibi ecclesiastica iura ledunt[c] ac ordinarie ipsius iurisdictionis auctoritas non modicum in gravamen Mediolanensis ecclesie enervatur. Nos igitur, tuis precibus inclinati, ut tam ordinaria quam apostolica auctoritate munitus contra tam pernitiose temeritatis auctores sicut expedit favorabiliter tam per te quam per vicarios tuos sublato appellationis impedimento procedere ac contradictores, si qui fuerint vel rebelles, districtione qua convenit appellatione remota compescere valeas, fraternitati tue auctoritate presentium liberam concedimus facultatem.

Dat. Lugduni, XVI Kal. Ianuarii. anno VI°[4].

a) est *deest R.* b) redundat *R.* c) leduntur *aptius videtur.*

1) *Sub Dec. 8 papa iisdem mandaverat, ut in devotione sedis apostolicae persisterent, ita ut ipse, qui 'sententiam latam in Lugdunensi concilio contra Fridericum quondam imperatorem et C. natum eius faciemus inviolabiliter observari', ad eorum commoda fortius astringeretur; sub Dec. 9 electo Leodiensi scripsit Wilhelmum regem postulasse, ut cum nonnullae ecclesiae Aquenses funditus essent destructae, sibi licentia transferendi eas ad alia loca vicina concederetur, eique mandavit, ut super hoc faceret, quod videret expedire; Potthast, Reg. 13108, 13114, cf. 13117; quae ep. in Reg. non extant.* 2) *Garsilius, de quo cf. Bohmer-Ficker, l. c. 4932. Authenticum epistolae ei directae iam sub Nov. 30 data est; Potthast, Reg. 13088.* 3) *Cf. Bohmer-Ficker, l. c. introd. p. XXXII.* 4) *Sub a. 1249. Ian. 18 papa magistro et fratribus hospitalis de Brolio Mediolanensis ad preces G. de Montelongo subdiaconi et notarii sui, apostolicae sedis legati, archiepiscopi Mediol. et communis Mediol. indulsit, ne, cum bona eorum pro magna parte destructa*

622.

Innocentius IV papa archidiacono Tudertino mandat, ut homines Castri Ioris et Montis Sancti Martini Spoletanae diocesis ad satisfactionem damnorum compellat, quae Hugolino Bonicomitis, Rainerio et Hugolino Hugolini, devotis ecclesiae, intulerint.

1248, Dec. 18.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 16, n. 268.
Potthast, Reg. 13127; Berger 4261.

.. archidiacono Tudertino.

Devotionis puritas et fidelitatis constantia, quas dilecti filii nobiles viri Hugolinus Bonicomitis, Rainerius et Hugolinus Hugolini, fideles nostri[1], Romane ecclesie matri sue[a] in suis adversitatibus velut in fidei petra positi servaverunt, spem nobis firmam et de perseverantia sua proponunt et ad faciendam ipsis specialem gratiam nos inducunt. Cum igitur ab hominibus Castri Iuxi[2] et Montis Sancti Martini Spoletane diocesis dampna plurima pro eadem ecclesia dicti nobiles se asserant recepisse, mandamus, quatinus dictos homines, ut eisdem nobilibus de predictis dampnis satisfaciant, ut tenentur, monitione premissa per censuram ecclesiasticam de plano et sine strepitu iudicii, sicut iustum fuerit, appellatione remota compellas.

Dat. Lugduni, XV Kal. Ianuarii, anno VI°[b][3].

623.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino et [Henrico III] episcopo Argentinensi mandat, ut Henrico de Geroldeseke, Basiliensi, Argentinensi et Spirensi canonico, nepoti [Henrici II] electi Spirensis, de aliquo episcopatu Teutoniae, Basiliensi excepto, provideant. *1248, Dec. 18.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 32, n. 403. Epistola non ante initium mensis Mart. a. 1249 registrata est.
Potthast, Reg. 13566; Berger 4395.

.. archiepiscopo Maguntino et .. episcopo Argentinensi.

Tua nobis, frater episcope, fraternitas intimavit, quod cum dudum ad preces tuas dilecto filio nostro P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, tunc in

a) *sequitur in R.:* etc. ut supra usque: nos inducunt: *cf. infra not. 3.* b) Dat. ut supra *R.*

essent propter guerram, de cetero taliis vel fodris legatorum apostolicae sedis seu communis Mediol. aut quibuslibet aliis oneribus gravari possent; Berger 4366; Potthast, Reg. 13548. — Sub a. 1248, Dec. 21 papa G. de Montelongo legato mandavit, ut Rufino de Balsamo [e mer. et occ. vic. Monza] et Bonfantino de Oriano laicis, ad obsequium ecclesiae promptis, ab aliquibus monasteriis civitatis vel diocesis Mediol. usque ad certum tempus in pecunia vel bonis aliis provideri faceret; Berger 4294; Potthast, Reg. 13130. Cf. Berger 4374 et 4375, Potthast 13551 et 13555, in favorem nobilium virorum de Niguarda [Niguarda ex sept. vic. Mediol.].

1) *Cf. n. 478.* 2) *I. e. Iuvi, Castri Ioris, de quo cf. n. 612.* 3) *Sub eodem die papa* a) *eisdem nobilibus indulget, ne teneantur creditoribus suis usuras solvere;* b) *eorundem precibus inclinatus, inhibet,* ne civitatis vel cuiuslibet alterius loci communitas ad dandas libertates hominibus vestris compellere vos presumat: c) *episcopo et abbati Sancti Petri Perusinis mandat, ut si qui vassalli nobilium a dominio eorum praesumpserint se subtrahere, eos, ut ad illud redeant, et locorum ad quae aufugerint communia cogant, ne eos retineant; Berger 4259, 4260, 4262; Potthast, Reg. 13125, 13126, 13128.*

partibus illis apostolice sedis legato, nostris dederimus litteris[a] in mandatis[1], ut dilecto filio Henrico de Geroldoseke[b][2] Basiliensis, Argentinensis et Spirensis ecclesiarum canonico, nepoti dilecti filii .. electi Spirensis, in partibus Theutonie[c] de episcopatu aliquo provideret, eodem legato, antequam id fieret, ad nostram presentiam redeunte[3], idem canonicus nullum est de nostra gratia comodum assecutus. Volentes igitur, quod super hoc circa ipsum incepimus, perducere ad effectum, mandamus, quatinus dictum canonicum in aliqua ecclesia cathedrali de partibus illis, Basiliensi excepta[4], si qua ibi vacat ad presens vel quam primum ad id obtulerit se facultas, ubi expedire videritis, preficiatis auctoritate nostra in episcopum et pastorem iuxta priorum continentiam litterarum, facientes ei a subditis ipsius ecclesie, de qua sibi providendum duxeritis, obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, — non obstantibus aliquibus indulgentiis vel aliis quibuscumque[d] litteris per quoscumque ab apostolica sede vel legatis ipsius obtentis aut etiam obtinendis, per quas ipsius canonici provisio impediri valeat vel differri, —; contradictores etc. Quod si non ambo etc. alter vestrum etc.

Dat. Lugduni, XV Kal. Ianuarii, anno VI[o].

624.

Innocentius IV papa [Henrico III] electo Leodiensi indulget, ut cum pro negotiis ecclesiae multa sustineat onera expensarum, proventus omnium beneficiorum ecclesiasticorum, quae infra quinquennium in Leodiensi civitate vel diocesi vacare contigerit, per biennium retinere possit. *1248, Dec. 22.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 16, n. 262. Exemplar Baluzii, Misc. t. VII, p. 440 contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 13131; Berger 4254.

.. electo Leodiensi[5].

Promerente tam[e] tue devotionis constantia quam fidei puritate constantis te specialem inter devotos ecclesie reputari, dignum fore providimus, ut te in omnibus favore benivolo prosequentes, petitionibus tuis, quantum cum Deo possumus, liberaliter annuamus. Te quidem insinuante didicimus, et utique fidei tue opera clara probant, quod pro negotiis ecclesie generalis tanquam nobile membrum ipsius fideliter et potenter laborans, multa sustines onera expensarum. Et quia redditus episcopatus tui vix sufficiunt ad huiusmodi negotia exequenda, postulasti a nobis tibi alicuius specialis gratie remedio subveniri. Ut igitur hec que incumbunt negotia finem accipiant consumationis optate[f], nos, tam persone tue quam ipsis negotiis providere volentes, tibi auctoritate apostolica indulgemus, ut omnium ecclesiasticorum beneficiorum proventus, etiam curam animarum habentium, que infra quinquennium in tua civitate vel diocesi vacare contigerit, possis per biennium pro tuis necessitatibus retinere[6] — non obstante aliquo contrario, per quod posset huiusmodi gratia impediri, —; proviso quod tantum ex ipsis proventibus reservetur, quod possit interim per personas idoneas in ecclesiis, in quibus habentur huiusmodi beneficia, deserviri. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, XI Kal. Ianuarii, anno VI[o].

a) litteris — ut *in loco raso.* b) *ita R.* c) *litt.* u *correcta et minus perspicua.* d) quibusque *R.* e) tam *deest R.; cf. n. 86.* f) optute *R.*

1) *Sub Iul. 10; Berger 4118; Potthast, Reg. 13423.* 2) *Cf. p. 348, not. 1.* 3) *Cf. p. 439, not. 1.* 4) *Cf. n. 580.* 5) *De hoc cf. p. 442, not. 1 et Bohmer-Ficker, l. c. 1928 et 4932.* 6) *Cf. n. 549.*

625.

Innocentius IV papa [Bonifatio] praeposito et capitulo Ariminensibus confirmat absolutionem, qua R[aynerius] Sanctae Mariae in Cosmidin diaconus cardinalis, apostolicae sedis legatus, eos ab excommunicatione liberaverit, quam incurrerint F[riderico] quondam imperatori favendo. *1248, Dec. 23.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 17, n. 279.
Potthast, Reg. 13134; Berger 4271.

.. preposito[1] et capitulo Ariminensibus.

Cum, sicut lecta coram[a] nobis vestra petitio continebat, dilectus filius noster R. Sancte Marie in Cosmidin diaconus cardinalis, apostolice sedis legatus, ab excommunicationis sententia, quam F. quondam imperatori favendo vel alias videbamini incurrisse, vos auctoritate a nobis super hoc generaliter sibi concessa[2] duxerit absolvendos et vobiscum super irregularitatibus exinde contractis etiam dispensarit: nos, devotionis vestre precibus annuentes, quod super hoc ab eodem cardinali factum est ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Lugduni, X Kal. Ianuarii, anno VI°[3].

Datus est eis super hoc conservator .. episcopus Fanensis.

626.

Innocentius IV papa [Adiuto] episcopo Fanensi obtentu capituli et communis Ariminensium, R. Maleteste de Veruculo militis aliorumque concedit, ut electionem Bonifatii canonici in praepositum Ariminensem confirmet, non obstante quod tempore electionis capitulum, F[riderico] quondam imperatori adhaerens, excommunicatum fuerit. *1248, Dec. 23.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 17, n. 280.
Potthast, Reg. 13135; Berger 4272.

.. episcopo Fanensi.

Dilecto filio Bonifatio canonico Ariminensi, dilecti filii nostri R. Sancte Marie in Cosmidin diaconi cardinalis apostolice sedis legati clerico, accepimus intimante[b], quod dudum ecclesia ipsa pastore ac preposito vacante dilecti filii capitulum eiusdem ecclesie ipsum per electionem canonicam concorditer elegerunt in prepositum, sed ne huiusmodi electio ex eo patiatur calumpniam, quod dictum capitulum electionis tempore excommunicationis sententia tenebatur, ex eo quod Ariminensis civitas F. quondam imperatori tunc temporis adherebat[4], provideri sibi super hoc a nobis dictus B. humi-

a) coram *deest R.* b) cōtinēte *R.*

1) *Cf. n. 626.* 2) *N. 530. De eodem legato cf. etiam Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 754, not. 1.* 3) *Sub eodem die papa Iohanni scolari de Arimino, 'nuntio praepositi et capituli Arimin.', gratiam fecit: Berger 4273; Potthast, Reg. 13136.* 4) *Cf. n. 625. A. 1248, Mai. Octavianum cardinalem legatum cum Bononiensibus Guelfos Ariminum reduxisse refert Tonini, Rimini t. III, p. 93. Sub a. 1250, Apr. 17 papa potestati et communi Ariminensibus civitatem, suburbia et comitatum ipsius cum portubus, portis, nundinis et moneta aliisque iuribus, sicut a Friderico I imperatore iis concessa essent, confirmavit; Potthast, Reg. 13953. Cf. confirmationem Willelmi regis a. 1250, Mai. 13 ap. Böhmer-Ficker, l. c. 5002.*

liter supplicavit. Devotionem igitur ipsius et dicti capituli et communis Ariminensium, nobilis viri R. Maleteste de Veruculo[1] militis et quorundam aliorum nobis pro ipso B. per suas litteras supplicantium attendentes, ac volentes sibi gratiam facere specialem, presentium tibi auctoritate concedimus, ut — non obstante si iam dictum capitulum ipsius electionis tempore pro causa premissa excommunicationis sententia tenebatur[a] — electionem ipsam auctoritate apostolica confirmes et suppleas etiam, si aliquis forte fuerit ob causam predictam in ipsa defectus[b]: contradictores etc.

Dat. ut supra.

627.

Innocentius IV papa O[ctaviano] Sanctae Mariae in Via Lata diacono cardinali, apostolicae sedis legato, ad preces [Wenceslai] regis Bohemiae et [Bertholdi] patriarchae Aquilegiensis mandat, ut ad sedandas capitales inimicitias cum Ulrico nato [Bernhardi II] ducis Karinthiae et Agnete relicta quondam [Friderici II] ducis Austriae, non obstante tertio affinitatis gradu, de matrimonio contrahendo dispenset, postquam ab iis sufficientem cautionem de assistendo ecclesiae contra F[ridericum] quondam imperatorem et fautores eius receperit. *1248, Dec. 23.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 21, n. 310. Exemplar Baluzii, Misc. t. VII, p. 150 contulimus cum Regestis et annotavimus lectiones variantes alterius epistolae de eadem re sub Nov. 16 datae f. 13, n. 504, Potthast, Reg. 13076, Berger 1494 [1].

Potthast, Reg. 13132; Berger 1302.

O. Sancte Marie in Via Lata diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Cum, sicut carissimus in Christo filius noster . . illustris rex Boemie ac venerabilis frater noster . . patriarcha Aquilegensis[c] nobis significare curarunt, de contrahendo matrimonio inter dilectum filium nobilem virum Ulricum natum nobilis viri . . ducis Corinthie[d] [2] et nobilem mulierem Agnetem neptem ipsius patriarche[3], relictam[e] quondam . . ducis Austrie sit tractatum; quia dictus U. tertio affinitatis gradu Agnetem contingit eandem[4], non prius duxerunt ad consumationem ipsius matrimonii procedendum, quam super hoc recursus ad sedem apostolicam haberetur. Quare fuit ex parte ipsorum regis et patriarche[f] nobis humiliter supplicatum, ut cum huiusmodi

a) tenebatur *iterum repetitum, punctis suppositis deletum est.* b) defectu *R.* c) Boemie ac dilectus filius nobilis vir . . dux Karinthie *I.* d) *ita R.;* Wlricum natum ipsius ducis *I.* e) A. relictam *I; infra semper* A. *et* W. *legitur in I.* f) ducis *I.*

1) *Verrucchio e mer. et occ. civ. Rimini.* 2) *Dux Iuttam sororem regis Bohemiae in matrimonium duxerat, unde Ulricus nepos regis erat. Sub a. 1249, Ian. 21 papa episcopo Secoviensi mandavit, ut [Bernhardum] ducem Carinthiae seniorem per excommunicationis et interdicti sententias compelleret, ut [Conrado] episcopo Frisingensi eiusque ecclesiae restitueret villas, homines, possessiones, iura et res alias, quae quondam dux Austriae ab ecclesia Frisingensi tenuisset in feudum, quaeque post mortem eius ad eandem ecclesiam devoluta praefatus dux Carinthiae per violentiam occupasset; Potthast, Reg. 13173; quae ep. in Reg. non extat.* 3) *Filiam Ottonis I ducis Meraniae, qui frater patriarchae fuerat. A. 1249, Apr. 1 patriarcha et Mainardus comes Goriciae [imperialis capitaneus in Styria] in arbitros compromiserunt de omnibus damnis utrinque datis post diem treugae indictae inter eos post proelium Goriciae per Iuonum nuntium Guccili de Prata sacri imperii vicarii generalis in Marchia et a flumine Olei usque per totum episcopatum Tridentinum et Eccelini de Romano; Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 713; cf. etiam Böhmer-Ficker, l. c. 3792 et 3793.* 4) *Agnes et Fridericus II dux Austriae, Liupoldus VI, Liupoldus V — Henricus II — Agnes et Hermannus dux Karinthiae, Bernhardus II, Ulricus.*

matrimonium ad sedandas capitales inimicitias inter parentes et vassallos utriusque peccatis exigentibus iam exortas et reformanda inter eos pacis federa plurimum operetur, salubre consilium apponere curaremus. Attendentes igitur quod urgens necessitas et evidens utilitas dispensationem exposcant[a], de fratrum nostrorum consilio mandamus[b], quatinus, recepta prius ab eisdem Ulrico[c] et Agnete necnon et ab aliis quos videris expedire de assistendo ecclesie Romane ac devotis ipsius[d] contra F. quondam imperatorem ac fautores eius persecutores ipsius ecclesie viriliter et patenter ac de perseverando immobiliter in eiusdem ecclesie devotione ac fide tam iuratoria quam alia sufficienti et idonea cautione, cum prefatis U. et A. per te vel per alium auctoritate nostra dispenses, si videris expedire[e], quod ad invicem contrahere possint, si velint, — impedimento huiusmodi non obstante.

Dat. Lugduni. X Kal. Ianuarii[f], anno VI°.

628.

Innocentius IV papa G[regorio] de Montelongo subdiacono, apostolicae sedis legato, mandat, ut [Martino] electo Vercellensi, quem hoc tempore oporteat magna subire onera expensarum, ab ecclesiis legationis suae in decenti summa, durante discordia ista, annuatim faciat provideri. *1248, Dec. 28.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 19, n. 288.
Potthast, Reg. 13138; Berger 4280.

G. de Montelongo subdiacono et notario nostro, apostolice sedis legato.

Quanta et qualia servitia dilectus filius . . electus Vercellensis[1] non vitando dampna rerum nec persone periculum impenderit ecclesie, quantumve pertulerit inde dispendii, tu tanquam presens nosti plenius nec nos etiam ignoramus. Ne vero detractores et emuli de partibus illis contra eum insultent, ad debilitanda corda fidelium dicentes quod idem hoc egerit inconsulte, sic ad ipsum volumus munificam[g] manum extendere, ut eius exemplo ceteri non retrahi ab obsequiis ecclesie valeant sed ad ea potius invitari. Quocirca mandamus, quatinus eidem electo, quem oportet hoc tempore magna subire onera expensarum, ab aliquibus ecclesiis et monasteriis tue legationis, tam exemptis quam non exemptis, in aliqua decenti et sufficienti summa, de qua expedire videris, provideri durante discordia ista facias annuatim, conservatores ei provisionis huiusmodi concedendo. — non obstantibus aliquibus privilegiis, indulgentiis et litteris generalibus vel specialibus ab apostolica sede obtentis vel obtinendis, seu constitutionibus vel statutis eorumque confirmationibus ac iuramentis et quibuslibet aliis, per que premissa impediri valeant vel differri et de quibus specialem oporteat in presentibus fieri mentionem, neque constitutione de duabus dietis edita in concilio generali —: contradictores etc.

Dat. Lugduni, V Kal. Ianuarii, anno VI°.

a) exposcunt *1; cf. p. 52, not. f.* b) cons. devotioni tue mand. *1.* c) eisdem duce ac nato eius *1.* d) eius *1.* e) si vid. exp. disp. *1.* f) XVI Kal. Decembris *1. Nota chronol. in 1. manu altera postea scripta est, eadem manu ut videtur, quae notam chron. in n. 590 addidit.* g) munificum *corr.* munificam.

1) *Cf. n. 614 et infra n. 633—635.*

629.

Innocentius IV papa [Garsilio] decano Aquensi scribit, P[etrum] Sancti Georgii diaconum cardinalem, tunc legatum, statuisse, ut clerici Traiectensis civitatis et diocesis concubinas, si quas haberent, abicerent, sed nonnullos id facere contempsisse indeque excommunicationem incurrisse; obtentu autem W[illelmi] regis Romanorum ei mandat, ut cum eis, qui postea se correxerint, misericorditer agat, alios vero disciplina canonica puniat. *1248, Dec. 31.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 17, n. 278. Exemplar Baluzii, Misc. t. VII, p. 444 contulimus cum Reg. Potthast, Reg. 13139; Berger 4270.

.. decano ecclesie Aquensis[1] Leodiensis diocesis.

Incontinentie vitium, quod famam clericorum Traiectensis civitatis et diocesis denigrabat[2], dilectus filius noster P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, tunc in partibus illis apostolice sedis legatus, prudenter attendens, statuisse dicitur, quod nulli eorum de cetero haberent publice concubinas, sed infra viginti dies a tempore, quo foret huiusmodi constitutio promulgata, illas abicerent nec eas vel alias habere de cetero attemptarent; alioquin ex tunc ab officio et beneficio essent ipso iure suspensi, et si postmodum incorrigibiles haberentur, elapso decem dierum spatio se scirent excommunicationis incurrisse sententiam et vacare beneficia eorundem. Cum autem, sicut insinuante carissimo in Christo filio nostro W. illustri rege Romanorum percepimus, nonnulli ex eisdem clericis incurrerint predictam sententiam et divina celebrarint officia sic ligati, qui se postmodum laudabiliter correxerunt, nos, obtentu ipsius regis agentes misericorditer cum eisdem, mandamus, quatinus ipsis, cum ad te duxerint[a] propter hoc humiliter recurrendum, hac vice iuxta formam ecclesie auctoritate nostra beneficium absolutionis impendas et cum eis super irregularitate, quam incurrerunt huiusmodi occasione, dispenses. alios vero, qui prefatam sententiam incurrentes contemptis clavibus temere celebrare divina vel prophanare potius presumpserunt, nisi super hiis post monitionem tuam infra decem dies se humiliter corrigent, sicut ex ipsa constitutione tenentur, punias disciplina canonica et beneficia ipsorum, que iuxta constitutionem eandem vacare constiterit[b], personis idoneis et ecclesie Romane devotis conferre procures; contradictores etc.

Dat. Lugduni, II Kal. Ianuarii, anno VI°.

630.

Innocentius IV papa ministro provinciali ordinis Minorum per Alamanniam mandat, ut contra F[ridericum] quondam imperatorem et fautores eius de consilio W[ilhelmi] regis Romanorum per regnum Alamanniae crucem praedicet et praedicari faciat. *1249, Ian. 2.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 17, n. 272 et 273.
Potthast, Reg. 13151; Berger 4265.

.. ministro provinciali ordinis fratrum Minorum per Alamaniam.

Licet causa, que agitur contra F. quondam imperatorem, ecclesiam Dei dampnabiliter persequentem, sit non tam nostra quam omnium Christi fidelium generalis, et

a) duxint *R.* b) constiterint *R.*

1) *De hoc cf. n. 620.* 2) *Cf. n. 8.*

ob hoc universi et singuli ad resistendum ei et suam suorumque potentiam deprimendam sine requisitione alterius debeant esse prompti, eos tamen ad id volumus specialibus indulgentiis quasi quibusdam illectivis muneribus invitare. Plenam itaque in Domino fiduciam de tua constantia et puritate gerentes, mandamus, quatinus contra eundem F. et fautores eius de consilio carissimi in Christo filii nostri W. regis Romanorum illustris per regnum Alamanie crucem predices et per fratres tui ordinis ad hoc idoneos facias predicari, eam peccatorum veniam et illas immunitates assumentibus crucem huiusmodi concessurus, que transfretantibus in Terre Sancte subsidium in generali concilio sunt concesse, — non obstantibus aliquibus indulgentiis seu litteris a sede apostolica impetratis vel etiam impetrandis, per quas huiusmodi predicatio impediri vel differri valeat et de quibus specialem oporteat in nostris litteris fieri mentionem: contradictores etc. Ut autem ad audiendam predicationem ipsam populi facilius et libentius inducantur, tibi et fratribus, quibus hoc negotium duxeris committendum, omnibus, qui ad eandem predicationem accesserint, largiendi quadraginta dierum indulgentiam auctoritate presentium concedimus facultatem.

Dat. Lugduni, IIII Non. Ianuarii, anno VI° [a].

In [b] eundem modum . . priori provinciali ordinis fratrum Predicatorum per Alamaniam.

In eundem modum . . ministro provinciali ordinis fratrum Minorum Coloniensium usque: illustris per partes regni Alamanie, in quibus expedire visum fuerit [1], crucem predices et per fratres tui ordinis etc. usque in finem ut supra.

In eundem modum . . ministro provinciali ordinis fratrum Minorum per Saxoniam.

In eundem modum . . priori fratrum Predicatorum et . . custodi fratrum Minorum Traiectensium usque: illustris crucem per regnum Alamanie predicetis et faciatis etc. ut supra.

In eundem modum . . priori fratrum [c] Predicatorum et . . custodi fratrum Minorum Leodiensium.

In eundem modum . . priori fratrum Predicatorum et . . custodi fratrum Minorum Valentinensium Cameracensis diocesis.

In eundem modum . . priori fratrum Predicatorum et . . custodi fratrum Minorum Coloniensium.

In eundem modum . . priori fratrum Predicatorum in Antwerpia [2] Cameracensis diocesis et . . custodi fratrum Minorum in Brabantia.

In eundem modum . . episcopo Curmaniensi [d] [3].

In eundem modum . . abbati Egmundensi [4] ordinis sancti Benedicti Traiectensis diocesis.

631.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino et [Henrico II] electo Spirensi committit, ut redemptiones votorum contra F[ridericum] quondam impera-

a) Dat. ut supra *R.*   b) *incipit n. 275.*   c) fratrum *superscr.*   d) Crumaniensi *B.*

1) *Certe ergo papa credidit in nonnullis partibus Coloniensis et Saxoniae provinciarum praedicationem crucis non expedire; sed qua de causa omnibus aliis, ut 'per regnum Alamanniae' crucem praedicarent, mandaverit, non satis apertum est.*   2) *Cf. n. 589.*   3) *Credimus hunc fuisse episcopum Curoniensem, cui papa sub a. 1248, Febr. 20 idem fere mandaverat; cf. n. 504.*   4) *Lubberto, de quo cf. p. 458, not. 3, Potthast, Reg. 13153 [quae ep. in Reg. non exstat] et Böhmer-Ficker, l. c. 4936, 4943—4945.*

torem cruce signatorum et obventiones et legata seu relicta ad id concessa colligant et quamcitius [Willelmo] regi Romanorum assignent. 1249, Ian. 2.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 17, n. 277. Exemplar, quod Hofler, Alb. v. Beh. p. 171 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 13149; Berger 4269.

.. archiepiscopo Maguntino et .. electo Spirensi[1].

Negotium Dei et ecclesie, quod carissimus in Christo filius noster .. illustris Romanorum rex potenti virtute prosequitur, sic decet per sedis apostolice providentiam promoveri[a], ut ipsum divina suffragante potentia facilem et felicem exitum consequatur. Nos itaque propter hoc discretioni vestre auctoritate presentium digne duximus committendum, ut redemptiones votorum crucesignatorum contra F. quondam imperatorem ac fautores suos et obventiones ex quacumque causa provenientes, nec non legata seu relicta vel alio modo ad id concessa per vos ipsos et alios ad hoc idoneos colligatis fideliter et colligi faciatis, illa predicto regi, quamcitius esse poterit, integre assignantes, absolutis a voto crucis per vos vel per illos, quos ad hoc duxeritis deputandos, redimentibus taliter vota sua et concessa eis illa peccatorum venia, que transeuntibus in Terre Sancte subsidium vel ei subvenientibus in generali concilio est indulta, — non obstantibus privilegiis a sede apostolica[b] obtentis vel etiam obtinendis, per que huiusmodi collectio impediri valeat vel differri et de quibus specialem aut expressam in litteris nostris oporteat fieri mentionem. —: contradictores etc. Quod si non ambo etc.

Dat. Lugduni, IIII Non. Ianuarii, anno VI°.

632.

Innocentius IV papa decano Sancti Georgii Coloniensis ad preces [Willelmi] regis Romanorum mandat, ut Giselberto subdiacono suo, canonico Sanctae Mariae Traiectensis, in civitate vel diocesi Traiectensi de praebenda et dignitate provideat. 1249, Ian. 5.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 19, n. 289

Potthast, Reg. 13156; Berger 4281.

.. decano ecclesie sancti Georgii Coloniensis.

Ad faciendam dilecto filio Giselberto subdiacono nostro, canonico ecclesie sancte Marie Traiectensis, gratiam specialem carissimi in Christo filii nostri .. regis Romanorum illustris preces ac ipsius canonici merita, super quibus ei testimonium perhibetur laudabile, nos inducunt. Mandamus, quatinus eidem canonico in aliqua ecclesiarum civitatis vel diocesis Traiectensis de prebenda et dignitate, quam idem canonicus acceptare voluerit, auctoritate nostra provideas vel facias provideri, quamprimum obtulerit se facultas, — non obstantibus quod idem alias beneficiatus existit, vel si pro aliis in ecclesia ipsa, in qua sibi providendum duxeris, nos vel apostolice sedis legati direximus scripta nostra, quibus nolumus etc. usque: generari, vel indulgentia concessa nonnullis de partibus illis ab apostolica sede, ut per litteras apostolicas ad[c] provisionem alicuius compelli non possint. —: contradictores etc.

Dat. Lugduni, Non. Ianuarii, anno VI°.

a) moveri *in loco raso.* b) giis a sede apostolica *in loco raso.* c) ad — possint con *in loco raso.*

1) *Cf. n. 615.*

633.

Innocentius IV papa praeposito de Bugella Vercellensis diocesis mandat, ut Ubertum de Bulgaro civem Vercellensem ab omnibus debitis et obligationibus absolvat, quibus Petro dicto Bicherio civi Vercellensi, F[riderico] quondam imperatori impudenter adhaerenti, teneatur. *1249. Ian. 5.*

Inn. IV Reg. Lib. VI. f. 18. n. 285.
Potthast, Reg. 13155 et 13156a; Berger 4277.

.. preposito ecclesie de Bugella[1] Vercellensis diocesis.

Inter promerentes et demerentes etc. ut supra[a] usque: gratiosa. Inde est, quod ad extollenda iustorum preconia et refrenandas insolentias transgressorum prospiciens e celo iustitia erexit in seculo dominationes, solia, principatus et diversas alias more celestis curie potestates. Cum igitur Petrus dictus Bicherius civis Vercellensis[2], qui pro eo quod quasi de nichilo exaltatus fuit de bonis ecclesiasticis, deberet, si recte saperet, etiam vestigia lambere[b] clericorum, datus in sensum reprobum F. quondam imperatori a nobis sacro approbante concilio reprobato impudenter adhereat et patenter, per quod Deum et ecclesiam tanquam sathane satelles persequitur et impugnat: nos, attendentes quod dignum est, ut quos[c] divinus timor a malo non revocat, saltem pena cohereeat temporalis, ac volentes ad presens in aliquibus sic ipsum punire, ut per hoc emolumentum devotis ecclesie afferamus, mandamus, quatinus dilectum filium nobilem virum Ubertum de Bulgaro civem Vercellensem, nobis et ecclesie Romane devotum, ab omnibus debitis, fideiussionibus et obligationibus, ex quacunque causa ei teneatur, et iuramentis super hiis prestitis — non obstantibus venditionibus, si que ipsi ab eodem Uberto pretextu alicuius fideiussionis vel obligationis facte sunt, quas pro non factis haberi volumus[3], — presentium auctoritate absolvas, et pronunties tam ipsum quam predecessores[4] ipsius prefato P. super premissis decetero non teneri nec posse ab eo vel aliis super eisdem ullo unquam tempore conveniri, auctoritate nostra districtius inhibendo, ne potestas, iudices, consules vel rectores aliqui aut dictus Petrus ipsum ad solutionem debitorum ipsorum compellere vel super premissis aliquo modo molestare presumant, in quos excommunicationis feras sententiam, si contra inhibitionem tuam duxerint aliquatenus presumendum, ita quod ipso facto sint huiusmodi sententia innodati, a qua non prius absolvi valeant, quam ipsi Uberto de dampnis et expensis, que hac occasione ipsum subire contigerit, ab[d] eis fuerit plenarie satisfactum.

Dat. Lugduni, Non. Ianuarii, anno VI°.

634.

Innocentius IV papa irritat contractum, per quem G[regorius] de Montelongo subdiaconus, apostolicae sedis legatus, olim civibus Vercellensibus, ut eos ab obsequiis F[riderici]

a) *ut in n. 635.* b) *ita corr. B.;* labere *R.* c) quod *R.* d) ab — satisfactum *in loco raso.*

1) *Ex sept. et or. civ. Ivrea.* 2) *Cf. p. 438, not. 1 et Bohmer-Ficker, l. c. 3749 et 3751a.* 3) *Scil. ut Ubertus res, quas ut ab aliqua fideiussione se solveret, Petro vendiderat, de iure recuperaret, et nihilominus ab eadem fideiussione absolutus esset.* 4) *Nisi 'successores' legi debet, papa eos significare voluit, pro quibus Ubertus Petro fideiusserat vel se obligaverat.*

tunc Romanorum imperatoris revocaret, iurisdictionem temporalem quorundam locorum et hominum vendiderit, quam episcopi Vercellenses antea semper obtinuerint.

1249, Ian. 5.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 18, n. 286.
Potthast, Reg. 13504; Berger 4278.

. . electo Vercellensi.

De Vercellensis ecclesie indempnitate sollicitus nobis humiliter supplicasti, ut cum olim dilectus filius G. de Montelongo subdiaconus et notarius noster, apostolice sedis legatus, commune ac homines civitatis Vercellensis ad sinum matris ecclesie et devotionem ipsius revocare desiderans, F. tunc Romanorum imperatori dampnabiliter adherentes, sue auctoritate legationis eis, cum instantia hoc ab ipso petentibus, pro certa pecunie summa vendiderit et concesserit temporalem iurisdictionem, quam in quibusdam burgis, castris, villis locisque aliis et hominibus a tempore cuius non extat memoria obtinuerunt episcopi et ecclesia Vercellenses[1], providere super hoc paterna diligentia curaremus. Volentes igitur indempnitati tue in hac parte ac enormi dicte ecclesie lesioni auctoritate apostolica precavere, quicquid ab eodem legato per modum venditionis, donationis aut alterius alienationis seu cuiuscunque contractus de iurisdictione ipsa eiusque pertinentiis factum esse dinoscitur, de fratrum nostrorum consilio revocamus penitus, cassamus, irritamus seu irritum nuntiamus, munimenta omnia exinde confecta carere omnino viribus decernentes, — non obstante quod consensus capituli ipsius ecclesie, te tunc eiusdem preposito existente, alienationi huiusmodi dicitur accessisse. Nulli ergo etc. nostre revocationis, cassationis, irritationis et constitutionis etc.

Dat. ut supra[2].

Datus [est] ei[a] super hoc conservator . . episcopus Novariensis[3].

635.

Innocentius IV papa [Martino] electo Vercellensi mandat, ut nominatos praelatos aliosque clericos civitatis et diocesis suae, qui F[riderico] quondam imperatori adhaereant, omnibus honoribus et beneficiis ecclesiasticis privet eaque, sublato cuiuslibet occasionis, contradictionis vel appellationis obstaculo, devotis ecclesiae conferat. *1249, Ian. 7.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 18, n. 284.
Potthast, Reg. 13158; Berger 4276.

. . electo Vercellensi.

Inter promerentes et demerentes nichil aut modicum interesset, si pena non afficeret alteros nec reficeret[b] reliquos retributio gratiosa. Cum igitur . . Sancti

a) Dat ei *R.*; *deest* est. b) reficere *R.*

1) *A. 1243, Apr. 22; cf. Mandelli, Vercelli nel medio evo t. I, p. 231 et sequ., inprimis p. 247; cf. etiam Berger 736.* 2) *Sub a. 1249, Mart. 9 papa praeposito de Ver.olano Vercellensis diocesis significavit, olim potestatem et commune Vercellenses homines de Campagnola, de Casali, de Monasterio et de Cornora villarum Vercellensis diocesis, in quibus monasterium sancti Ian[uarii] iurisdictionem temporalem haberet, ad locum Crescentinum [e mer. et occ. civ. Vercelli] transtulisse et a iurisdictione monasterii absolvisse, quo facto dicti homines monasterio debita servitia subtraxissent et damna gravia irrogassent, eique mandavit, ut eos moneret, ut ad villas easdem reverterentur et de damnis satisfacerent; Berger 1399; Potthast, Reg. 13569.* 3) *Odemarus.*

Stephani et . . Sancti Andree[a] [1] abbates, Guillelmus archipresbyter, Guidalardus thesaurarius, Rufinus cantor et multi alii prelati, persone, canonici et clerici regulares et seculares tam maioris quam aliarum ecclesiarum civitatis et diocesis Vercellensis propter suas et suorum offensas, quas in favorem F. quondam imperatoris fautorumque ipsius ecclesie dampnabiliter intulerunt[2], omni honoris et beneficii ecclesiastici commodo reddiderint se indignos: nos, sic eos punire volentes, quod ceteris ipsorum pena transeat in exemplum, mandamus, quatinus predictos abbates, archipresbyterum, thesaurarium, cantorem ac omnes alios, quos ob premissam causam videris esse privandos, abbatiis, personatibus, beneficiis, locis, dignitate qualibet ac honore, que in quibuscunque ecclesiis per provinciam Lombardie obtinere noscuntur, privare perpetuo non postponas, ipsosque denuntians et denuntiari faciens sine spe restitutionis privatos, eadem de personis idoneis, devotis ecclesie, sublato cuiuslibet occasionis, contradictionis et appellationis obstaculo auctoritate nostra studeas ordinare, contradictores et rebelles etc. usque: compescendo — non obstantibus generali mandato, quod dilecto filio G. de Montelongo subdiacono et notario nostro, apostolice sedis legato, contra prelatos sue legationis et clericos dudum super eodem direximus[b], seu processu quolibet ipsius mandati pretextu habito per eundem, aut si alias beneficiati existant quibus de dignitatibus et aliis beneficiis supradictis duxeris providendum, vel si nos aut felicis recordationis G[regorius] papa predecessor noster seu predictus legatus in dictis ecclesiis pro aliis direximus scripta nostra, quibus per te instituendos ibidem in assecutione dignitatum, beneficiorum, personatuum et locorum ipsorum volumus anteferri, seu constitutione de duabus dictis edita in concilio generali. Super eo autem providere volentes, quod propter guerrarum discrimina in domiciliis suis citari commode nequeunt demerentium singuli predictorum, ne ipsorum remaneant impuniti excessus, in generali predicatione apud Novariam per te vel nuntium tuum citari mandamus eosdem, quod sufficere volumus ad mandatum super premissis apostolicum exequendum.

Dat. Lugduni, VII Id. Ianuarii, anno VI°.

636.

Innocentius IV papa [Simoni] electo Paderburnensi ad preces suas, [Ottonis] episcopi Monasteriensis, B[ernhardi III] domini de Lippia et [Godefridi III] de Arnesberge et [Conradi] de Retberge comitum mandat, ut Iohannem rectorem ecclesiae de Yenhusen in ecclesia sanctorum apostolorum Petri et Andreae Paderburnensi recipi faciat in canonicum. *1249, Ian. 8.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 19, n. 292.
Potthast, Reg. 13505; Berger 4281.

. . electo Padeburnensi[3].

Sincere devotionis affectus, quem tu et venerabilis frater noster . . Monasteriensis[4] episcopus et dilecti filii nobiles viri B. dominus de Lippea, . . de Arnesberge[5] et[c]

a) Andre *R.* b) duximus *R.* c) et *superscript.*

1) *Cf. n. 367.* 2) *Sub a. 1249, Ian. 2 imperator Manfredo marchioni Lanceae, sacri imperii a Papia usque Astam capitaneo, mandaverat, ut capitulum Vercellense contra M. et R. comites de Lomello protegeret; Bohmer-Ficker, l. c. 3751.* 3) *Hic sub a. 1247, Oct. 30 [n. 418] 'episcopus' appellatus est; falso, nam in duabus chartis a. 1249 scriptis ipse se 'electum' vocavit; Wilmans, Westfäl. U. B. t. IV, p. 263 et 264, n. 407 et 408.* 4) *De hoc cf. sub n. 448. Sub a. 1248, Febr. 29 papa 'electo' Monast. quaedam largitus erat; Berger 3679; cf. etiam Potthast, Reg. 12860, sub a. 1248, Mart. 13, quae ep. in Reg. non extat, et Bohmer-Ficker, l. c. 4932.* 5) *Arnsberg in Westfalia.*

de . . Retberge[1] comites ad personam nostram et Romanam geritis ecclesiam, nos inducit, ut vestris petitionibus, quantum cum Deo possumus, benignum accomodemus[a] auditum. Hinc est, quod nos, tuis et eorundem episcopi ac[b] nobilium supplicationibus inclinati, mandamus, quatinus dilectum filium Iohannem rectorem ecclesie de Venhusen, qui de ipsius ecclesie redditibus, cum trium marcarum argenti valentiam annis singulis ut asserit non excedant, non potest commode sustentari, in ecclesia sanctorum apostolorum Petri et Andree Padeburnensi auctoritate nostra recipi facias in canonicum et in fratrem ac sibi de prebenda, quam cito se facultas obtulerit, provideri — non obstantibus[c] quod idem alias beneficiatus existit, et si certus in ipsa ecclesia Sanctorum Apostolorum canonicorum numerus habeatur iuramento seu quacunque alia firmitate vallatus, vel si pro aliis in ea nos aut apostolice sedis legati direximus scripta nostra, quibus nolumus etc. usque: generari, vel dicte ecclesie a sede sit apostolica[d] indultum, quod ad receptionem seu provisionem alicuius minime teneatur, vel quod eius canonici per litteras apostolicas interdici seu suspendi aut excommunicari non possint, nisi de indulgentia huiusmodi in eis expressa mentio habeatur, vel qualibet alia, per quam huiusmodi gratia impediri valeat vel differri et de qua in nostris litteris expressam oporteat fieri mentionem, —: contradictores etc.

Dat. Lugduni, VI Id. Ianuarii, anno VI°.

637.

Innocentius IV papa [Petro] archiepiscopo Tyrensi concedit, ut ex eo, quod ecclesia sancti Marci Tyrensis, ad ecclesiam sancti Marci de Venetiis pertinens, ab O[ctaviano] Sanctae Mariae in Via Lata diacono cardinali, apostolicae sedis legato, in ius beati Petri suscepta, ab omni alia iurisdictione exempta sit, sibi super decimis et aliis iuribus episcopalibus, quae de iure communi sibi competant, praeiudicium non generetur.

1249, Ian. 12.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 30, n. 387.
Potthast, Reg. 13559; Berger 4379.

. . archiepiscopo Tyrensi.

In muneribus gratiarum, quas circa devotos apostolice sedis effundimus, salubrem providentiam nostro semper affectui reservamus, videlicet ut si processu temporis aliquid circa illas dignum provisione patuerit, illud attentionis prompte remediis deducamus ad metam consistentie salutaris. Sane in[e] nostra et fratrum nostrorum presentia retulisti, quod dilectus filius noster O. Sancte Marie in Via Lata diaconus cardinalis, apostolice sedis legatus, de mandato nostro, quod ei direximus per litteras speciales[2], sancti Marci Tyrensis et sancti Marci Acconensis ecclesias, que dicebantur

a) accomodamus *R.* b) episcopi et | episcopi ac *R.* c) obstantib' *R.* d) apostolica *superser.* e) Sane f. ve. in *R. in loco raso:* Sane, frater venerabilis, in *R.; sed verba* f. ve. *punctis deleta esse in exemplo nostro annotavimus et allocutio talis usui curiae non convenit. — Cum etiam ecclesiae sancti Marci Tyrensis et s. M. de Venetiis de hac concessione papae certiores fieri debuerint et ep. iis dirigendae eiusdem ere tenoris fuerint, eas omnes ex eadem minuta scribendas fuisse putamus, in qua singula verba mutanda aliquo modo annotata fuerint. In aliis autem ep. hoc loco pergendum erat:* Sane f. ve. [*vel* ve. f.] noster . . archiepiscopus Tyrensis in . . . . retulit. *Ex minuta ita variata epistolam registrans scriba erravit; cf. N. A. t. V. p. 532.*

1) *Rietberg ibid., ex sept. cir. Lippstadt. De comite Conrado cf. etiam Böhmer-Ficker, l. c. 4868.* 2) *Cf. n. 311.*

ad ecclesiam sancti Marci de Venetiis pertinere, in ius et proprietatem beati Petri suscipiens, firmiter inhibuit, ne quis in eis absque mandato sedis apostolice aliquam iurisdictionem presumeret exercere. Dictus etiam cardinalis statuit ad iudicium exemptionis huiusmodi, ut a dilectis filiis . . primicerio et capitulo eiusdem ecclesie sancti Marci de Venetiis census annuus duorum Bizantiorum nomine predictarum ecclesiarum camere nostre in festo Sanctorum Omnium annis singulis solveretur, prout in litteris ipsius cardinalis inde confectis plenius dicitur contineri. Cum autem tu exemptionem ipsam perspiciens in grave preiudicium et evidens dispendium Tyrensis ecclesie redundare, maxime quia tibi propter hoc decime ac alia iura episcopalia, que in prefata ecclesia sancti Marci Tyrensis tibi de iure communi competunt, subtrahuntur, a nobis instanter et humiliter petivisti, ut super hoc indempnes te ac ipsam Tyrensem ecclesiam servaremus. Nos itaque, tuis supplicationibus annuentes, fraternitati tue presentium auctoritate concedimus, ut super decimis et iuribus memoratis tibi et ipsi Tyrensi ecclesie, quoad sepedictam ecclesiam sancti Marci Tyrensis, pretextu exemptionis eiusdem nullum preiudicium generetur. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, II Id. Ianuarii, anno VI°.

638.

Innocentius IV papa R[aynerio] Sanctae Mariae in Cosmidin diacono cardinali, apostolicae sedis legato concedit, ut omnes excommunicatos de regno Siciliae, ad ecclesiam redire volentes, absolvere et interdicta civitatum et locorum ibidem relaxare possit. — Eidem idem in provincia Tusciae concedit. *1249, Ian. 18.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 70, cur. n. 25 et 26.
Potthast, Reg. 13168 et 13169; Berger 4686 et 4687.

I.

R. Sancte Marie in Cosmidin diacono cardinali, apostolice sedis legato[1].

Ut negotium universalis ecclesie tanto fortius te mediante proficiat, quanto maior potestas tibi fuerit ab apostolica sede concessa, prudentie tue auctoritate presentium duximus specialiter concedendum, ut universos et singulos de regno Sicilie ad ecclesie gremium redire volentes, quacunque sint excommunicatione ligati et qualibet sententia iuris vel iudicis innodati, valeas per te vel per alium iuxta formam ecclesie consuetam absolvere, ac interdicta civitatum et aliorum locorum regni eiusdem ad mandatum ecclesie humiliter redeuntium, ob quamcunque causam et cuiuscunque auctoritate civitates et loca prefata sint interdicto supposita, relaxare. Nos enim ratum et firmum habebimus, quicquid super hiis duxeris faciendum[2].

Dat. Lugduni, XV Kal. Februarii, anno VI°.

II.

Eidem.

Ut negotium etc. ut supra usque: et singulos de provincia Tuscie[3] ad ecclesie gremium etc. usque in finem.

---

1) *De hoc cf. n. 625 et 626.* 2) *Cf. p. 437, not. 2.* 3) *Cf. Böhmer-Ficker, l. c. 3758 et 3763.*

639.

Innocentius IV papa abbati et conventui de Wettingen indulget, ut cum inter fautores F[riderici] quondam imperatoris consistant, iisdem communicantes maiori excommunicationi non involvantur. *1249, Ian. 21.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 27, n. 357
Potthast, Reg. 13510; Berger 4349.

.. abbati et conventui de Wettinhgen Cisterciensis ordinis Constantiensis diocesis[a].

Cum monasterium vestrum inter fautores F. quondam imperatoris consistat[1] ac ob hoc, quin interdum communicetis excommunicatis, evitare de facili non possitis: nos, vestris supplicationibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut si quando eisdem fautoribus excommunicationis vinculo innodatis vos communicare contigerit, propter hoc maioris excommunicationis laqueo non possitis involvi, dummodo non communicetis in crimine criminosis[2]. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, XII Kal. Februarii, anno VI°[3].

640.

Innocentius IV papa [Henrico III] episcopo Argentinensi ad preces suas et Ul[rici] de Wirtemberc, H[artmanni] de Gruningen, H[ugonis] de Parvapetra et C[onradi] de Friburc comitum mandat, ut Henrico de Vinstingen canonico Argentinensi in civitate, diocesi vel provincia Treverensi provideat. *1249, Ian. 21.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 28, n. 368.
Potthast, Reg. 13516; Berger 4360.

.. episcopo Argentinensi.

Volentes dilectum filium Henricum de Vinstingen[b 4] Argentinensem canonicum sue merito probitatis et obtentu tui et dilectorum filiorum nobilium virorum Ul. de Witemberc[c 5], H. de Grutanger[d 6], H. de Parvapetra[e 7] et C. de Friburc[8] comitum, nobis pro ipso supplicantium, gratia prosequi et favore, ut desideratam sedis apostolice munificentiam multiplicatis intercessoribus facilius assequatur, mandamus, quatinus eidem canonico in civitate vel diocesi seu provincia Treverensi, in ecclesia cathedrali vel alia, de beneficio prebendali et personatu seu ecclesiastica dignitate, etiam si curam habeat animarum, prout idem H. duxerit acceptandum, si vacat ad presens vel quam primum ad id se facultas obtulerit, per te vel per alium auctoritate nostra pro-

a) Eisdem *R.; cf. infra n. 647.* b) Vinsti͞ge *R.* c) *ita R.* d) Grutag̀ *R.; leg.* Gruningen. e) pāvapetra *R.*

1) *Cf. p. 397, not. 2.* 2) *Cf. n. 495 et p. 348, not. 4.* 3) *Sub Febr. 1 papa abbati et conventui monasterii de Mure [Muri] indulsit, ut, 'non obstante quod terra R[udolfi] iunioris comitis de Haresburc, monasterii ipsorum advocati, pro eo quod imperatori adhaereret, supposita esset ecclesiastico interdicto, et [etiam?] cum generale interdictum terrae esset', possent divina officia celebrare; Potthast, Reg. 13192: quae ep. in Reg. non extat.* 4) *Ex sept. cir. Saarburg.* 5) *Cf. n. 491, p. 396, not 3 et Bohmer-Ficker, l. c. 1961.* 6) *Cf. n. 558.* 7) *Cf. n. 261.* 8) *Cf. n. 559 et p. 401, not. 3.*

videas et eundem recipi facias in ecclesia, in qua sibi duxeris providendum, in canonicum et fratrem — non obstantibus certo canonicorum numero iuramento seu alia firmitate vallato, aut si in ecclesia, in qua sibi provisum fuerit, nos vel apostolice sedis legati direximus scripta nostra pro aliis, quibus quoad assecutionem prebende seu personatus aut dignitatis huiusmodi, nisi sit alicui ius super hoc specialiter acquisitum, volumus dictum canonicum anteferri, vel quod idem alias beneficiatus existit, seu si episcopo vel capitulo aut personis quibuslibet ecclesie, in qua sibi fuerit providendum, ab eadem sede indultum existat, quod excommunicari, interdici et suspendi absque ipsius sedis mandato non possint, seu qualibet indulgentia, [de qua][a] specialem oporteat in presentibus fieri mentionem et per quam posset huiusmodi provisio impediri vel differri, aut quod predicte sedis legatus alias scripserit pro eodem —: contradictores etc. Nos enim decernimus [irritum][b] et inane, quicquid contra huiusmodi mandati nostri tenorem temere fuerit attemptatum.

Dat. Lugduni, XII Kal. Februarii, anno VI°.

641.

Innocentius IV papa [Alberto] electo Pergamensi significat: cum ipse contra provisionem Aezoni de Sesso archipresbytero Mutilenensi in ecclesia Pergamensi factam appellaverit, sed appellationem suam prosequi nequiverit, quia nemo de civitatibus faventibus F[riderico] quondam imperatori litteris apostolicis uti audeat nec se ad loca ei inimica transferre, Goyzum archipresbyterum de Calce de mandato apostolico omnia in statum debitum revocasse et Aezonem canonia collata sententialiter privasse; hanc sententiam confirmat. *1249, Ian. 25.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 25, n. 331.
Potthast. Reg. 13528; Berger 4323.

. .[c] electo Pergamensi.

Exhibita nobis tua petitio continebat, quod cum . . de Arola[1] et . . de Colurnio[2] archipresbyteri Parmensis diocesis, auctoritate apostolica ut dicebant, sub pena excommunicationis iniunxissent tibi, ut procuratorem Aezonis de Sesso archipresbyteri Mutilenensis[d][3] Regine diocesis in corporalem possessionem canonicatus et prebende, que . . abbas Sancti Iohannis Parmensis de mandato apostolico dicebatur[e] ipsi Aezoni in Pergamensi ecclesia contulisse, inducere procurares, tu, ex eo sentiens a prefatis de Arola et de Colurnio archipresbyteris indebite te gravari, quod rescripti apostolici, cuius auctoritate hoc tibi mandabant, copiam quam nunquam habueras tibi facere contra iustitiam denegabant, ad sedem apostolicam appellasti, nobis humiliter supplicans, ut cum iusto impedimento detentus appellationem tuam prosequi nequiveris infra annum, ex eo videlicet quod nullus de civitatibus vel locis faventibus F. quondam imperatori litteris apostolicis uti audeat[4] nec se ad loca ipsi F. inimica transferre, subvenire tibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Cum igitur dilecto filio

a) de qua *deest R.* b) irritum *deest R.* c) *duo puncta in margine scripta desunt in rubro.*
d) Mutilen *R.* e) dicebant *R.*

1) *Ut videtur Airola, Agrola [e mer. civ. Parmensis], quod castellum, a Guelfis Reginis occupatum, Henricus rex Sardiniae sub fine a. 1248 ceperat; Ann. Placent. Gib. a. 1248, SS. t. XVIII, p. 498.* 2) *Colorno ex sept. civ. Parmensis.* 3) *Modolena ex sept. et occ. civ. Reginae.* 4) *Cf. n. 371.*

Goyzo archipresbytero plebis de Caleo[a 1] Cremonensis diocesis direxerimus scripta nostra, ut, huiusmodi labsu temporis non obstante, revocaret in statum debitum, quicquid post appellationem eandem in preiudicium tuum inveniret temere attemptatum, te ac Pergamense capitulum ab impetitione dicti Aczonis super receptione ac provisione sua in ecclesia supradicta absolvens, et relaxans sententias, si quas in eos ei constaret occasione huiusmodi promulgatas, vobiscum super irregularitate, si quam contraxissetis exinde, auctoritate apostolica dispensaret, eidem Aczoni super hiis perpetuum silentium imponendo et ipsum, si receptus esset in canonicum et in fratrem, canonia privare curaret[2]: prefatus archipresbyter de Calce, ipso Aczone propter sue partis potentiam et constitutiones dicti F. editas in locis sibi faventibus, sicut nec potuit, non citato, predicta canonia iuxta mandati nostri tenorem sententialiter privavit eundem, et super hoc ei silentium imponens perpetuum, te ipsumque capitulum a prenominati Aczonis impetitione ac sententiis in vos ea[b] occasione prolatis absolvit et vobiscum[c] super irregularitate nichilominus dispensavit, prout in litteris inde confectis plenius continetur. Quare fuit ex parte tua nobis humiliter supplicatum, ut processum eiusdem archipresbyteri de Calce super hoc habitum curaremus apostolico munimine roborare. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, quod a iamdicto archipresbytero de Calce super premissis provide factum est, gratum et ratum habentes ac supplentes defectum, si quis est habitus, quantum ad id quod propter impedimenta premissa sepedictus A. citatus non extitit, de nostre plenitudine potestatis, id auctoritate [apostolica][d] confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Lugduni. VIII Kal. Februarii. anno VI°[3].

642.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino, apostolicae sedis legato, mandat, ut cum homines de Nuwemburch et de Fillingen, F[riderico] quondam imperatori faventes, dominio Conradi et Henrici [comitum] de Friburch se subtrahant, ex villis eorum, si expedire viderit, sacramenta ecclesiastica elduci faciat et clericos et laicos, qui cum eis communicaverint, excommunicet. *1249, Ian. 26.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 23. n. 321.
Potthast, Reg. 13180; Berger 4316.

.. archiepiscopo Maguntino, apostolice sedis legato[4].

Dilecti filii nobiles viri Corradus et Henricus fratres [comites][e] de Friburch[5] nobis exponere curaverunt, quod homines villarum de Nuwemburch[6] et[f] de Fillingen[g 7].

a) Caleo *R.*; *ita semper ap. B.* b) ac *R.* c) nobiscum *R.* d) apostolica *deest R.* e) comites *deest R.* f) et. *superscr.* g) Filling *R.*

1) *Ut videtur Calcio ad dexteram ripam Ollii, ex occ. cir. Brescia.* 2) *Legitur epitome huius mandati a. 1248, Mart. 20 dati ap. Berger 3767.* 3) *Sub eodem die papa praeposito Pergamensi mandavit, ut Plebano scolari, consanguineo nobilis viri Bonadi de Sancto Gervasio [in dextera ripa Adduae, ex sept. civ. Trez.o] in civitate vel diocesi Pergamensi provideret; Berger 4324; Potthast, Reg. 13529.* 4) *Haec prima epistola est ei sub titulo 'legati' directa, quamquam talia mandata, quae alias legatis committerentur, ei iam a recessu Petri cardinalis legati data fuisse supra vidimus; cf. n. 616 et 623. Neque vero scimus, an 'plenae' legationis munere ante finem mensis Febr. functus non sit. Nam ipse in charta a. 1249, Febr. 24 scripta 'apostolicae sedis legatum' se non appellavit; Guden, Cod. dipl. Mog. t. III. p. 1114:*

que ad eos hereditario iure pertinere noscuntur, in[a] reprobum sensum dati se ab eorum subtrahentes dominio, F. quondam imperatori favere in animarum periculum non verentur, propter quod ab utero matris ecclesie, que ipsos in fide genuit, se fecerunt minus provide alienos. Cum igitur dignum sit, ut iidem homines priventur divinis officiis et ecclesiasticis sacramentis, quibus se ultronei indignos reddiderunt: mandamus, quatinus, si videris expedire, ad eorum duritiam conterendam de villis predictis educi faciens omnia ecclesiastica sacramenta, clericos omnes tam religiosos quam alios, qui in eisdem villis morari seu ad easdem accedere [presumpserint][b] ad celebranda[c] ibidem divina officia vel confessiones audiendas aut exhibenda[d] hominibus earundem ecclesiastica sacramenta, necnon etiam laicos, qui communicaverint cum eisdem in mercimoniis seu molendo in molendinis eorum, quamdiu prefati homines in pertinatia huiusmodi perstiterint[e], excommunicationis mucrone percellas et facias eos excommunicatos publice nuntiari.

Dat. Lugduni, VII Kal. Februarii, anno VI°.

643.

Innocentius IV papa [Henrico III] episcopo Argentinensi mandat, ut Annam monialem monasterii de Walkirche, neptem [Friderici] de Nurembere et [Hartmanni] de Gruningen comitum, qui pro ea supplicaverint, alicui monasteriorum monialium ordinis sancti Benedicti Metensis, Argentinensis, Tullensis, Constantiensis vel Basiliensis civitatum vel dioecesum praeficere procuret. 1249, Ian. 27.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 22, n. 320.
Potthast, Reg. 13181; Berger 4312.

. . episcopo Argentinensi.

Apostolica sedes affectu materno suorum attendit obsequia devotorum, et[f] eis libenter iuxta suorum qualitatem meritorum congrua rependit premia gratiarum. Hinc est, quod cum dilecti filii nobiles viri . . de Nuerembereh et . . de Grueningin comites[1] propter fidem puram et devotionem sinceram, quam ad ecclesiam Romanam gerere dinoscuntur, mereantur ab ea multipliciter honorari, nos, hec non indigne pensantes et volentes eis gratiam facere specialem, ipsorum supplicationibus inclinati, presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus Annam monialem monasterii de Walkirche[g][2] ordinis sancti Benedicti Constantiensis diocesis, neptem comitum predictorum, de qua nobis testimonium laudabile perhibetur, alicui monasteriorum monialium eiusdem

a) in — dominio *in loco raso.* b) presumpserint *vel tale quid deest R.* c) celebrand' *R.* d) exhibend' *R.* e) perstiterunt *R.* f) ut *R.* g) Walkir | che *R.; litt.* che *in loco raso.*

sub Febr. 25 demum more solito a papa clero Alamanniae commendatus est [n. 665] et eodem tempore officium eius aliquo modo mutatum videtur, cum iura, quae ei ex legationis munere competebant, tum et aucta [cf. n. 664] et deminuta sint [cf. n. 663 II]. Insuper epistola ei sub Febr. 12 data, ei sub Mart. 1 cum quibusdam variantibus repetita est [cf. n. 663 III]. Fortasse Coloniensis archiepiscopus ei hucusque repugnarit; cf. n. 663 II. De officio legationis ut ita dicam 'minoris' vel 'non plenae' cf. p. 10, not. 2 et ea, quae infra de legatione archiep. Coloniensis annotavimus. 5) *Cf. n. 640.* 6) *Neuenburg ad Rhenum fl. inter civ. Freiburg et Basel; cf. p. 404, not. 3 et Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 800, not. 2.* 7) *Villingen ex sept. civ. Donaueschingen.*

1) *Cf. n. 640 et p. 396, not. 5. In aliis epistolis papae recte 'burgravius' de Nurembere legitur; cf. n. 645.* 2) *Ex sept. civ. Freiburg.*

ordinis Metensis, Argentinensis, Tullensis, Constantiensis vel Basiliensis civitatum vel diocesum, quod ipsa duxerit acceptandum, in abbatissam preficere per te vel per alium auctoritate nostra procures, quamcito ad hoc obtulerit se facultas, — non obstante aliqua indulgentia sedis apostolice vel legatorum eiusdem diocesanis episcopis vel personis quibuscunque concessa, per quam gratia huiusmodi impediri possit vel etiam retardari et de qua specialem vel expressam in nostris litteris fieri oporteat mentionem, —; contradictores etc.

Dat. Lugduni, VI Kal. Februarii, anno VI°.

644.

Innocentius IV papa praeposito de Ruti mandat, ut si nobiles de Siteretelingen litem de quibusdam possessionibus contra monasterium de Wettingen coram C[onrado] nato F[riderici] quondam imperatoris prosequantur, ipsos a iure, si quod eis competat, cecidisse denuntiet. *1249, Ian. 28.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 23, n. 325.
Potthast, Reg. 13183; Berger 4315.

. . preposito ecclesie de Rivi[a] Premonstratensis ordinis Constantiensis diocesis.

Ex parte dilectorum filiorum . . abbatis et conventus monasterii de Wetringhen[b] fuit propositum coram nobis, quod nobiles viri domini de Siteretelingen[c 1] Lausanensis diocesis ipsos post latam in F. quondam imperatorem depositionis sententiam coram Corrado nato eius fecerunt super quibusdam possessionibus pro sua voluntate citari. Mandamus, quatinus, si est ita et dicti nobiles citationem huiusmodi prosecuntur, ipsos denunties auctoritate nostra cecidisse omnino a iure, si quod forsan eis in eisdem possessionibus competebat; contradictores etc.

Dat. Lugduni, V Kal. Februarii, anno VI°.

645.

Innocentius IV papa priori Sancti Petri ad Arenas Metensis ad preces burgravii de Nurembere et comitis de Gruningen mandat, ut Renaldo de Filieres clerico in civitate vel diocesi Treverensi de beneficio ecclesiastico provideat. *1249, Ian. 29.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 30, n. 385.
Potthast, Reg. 13557; Berger 4377.

Priori Sancti Petri ad Arenas Metensis.

Sincere devotionis affectus, quem dilecti filii nobiles viri burgravius de Nurembere et de Gruengue comes[d 2] ad personam nostram et Romanam gerunt[e] ecclesiam.

---

a) *vel* Ruii; *leg.* Ruti; *cf. n. 190. Ap. Berger 4318 [cf. infra p. 163, not. 1] recte legitur: praep. eccl. de Ruti Praem. ord. Const. dioc.* b) *ita R.* c) Site|teling. d) comites *scribi coeptum est.* e) gerit *R.*

1) *Stratlingen e mer. vic. Thun.* 2) *Cf. n. 645.*

nos inducit, ut eorum petitionibus benignum accomodemus[a] auditum ac ipsis liberaliter, quantum cum Deo possumus, annuamus. Hinc est, quod nos, ipsorum supplicationibus inclinati, mandamus, quatinus dilecto filio Renaldo de Filieres[1] clerico in aliqua ecclesiarum civitatis vel diocesis Treverensis, cathedrali excepta, de prebendali vel alio ecclesiastico beneficio competenti, etiam si curam habeat animarum, quam cito se facultas obtulerit, provideas vel facias provideri — non obstantibus si in ecclesia, in qua[b] sibi duxeris providendum, sit certus canonicorum [numerus] institutus[c] iuramento vel alia firmitate vallatus, vel si pro aliis in ea scripsimus, quibus nolumus etc. usque: generari, aut si eidem ecclesie a sede apostolica sit indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneatur, sive quod eius canonici suspendi, excommunicari vel interdici non possint, aut quacumque alia [indulgentia sedis apostolice, per quam][d] huiusmodi gratia impediri valeat vel differri, —: contradictores etc.

Dat. Lugduni, IIII Kal. Februarii, anno VI°.

646.

Innocentius IV papa Ottoni clerico de Truhendingen ad preces Friderici et Ludowici dominorum de Truhendingen fratrum ipsius indulget, ut, non obstante defectu ordinum et aetatis, ad pontificalem dignitatem eligi valeat. — Idem Alberto canonico Herbipolensi alteri fratri eorum indulget. *1249, Ian. 30.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 23, n. 329 et 330.
Potthast, Reg. 13526 et 13527; Berger 4321 et 4322.

I.

Ottoni clerico de Truhendingin[e, 2] Eistetensis diocesis.

Tue bonitatis merito et dilectorum filiorum nobilium virorum Frederici et Lodoyci dominorum de Truhendingen[f] tuorum fratrum sincera devotione pensatis, libenter apostolicum tibi favorem impendimus et personam tuam specialis privilegio gratie honoramus. Hinc est, quod nos, tuis et eorundem fratrum supplicationibus inclinati, devotioni tue auctoritate apostolica indulgemus, ut — non obstante defectu quem in ordinibus et etate pati diceris — licite ad pontificalem eligi valeas dignitatem. Volumus tamen, ut si te, tali durante defectu, eligi forte contigerit, huiusmodi electionis confirmatio a sede apostolica requiratur. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, III Kal. Februarii, anno VI°.

II.

Alberto canonico Herbipolensi.

Tue bonitatis merito et dilectorum filiorum nobilium virorum Frederici et Lodoici et cetera ut supra usque in finem.

a) accomodamus *R.* b) etc. ut supra usque: generari *R.* c) cert' can institut' *R.*, *deest* numerus. d) indulgentia — quam *deest in R.* e) *vel* Truhendingen *in marg. et in rubro.* f) Truhending̃ *R.*

1) *Fortasse Villers in Lotharingia, prope civ. St. Ménéhould.* 2) *Ex sept. et or. civ. Nördlingen.*

647.

Innocentius IV papa [Conrado] abbati et conventui de Wettingen confirmat litteras, quibus quondam Henricus episcopus Constantiensis de mandato apostolico, sub a. 1248, Febr. 8 dato, iis sub a. 1248, Iun. 13 concesserit, ut ecclesiam de Richain, in qua ius patronatus habeant, possint libere, cum eam vacare contigerit, in usus proprios retinere.

1249, Ian. 30.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 27, n. 351. Exemplar Baluzii, Misc. t. VII, p. 462, contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 13187; Berger 4346.

.. abbati et conventui de Wettinhgen[a] Cisterciensis ordinis Constantiensis diocesis.

Licet ea, que de mandato nostro fiunt, plenam in se habeant firmitatem, ut tamen sint in suo robore firmiora, ipsa libenter apostolico fulcimus[b] munimine, ut intemerata consistant, cum nostro fuerint presidio communita. Cum igitur, sicut dilectus filius frater Wernerus conversus vester[1] proposuit coram nobis, bone memorie H. episcopus Constantiensis diocesanus vester de speciali mandato et auctoritate nostra vobis concesserit, ut ecclesiam de Richaın[2] Constantiensis diocesis, in qua ius patronatus habetis, possitis libere, cum eam vacare contigerit, in usus proprios retinere, ita tamen quod vicario in ea pro tempore servituro pro sustentatione sua et aliis eiusdem ecclesie supportandis oneribus congrua de ipsius proventibus portio relinquatur, prout in litteris inde confectis, quarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur: nos, prefati conversi supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem episcopo provide factum est, ratum et firmum habentes auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenor autem litterarum ipsarum talis est:

In nomine Domini. Amen. Henricus divina permissione Constantiensis episcopus dilectis[c] in Christo Conrado abbati et conventui monasterii de Wettinhgen Cisterciensis ordinis salutem in Domino. Opus pietatis agitur, dum Christi pauperibus, ut in suscepte religionis iugiter famulantes devotione persistant, proinde subvenitur. Igitur receptis litteris apostolicis in hec verba:

Innocentius[d] etc. venerabili fratri H. episcopo Constantiensi etc.[e]. Consuevit sedes apostolica precibus condescendere devotorum eorumque votis favorem benivolum impertiri. Cum igitur dilecti filii nobiles viri Hermannus[f] senior et Hermannus[f] iunior comites de Kiburch[g], ecclesie Romane devoti, pro[h] monasterio de Wettingen[i] Cisterciensis ordinis Constantiensis diocesis duxerint cum instantia supplicandum, nos, volentes obtentu precum eorum predicto monasterio facere gratiam specialem, fraternitati[k] tue per apostolica scripta mandamus, quatinus C.[l] abbati et conventui eiusdem monasterii, quod occasione imminentis discordie gravem ab inimicis ecclesie in temporalibus dicitur sustinuisse iacturam, auctoritate nostra concedas, ut ecclesiam de Richaim[m] predicte diocesis, in qua ius obtinent patronatus, cum eam vacare contigerit, libere valeant in usus proprios retinere, ita tamen quod vicario in ea pro tempore

a) *litt.* h *superscr.* b) fulcimur *B.* c) dil' *B.* d) *Contulimus hanc ep. cum eo exemplo, quod in Reg. Lib. V, 556, Berger 3605, legitur [1]* e) .. episcopo Constantiensi *inser. 1.* f) Hartmannus *1. recte.* g) Kyburc *1.* h) nobis pro *1.* i) Wetingen *1.* k) fraternitati — scripta *deest 1.* l) C. *deest 1.* m) Rihem *1.*

1) *De hoc cf. n. 601 et Berger 1339, Potthast, Reg. 13535.* 2) *Richain. Riehen inter civ. Basel et Lorrach.*

servituro pro sustentatione sua et pro aliis ecclesie ipsius supportandis oneribus congrua de eiusdem ecclesie proventibus portio relinquatur. Dat. Lugduni VI Id. Februarii, pontificatus nostri[a] anno quinto.

nos, attendentes rationes et causas in ipso rescripto positas, quibus veritas suffragatur, maxime autem iuxta statum temporis necessitate dicti monasterii, in quo fidelium ibidem sub iugo Domini famulantium plenius hoc tempore religio vigere dinoscitur, inclinati, ecclesiam de Richaim nostre diocesis, in qua ius obtinetis patronatus, auctoritate apostolica qua fungimur et nostra vobis concedimus, ut eam, cum[b] vacare contigerit, cum fructibus et pertinentiis suis valeatis libere in usus proprios retinere. Ut autem animarum cura non negligatur, salvo etiam iure diocesano nostro successorumque nostrorum pro tempore, volumus et mandamus, ut in dicta ecclesia vicario servituro pro sustentatione sua et pro aliis ecclesie ipsius supportandis honeribus congrua de eiusdem ecclesie proventibus portio relinquatur.

Dat. Constantie, anno Domini MCCXLVIII°, Id. Iunii, indictione VI^{a}.

Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Lugduni, III Kal. Februarii, anno VI°[1].

Datus est eis super hoc conservator . . prepositus Basiliensis.

648.

Innocentius IV papa [Henrico III] episcopo Argentinensi ad preces de Gruningen et de Nurembere comitum mandat, ut Henrico de Vinstingen canonico Argentinensi consanguineo comitum de aliqua dignitate in ecclesia sancti Arnualis Metensis diocesis provideri faciat. *1249, Ian. 30.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 28, n. 361.
Potthast, Reg. 13188; Berger 4356.

. . episcopo Argentinensi.

Personas dilectorum filiorum nobilium virorum . . de Gruningen et . . de Nurembere comitum[2] sincera diligentes in Domino caritate, libenter ipsorum petitionibus benignum accomodamus auditum, eas precipue ad exauditionis gratiam admittendo, que ipsorum honorem specialiter respicere dinoscuntur. Hinc est, quod nos, eorundem supplicationibus inclinati, mandamus, quatinus dilecto filio Henrico de Vinstingen[c 3] canonico Argentinensi, eorum consanguineo, de aliqua dignitate in ecclesia sancti Arnualis[d 4] Metensis diocesis, cum eam ibi vacare contigerit, quam idem canonicus duxerit acceptandam, auctoritate nostra provideas vel facias provideri — non obstantibus quod idem alias beneficiatus existit, seu si in ipsa ecclesia pro aliis nos[e] vel apostolice sedis legati direximus scripta nostra, quibus quoad assecutionem dignitatis eiusdem

a) pont. no. *deest I.* b) cum eam *R.* c) Vinsting *R.* d) Aravalis *R.* e) aliis in | nos *R.*; in *minus perspicuum.*

1) *Iam sub Ian. 23 eisdem scripserat se inhibuisse, ne in ecclesia de Richem, 'quam eis in usus proprios duxisset concedendam', loci dioecesanus, archipresbyter vel decanus quicquam contra morem solitum instituerent; conservator praepositus Basiliensis; sub Ian. 31 eisdem indulsit, ne ultra duas dietas a monasterio suo per litteras apostolicas vel legatorum super bonis, quae infra eas haberent, in causam trahi possent; conservator praepositus de Ruti [cf. n. 611]; Berger 4347 et 4348; Potthast, Reg. 13538 et 13539.* 2) *Cf. n. 645.* 3) *Cf. n. 640.* 4) *Arnual prope Saarbrücken, ad Saar fl.*

ipsum volumus anteferri, sive si nos vel ipsi legati alibi scripsimus pro eodem, aut aliqua ipsius sedis indulgentia episcopo diocesano et ipsius ecclesie capitulo vel personis quibuscumque concessa, per quam huiusmodi gratia impediri valeat vel differri et de qua in nostris litteris oporteat fieri mentionem, seu si eiusdem ecclesie canonicis ab ipsa sede indultum existat, quod ad provisionem alicuius minime teneantur, seu quod per litteras apostolicas interdici sive suspendi vel excommunicari non possint, sive aliqua contraria vel statuto iuramento seu quacunque firmitate alia roborato —: contradictores etc. Nos enim decernimus irritum et inane, si contra mandatum nostrum de ipsa dignitate contigerit aliquid attemptari.

Dat. Lugduni. III Kal. Februarii, anno VI°.

649.

Innocentius IV papa [Willelmum] regem Romanorum hortatur, ut ducatum et bona, quae quondam [Fridericus II] dux Austriae habuerit, [Gertrudae] uxori [Hermanni VI] marchionis de Baden, nepti ducis, cui ea ex privilegio imperiali succedere debeat, liberaliter conferat, praesertim cum idem marchio paratus sit contra F[ridericum] quondam imperatorem et C[onradum] natum eius signum crucis assumere. 1249, Ian. 31.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 21, n. 336. Exemplar Baluz., Msc. t. VII, p. 455 contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 13190; Berger 4328.

. . illustri regi Romanorum.

Etsi cunctos ex attributa tibi potestate a Domino fovere in sua iustitia tenearis, sublimibus tamen nobilibusque personis, per quas honori tuo magne utilitatis fructus posse provenire speratur, favorabiliorem te convenit exhibere, in hiis precipue que sibi a tuis predecessoribus sunt concessa. Cum igitur, sicut ex parte dilecti filii nobilis viri . . marchionis de Baden[a] fuit propositum coram nobis, a clare memorie Romanorum imperatoribus, qui fuere pro tempore, ducibus Austrie ex speciali privilegio sit permissum, ut si iidem duces absque liberis masculis morerentur, femine tam in ducatu quam feudis aliisque bonis omnibus possint iure succedere masculorum[1], idemque paratus sit contra F. quondam imperatorem, C. natum ipsius eorumque fautores signum crucis assumere tibique, sicut asserit, totis viribus fideliter adherere: nos, arbitrantes dignum existere, ut ipsum propter hoc regalis munificentie gratia favorabiliter prosequaris, serenitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatinus ducatum, feuda et alia bona, quae clare memorie dux Austrie habuisse dinoscitur, ipso adimplente quod offert, nobili mulieri . . uxori sue, nepti eiusdem ducis, cui ea, ut dicitur, debet tam propinquitate sanguinis quam dicti privilegii ratione succedere, liberaliter conferre ac ipsam de predictis investire procures, ita ut prefatus nobilis tuis beneplacitis obligetur, nosque proinde tue sinceritatis zelum merito commendemus[2].

Dat. Lugduni. II Kal. Februarii, anno VI°.

a) Baden *R.*

1) *Cf. supra n. 588 et Bohmer-Ficker, l. c. 3482.* 2) *De marchione cf. ibid. 1524; cf. etiam infra notam sub ep. n. 655.*

650.

Innocentius IV papa abbati de Pruvening mandat, ut advocatos monasterii sancti Emmerammi Ratisponensis, ad bona eius manus illicitas extendentes, compellat, ut ab eius molestatione indebita penitus desistant. *1249, Febr. 1.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 25—26, n. 346.
Potthast, Reg. 13193; Berger 4338.

.. abbati de Pruvening[a] [1] ordinis sancti Benedicti Ratisponensis diocesis[b].

Sua nobis dilecti filii .. abbas et conventus Sancti Emeramni Ratisponensis ordinis sancti Benedicti conquestione monstrarunt, quod licet ipsius monasterii advocati [2], habentes in diversis diocesibus mansiones, ipsos et eorum bona defendere teneantur, percepturi certos redditus de bonis eiusdem monasterii, prout statutum est ab antiquo, dicti tamen advocati, non considerato prudenter quod advocatus ecclesie idem intelligi debeat quod defensor, ex defensoribus persecutores effecti et non contempti[c] iuribus eorundem, ad bona predicti monasterii manus illicitas extendentes, more tyrampnico invadunt et rapiunt proventus et redditus monasterii supradicti in eius irreparabile detrimentum. Volentes igitur indempnitati predicti monasterii paterna sollicitudine precavere, mandamus, quatinus, si est ita, eosdem advocatos, quod suis iuribus contenti existant et ipsi monasterio restituant sic ablata, et ab ipsorum molestatione indebita penitus desistentes, permittant eos libere disponere, prout spectat ad ipsos, bona monasterii memorati, monitione premissa per excommunicationis in personas[d] et in terras eorum interdicti sententias appellatione remota iustitia mediante compellas.

Dat. Lugduni, Kal. Februarii, anno VI° [3].

651.

Innocentius IV papa [Eberhardo] electo Constantiensi concedit, ut praeposituram Constantiensem, quam primum vacaverit, alicui devoto ecclesiae conferre valeat. *1249, Febr. 3.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 29, n. 377.
Potthast, Reg. 13197; Berger 4369.

.. electo Constantiensi.

Exigentibus tue devotionis meritis etc.[e] usque: exaudimus. Tuis itaque supplicationibus benignum impertientes assensum, presentium tibi auctoritate concedimus,

a) *ita in marg.: in rubro* Pruvenines. b) diocesis *in marg. scriptum deest in rubro.* c) con | tēpti *R.; leg.* contenti. d) personis *R.* e) *Cf. n. 288.*

1) *E mer. et occ. civ. Ratisponensis.* 2) *Inter advocatos monasterii inprimis comites de Abenspere [non multum a dextera ripa Danubii media via inter civ. Ingolstadt et Regensburg] nominantur; Ratisbona monastica t. I, Lib. prob. p. 534 et sequ.* 3) *Sub Febr. 3 papa abbati et conventui Sancti Emmerammi indulsit, ut cum generale terrae esset interdictum, eis liceret ianuis clausis etc. divina officia celebrare; sub Febr. 15 de Eberspere et de Wamperge abbatibus mandavit, ut idem monasterium contra molestatores possessionum defenderent; Potthast, Reg. 13191 et 13218; quae ep. in Reg. non extant.*

ut preposituram ecclesie Constantiensis, quam primum eam vacare contigerit[1], conferre valeas alicui devoto ecclesie, cui videris expedire, — non obstantibus aliquibus litteris super provisione consimili ab apostolica sede obtentis, dummodo de ipsa prepositura specialis non fiat mentio in eisdem, vel quibuslibet aliis, per quas generaliter mandatur de dignitatibus, personatibus aut aliis beneficiis ecclesiasticis aliquibus provideri, vel quod idem, cui eam contuleris, alias beneficiatus existit, vel quod alias scripsimus pro eodem, seu quavis ipsius sedis indulgentia, per quam impediri id valeat vel differri et de qua specialiter[a] oporteat fieri in presentibus mentionem, —: contradictores.

Dat. Lugduni, III Non. Februarii, anno VI°[2].

652.

Innocentius IV papa Sancti Emmerammi et de Walderbach abbatibus et fratri Theodorico ordinis Praedicatorum in Vienna mandat, ut [Rudigerum] episcopum Pataviensem, qui bona ecclesiae suae dilapidasse, castra eius [Ottoni II] duci Bavariae tradidisse, et licet a P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, quondam apostolicae sedis legato, excommunicatus fuerit, divina celebrasse dicatur, inquisita veritate ad sedem apostolicam citent. *1249, Febr. 4.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 25, n. 340. Exemplar, quod Hofler, Alb. v. Beh. p. 176 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 13198; Berger 4332.

.. Sancti[b] Emerammi Ratisponensis et .. de Walerbarch[c][3] abbatibus et fratri Theodorico de ordine Predicatorum in Vienna Ratisponensis et Pataviensis diocesum.

Dolemus plurimum non immerito et movemur, cum audimus prelatos, qui persecutorum flammas, quibus ecclesia universalis exuritur, deberent extinguere, non solum nolle defensionis manum persecutionum ignibus adhibere, verum etiam quodammodo ignes[d] accendere ignibus, ipsam ecclesiam multipliciter persequendo. Cum autem, sicut accepimus, Pataviensis ecclesia florere consueverit ab antiquo spiritualium et temporalium ubertate bonorum, nunc per malitiam prelatorum eius, et presertim illius qui preest eidem, in utrisque irreparabiliter est collapsa. Idem enim, qui in etate senili sensu puer effectus [est][e], preter id quod fame sue prodigus et salutis oblitus bona ipsius ecclesie dilapidavit enormiter et consumpsit[4], Dei et ecclesie Romane se publicum constituit inimicum, dum castra et munitiones Pataviensis ecclesie nobili viro .. duci Bawarie tradere non formidans, ei et aliis fautoribus suis contra ecclesiam prebet consilium, auxilium et favorem, aliasque in gerendis utiliter commisse sibi

a) *ita R.* b) sci *in marg.;* fri *in rubro.* c) Walerbăch *R.* d) ignis *R.* e) est *deest R.*

1) *De Peregrino praeposito cf. p. 366, not. 5. Sub Mart. 11 papa eidem praeposito significavit se abbati Augiensi indulsisse, ut per litteras apostolicas extra monasterii sui insulam de cetero non posset conveniri, mandans ne eum super hoc molestari permitteret; Potthast, Reg. 13246 a; quae ep. in Reg. non extat. Peregrinus a. 1253 adhuc vivebat; cf. Neugart, Ep. Constant. t. I, II, p. 442.* 2) *Sub a. 1248, Sept. 30 papa electo et capitulo Constant. indulserat, ut in eos executor vel subdelegatus ob praebendas denegatas, durante praesenti discordia generali, excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententias non posset promulgare; Potthast, Reg. 13032 b; quae ep. in Reg. non extat. De investitura electi cf. ep. Willelmi regis ap. Bohmer-Ficker, l. c. 1927.* 3) *Walderbach ad Regen fl. ex sept. et or. vic. Ratisponensis.* 4) *Cf. n. 657.*

ecclesie adeo existit tepidus et remissus, quod sub eius regimine dicta ecclesia, nisi ei celeri succurratur remedio, incurret irreparabile detrimentum. Ipse autem episcopus, suis culpis exigentibus a dilecto filio nostro P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, tunc in partibus illis apostolice sedis legato, excommunicationis vinculo innodatus[1], in terris et castris ministerialium de Chunrin[c][a][2], auctoritate apostolica ecclesiastico interdicto suppositis, presumpsit celebrare sic ligatus, immo, quantum in eo est, verius[b] prophanare divina officia et consecrare ibidem ecclesias et clericos ordinare. Ne igitur aliquorum persecutorum et inimicorum ecclesie ac aliorum impediente potentia processus inquisitionis huiusmodi valeat impediri, mandamus, quatinus apud castrum vel forum venerabilis fratris nostri . . episcopi Ratisponensis seu locum alium, quem oportunum videritis, simul convenientes, inquisita super hiis sollicite veritate, si hec inveneritis ita esse, prefatum episcopum auctoritate nostra citetis, ut infra competentem terminum peremptorium, sibi prefigendum a vobis, personaliter compareat coram nobis pro meritis recepturus. Alioquin ex tunc procedemus contra eum, prout secundum Deum videbimus procedendum. Diem autem citationis, et quicquid inde feceritis, nobis vestris litteris fideliter intimetis[3]. Quod si non omnes etc.

Dat. Lugduni, II Non. Februarii, anno VI°.

653.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino, apostolicae sedis legato, mandat, ut Conradum praepositum Sancti Guidonis Spirensis alicui ecclesiae cathedrali Alamanniae, [quam duxerit acceptandam], in episcopum praeficiat. 1249, Febr. 5.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 26, n. 352. Exemplar, quod Hofler, l. c. p. 179 edidit, contulimus cum Regestis l. c. [1] et cum altero exemplari ibid. f. 31, n. 391 sub eadem nota chronolog. relato [2].

Potthast, Reg. 13201; Berger 4344 et 4383.

. . archiepiscopo Maguntino, apostolice sedis legato.

Hii, qui honestate vite, litterarum scientia et providentie maturitate pollere inter alios specialiter dinoscuntur, et maiori ab apostolica sede sunt attollendi favore et uberioris dono gratie honorandi; quibus etiam tanto confidentius committi potest ecclesiarum regimen, quanto de ipsis propter clara eorum merita, quod sibi per conversationem salubrem et aliis per exemplum proficere velint et valeant, spes securior obtinetur. Hinc est, quod, cum dilectus filius Corradus prepositus ecclesie sancti Guidonis Spirensis sue devotionis et probitatis obtentu mereatur ab eadem sede multipliciter honorari, nos, hec provide attendentes et nolentes probitatem[c] suam relinquere congrue provisionis expertem, mandamus, quatinus eundem alicui cathedrali

a) Chunriñ *R.* b) vel *scribi coeptum est.* c) bonitatem *2.*

1) *Cf. p. 431, not. 4 et p. 391, not. 2.* 2) *E mer. et occ. cir. Znaym, in archiducatu Austriae.* 3) *Papa igitur Rudigerum nondum deposuerat. Nihilominus a. 1249, Ian. 28 Conradus praepositus Glogariensis, filius Henrici ducis Silesiae, 'electum Pataviensem' se appellavit, qui opera Alberti de Beham illi subrogatus fuerat; cf. Schirrmacher, Alb. v. Possemünster p. 152 et 172 et sequ. A. 1250, Febr. 17 demum Petrus episcopus Albanensis auctoritate apostolica Rudigerum absentem Lugduni deposuit, quam sententiam papa sub a. 1250, Mart. 11 confirmavit; Potthast, Reg. 13930. Cf. etiam Höfler, Alb. v. Beh. p. 60, n. 3, ubi episcopus Pataviensis, qui archiepiscopo Coloniensi contra episcopos Bavariae eundem apostolicae sedis legatum non agnoscentes favit, alius ac Rudigerus fuisse non potest.*

ecclesie de regno Alamannie, [quam duxerit acceptandam][a] [1], quam primum ad hoc[b] se facultas obtulerit, in episcopum auctoritate nostra preficias et pastorem, decernens irritum et inane, si secus super provisione illius ecclesie, cui de prefato preposito providendum duxeris, fuerit attemptatum; contradictores etc. — privilegio quolibet seu indulgentia sedis apostolice non obstante.

Dat. Lugduni, Non. Februarii, anno VI°.

654.

Innocentius IV papa [Alberto] episcopo Ratisponensi mandat, ut presbyteros et clericos civitatis et diocesis suae, qui [Ottoni II] duci Bavariae et C[onrado] nato F[riderici] quondam imperatoris in ecclesiis per [Philippum] electum Ferrariensem tunc legatum interdicto suppositis celebraverint nec super hoc se correxerint, beneficiis ecclesiasticis privet. *1249, Febr. 5.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 25, n. 342. Exemplar, quod Höfler, l. c. p. 178 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 13199; Berger 4334.

.. episcopo Ratisponensi[c].

Cum, sicut te accepimus intimante, nonnulli presbyteri et clerici civitatis et diocesis tue .. duci Bawarie et C. nato F. quondam imperatoris, ecclesie persecutoribus, in quibusdam ecclesiis earundem civitatis et diocesis, per dilectum filium .. Ferrariensem electum, tunc in partibus illis apostolice sedis legatum, occasione generalis discordie supositis[d] ecclesiastico interdicto, celebrare, immo quantum in eis[e] est, verius presumpserint prophanare divina, et nondum super hoc se condigna satisfactione correxerint [2]: ne tante presumpsionis[f] excessus impunitus remaneat et transeat aliis in exemplum, fraternitati tue per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatinus presbyteris et clericis premissarum civitatis et diocesis, quos inveneris super hoc taliter excessisse, beneficiis ecclesiasticis per te auctoritate nostra privatis, altaria ecclesiarum ipsarum in detestationem tanti sceleris nudari facias et remanere, quamdiu expedire videris, denudata: contradictores etc.

Dat. Lugduni, Non. Februarii, anno VI°.

a) quam duxerit acceptandam *deest 1, supplerimus ex 2. Apparet propter haec verba epistolam renovatam esse.* b) id 2. c) Eidem *R.; antecedit n. 655.* d) *ita R.* e) eo *corr.* eis. f) *ita R.*

1) *Ut Schreitwein, Ep. Patav., ap. Rauch, Rer. Austr. SS. t. II. p. 502 narrat, Conradus episcopatum Pataviensem [cf. p. 167, not. 3] assequi se posse speravit. Carta, quam idem Conradus, 'per Austriam et Styriam apostolicae sedis legatus' in favorem episcopi Secoviensis dedit 'Wiennae VI Kal. Mart. a. 1249' [Pusch, Diplom. sacra Styriae t. I, p. 320; Lambacher, Oesterr. Interregn. Anh. p. 26, n. XV], itemque alia, data 'Coloniae, a. 1248, X Kal. Apr.', per quam Conradus archiepiscopus Coloniensis, 'apostolicae sedis legatus' ea confirmavit, quae in eadem re Conradus ille 'tunc temporis in Austriae et Styriae partibus vice nostra de sedis apostolicae speciali mandato legationis fungens officio' egerat [Cardauns, Regg. Konr. v. Hostaden, Ann. d. hist. Ver. f. d. Niederrh. Heft 35, p. 35, n. 270], ut verba citata demonstrant, ad a. 1250 pertinent; cf. etiam cartam Conradi praep. 'legati' a. 1250, Apr. 19, Mon. Boica, t. 29b, p. 370. Insuper narrant Ann. Sparenses, qui plura de vita praepositi accuratius referunt: 'a. 1249 Conradus .... arripuit iter in die Omnium Sanctorum [Nov. 1] eundi in Austriam': SS. t. XVII, p. 84.* 2) *Cf. n. 554; cf. etiam 552 et 608.*

655.

Innocentius IV papa [Alberto] episcopo Ratisponensi mandat, ut [Ottonem II] ducem Bawariae, qui licet iuraverit se contra ecclesiam processurum non esse, F[riderici] quondam imperatoris vicem gerat in partibus Austriae, gratiis a G[regorio IX] papa concessis privet, in eum excommunicationis et interdicti sententias promulget et contra eum verbum crucis praedicet. *1249, Febr. 6.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 25, n. 341. Exemplar Baluzii, Misc. t. VII, p. 456 contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 13202; Berger 4333.

. . episcopo Ratisponensi.

Cum tibi dicamur nostris dedisse litteris in mandatis, ut . . ducem Bawarie, nisi a te monitus infra festum assumptionis beate Marie proximo preteritum rediret ad ecclesiasticam unitatem, gratiis et indulgentiis sibi a felicis recordationis G. papa predecessore nostro concessis auctoritate nostra privares[1]: licet idem dux post monitionem tuam, quod contra ecclesiam in nullo processerat, proprio iuramento firmarit, ac se promiserit per iuramentum huiusmodi processurum[a] nullatenus contra eam, ipse tamen, sicut accepimus, iuramenti religione contempta, prioribus peiora committens et F. quondam imperatoris persecutoris ecclesie in partibus Austrie gerens vicem[2], ipsi ecclesie ac eam adiuvantibus plurimum adversatur. Ideoque fraternitati tue per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatinus, si est ita, eundem ducem auctoritate nostra privatum esse denuntians gratiis et indulgentiis supradictis, in ipsum et in sua perversitate adherentes eidem excommunicationis et in terram eius interdicti[3] sententias non differas promulgare, eas tamdiu singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, per civitatem et diocesim tuam solempniter publices et facias publicari, donec vexatione intellectum suo auditui tribuente, ad unitatem ecclesiasticam revertatur, et contra predictum F. tanquam adversus fidei et libertatis ecclesiastice subversorem recipiens signum crucis, ecclesiis, monasteriis et aliis piis locis ac clericis earundem civitatis et diocesis iniuste ablata restituat et de dampnis et iniuriis irrogatis satisfactionem

---

a) processurūs *R.*

1) *Hanc ep., quae non superest, a. 1248 initio mensis Maii scriptam putamus, cum eo tempore aliis ecclesiae inderotis Bavariae idem terminus [Aug. 15] statutus fuerit; cf. n. 552 et 554.* 2) *Quia dux aestate a. 1248 ecclesiae se subiecit, ei gubernationem ducatus Austriae iam a. 1248, Ian., quam coniecturam ap. Böhmer-Ficker, l. c. 3707 legimus, ab imperatore commissam esse, probabile nobis non est, praesertim cum in charta a. 1248, Ian. scripta, qua imperator comitatus de Nuemburch et de Scherdingen, quas Otto dux Meraniae proditor tenuisset, ei concessit [Böhmer-Ficker, l. c. 3708], 'capitaneus Austriae' appellatus non sit, Meinhardo autem comiti Goriciae in litteris imperialibus titulus 'capitanei Stiriae' adscribatur; Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 751—753. Credimus ergo imperatorem per novam capitaneatus gratiam ducem a parte adversa sub fine aestatis vel auctumno a. 1248 retraxisse, quocum verba Ann. Austr., inprimis Ann. S. Rudberti Salisburg. a. 1248, SS. t. IX, p. 598, 642 et 790 conveniunt; et sicut n. 649 ita etiam ep. n. 588 ad has res pertinere videtur. A. 1250, Ian. 20 Meinhardus praefatus capitaneus Austriae et Stiriae erat; Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 753, not. 1.* 3) *Iam sub Ian. 12 papa capitulo Frisingensi indulserat, ut cum terra ducis Bavariae supposita esset interdicto, in monte et civitate Frisingensi divina officia celebrare possent, cum dux nullum ibidem domicilium haberet. Similes indulgentiae per tempus interdicti sub Febr. 6 ecclesiae de Raitenbuch, sub Mart. 27 ecclesiae de Ror, sub Apr. 28 monasterio de Schunhaupten, sub Dec. 17 monasterio de Eberspere concessae sunt. Inter fautores ducis in n. 550 commemoratos Albertum et Conradum comites de Mosburg sub Mart. 27 ecclesiae inimicos, Gebhardum comitem de Hirsperg sub Aug. 13 devotum reperimus; Potthast, Reg. 13163, 13209, 13268, 13321, 13884, 13266, 13767, cf. 13182, 13200, 13357; quae omnes ep., quoad ad a. VI pertinent, in Reg. relatae non sunt.*

competentem exhibeat, ut tenetur. Ad hec volumus et tibi auctoritate presentium districte iniungimus, ut contra ipsum ducem tanquam adversus ecclesie adversarium manifestum in dictis civitate ac diocesi verbum crucis predices et facias predicari, eam illis, qui crucis assumpto signaculo processerint contra eum in huiusmodi nequitia persistentem, suorum peccatorum veniam concedendo, que transeuntibus in Terre Sancte subsidium in generali concilio est concessa.

Dat. Lugduni, VIII Id. Februarii, anno VI°.

656.

Innocentius IV papa [Alberto] archiepiscopo Prusciae, apostolicae sedis legato, mandat, ut fratrem Henricum de Stritherch sacerdotem ordinis Teutonicorum dioecesi Warmiae vel alicui alii dioecesi Prusciae vacanti praeficiat in pastorem, et si ei interim aliquid humanitus evenerit, idem faciat de alio fratre, qui ordini sit acceptus.

1249, Febr. 11.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 26, n. 348. Exemplar Baluzii, Misc. t. VII, p. 458 contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 13213; Berger 4340.

.. archiepiscopo Pruscie, Lyvonie[a] et Eustonie, apostolice sedis legato.

Dedisse tibi dicimur nostris litteris in mandatis, ut aliquem ex fratribus clericis hospitalis sancte Marie Theutonicorum, qui pontificali congrueret oneri et honori, cessante cuiusque dilationis et difficultatis obstaculo, uni diocesi Pruscie, cum super hoc a dilectis filiis fratribus dicti hospitalis constitutis ibidem requisitus existeres, in episcopum[b] preficere procurares, et accersitis duobus vel tribus fratribus ei munus consecrationis impendens, sibi a subditis faceres obedientiam et reverentiam exhiberi, contradictores etc. Cum autem nullum adhuc de huiusmodi gratia dicatur comodum provenisse, nos, volentes quod ipsa eis fructuosa reddatur, fraternitati tue per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatinus dilectum filium fratrem Henricum de Stritherch[c] sacerdotem ipsius ordinis, virum utique laudabilis conversationis et vite ac nobis et ecclesie Romane devotum, uni ex diocesibus memoratis, scilicet Warmie aut alicui alii, siqua ibidem vacat ad presens vel quam cito vacare contigerit, prompto affectu preficias in pastorem[1]. Et si forte de predicto fratre aliquid interim humanitus eveniret, id ipsum facias de alio fratre idoneo, qui eisdem fratribus sit acceptus; preceptum nostrum taliter impleturus, ut digna laudibus et favoris augmento propter hoc apud nos tua sinceritas habeatur. Alioquin ex nunc decernentes irritum et inane, siquid in hac parte contra beneplacitum nostrum contigerit attemptari, venerabili fratri nostro .. archiepiscopo Coloniensi per litteras nostras iniungimus, ut super hoc iuxta formam tibi traditam mandatum apostolicum exequatur; contradictores etc.

Dat. Lugduni, III Id. Februarii, anno VI°.

---

a) Lyvon *in margine;* Lyvoneñ *in rubro.* b) ep̄m *in R. repetitum et punctis deletum.* c) *litt.* th *minus clarae; B. idem legit.*

1 *Hoc interim factum iam erat; nam archiepiscopus in charta a. 1249, Ian. 10 scripta testatus est, quibusdam mediantibus, inter quos 'Henricus Warmiensis episcopus' reperitur, pacem inter se et ordinem Teutonicorum reformatam esse; Perlbach, Preuss. Reg. n. 315.*

657.

Innocentius IV papa [Bertoldo] vicedomino Ratisponensi mandat, ut cum collegae sui impediti sint, solus iuxta directas sibi et eis litteras alienationes, si quas [Rudegerus] episcopus Pataviensis de bonis ecclesiae suae attemptaverit, irritas denuntiet.

1249, Febr. 15.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 28, n. 369.
Potthast, Reg. 13217; Berger 4361.

.. vicedomino Ratisponensi.

Cum olim tibi et dilectis filiis fratribus Hermanno de Bothenkrimen.[a] et Henrico de Honkespeh[b] ordinis fratrum Minorum dicamur nostris litteris mandavisse [1], ut .. Pataviensi episcopo, ne infeudare, vendere, permutare, distrahere seu aliquomodo quicquam de bonis Pataviensis ecclesie alienare presumeret, auctoritate nostra studeretis districtius inhibere: quia, sicut te referente accepimus, dictis fratribus aliis occupatis negotiis tu solus non potes exequi mandatum apostolicum in hac parte, nos, volentes[c] indempnitati eiusdem ecclesie paterna sollicitudine precavere, mandamus, quatinus in mandati nostri super inhibitione huiusmodi executione procedas iuxta directarum ad te ac ipsos fratres continentiam litterarum, denuntians nichilominus alienationes, si quas per ipsum episcopum attemptari contigerit, irritas et inanes: contradictores [etc.][d].

Dat. Lugduni, XV Kal. Martii, anno VI°.

658.

Innocentius IV papa Sancti Emmerammi Ratisponensis et de Walderbach abbatibus mandat, ut [Rudigerum] episcopum Pataviensem, per cuius negligentiam ecclesia Pataviensis graviter sit collapsa, ad resignationem episcopatus, pontificalibus sibi reservatis, inducant eique, si cesserit, de bonis episcopalibus congrue faciant provideri. *1249, Febr. 15.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 28, n. 370. Exemplar Baluzii, Misc. t. VII, p. 465 contulimus cum Regestis.
Potthast, Reg. 13215; Berger 4362.

.. Sancti Emeramni Ratisponensis et .. de Walerbarch[e] Ratisponensis diocesis abbatibus[2].

Sicut non absque animi turbatione audivimus, Pataviensis ecclesia per negligentiam et incuriam, seu malitiam potius .. episcopi Pataviensis in spiritualibus et temporalibus graviter est collapsa, nec ipsa ecclesia, que olim consuevit bonorum ubertate florere, per eum speratur posse ad decorem status pristini reformari, sed neque generalis ecclesie negotium, ipso se super hoc reddente tepidum et remissum, per eundem in melius proficit, utinam non in peius. Unde, si dictus episcopus provida meditatione consideret, quod si episcopus nominis non exequatur effectum, unde dolere potest invenit, quia de primatu, quem in terris obtinet, confusionem expectet[f] in celis: prudenter anime sue consulet et honori, si episcopatui[g] corpore cedet, cui videtur

a) Bothenkrimeñ *R.; leg.* Bothenbrunen. b) *leg.* Ankespere. c) vos nolentes *R.* d) etc. *deest R.* e) Warēbāch *corr.* Walēbāch; *in marg. resecatum.* f) *ita R.* g) episcopatu *R.*

1) *Cf. p. 391, not. 2 et n. 652.* 2) *Cf. n. 652 et 657.*

utilitate cessisse. Ne igitur dicta ecclesia sub eius regimine irreparabile detrimentum incurrat, mandamus, quatinus prefatum episcopum ad resignationem episcopatus, pontificalibus sibi dumtaxat, si voluerit, reservatis, moneatis prudenter et efficaciter inducatis et faciatis ei, si cesserit, recepta cessione huiusmodi, vice nostra pro sustentatione sua de bonis episcopalibus provisionem honestam et congruam assignari ac ipsum illius pacifica possessione gaudere; contradictores etc.

Dat. ut supra.

659.

Innocentius IV papa eisdem mandavit, ut si [Rudigerum] episcopum Pataviensem cedere vel mori contigerit, capitulo inhibeant, ne ad electionem procedant sine licentia apostolica speciali. *1249, Febr. 15.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 28, n. 371. Exemplar Baluzii, Misc. t. VII, p. 466 contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 13216; Berger 4363.

Eisdem.

Cum Pataviensem episcopum tamquam inutilem ad cedendum episcopatui corpore, cui videtur utilitate cessisse, moneri mandaverimus et induci, nosque intendamus Pataviensi ecclesie de tali provideri persona, que tanto congruat oneri et honori, mandamus, quatinus, si prefatum episcopum contigerit sponte cedere aut etiam subtrahi ab hac luce, capitulo eiusdem ecclesie auctoritate nostra inhibeatis expresse, ne ad electionem seu postulationem vel nominationem cuiusquam procedant absque nostra licentia speciali[1]. Nos enim decernimus irritum et inane, siquid contra inhibitionem huiusmodi super hoc contigerit attemptari.

Dat. ut supra.

660.

Innocentius IV papa Conrado de Savignano canonico Mantuano mandat, ut archipresbyterum de Prato Reginae diocesis super praebenda in ecclesia Regina molestari non permittat, quam ei G[regorius] de Montelongo electus Tripolitanus, apostolicae sedis legatus, contulerit, postquam ea Guillelmum dictum Apulum, F[riderico] quondam imperatori adhaerentem, privaverit. *1249, Febr. 19.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 29, n. 375. Potthast, Reg. 13549; Berger 4367.

Corrado de Savignano[2] canonico Mantuano.

Cum, sicut petitio dilecti filii . . archipresbyteri de Prato[3] Regine diocesis nobis exhibita continebat, dilectus filius G. de Montelongo electus Tripolitanus, apostolice sedis legatus, Guillelmum dictum Apulum tunc canonicum Reginum, pro eo quod F. quondam imperatori eiusque fautoribus contra nos et apostolicam sedem dampnabiliter adherebat[4], canonicatu et prebenda, que in ecclesia Regina obtinuit, auctoritate

1) *Cf. inhibitionem generalem, quam papa sub Febr. 12 archiepiscopo Maguntino per totam Alamanniam pronuntiandam mandaverat, sub n. 663 III.* 2) *E mer. cir. Mutinensis.* 3) *Prope cir. Correggio ex sept. et or. cir. Reginae.* 4) *Etiam civitas Regina imperatori adhaerebat.*

nostra privans omnino, ea ipsi archipresbytero nobis et ecclesie Romane devoto canonice contulisset: nos, tuis devotis supplicationibus inclinati, supplentes defectum, si quis in collatione huiusmodi est ex eo quod legitima cautione premissa contra eundem G. in ipsius absentia est processum, et quod super hoc ab eodem legato provide factum est auctoritate apostolica confirmantes, mandamus, quatinus prefatum archipresbyterum super canonicatu et prebenda predictis non permittas ab aliquibus indebite molestari; molestatores huiusmodi etc.

Dat. Lugduni, XI Kal. Martii, anno VI°[1].

661.

Innocentius IV papa [Waltero] episcopo Tornacensi mandat, ut scabinos Gandenses, qui ad officium testium synodalium deputati contra fornicatione notatos ex quadam prava consuetudine testificari contemnunt, ut id faciant, compellat. *1249, Febr. 20.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 33, n. 408. Exemplar Baluzii, Misc. t. VII, p. 472 contulimus cum Regestis et cum altera eiusdem tenoris epistola episcopo Tornac. sub a. 1253, Ian. 15 concessa, Reg. Lib. X, 369 [2]. Potthast, Reg. 13224; Berger 4400.

. . episcopo Tornacensi.

Cum, sicut tua petitio nobis exhibita continebat, iuxta canonicas sanctiones in tua civitate ac diocesi quosdam testes publicos, qui synodales vocantur, tam predecessores tui quam tu in singulis parrochiis duxeritis deputandos, scabini ville Gandensis tue diocesis ad officium huiusmodi deputati, licet de singulis criminibus diffamatos apud te vel apud illum, quem super hoc idoneum deputaveris, teneantur deferre, nichilominus tamen contra fornicatione[a] notatos ex quadam prava consuetudine, que dicenda est verius corruptela, testificari contempnunt, quasi fornicatio criminale peccatum non debeat reputari. Cum igitur[b] morbo[c] huiusmodi eo studiosius sit, quo frequentius a pluribus committitur, salubri medicamine obviandum, mandamus, quatinus, si est ita, prefatos scabinos, ut tam super fornicatione quam aliis criminibus veritatem referant, ut tenentur, — predicta consuetudine non obstante —, monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas.

Dat. Lugduni, X Kal. Martii, anno VI°.

662.

Innocentius IV papa praelatis, capitulis et clericis civitatis Treverensis ad preces suas et [Arnoldi] archiepiscopi Treverensis indulget, ut cum civitas Treverensis inimicis

a) fornicationem *1.* b) Cum g | Cum g *1.* c) crimen . . . . . comittitur, puniendum *2.*

1) *Sub a. 1248, Oct. 6 papa Roberto de Corrigia canonico Parmensi mandaverat, ut Gregorium, quem Mutinensis episcopus monasterio sancti Prosperi Regini per depositionem Gerardi vacanti praefecisset in abbatem, in possessionem monasterii induceret: Berger 4180, Potthast, Reg. 13467. — Sub a. 1249, Mart. 21 papa Guillelmum confirmavit, quem G[regorius] de M. electus Tripolitanus, apost. se. legatus, monasterio Lenonensi praefecisset, postquam Iohannem abbatem, qui Friderico quondam imp. adhaerens, dimisso monasterio in civ. Cremonensi moraretur, sententialiter amovisset; Potthast, Reg. 13257; quae ep. in Reg. non extat.*

circumdata sit, extra eam vel districtum archiepiscopi durante discordia in causam trahi per litteras papae vel legatorum eius non valeant. **1249, Febr. 22.**

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 30, n. 390. Exemplar Regestorum contulimus cum authentico in Mittelrhein. U. B. t. III, p. 710, n. 990 [A.].

Potthast, Reg. 13228 et Add. I, p. 2119 et 13228 a; Berger 4382.

Prelatis, capitulis et clericis universis in civitate Treverensi constitutis.

Exigentibus vestre devotionis etc.[a] usque: exaudimus. Cum igitur, sicut ex parte venerabilis fratris nostri . . archiepiscopi Treverensis fuit propositum coram nobis, civitas Treverensis sit circumdata undique tam suis quam ecclesie inimicis, nos, eiusdem archiepiscopi et vestris supplicationibus inclinati, auctoritate vobis in ecclesie ac nostra devotione persistentibus presentium indulgemus, ut, inimicitiis huiusmodi durantibus, extra predictam civitatem vel districtum eiusdem archiepiscopi in causam trahi per apostolicas vel legatorum apostolice sedis[1] litteras minime valeatis, maxime cum parati sitis coram ordinario vestro exhibere de vobis conquerentibus iustitie complementum. Nulli ergo etc.

Dat. Lugduni, VIII[b] Kal. Martii, anno VI°.

Datus est eis super hoc executor . . abbas Sancti Maximini Treverensis.

663.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino, apostolicae sedis legato, mandat, 1) ut indevotos legationis suae gratiis a sede apostolica concessis privet, 2) ut in Coloniensi provincia legationis officium non exerceat, 3) ut capitulis et conventibus cathedralium ecclesiarum et maiorum monasteriorum legationis suae inhibeat, ne de episcopis seu abbatibus sine licentia apostolica sibi provideant.

1249, Febr. 24, 20 et Mart. 1.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 33, n. 412—414.

Potthast, Reg. 13229, 13227, 13235; Berger 4404—4406.

I.

. . archiepiscopo Maguntino, apostolice sedis legato[2].

Cum[c] nonnullis personis ecclesiasticis et secularibus tue legationis liberales nos exhibuerimus et benignos, eis tam super beneficiis quam aliis specialibus gratiis et indulgentiis nostras litteras concedendo, sperantes quod ipsi tanquam beneficiorum sedis apostolice non ingrati nobis et ecclesie presertim oportunitatis tempore grata devotionis obsequia exhiberent et pro ipsius[d] negotiis promovendis diligenti studio laborarent: volumus et presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus omnes illos, quos indevotos et ingratos reppereris in hac parte, privare penitus huiusmodi nostris

a) *ut in n. 288.* b) VII *A. Reg. diem, quo ep. a papa approbata est, A. diem, quo authenticum scriptum, indicare videtur.* c) *Cf. eandem formam litterarum sub n. 204 III, 246 et 303 XIV.* d) ipsis *R.*

1) *Haec ep. in derogationem legationis archiepiscopi Maguntini a papa petita videtur; cf. n. 663 II. Archiepiscopus enim Trevirensis postea impetravit, ut ecclesia sua, 'utpote que nonnisi de latere domini pape missum tenetur recipere legatum', a legatione Conradi archiepiscopi Coloniensis eximeretur; Gesta Trevir. Cont. V, SS. t. XXIV, p. 410.* 2) *Cf. p. 458, not. 1. Tum demum papam ei 'plenae' legationis officium concessisse putamus.*

gratiis non postponas, iniungens executoribus, quos eis super gratiis eisdem concessimus, ut per litteras apostolicas super hiis obtentas ad ipsos aliquatenus non procedant, et revocans omnem processum, siquis forte habitus est per eas; contradictores etc.

Dat. Lugduni, VI Kal. Martii, anno VI°.

II.

Eidem.

Cum in Alammania plene tibi legationis officium duxerimus committendum, volumus et presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus in Coloniensi provincia, quam omnino a legatione tua eximimus, exercere huiusmodi officium non presumas[1].

Dat. Lugduni, X Kal. Martii, anno VI°.

III.

Eidem[a].

Volumus et presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus universis tam cathedralium ecclesiarum quam maiorum monasteriorum tue[b] legationis capitulis et conventibus[c] districte auctoritate nostra specialiter vel generaliter inhibere procures, ne ipsis ecclesiis, cum eas vacare contigerit, de episcopis seu abbatibus[d] absque nostra speciali licentia[2] providere presumant, decernens, si secus egerint, irritum et inane.

Dat. Lugduni, Kal. Martii[e], anno VI°.

664.

Innocentius IV papa [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino, apostolicae sedis legato, eandem facultatem conferendi beneficia ecclesiastica concedit, quae cardinalis legatus habeat. *1249, Febr. 24.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 32, n. 399. Exemplar, quod Hofler Alb. v. Beh. p. 182 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 13307, falso sub Apr. 26; Berger 4391.

.. archiepiscopo Maguntino, apostolice sedis legato.

Cum in regno Alamannie tibi pro bono eius statu et ecclesie ac imperii negotio promovendo de fratrum nostrorum consilio plene legationis officium duxerimus committendum: fraternitati tue, ut ecclesiastica beneficia conferre tibi liceat per totam terram tue legationis, sicut ecclesie Romane cardinali liceret, si legationis ibidem officio fungeretur, auctoritate presentium concedimus facultatem — constitutione super hoc a nobis edita non obstante[3].

Dat. Lugduni, VI Kal. Martii[f], anno VI°.

a) *Contulimus hanc ep. cum simili eidem legato sub Febr. 12 directa Lib. VI, f. 28, n. 367 [1]; Berger 4359; Potthast, Reg. 13214.* b) universis cath. eccl. tue *1.* c) et conventibus *deest 1.* d) seu abbatibus *deest 1.* e) II Id. Febr. *1.* f) Mar̄ *in R. perspicue.*

1) *Cf. p. 458, not. 4 et n. 662.* 2) *In simili epistola Petro cardinali legato sub n. 1247, Mart. 15 directa legimus: 'absque tuo consilio et assensu'; cf. n. 303 XX.* 3) *Cf. p. 154, not. 1. — Praeter ep. n. 663 et 664 alia specialia mandata et auctoritates Sigefrido legato, quemadmodum Petro cardinali legato sub*

665.

Innocentius IV papa archiepiscopis et aliis praelatis et clericis Alamanniae mandat, ut [Sigefridum III] archiepiscopum Maguntinum, cui in partibus eorum plenae legationis officium commiserit, benigne recipiant et praecepta eius efficaciter adimpleant.

1249, Febr. 25.

Inn. IV Reg. Lib. VI. f. 33. n. 411. Exemplar, quod Höfler, Alb. v. Beh. p. 183 edidit, cum Regestis contulimus.

Potthast, Reg. 13231; Berger 4403.

Archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis, tam exemptis quam non exemptis, nec non capitulis et universo clero per regnum Alammannie[a] constitutis.

Cura[b] nobis commissa ecclesie generalis, potestatis ecclesiastice plenitudo concessa, cor nostrum continua pulsat instantia, iugis nos cogitationis stimulo excitat, ut in omnes Christi fideles, proximos et remotos, attentionis dirigentes oculos, ad singulos considerationis aciem extendentes, sollicitudinis debitum circa eos, quamdiu sub imposito humeris nostris apostolice iugo vivimus servitutis, prout ipsorum saluti expedit, exolvamus. Verum cum[c] sic nos universis debitores attendimus[d], dum nos cunctorum regimini esse propensius[e] cogitamus, vehementi non immerito timore terremur et grandi quatimur non sine ratione tremore, ne minus susceptum sufficienter[f] apostolatus impleamus officium, ne circa crediti nobis Dominici gregis curam aliquid ex negligentia omittamus, maxime cum simus impotentes ex nobis ad ferendam tante sarcine gravitatem, et ovibus, ad quarum sumus deputati custodiam, nequeamus pro diversitate locorum simul corporali presentia iminere. Porro, quia id humane conditio nature non patitur, ut dum quis uno comprehenditur loco, alio pariter capiatur, iustam ex hoc excusationem habentes, interdum viros providos et discretos, cum erga ecclesias nos esse intentos oporteat universas et uno eodemque tempore adesse presentialiter singulis non possimus, ne postponamus absentes, in partem sollicitudinis evocamus, instructi eius exemplo, qui de celorum arce ad ima mundi pro generis humani salute descendens, discipulos suos[g], quos elegit, in mundum misit evangelium predicare. Sane[h] inter cetera desiderabilia cordis nostri animarum salutem, libertatis ecclesiastice incrementum et pacem cunctis Christi fidelibus potissime cupientes, sedula vigilamus sollertia et quod possumus diligentie studium adhibemus, ut possint laudabiliter submotis impedimentis quibuslibet iuxta nostri desiderii plenitudinem auctore Domino provenire, ac eo ardentius, ut in vestris partibus animabus[i] profectus adveniat, libertas ecclesie[k] vigeat ac pacis servetur tranquillitas, affectamus, quo ferventius bonum statum partium appetimus earundem. Ut igitur ipse partes eo magis in Dei et ecclesie devotione proficiant, quo se specialius per legati apostolice sedis presentiam

a) *in marg.* Alāmānie; *in rubro* Alamān. b) *Prima pars epistolae cum ep. n. 205 de legatione electi Ferrariensis in Teutonia scripta concordat.* c) cum sic nos *in loco raso:* dum s. n. 205. d) accedimus 205. e) prepositos 205. f) suff. susc. 205. g) suos *deest* 205. h) *Quae sequuntur, cum ep. n. 304 I de legatione Petri diaconi cardinalis in Teutonia scripta mutatis mutandis concordant.* i) animarum *304 I.* k) ecclesiastica *304 I.*

n. 303, commissa fuisse probabile nobis non est: neque enim archiepiscopo Coloniensi, qui Sigefrido in legationis officio successit, plus auctoritatis concessum esse in Regestis legimus, et epistolae ei sub Apr. 30 directae ex his eisdem exemplis scriptae videntur, v. infra. Cf. etiam auctoritates electi Ferrariensis sub n. 204.

senserint confoveri: ecce venerabili fratri nostro . . archiepiscopo Maguntino, viro utique scientia predito, morum honestate decoro et consilii maturitate preclaro, in prefatis partibus[a], ut evellat[b] et destruat, dissipet et disperdat, edificet et plantet, sicut viderit expedire, plene legationis officium duximus committendum. Quia vero ipsum inter prelatos ceteros specialis dilectionis brachiis amplexamur, universitati vestre mandamus[c] atque precipimus, quatinus eum, immo potius nos in ipso, benigne recipientes et honorifice[d] pertractantes, eidem tanquam apostolice sedis legato intendatis humiliter et devote, ipsius monita et precepta et que vobis ex parte nostra mandaverit efficaciter adimplendo. Alioquin sententiam, quam ipse rite tulerit etc. usque: observari.

Dat. Lugduni. V Kal. Martii. anno VI°[1].

666.

Innocentius IV papa [Petro] episcopo Catalaunensi et abbati Sancti Sepulchri Cameracensis mandat, ut de natalibus Iohannis et Balduini de Avesnis, quibus quidam aemuli notam illegitimitatis impingant occasione quarundam litterarum apostolicarum, diligenter inquirant, non obstante quod super hoc inter eos et fratres eorum aliquamdiu litigatum sit, cum nihil terminatum fuerit. *1249, Febr. 25.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 31, n. 393. Exemplar Baluzii, Misc. t. VII, p. 169, contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 13230; Berger 4385.

. . episcopo Cathalaunensi et . . abbati Sancti Sepulchri Cameracensis.

Sua nobis dilecti filii nobiles viri Iohannes de Avesnis et Balduinus frater eius insinuatione monstrarunt, quod quidam eorum emuli eis malitiose, ut processu temporis a bonis ad eos hereditario iure spectantibus excludi valeant, notam illegitimitatis impingunt, id multorum auribus instillando, occasione[2] quarundam litterarum[e] super hoc a sede apostolica obtentarum. Quare nobis[f] humiliter supplicarunt, ut cum eis aut saltem ipsorum heredibus sit valde periculosum, quod id remaneat taliter indiscussum, providere ipsis super hoc paterna sollicitudine curaremus. Mandamus, quatinus super causa natalium eorundem nobilium — non obstante quod super hoc inter ipsos ex parte una et fratres eorundem ex altera fuit coram nobis aliquandiu litigatum et processum, cum nichil inde terminatum extiterit[g]. — inquiratis, sicut magis de plano poteritis, diligentius veritatem, et quod canonicum fuerit, appellatione postposita statuatis, questione bonorum principali domino reservata[3].

Dat. Lugduni. V Kal. Martii. anno VI°.

a) de fratrum nostrorum consilio *add. 304 I; sed alia quoque verba propter dissimilitudinem personarum mutata sunt.* b) evellet *R.* c) un. ve. per apostolica scripta mand. *304 I.* d) honeste *304 I.* e) quarundam lit | dam litterarum *R.* f) a nobis *R.* g) extitit *R.*

1) *Archiepiscopus Mart. 9 mortuus iam est.* 2) *Verba 'occasione — obtentarum' desunt in ep. n. 617, quae de cetero cum hac concordat. Quae litterae illae fuerint nescimus.* 3) *Auctoritate huius mandati procedentes, episcopus Catal. et [Hugo] abbas Lissiensis [Liessies] vice abbatis Sancti Sepulcri de iuris peritorum consilio natalia Iohannis et Balduini legitima declararunt, quam sententiam papa postea confirmavit; cf. Potthast, Reg. 14297 sub a. 1251, Apr. 17. Depositiones testium de natalibus eorum a. 1249 interrogatorum leguntur ap. Kervyn de Lettenhove, Hist. de Flandre t. II, p. 540; cf. ibid. p. 249 et 250. — De Iohanne cf. etiam Potthast, Reg. 13788.*

667.

Innocentius IV papa praeposito Faventino ad preces episcopi Cerviensis mandat, ut clericos districtus Ferrariae compellat, ne ecclesias, quas idem episcopus ibidem habeat, praetextu procurationum graveut, quae a legatis seu nuntiis apostolicae sedis exiguntur. *1249, Febr. 25.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 33, n. 410.
Potthast, Reg. 13571; Berger 4402.

.. preposito ecclesie Faventine.

Sua nobis venerabilis frater noster .. Cerviensis episcopus[1] petitione monstravit, quod cum ipse quasdam ecclesias in districtu Ferrarie habere noscatur, clerici districtus eiusdem, cum aliquid procurationis nomine vel alia de causa a legatis seu nuntiis apostolice sedis exigitur ab eisdem, in tantum ecclesias gravant easdem, quod idem episcopus, cum ab ipso et clericis sue diocesis procurationes huiusmodi a predictis legatis vel nuntiis exiguntur, nullum a clericis predictarum ecclesiarum potest habere iuvamen[2]. Mandamus, quatinus, si est ita, clericos prefati districtus, ut memoratas ecclesias vel ipsarum clericos pretextu procurationum huiusmodi nullatenus gravare presumant, monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas.

Dat. Lugduni, V Kal. Martii, anno VI°.

668.

Innocentius IV papa [Henrico] abbati Belelagiae mandat, ut praeposito Basiliensi, cuius nepotes et amici contra F[ridericum] quondam imperatorem cruce signati sint, praeposituram Sancti Amarini, si vacaverit, conferat. *1249, Febr. 28.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 31, n. 392.
Potthast, Reg. 13140, falso sub a. 1248, Dec. 31; Berger 4384.

.. abbati Belelagie[3] Premonstratensis ordinis Basiliensis diocesis.

Apostolice sedis providentia diligenter considerans merita devotorum illos non inmerito speciali prosequitur gratia et favore, quos in sua cognoscit devotione ferventes. Attendentes itaque zelum devotionis et fidei, quam[a] dilectus filius .. prepositus Basiliensis ecclesie[4] ad nos et apostolicam sedem habere dinoscitur, et quod nepotes et amici eiusdem crucesignati contra F. quondam imperatorem constanter ut dicitur prosecuntur negotium ecclesie generalis, ac ex hoc dictum prepositum dignum nostra gratia reputantes, mandamus, quatinus eidem preposito preposituram ecclesie sancti Amariani[b][5] Basiliensis diocesis, si vacat ad presens vel quamprimo eandem vacare contigerit, auctoritate nostra conferas et assignes — non obstantibus quod dictus prepositus alias beneficiatus existit, seu qualibet indulgentia, de qua specialem in

a) *ita R.* b) *vel* Amanani *R.*

1) *De hoc cf. sub n. 100.* 2) *De re simili cf. n. 228.* 3) *Cf. n. 518.* 4) *Henricus de Novo castro; cf. n. 113 et 518.* 5) *St. Amarin in Alsatia superiore, ex occ. vic. Gebweiler.*

litteris nostris oporteat fieri mentionem et per quam huiusmodi gratia impediri valeat vel differri, aut si pro aliis in prefata ecclesia sancti Amarini[a] direximus scripta nostra, quibus quoad alia beneficia nolumus preiudicium generari, seu si eidem preposito alias sit auctoritate nostra provisum —: contradictores etc. Nos enim decernimus irritum et inane, quicquid de prepositura predicta contra mandati nostri tenorem contigerit attemptari.

Dat. Lugduni, II Kal. Martii[b], anno VI°[1].

669.

Innocentius IV papa fratri Iohanni de Dist ordinis Minorum mandat, ut cum nonnulli principes, fideles et ministeriales imperii [Willelmo] regi homagium et fidelitatem nondum praestiterint, eos ad id faciendum compellat. *1249, Mart. 3.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 32, n. 405. Exemplar, quod Hofler, Alb. v. Beh. p. 182 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 13236; Berger 4397.

Fratri Iohanni de Dist[2] ordinis fratrum Minorum.

Ad promotionem negotii ecclesie ac Romani imperii cunctis inhiantes affectibus, erga eam sollicitudine vigilamus, et ut possit auctore Domino laudabiliter provenire, totius diligentie studium adhibemus, ad hoc quam possumus operam impendendo. Cum itaque, sicut ex parte carissimi in Christo filii nostri . . regis Romanorum illustris fuit propositum coram nobis, nonnulli principes, fideles et ministeriales imperii nondum sibi homagium et fidelitatem prestiterint ut tenentur, presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus prefatos principes et alios, ut eidem regi homagium et fidelitatem exhibere absque omni difficultate ac dilatione procurent, monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas.

Dat. Lugduni, V Non. Martii, anno VI°.

670.

Innocentius IV papa [Eberhardo] episcopo Constantiensi exigendi poenas, quae bannalia nuncupentur, prout ab ipso et praedecessore suo perceptae fuerint, facultatem concedit. *1249, Mart. 15.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 34, n. 419. Exemplar Baluzii, Misc. t. VII, p. 474 contulimus cum Regestis.
Potthast, Reg. 13250; Berger 4411.

. . episcopo Constantiensi.

In episcopalibus iuribus tuam semper personam benignitate solita confovere volentes, ut condempnationes seu penas, que bannalia vulgaliter[c] nuncupantur, a

a) *ita R.* b) Mar̄ *R.: litt.* M *ex* I *correcta est.* c) *ita R.*

1) *Sub Apr. 15 papa A[rnoldo] praeposito Argentinensi, capellano suo, mandavit, ut cum H. praeposito Basiliensi super pluralitate beneficiorum usque ad summam, de qua expedire videret, dispensaret; Berger 4498; Potthast, Reg. 13630.* 2) *Diest ex sept. et or. civ. Loven.*

rectoribus et clericis ecclesiarum tue diocesis parrochianis tuis propter ipsorum delicta vel excessus rationabiliter impositas, prout a te ac bone memorie H[enrico] Constantiensi episcopo predecessore tuo percepte noscuntur, libere percipere ac exigere tibi liceat, auctoritate presentium plenam tibi concedimus facultatem. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni. Id. Martii, anno VI°.

Datus est ei super hoc conservator . . abbas de Faucibus[1] Augustensis diocesis.

671.

Innocentius IV papa eidem ad querelam eius respondet se aliquos diocesana lege sibi subiectos neque exemisse se credere neque eximere sui propositi esse. 1249. Mart. 16.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 34, n. 420. Exemplar Baluzii, Misc. t. VII, p. 474 contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 13252; Berger 4412.

Eidem[a].

Presentata nobis tue fraternitatis petitio continebat, quod nonnulli tue diocesis monasteriorum et ecclesiarum prelati obtinere laborant, ut a iurisdictione Constantiensis ecclesie per sedem apostolicam eximantur in tuum et ipsius ecclesie detrimentum. Quare humiliter postulasti super hoc ipsi ecclesie de sedis eiusdem providentia precaveri. Nos igitur te ac eandem ecclesiam in suo semper iure servari cupientes illesam, tuam volumus fraternitatem de apostolice sedis benignitate tenere, quod aliquos tibi diocesana lege subiectos hactenus nos exemisse non credimus et eximere nostri propositi non existit.

Dat. Lugduni. XVII Kal. Aprilis, anno VI°.

672.

Innocentius IV papa [Iacobo] episcopo Bononiensi mandat, ut Alberto canonico Sanctae Margaritae Mutinensis, qui in eadem ecclesia propter metum F[riderici] quondam imperatoris morari non audeat, in civitate vel diocesi sua de necessariis, quousque redire potuerit, provideat. 1249, Mart. 17.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 35, n. 431. Potthast, Reg. 13582; Berger 4423.

. . episcopo Bononiensi.

Consuevit pia mater ecclesia filiis gremium aperire, illis precipue qui nobis et apostolice sedi per grata student devotionis obsequia[b] complacere. Cum igitur dilectus filius Albertus canonicus ecclesie sancte Margarite Mutinensis ordinis sancti Augustini, capellanus venerabilis fratris nostri . . episcopi Sabinensis[2] ob devotionem, quam ad nos et apostolicam sedem gerere noscitur, propter metum F. quondam imperatoris

a) Eisdem *R.; in marg. inscriptio resecata est.* b) obsequiis *R.*

1) *Fussen ad fl. Lech.* 2) *Guillelmi, quondam Mutinensis episcopi.*

et fautorum ipsius morari in eadem ecclesia sibi sicut asserit non sit tutum[a][1]: nos, gerentes super hoc erga eum debite compassionis affectum[b], mandamus, quatinus eidem ab aliqua ecclesiarum tue civitatis vel diocesis predicti ordinis, quousque ad prefatam ecclesiam sancte Margarite secure redire valeat ac morari, in necessariis victus et vestitus auctoritate nostra provideas vel facias provideri — non obstante si personis ecclesie, in qua ei providendum duxeris, sit ab eadem sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius compelli aut interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, que[c] de indulgentia huiusmodi expressam non facerent mentionem, vel qualibet alia, per quam impediri posset effectus provisionis huiusmodi vel differri. —; contradictores etc.

Dat. Lugduni, XVI Kal. Aprilis, anno VI[o][d].

673.

Innocentius IV papa magistro Ph. de Assisio subdiacono suo, collectori vicesimae per civitatem et diocesim Leodiensem, significat se priori et conventui Sancti Laurentii Leodiensis, cum in obsidione Aquensi multa expensarum onera subierint, de vicesima sibi debita sexaginta marcas remisisse; mandat, ne eos super hoc molestet. 1249, Mart. 18.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 34, n. 122.
Potthast, Reg. 13256; Berger 4414.

Magistro Ph. de Asisio subdiacono nostro canonico Leodiensi, collectori vicesime[2] per civitatem et diocesim Leodiensem.

Per grata devotionis studia dilecti filii . . prior et conventus monasterii sancti Laurentii Leodiensis mereri noscuntur, ut nos sibi sentiant et affectu benivolos et opere gratiosos. Cum igitur, sicut dilecto filio nostro P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, tunc in partibus illis apostolice sedis legato, referente didicimus, iidem in hiis, que spectant ad honorem sedis apostolice, sint et fuerint non modicum studiosi, multa in obsidione Aquensi[e] expensarum onera subeundo[3], nos, reputantes ipsos ex hoc dignos favore gratie specialis, eis de pecunia, in qua nobis et sedi predicte tenentur ratione vicesime reddituum suorum quos habent a redditibus . . abbatis monasterii predicti discretos, sexaginta marcas argenti duximus remittendas[f]. Mandamus, quatinus priorem et conventum prefatos super exactione dictarum marcarum aliquatenus non molestes, nec ab aliquo molestari permittas, revocans in irritum, siquid contra eos super hoc in aliquo a te vel ab alio est processum; molestatores etc.

Dat. Lugduni, XV Kal. Aprilis, anno VI[o].

674.

Innocentius IV papa praeposito Sanctae Mariae Rotundae Metensis obtentu Wirrici de Dune regalis curiae marescalci mandat, ut R[icardo] electo Wormatiensi, fratri Wirrici,

a) *ita R.* b) effēm *R.* c) qua *R.* d) Dat. ut supra *R.* e) Aquen *R.* f) remittendos *R.*

1) *Mutinensis civitas a. 1249, Dec. 15 ab imperatore defecit; Bohmer-Ficker, l. c. 3793a; cf. 3775a et 3778.* 2) *Cf. n. 615.* 3) *Cf. Bohmer-Ficker, l. c. 4932b.*

donec possessionem ecclesiae Wormatiensis, de qua controversia sit, de iure vel de gratia adeptus fuerit, proventus beneficiorum suorum integre faciat ministrari. 1249, Mart. 18.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 34, n. 423. Exemplar Baluzii, Misc. t. VII, p. 475 contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 13254; Berger 4415.

.. preposito ecclesie sancte Marie Rotunde Metensis.

Nolentes ut dilectus filius R. electus Warmaciensis, de quo dilectus filius noster P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, tunc apostolice sedis legatus, Warmaciensi ecclesie pastore vacanti dicitur providisse [1], super beneficiis, que tempore provisionis huiusmodi obtinebat, donec controversia super eadem provisione suborta finem acceperit, ab aliquibus molestetur, quem [a] obtentu dilecti filii nobilis viri Wirrici de Dune [2] regalis curie marescalci fratris eiusdem dignum favore sedis apostolice reputamus, mandamus, quatinus denuntians auctoritate nostra irritum et inane, siquid a quoquam de predictis ipsius electi beneficiis attemptatum est hactenus vel fuerit imposterum occasione premissa, donec eundem electum corporalem possessionem predicte Warmaciensis ecclesie de iure vel de gratia contigerit adipisci [3], facias proventus beneficiorum ipsorum eidem electo, ubicunque fuerit, integre interim ministrari, acsi in ecclesiis, in quibus ea obtinet, personaliter resideret, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, — non obstantibus contraria consuetudine vel statuto, iuramento aut alia quacunque firmitate vallato, seu qualibet sedis apostolice indulgentia, de qua oporteat in presentibus expressam fieri mentionem, et per quam huiusmodi gratia posset impediri vel differri, —: contradictores etc.

Dat. ut supra.

675.

Innocentius IV papa [Odoni] episcopo Tusculano, apostolicae sedis legato, mandat, ut, cum Mellisent, relicta quondam B[oëmundi IV] principis Antiocheni, se C[onrado] nato F[riderici] quondam imperatoris, regni Hierosolymitani heredi, proximiori inter ceteros consanguinitatis linea coniunctam esse asserat et ob hoc herede absente dominium regni postulet, veritate inquisita, si absque scandalo fieri possit, id exequi non omittat.
1249, Mart. 24.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 35, n. 435. Exemplar Baluzii, Misc. t. VII, p. 476 contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 13261; Berger 4427.

.. episcopo Tusculano, apostolice sedis legato [4].

Ex parte dilecte in Christo filie nobilis mulieris Mellisent relicte quondam B. principis Antiocheni, nate clare memorie A[malrici] regis et Y[sabelle] regine Ierosolimitanorum, fuit nobis humiliter supplicatum, ut, cum ipsa C. nato F. quondam imperatoris, regni Ierosolimitani heredi, inter ceteros eius consanguineos, quos in partibus illis habet, proximiori consanguinitatis linea, sicut asserit, sit coniuncta [5], et tam de

a) qua *manus altera alia tinctura corr.* que.

1) *Cf. n. 583.* 2) *Daun e mer. cir. Simmern. De Wirrico cf. Bohmer-Ficker, l. c. 4524, 4964, 4967.* 3) *Sed non ante a. 1251 exeunt. vel initium a. 1252 a papa confirmatus est; Ann. Worm. SS. t. XVII, p. 51, Zorn, Wormser Chron. p. 93; cf. etiam Potthast, Reg. 16141.* 4) *In partibus transmarinis; cf. n. 582.* 5) *Hoc verum non est; nam Elisabeth [Isabella] ex secundo coniugio Mariam, matrem Isabellae imperatricis, ex tertio Aliciam matrem Henrici regis Cypri, ex quarto Melisendem habuerat. Unde,*

iure quam de antiqua consuetudine regni eiusdem is, qui proximior est heredi, eo absente, dominium et baiulatum ipsius regni debeat obtinere, induci eam per te in possessionem dictorum dominii et baiulatus inductamque defendi, amoto quolibet detentore illicito, faceremus. Mandamus, quatinus inquisita super hoc et cognita diligentius veritate, si rem inveneris ita esse, id, si de plano et absque scandalo fieri possit, auctoritate nostra, sicut iustum fuerit, exequi non omittas; contradictores etc. Alioquin, quod inde feceris vel fieri poterit, nobis studeas tuis litteris fideliter intimare.

Dat. Lugduni, VIIII Kal. Aprilis, anno VI°.

676.

Innocentius IV papa episcopo Tervisino mandat, ut cum filia Iohannis Theupuli comitis Absonensis, nati ducis Venetorum, et filio comitis Arbonensis super contrahendo matrimonio dispenset. *1249, Mart. 27.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 35, n. 433.
Potthast, Reg. 13583; Berger 4425.

. . episcopo Tervisino[a].

Attenta sedis apostolice circumspectio congrue temporum vices pensans etc. ut supra in LVI capitulo[b] usque: semper agat. Hinc est, quod nos, dilecti filii nobilis viri Iohannis Theupuli comitis Absonensis[1], nati nobilis viri . . ducis Venetorum, precibus inclinati, mandamus, quatinus cum . . nata ipsius, ut cum filio nobilis viri . . comitis Arbonensis[2] — non obstante quod dictus comes Absonensis eundem filium, quando frontis crismationem suscepit, tenuisse dicitur — licite matrimonium contrahere valeat, auctoritate nostra dispenses.

Dat. Lugduni, VI Kal. Aprilis, anno VI°[3].

677.

Innocentius IV papa plebano et capitulo plebis Sancti Stephani Lunensis diocesis ad preces eorum et Barnabei marchionis Malaspinae indulget, ut ad provisionem alicuius per litteras sedis apostolicae vel legatorum eius non teneantur, nisi huius indulgentiae fecerint mentionem. *1249, Mart. 29.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 36, n. 443.
Potthast, Reg. 13590; Berger 4435.

. . plebano et capitulo plebis sancti Stephani Lunensis diocesis.

Indempnitati ecclesie vestre, que super receptione plurium sicut asseritis est gravata, paterna volentes sollicitudine providere, vestris et dilecti filii nobilis viri

a) *Rubricator errans primo inscriptionem epistolae sequentis ex praescriptionibus marginalibus huic ep. anteposuit, quam ipse linea perducta delevit et sic correxit.* b) *scil. ut in n. 471.*

postquam Conradus rex excidit, regnum Hierosol. ex iure hereditatis Henrico regi Cypri debebatur, quem papa ipse 'dominum regni Hierosol.' appellaverat; cf. n. 324 et 411. Sed cf. etiam n. 566, ubi hic titulus ei datus non est.

1) *Ut videtur, de Opsara insula, hodie Lussin, in sinu qui dicitur Quarnero.* 2) *De Arbe insula ibidem.* 3) *Sub eodem die papa episcopo Brixiensi mandavit, ut Gratiolum scolarem, natum Pacis de Spatis, in civitate vel diocesi sua recipi faceret in canonicum eique praebendam assignari; Berger 4608, Potthast, Reg. 13269.*

Barnabei marchionis Malaspine[a][1], pro vobis super hoc sedis apostolice gratiam implorantis, devotis supplicationibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut ad provisionem vel receptionem in plebanatu eiusdem ecclesie [in][b] beneficiis seu pensionibus per litteras sedis apostolice vel legatorum eius impetratas aut etiam impetrandas non teneamini alicuius, que de indulgentia huiusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem. Nulli ergo etc. nostre concessionis.

Dat. Lugduni, IIII Kal. Aprilis, anno VI°.

678.

Innocentius IV papa decano Sancti Andreae Wormatiensis, cantori Metensi et thesaurario Sancti Petri Argentinensis mandat, ut Anselmum canonicum Spirensem, consanguineum [Henrici III] episcopi Argentinensis, qui propter obsequia in negotio ecclesiae exhibita ab eodem episcopo auctoritate apostolica in praepositum Sancti Martini Wormatiensis promotus fuerit, in possessionem praeposilurae inducant, nisi cantor Wormatiensis, cui canonici eam contulerint, institutionem canonicam assecutus fuerit. 1249, Mart. 30.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 52, n. 587. Epistola non ante medium mensem Iun. registrata est. Potthast, Reg. 13671; Berger 4577.

.. decano Sancti Andree Warmaciensis, .. cantori Metensi et .. thesaurario Sancti Petri Argentinensis.

Ex parte[2] venerabilis fratris nostri .. episcopi Argentinensis fuit propositum coram nobis, quod cum olim sibi nostris dederimus litteris in mandatis, ut dilecto filio Anselmo canonico Spirensi consanguineo suo in Argentinensi vel Warmaciensi civitatibus vel diocesibus provideret seu provideri faceret de dignitate, prelatura vel aliis ecclesiasticis beneficiis etiam curam animarum habentibus, prout videret iuxta suorum meritorum exigentiam expedire. contradictores etc.[3], idem episcopus, huiusmodi mandato nostro in omnibus ecclesiis predictarum civitatum et diocesum publicato, prelatis et capitulis earundem inhibuit, ne de prelaturis et dignitatibus ac aliis beneficiis ecclesiasticis ad ipsos spectantibus ordinarent aliquid. cum vacarent, donec dictus Anselmus esset de aliquibus dignitatibus vel beneficiis predictarum civitatum et diocesum iuxta mandati nostri tenorem provisionem congruam assecutus. Et quia canonici ecclesie sancti Martini Warmaciensis, contempta inhibitione huiusmodi, a qua nullatenus reclamaverint[c], licet innotuisset eisdem, ad preposituram ipsius ecclesie, que vacavit, postmodum .. cantorem Warmaciensem, ab eodem episcopo non petita licentia nec prohibitione relaxata predicta, in suum prepositum de facto eligere presumpserunt: dictus episcopus, decernens auctoritate litterarum nostrarum electionem ipsius cantoris irritam et inanem, de prepositura ipsa memorato consanguineo suo tradita sibi potestate providit. Nos igitur, devota obsequia. que predictus Anselmus in negotio generalis ecclesie diutius exhibuisse dicitur. prout convenit attendentes, ac per hoc[d] et consideratione dicti episcopi. quod ab eodem super hoc factum est, de gratia ratum

a) Malaspin *R.* b) in *deest R.* c) *ita R.* d) ac per hoc *in loco raso.*

1) *De hoc cf. etiam Ann. Placent. Gib. a. 1249, SS. t. XVIII. p. 498. De Conrado marchione Malaspina, qui imperatori tum adhaerebat, cf. ibid. a. 1246 et 1249, p. 493 bis, et 499 et Böhmer-Ficker. l. c. 3746.* 2) *Damus hanc ep., quia lucidenter patefacit, quo modo in talibus provisionibus processum fuerit: cf. etiam Berger 3531.* 3) *Epistola sub a. 1247, Apr. 17 data est; Berger 2533; cf. 2718.*

habere volentes, mandamus, quatinus si dictus cantor non fuit in ipsa prepositura institutionem canonicam assecutus, dictum Anselmum in corporalem possessionem eiusdem prepositure auctoritate nostra inducatis et defendatis inductum, amoto ab ipsa quolibet illicito detentore; contradictores etc. Quod si non omnes etc.

Dat. Lugduni, III Kal. Aprilis, anno VI°.

679.

Innocentius IV papa Matthaeum de Amiterno, natum illegitimum quondam Gentilis de Amiterno, legitimationis titulo decorat, eique concedit, ut in bonis et iuribus patris et quondam Theodini de Amiterno patrui suorum, quibus alii successores legitimi desint, succedere valeat. *1249, Mart. 31.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 39, n. 165.
Potthast, Reg. 13601; Berger 4457.

Matheo de Amiterno[1], nato quondam nobilis viri Gentilis de Amiterno, Reatine diocesis.

Apostolica sedes, que disponente Domino cunctorum est mater et magistra, prudenter attendens quod culpa parentum non est filiis imputanda, ne contra divine legis edictum iniquitatem patris portare filii videantur et dentes filiorum patribus Ierem. 31, 29.
uvam acerbam comedentibus obstupescant, predecessorum nostrorum temporibus diversis causis inspectis cum quibusdam[a] minus legitime genitis dispensavit, etiam ex adulterio procreatis, quos ad actus spirituales legitimans concessit in pontifices promoveri. Cum igitur maior idoneitas in spiritualibus quam in secularibus requiratur, dubium non existit, quin ipsa tales ad actus legitimare valeat seculares, presertim illos de regno Sicilie nunc rege carente, qui preter Romanum pontificem non habent alium ad presens obtinentem huiusmodi potestatem. Hinc est, quod cum, sicut proposuisti in nostra presentia constitutus[2], pater tuus solutus te genuerit ex soluta, nos, attendentes quod defectum natalium suppleas merito probitatis, redimens favore virtutis quod ortus odiosus ademit, devotionis tue supplicationibus inclinati, te legitimationis titulo decorantes, presentium tibi auctoritate concedimus[b], ut tibi defectus ex[c] natalibus nichil obsit, quominus in omnibus bonis et iuribus dicti patris et quondam Theodini de Amiterno patrui tui, quibus ut asseris alii successores legitimi non existunt, succedere valeas et ad legitimos actus admitti. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, II Kal. Aprilis, anno VI°.

a) quibus *R.; cf. n. 314.* b) cocedimus *R.* c) ex *superscr.*

1) *Hic a. 1248, Nov. 12 clericus adhuc fuerat; cf. n. 606. Interim ergo papa eum a voto ordinis clericalis absolverat; infra sub Mai. 18 eum 'nobilem virum' appellat.* 2) *Papa S[tephano] presbytero cardinali, vicario suo in Urbe, mandavit, ut eidem Matthaeo, 'in nostra praesentia constituto', a tribus ecclesiis Urbis in ea pecuniae, frumenti et vini quantitate, qua ei dudum provisum esset per ipsum de mandato apostolico, faceret provideri, donec ad propria redire posset; quae ep. 'IIII Id. . . . . , a. VI°' subsignata ad hoc tempus pertinere videtur, praesertim cum secundum eam Matthaeus laicus iam fuerit: Berger 4502; Potthast, Reg. 13633.*

680.

Innocentius IV papa episcopo Terracinensi mandat, ut magistro Petro de Atino, scriptori suo, aliquod de beneficiis, quae I. clericus, nepos iudicis P[etri] de Vinea, habeat in provincia Terrae Laboris, conferat. *1249, Apr. 1.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 60, n. 651. Epistola non ante exeuntem mensem Iun. registrata est. Potthast, Reg. 13271; Berger 4644.

.. episcopo Terracinensi.

Dilectus filius magister Petrus de Atino[a 1] scriptor noster in nostra proposuit presentia constitutus, quod dudum ad . . abbatem Sancti Constantii de Aquino eiusque collegam a nobis litteras impetravit, per quas mandabamus eisdem, ut ipsi magistro vel procuratori suo eius nomine capellam Sancti Germani de Sora, ad collationem abbatis Casinensis ut dicitur pertinentem, amoto ab ipsa I. clerico nepote iudicis P. de Vinea[2], qui eam cum aliis personatibus, ecclesiis et beneficiis detinere dicebatur contra canonicas sanctiones[b], auctoritate nostra conferrent ac ipsum in possessionem ipsius ecclesie inducerent corporalem, contradictores [etc.][c]. Verum cum de predicta capella scriptum sit pro alio sicut fertur, ac etiam per eundem Casinensem abbatem[3] adeo sit in possessionibus diminuta, quod super ea nullum aut modicum speret comodum reportare, ut nostra gratia effectu non careat, sibi petiit suppliciter provideri. Mandamus, quatinus eidem magistro Petro ecclesiam sancti Petri ad Cellas Teanensis diocesis vel aliquod aliud de beneficiis I. prefati, que habuit in provincia Terre Laboris, cum cura vel sine cura, quod idem magister duxerit acceptandum, auctoritate nostra conferas et assignes, ipsumque vel procuratorem eius, amoto ab eo dicto I. vel alio quolibet detentore, in eius corporalem possessionem inducas et defendas inductum — non obstantibus quod idem magister alias beneficiatus existit, seu indulgentiis quibuscunque locis vel personis concessis aut litteris apostolicis, per quas huiusmodi possit gratia impediri et de quibus fieri oporteat in presentibus mentionem, —; contradictores etc. Nos enim decernimus irritum et inane, quicquid aliud super hiis preter mandatum nostrum contigerit attentari.

Dat. Lugduni, Kal. Aprilis, anno VI°.

681.

Innocentii IV papae epistolae de legatione Petro Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali in regno Siciliae et Italia media conferenda scriptae.

1249, Apr. 7—27.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 70—74, cur. n. 27—67. Notae chronologicae epistolarum huius collectionis mutas correctae sunt: eae solae, quae litteris plene perscriptae leguntur, verae sunt, verba 'Dat. ut supra' pro notis incertis teneri oportet; cf. N. A. t. X. p. 556 et sequ. Ex iis enim, quae in ep. continentur, et ex notis chronol. perscriptis intelligimus Petro primum legationem in regno Siciliae et rectoriam Marchiae et Ducatus, Campaniae et Maritimae et Patrimonii in Tuscia commissas, postea etiam legationem in Marchia

a) Atin *R.* b) *litt. c superscr.* c) etc. *deest R.*

1) *Cf. n. 598.* 2) *Petrus iam mense Ian. exeunte vel Febr. ineunte ut proditor imperatoris captus fuerat; Bohmer-Ficker, l. c. 3759a.* 3) *Epistolae imperatoris in favorem monasterii Casinensis scriptae ap. Bohmer-Ficker, l. c. 3689, 3695, 3770, 3821, 3831.*

et Ducatu et Tuscia, denique in Campania et Maritima concessam esse; et hanc collectionem ita ortam putamus, ut magnae potestati Petro conferendae aliqui apud curiam initio reluctati fuerint [cf. sub n. VIII], quorum argumenta ille paulatim refutarit, et ubi primum aliquid potestatis ei additum est, incontinenti de ea re epistola scripta sit; propter quod eum initio 'pro negotio regni Sicilie', denique 'ad partes Italie' destinatum reperimus. — Restituimus ergo eum ordinem epistolarum, in quo Petrus eas impetrarit, easque omnes sub hoc uno numero complectimur, ut quibus de causis in eo ordine quem praebemus poni debeant, facilius cognoscatur.

I.

Innocentius IV papa praelatis et aliis personis ecclesiasticis marchiae Anconitanae et ducatus Spoletani notum facit se pro regno Siciliae reformando et a tyrannide F[riderici] quondam imperatoris liberando illuc P[etrum] cardinalem, legatum sedis apostolicae, destinare, cui etiam rectoriam et plenae legationis officium in marchia Anconitana et ducatu Spoletano commiserit; mandat, ut ei humiliter intendant. *1249, Apr. 7.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 70, cur. n. 27. Exemplar, quod Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 714 edidit, cum Regestis contulimus.

Potthast, Reg. 13274; Berger 4688.

Episcopis, abbatibus, prioribus, archidiaconis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prelatis, necnon ceteris personis ecclesiasticis, tam religiosis quam secularibus, exemptis et non exemptis, per Anconitanam marchiam et ducatum Spoletanum constitutis.

Incumbente nobis multitudine negotiorum innumera, profundarum nimirum cogitationum varietate distrahimur, et quo magis nos omnibus impositum nobis apostolatus officium constituit debitores, eo attentius circa emergentia undique agenda nos convenit vigilare. Unde, quia nostram simul in diversis locis nequimus presentiam exhibere, ad illa, in quibus non assumus personaliter, ne in eis vigilantia nostra desit, personas idoneas pensata[a] discrete qualitate[b] agendorum destinamus, per eas ibidem apostolice servitutis debitum exolventes. Verum quia in negotiorum executione maiorum sollicitudo maior exigitur, pro arduioribus, cum nobis incumbunt[c], personas eligimus potiores, aliquos ad ea gerenda de nostro latere transmittendo. Sane inter alia desiderabilia cordis nostri salubrem et prosperum regni Sicilie statum specialiter affectantes, attento animo, mente vigili affectavimus hactenus, ut de multiplicis tribulationis angustiis, quibus incessanter affligitur, ad obtate posset prosperitatis solacia divina favente virtute reduci, et dolendam eiusdem regni ruinam una cum suis habitatoribus impii F. feritate depressis sine intermissione deflentes, continue diligentie studium adhibemus, opem et operam indesinenter quas possumus impendendo, ut [a][d] tam miserabili casu resurgere ipsiusque incole pregravati[e] dire onere servitutis votive libertatis solamine valeant relevari. Ut igitur fervens noster affectus circa prefati liberationem regni perduci possit feliciter ac facile ad effectum, dilectum filium nostrum P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem, virum utique scientia preditum, morum honestate decorum, in consiliis circumspectum et in multis et arduis pluries iam probatum, illuc de fratrum nostrorum consilio destinamus, plene sibi legationis officio, ut evellat et destruat, dissipet et disperdat, edificet et plantet, nec non libera facultate faciendi omnia in regno ipso tam in spiritualibus quam temporalibus, que honori[f] Dei et ecclesie ac bono statui[g] eiusdem regni viderit expedire, con-

a) pensare *R.* b) discrete ac qualitate *R.* c) incumbant *corr.* incumbunt. d) a *deest R.* e) pregravari *R.* f) honore *corr.* honori. g) statu *R.*

cessis. Ceterum quoniam ad festinam et utilem expeditionem negotii eiusdem regni suffragium militie ac aliorum fidelium marchie Anconitane et ducatus Spoletani est quamplurimum oportunum, sibi eiusdem marchie et ducatus ipsius plenariam rectoriam ac insuper plene in eisdem legationis officium duximus committenda. Ideoque universitati vestre districte precipiendo mandamus, quatinus ipsum, immo potius nos in eo devote recipientes et honorifice pertractantes, eidem tamquam apostolice [sedis] legato[a] humiliter intendatis, ipsius monita et precepta, et quecumque vobis ex parte nostra iniunxerit, efficaciter adimplendo. Alioquin sententiam, quam idem tulerit in rebelles etc.

Dat. Lugduni, VII Id. Aprilis, anno VI°[1].

In eundem modum universis baronibus et aliis nobilibus, necnon potestatibus, rectoribus, consulibus, communitatibus et populis tam civitatum quam castrorum ceterisque fidelibus nostris per Anconitanam marchiam et ducatum Spoletanum constitutis usque: committenda. Ideoque universitati vestre sub debito fidelitatis districte precipiendo mandamus, quatinus ipsum etc. usque: adimplendo. Alioquin sententiam sive penam, quas spiritualiter vel temporaliter tulerit in rebelles etc.

Dat. ut supra.

II.

Innocentius IV papa P[etro] cardinali plenae legationis officium in regno Siciliae confert. *1249, Apr. 7.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 71, cur. n. 29.
Potthast, Reg. 13271; Berger 4690.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum etc., apostolice sedis legato.

Incumbente nobis multitudine etc.[b] usque: expedire, concessis. Ideoque providentie tue mandamus, quatinus sic diligenter et efficaciter exequi studeas, que tibi committimus in hac parte, quod grandi exinde crescas merito apud Deum et penes homines[c] multa laude.

Dat. ut supra[b].

III.

Innocentius IV papa nobilibus et ceteris fidelibus marchiae Anconitanae notum facit se P[etro] cardinali rectoriam partium earum commisisse. *1249, Apr. 7.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 71, cur. n. 30.
Potthast, Reg. 13271; Berger 4691.

Nobilibus viris universis baronibus et aliis nobilibus, nec non potestatibus, rectoribus, consulibus, communitatibus et populis tam civitatum quam castrorum ceterisque fidelibus nostris per Anconitanam marchiam constitutis.

Licet de universis ecclesie Romane fidelibus cogitare sollicite teneamur, circa illos tamen de Anconitana marchia eo attentius vigilare nos convenit, quo ad sedem

a) aple R.; deest se. b) *scil. non ut in n. XV, quae ep. in Reg. antecedit, sed ut in n. I.* c) hoim R.

1) *Petro circa Apr. 7 legationem in regno Siciliae commissam esse testatur n. VII; cf. etiam n. X sub Apr. 9. Sed ut munus ei collatum iam tum in publicam notitiam veniret, papa noluisse videtur; nam in omnibus epistolis, quae publice legi vel monstrari debebant, legatio in regno non commemoratur. —*

apostolicam pertinere specialius dinoscuntur: propter quod merito propensiori ad eos diligentia respicimus ac ad bonum ipsorum statum cura intendimus potiori, ut et in se ipsis[a] modestiam et inter se communiter pacem servent. Quia vero tunc potissime utilitati consulitur regionis, cum de gubernatore sibi provido providetur, talem eidem marchie preficere intendimus in rectorem, cuius maturitate dirigatur salubriter, studio degat prospere, cuiusque ab adversis potentia muniatur. De providentia igitur dilecti filii nostri P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis[1] pleniorem in Domino habentes fiduciam, ipsum regimini eius prefecimus, rectoriam ipsius sibi plenarie committentes. Ideoque universitati vestre sub debito fidelitatis districte precipiendo mandamus, quatinus eidem cardinali, sicut tali ac tanto membro ecclesie convenit, omnimodam honorificentiam exhibentes, sibi tanquam rectori vestro in omnibus intendere ac de universis iuribus et aliis ad rectoriam ipsam spectantibus integre respondere curetis. Alioquin sententiam sive penam, quam spiritualiter vel temporaliter etc.

Dat. ut supra.

In eundem modum nobilibus viris universis baronibus et aliis nobilibus, nec non potestatibus, rectoribus, consulibus etc. ut supra usque: fidelibus nostris per ducatum Spoletanum constitutis.

IV.

Innocentius IV papa P[etro] cardinali rectoriam marchiae Anconitanae committit.
1249, Apr. 7.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 71, cur. n. 32.
Potthast, Reg. 13274; Berger 4693.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato[2].

Licet de universis ecclesie Romane fidelibus cogitare sollicite teneamur, circa illos tamen de Anconitana marchia eo attentius vigilare nos convenit, quo ad sedem [apostolicam] pertinere[b] etc. ut supra in illa, que mittitur Marchianis[c], verbis competenter mutatis.

In eundem modum eidem pro illis de ducatu Spoletano.

a) ipsos *corr.* ipsis. b) se | pertinere *R.*; *deest* apostolicam. c) *n. III; cf. etiam sub n. V.*

Credimus hanc ep. primo, scil. sub Apr. 7, non scriptis verbis Ceterum — committenda, *ad Siculos directam esse; nam a) ep. iis de hac re scripta in Reg. deest, b) ep. non integre registrata, per quam papa Petro legationem in regno contulit [n. II], nimirum ad ep. Siculis destinatam respicit, c) verba* Ceterum — committenda, *ut ex n. III comperimus, Apr. 7 scripta esse non possunt, quia Petrus legatus in Marchia et Ducatu nondum erat; cf. etiam n. XV, in qua ep. negotium regni Siciliae consulto non commemoratur. — Ergo epistolam, sicut eam supra praebuimus, post n. XV, i. e. post Apr. 15—17, datam eamque tam quidem propter 'negotium regni' secretam fuisse putamus.* 2) *De nota chronol. cf. not. 1.*

1) *Papa neque Petrum legatum appellat, neque de legatione eius quicquam commemorat, cum in ep. n. XX, XXIV, XXIX, XXX habitatoribus Marchiae et Ducatus scribens, eum legatum suum appellet: unde concludimus Petrum, cum haec ep. exararetur, legatum Marchiae et Ducatus nondum fuisse. Qua de causa de legatione eius in regno tacuerit, videas p. 488, not. 1. — Epistolam c. Apr. 7 scriptam putamus; nam si papa Petrum praeter legationem in regno nulla potestate in Italia media ornasset, idem nihil efficere potuisset. Propter quod legationem illam et rectoriam hanc simul ei collatas credimus. Sub Apr. 7 et 9, n. VII et X, papa ad hanc rectoriam se referre videtur.* 2) *Verba 'apostolicae sedis legato' minus recte adscripta videntur, cum Petrum legatum esse Marchiani scire non deberent et in ep. ipsa legatio eius non commemoretur; cf. n. III. Scriba facile errare potuit, quia in aliis ep., ut in n. II, hic titulus recte apponi debuerit.*

V.

Innocentius IV papa nobilibus et universis aliis Campaniae et Maritimae notum facit se P[etro] cardinali rectoriam partium earum commisisse. *1249, Apr. 7.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 71, cur. n. 31.
Potthast, Reg. 13274; Berger 4692.

Nobilibus viris baronibus, potestatibus, rectoribus, consulibus, communitatibus et populis tam civitatum quam castrorum et universis aliis per Campaniam et Maritimam constitutis.

Licet de universis ecclesie Romane fidelibus cogitare sollicite teneamur, circa Campanos et Maritimanos eo attentius etc. ut supra usque: dinoscuntur. Hii[1] namque sunt filii, qui eam matrem devotione omnimoda recognoscunt, qui fide stabiles ab ipsius gremio non discedunt, et ad eius beneplacita corde ac animo semper intenti, precepta illius humiliter audiunt et observant. Hii utique sunt alumpni, qui uberum eius percepta dulcedine numquam possunt a sui dominii firmitate subduci, qui de obtentis ab ipsa beneficiis non ingrati, grata ei rependunt obsequia sibique in oportunitatibus firmi assunt. Merito itaque teneriori eos affectione complectimur, digne ad bonum ipsorum statum cura intendimus potiori, ut et[a] in seipsis modestiam et inter se communiter pacem servent. Quia vero tunc potissime utilitati consulitur regionis, etc. ut supra usque in finem, verbis competenter mutatis[2].

In eundem modum P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato[3], usque: committentes, verbis competenter mutatis. Ideoque prudentie tue mandamus, quatinus rectoriam ipsam sic sollicite gerere studeas et prudenter, quod terra illa in bono et tranquillo statu tua vigilantia et industria conservetur tuque per hoc divine maiestatis gratiam uberius merearis.

Dat. ut supra.

VI.

Innocentius IV papa universis fidelibus suis Patrimonii beati Petri in Tuscia notum facit se P[etro] cardinali rectoriam partium earum commisisse. *1249, Apr. 7.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 71, cur. n. 33.
Potthast, Reg. 13274; Berger 4691.

Universis fidelibus nostris[4] per Patrimonium beati Petri in Tuscia constitutis.

Licet de universis ecclesie Romane fidelibus cogitare sollicite teneamur, circa illos tamen de Patrimonio beati Petri in Tuscia eo attentius etc. ut supra in illa, que mittitur Marchianis[5].

In eundem modum P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato[6], usque, committentes. Ideo[que][b] mandamus, quatinus rectoriam

a) et ut *R.; cf. n. III.* b) Id'o *R.*

1) *Haec verba, quia a verbis ep. n. III et VI discrepant, notanda sunt, praesertim cum haec ep., non ut n. III et VI 'fidelibus nostris', sed 'universis' directa sit; tota igitur Campania et Maritima papae obedivisse videntur.* 2) *De nota chronol. cf. p. 489, not. 1.* 3) *Falso, cf. p. 489, not. 2.* 4) *Formam inscriptionis authenticae cum n. III concordasse putamus; cf. p. 191, not. 1 et N. A. l. X, p. 511 et sequ.* 5) *Cf. n. III.* 6) *Falso; cf. p. 489, not. 2.*

ipsam sic sollicite gerere studeas et prudenter, quod terra illa in bono etc. ut supra in illa, que scribitur pro Campanis.

In eundem modum eidem pro illis de Sabinia.

In eundem modum universis fidelibus nostris per Sabiniam constitutis usque: committentes. Ideoque universitati vestre sub debito fidelitatis districte precipiendo mandamus, quatinus eidem cardinali etc. ut supra in illa, que scribitur Marchianis.

VII.

Innocentius IV papa P[etro] cardinali legato contrahendi mutuum ecclesiae Romanae nomine usque ad decem milia marcarum argenti et obligandi ob id terras et castra ecclesiarum Urbis potestatem concedit. *1249, Apr. 7.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 72, cur. n. 11.
Potthast, Reg. 13275; Berger 4702.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum [diacono cardinali, apostolice sedis legato][a].

Cum te pro negotio regni Sicilie, commisso tibi plene legationis officio, destinemus, quia [quo][b] magis est arduum idem negotium, eo tu pro illius executione negotii subsidio indiges potiori, discretioni tue contrahendi propter hoc mutuum ecclesie Romane nomine usque ad decem milia marcarum argenti et obligandi ob id predia, terras et castra ecclesiarum Urbis necnon contradictores super hoc per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi plenam et liberam concedimus auctoritate presentium potestatem.

Dat. Lugduni, VII Id. Aprilis, anno VI°[1].

In eundem modum eidem usque: contrahendi propter hoc mutuum ecclesie Romane nomine usque ad decem milia unciarum auri et obligandi ob id roccas ipsius ecclesie in Anconitana marchia, ducatu Spoletano, Patrimonio beati Petri in Tuscia, Campania et Maritima existentes, plenam et liberam concedimus auctoritate presentium potestatem.

Dat. ut supra.

VIII.

Innocentius IV papa [Raynaldo] episcopo Ostiensi significat se negotium regni Siciliae, quod ipsi nimis grave putet, P[etro] cardinali commisisse; mandat, ut eidem auxilium exhibeat. *1249, Apr. 7.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 72, cur. n. 12.
Potthast, Reg. 13274; Berger 4703.

.. episcopo Ostiensi.

Inter cetera, circa que nostre sollicitudinis invigilat oculus, ad negotium specialiter regni Sicilie intenta consideratione respicimus, erga hoc precipue sedula cogitatione versamur, totis promotionem ipsius cupientes affectibus et modos investigantes et vias, per quas laudabiliter divina cooperante virtute valeat provenire. Nos itaque, discrete pensantes, quod grave tibi nimis tanti onus negotii extitisset[2], et volentes

a) Eidem *R.; antecedit n. XXII.* b) quo *deest R.; cf. n. XVII.*

1) *Propter notum chronol. perscriptum, et quia verisimile est papam Petro una cum legatione in regno hanc potestatem concessisse, cp. Apr. 7 adscribimus. Eam primo secretam fuisse putamus.* 2) *Hic postea Alexander IV papa Innocentio successit. Ab a. 1211 cum cardinalibus infra nominatis in*

persone tue parcere in hac parte. illud dilecto filio nostro P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, cuius diligentiam, prudentiam et industriam sumus in arduis iam experti, duximus de fratrum nostrorum consilio committendum. Mandamus, quatinus ei pro illius executione consilium et quod potes auxilium exhibere procures.

Dat. ut supra.

In eundem modum S. tituli Sancte Marie Transtiberim presbytero cardinali, vicario nostro in Urbe[1].

In eundem modum R. Sancti Angeli diacono cardinali[2] usque: provenire. Nos itaque, audito frequenter quod venire ad presentiam [nostram][a] intendebas, illud dilecto filio nostro P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, cuius diligentiam etc. usque: Mandamus, quatinus ei pro illius executione, si te in illis partibus remanere contigerit, omne consilium etc. ut supra[3].

IX.

Innocentius IV papa senatori et populo Urbis notum facit se P[etrum] cardinalem cum plenae legationis officio in Siciliam destinare, eisque mandat, ut ei, cum ipse et sui utilitatem Urbis zelentur, auxilium largiantur. *1249, Apr. 7.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 72, cur. n. 43.
Potthast, Reg. 13274; Berger 4701.

. . senatori et populo Urbis.

Etsi de cunctis Christi fidelibus, quod nobis et ecclesie in oportunitatibus parati sint assistere, confidamus, de vobis tamen eo fiduciam gerimus potiorem, quo vos specialiores inter ceteros sedis apostolice agnoscimus filios vosque sedem ipsam circa vestra scitis comoda plus intentam. Quare in nostris et eiusdem ecclesie agendis vestrum cum expedit auxilium requirimus confidenter, qui numquam ipsi ecclesie in eius necessitatibus defuistis, sed semper ad sui honoris augmentum assurrexistis pre aliis efficaces. Sane quia inter cetera, que nobis incumbunt, negotium regni Sicilie principaliter insidet cordi nostro, ecce pro illo potissime dilectum filium nostrum P. Sancti Georgii etc. usque: cardinalem, virum utique scientia preditum, morum honestate decorum, in consiliis circumspectum et in multis et arduis laudabiliter iam probatum, quem inter alios fratres nostros specialis[b] dilectionis complectimur brachiis, illuc de fratrum nostrorum consilio, commisso sibi plene legationis officio, destinamus[c][4].

---

a) nostram *deest R.* b) *litt.* is *corr. ex* it, *in loco raso.* c) destinemus *R.*

Italia fuerat [cf. n. 89], et eos vel amicos eorum apud curiam morantes, ne Petro tam ampla potestas committeretur, reluctatos esse putamus; cf. p. 487, lin. 2. Eis id, quod papae de negotio regni placuerat, celeriter nuntiatum fuisse par est.

1) *Hic vicarius in Urbe remansit; cf. infra sub Ian. 18.* 2) *Hic rector Campaniae et Maritimae fuerat, quo officio nunc privatus est; cf. n. V. Berger 3670, 3833, 3879, 3910, 4029, et Potthast, Reg. 13060, quae ep. in Reg. non extat; cf. etiam ibid. 13747 et p. 1285.* 3) *Is non commemoratur, qui maximam hacusque auctoritatem in Italia media habuit, Raynerius Sanctae Mariae in Cosmidin diaconus cardinalis, qui apostolicae sedis legatus in Patrimonio, in Tuscia, Ducatu et Marchia fuit [cf. n. 638, Berger 3735, ubi Lucanam et Pisanam ecclesias ad legationem eius pertinuisse legimus, et supra p. 421, not. 3, ubi eum ipsum 'vicem papae gerentem', non 'apostolicae sedis legatum' se appellasse annotavimus; cf. p. 458, not. 4]. Eum quoque officio suo tum privatum esse credimus; nam in ep. papalibus postea scriptis nomen eius non reperimus [cf. tamen infra sub Apr. 24, sed Petrus eo tempore nondum in Italia fuit, Potthast, Reg. p. 1285], cumque, antequam papa in Italiam redierit [a. 1251, Apr. med.], 'Lugduni' mortuum esse refert Nicolaus de Carbio, V. Inn. IV c. 29 in Baluzii Misc. l. VII, p. 383.* 4) *Cum papa de sola legatione in regno loquatur, epistolam iam Apr. 7 scriptam putamus. Quamquam ob eandem causam eam tum quidem secretam fuisse necesse est, fortasse tamen senatori fideli monstrari debuit. Sub a. 1248, Sept. 14 et Nov. 23 papa Theobaldo clerico fratri Petri Iohannis Cinthii de Lacinia senatoris Urbis, devoti sui, quasdam gratias fecerat; Berger 4167 et 4221; Potthast, Reg. 13458 et 13485. De Angelo Malabranca senatore Urbis cf. Berger 3773, sub a. 1248, Febr. 1.*

Ideoque universitatem vestram rogamus et hortamur attente, mandantes quatinus, pensantes provide quod idem cardinalis Urbis honorem totis cupit affectibus et procurat sollicite sicut potest, quodque sui eiusdem Urbis utilitatem et statum prosperum ex corde zelantur et propter hoc personas et bona sua exponere minime dubitarunt[1], sic ipsum devote suscipere ac multipliciter honorare curetis, consilium ei et auxilium quantumcunque largiendo, quod premissum negotium vestro suffragio mediante possit efficaciter promovere nosque de bono universorum et singulorum de Urbe ipsa teneamur diligentius, licet adiectione plenitudo non egeat, cogitare.

Dat. ut supra.

X.

Innocentius IV papa P[etro] cardinali legato potestatem concedit congregandi exercitum de Italia media et intrandi cum eo regnum Siciliae. *1249, Apr. 9.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 71, cur. n. 37.
Potthast, Reg. 13280; Berger 4698.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum [diacono cardinali, apostolice sedis legato][a].

Cum te pro negotio regni Sicilie, quod principaliter insidet cordi nostro, commisso tibi plene legationis officio destinemus, discretioni tue, ut efficacius negotium ipsum exequi valeas, congregandi exercitum de Anconitana marchia et ducatu Spoletano, de Tuscia et Patrimonio beati Petri in illa, necnon de Sabinia et de Campania et de Maritima, et ducendi tecum illum[b] ac ingrediendi cum eo idem regnum et contradictores quoslibet et rebelles spirituali et temporali districtione appellatione postposita compescendi plenam et liberam concedimus auctoritate presentium potestatem.

Dat. Lugduni, V Id. Aprilis, anno VI°[2].

XI.

Innocentius IV papa eidem potestatem concedit privandi perpetuo clericos et laicos regni Siciliae bonis suis, qui ipsi restiterint. *1249, Apr. 9.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 71, cur. n. 38.
Potthast, Reg. 13281; Berger 4699.

Eidem.

Cum te pro negotio etc. ut supra usque: destinemus, discretioni tue, ut efficacius negotium ipsum exequi valeas, privandi perpetuo tam clericos bonis omnibus ecclesiasticis et mundanis quam laicos eiusdem regni cunctis mobilibus ac inmobilibus, patrimonialibus et aliis, bonis suis, qui tibi restiterint vel se opposuerint in eodem negotio aut impedimentum prestiterint, et contradictores super hiis quoslibet et rebelles etc. ut supra[3].

---

a) Eidem *R.; antecedit n. XIX.* b) illud *R.*

1) *Petrus gentis Capuciae erat.* 2) *Nota chronol. perscripta et sola legatio in regno inter se congruunt. Insuper Petrus rector terrarum patrimonii ecclesiae iam fuisse videtur; cf. n. III. — Idem epistola sequenti convenit.* 3) *De nota chronol. cf. n. X. — Sub Apr. 8 papa Henricum de Cerasolo electum Tarentinum archiepiscopum confirmaverat: Potthast, Reg. 13276; quae ep. in Reg. non exstat.*

XII.

Innocentius IV papa universis Campaniae et Maritimae mandat, ut P[etro] cardinali, rectori suo, vel vicario eius in omnibus obediant, scituri se omnes custodias civitatum et locorum aliquibus usque ad beneplacitum apostolicum commissas revocare. 1249, Apr. 15.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 71, cur. n. 34.
Potthast, Reg. 13274; Berger 1695.

Universis Campanie ac Maritime, fidelibus nostris[1].

Cum dilecto filio nostro P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali Campaniam et Maritimam de fratrum nostrorum consilio duxerimus committendas, ut tanquam rector in eisdem partibus amministret: universitati vestre per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatinus eidem cardinali vel eius vicario in omnibus obedire ac intendere procuretis — non obstante si alique civitates aut castra vel loca tenenda seu custodienda quibuscunque personis et undecunque fuerint sint ab apostolica sede commissa usque ad nostre beneplacitum voluntatis: quas commissiones penitus revocamus. Alioquin sententias, quas idem cardinalis vel eius vicarius spiritualiter vel temporaliter tulerit in rebelles etc.[a].

Dat. Lugduni, XVII Kal. Maii. [anno VI°][b 2].

XIII.

Innocentius IV papa abbati et conventui ac vassallis monasterii Farfensis mandat, ut P[etro] cardinali, rectori Campaniae et Romaniae, vel vicario eius in omnibus obediant. 1249. Apr. 15.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 71, cur. n. 35.
Potthast, Reg. 13274; Berger 1696.

. . abbati et conventui ac universis vassallis monasterii Farfensis.

Cum dilecto filio nostro P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali[3] Campaniam et Romaniam[4] de fratrum nostrorum consilio duxerimus committendas, ut ibidem tamquam rector in omnibus amministret: universitati vestre per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatinus eidem cardinali tamquam rectori vel eius vicario intendatis et obediatis in spiritualibus et temporalibus humiliter et devote. Alioquin sententias, quas idem vel vicarius suus spiritualiter aut temporaliter tulerit in rebelles etc.

Dat. ut supra.

In eundem modum . . abbati et conventui ac[c] universis vassallis monasterii sancti Salvatoris de Reate.

In eundem modum . . abbati et conventui ac universis vassallis monasterii Sublacensis.

a) et *R.* b) anno VI° *deest R.* c) conventui mon̄ ac *R.*

1) *Inscriptionis forma recta esse non videtur; cf. n. V. Suspicamur in eundem modum fidelibus Marchiae et Ducatus [cf. n. XIV], Sabiniae et Patrimonii in Tuscia scribendum fuisse ideoque minutam ep. certa inscriptione caruisse, nominibus eorum quibus ep. mittenda esset aliquo loco breviter annotatis, et propter hoc registratorem minus attentum facile errare potuisse: cf. p. 490, not. 4.* 2) *Petrus legatus non appellatur et nota chronol. perscripta est.* 3) *Petrus legatus non appellatur et propter verba maximam partem cum verbis ep. n. XII congruentia epistolam et ipsam Apr. 15 scriptam putamus.* 4) *'Romania' idem significare videtur atque 'Sabinia': nam Farfa et Reate ad Sabiniam, Sublacus ad Campaniam pertinebant; cf. n. XIX, XX et XXIX.*

XIV.

Innocentius IV papa P[etro] cardinali concedit, ut civitates et terras in marchia Anconitana et ducatu Spoletano aliquibus usque ad beneplacitum apostolicum concessas revocare valeat. *1249, Apr. [27] c. 15.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 72, cur. n. 46.
Potthast, Reg. 13310; Berger 4707.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum etc.[a]

Cum marchiam Anconitanam et ducatum Spoletanum tibi, quem ad partes illas pro bono earum et ecclesie statu transmittimus, de fratrum nostrorum consilio duxerimus committenda, presentium tibi auctoritate concedimus, ut civitates, castra, terras et alia, quecumque sunt in eisdem partibus quibuscumque personis ab apostolica sede usque ad beneplacitum nostrum concessa, libere valeas ad manus tuas — huiusmodi concessionibus non obstantibus — revocare; contradictores etc.

Dat. Lugduni, V Kal. Maii, anno VI°[1].

XV.

Innocentius IV papa episcopis et aliis praelatis et clericis marchiae Anconitanae notum facit, se P[etro] cardinali plenae legationis officium in partibus eorum commisisse. *1249, Apr. [15—17].*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 71, cur. n. 28.
Potthast, Reg. 13274; Berger 4689.

Episcopis et abbatibus, prioribus etc. ut supra[b] usque: non exemptis per marchiam Anconitanam constitutis.

Incumbente nobis multitudine[c] negotiorum etc. ut supra usque: transmittendo. Hinc est, quod imminentibus nobis quamplurimis et gravibus in partibus vestris agendis, que diligentiam exigunt ampliorem, nos propter hoc dilectum filium nostrum P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem, virum etc. usque: iam probatum, ad partes ipsas, commisso sibi plene legationis officio, ut evellat et destruat, dissipet et disperdat, edificet et plantet, sicut expedire viderit, de fratrum nostrorum consilio duximus destinandum. Ideoque universitati vestre etc. ut supra in alia de clericis usque in finem[2].

In eundem modum episcopis, abbatibus, prioribus etc. ut supra usque: non exemptis per ducatum Spoletanum constitutis[3].

a) *ita R. in marg.; in rubro:* aur diac card'. *Verba* apostolice sedis legato *supplenda non videntur, cf. not. 1.* b) *ut in n. I.* c) m̃ultitudine ñobis *R.*

1) *In hac sola ep. notam chronol. perscriptam mutari oportet; nam cum legatio Petri nullo verbo commemoretur, epistola post n. XX, Apr. 17, scripta esse non potest. Insuper haec ep. tam arte contingit ep. n. XII, ut eam et ipsam sub Apr. 15 ponere liceat. — Notam chronol. 'V Kal. Maii' ad solam ep. c. XXXI pertinere putamus.* 2) *Quia Petrus in epistolis ad habitatores Italiae mediae hucusque directis nusquam legatus appellatus est, epistolam post Apr. 15 ponimus, propter ep. n. XX post Apr. 17 scripta esse non potest. — 'Negotium regni' in ep. commemoratum non est, cum ea, postquam Petrus in Italiam venit, publice legi vel monstrari debuerit.* 3) *Epistolam Petro directam, per quam ei legatio in Marchia et Ducatu commissa est, non habemus.*

XVI.

Innocentius IV papa praelatis et clericis Tusciae et Patrimonii beati Petri notum facit se P[etro] cardinali plenae legationis officium in partibus eorum commisisse.

1249, Apr. [15—17].

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 72, car. n. 44.
Potthast, Reg. 13274; Berger 4705.

.. archiepiscopo Pisano et universis episcopis, abbatibus, prioribus, archidiaconis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prelatis, nec non ceteris personis ecclesiasticis, tam religiosis quam secularibus, exemptis et non exemptis, per Tusciam et Patrimonium beati Petri[1] constitutis.

Incumbente nobis multitudine negotiorum innumera, profundarum nimirum cogitationum varietate distrahimur, et quo magis nos omnibus impositum nobis apostolatus[a] officium constituit debitores, etc. ut supra in illa, que mittitur episcopis et aliis prelatis marchie Anconitane, etc. usque destinandum. Ideoque universitati vestre districte precipiendo mandamus, quatinus ipsum, immo potius nos in ipso etc. usque in finem[2].

XVII.

Innocentius IV papa P[etro] cardinali legato concedit potestatem exigendi subsidium pro negotio regni Siciliae promovendo ab universis episcopis et aliis personis ecclesiasticis et ecclesiis terrarum legationis suae et Campaniae et Maritimae et Urbis.

1249, Apr. [15—17].

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 73, car. n. 53.
Potthast, Reg. 13734; Berger 4714.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum [diacono cardinali, apostolice sedis legato][b].

Cum te pro negotio regni Sicilie, commisso tibi plene legationis officio, destinemus, quia quo magis est arduum ipsum negotium, eo pro illius executione subsidio indiges potiori, discretioni tue exigendi ab universis episcopis et aliis personis ecclesiasticis ac ecclesiis terrarum tue legationis necnon Campanie et Maritime[3] ac insuper ab omnibus clericis locorum ipsorum et etiam Urbis prebendatis vel alias beneficiatis in illis partibus existentibus subsidium pro eodem promovendo negotio, sive in pecunia sive in aliis, prout expedire videris, singulorum facultatibus et proventibus discrete pensatis, ipsosque, si necesse fuerit, ad illud prestandum auctoritate nostra appellatione postposita compescendi — privilegio quolibet vel indulgentia sedis apostolice non obstante — plenam et liberam concedimus tenore presentium potestatem.

Dat. ut supra.

---

a) apostolatum *R.* b) Eidem *R.; antecedit n. XXIII d.*

1) *Scil. in Tuscia, nam legatio in reliquibus partibus Patrimonii ei in ep. n. XIX collata est; cf. etiam n. XX.* 2) *Cf. p. 195, not. 2. Ep. et ipsa ante n. XX scripta est.* 3) *Petrus legatus in pluribus terris non est, i. e. in Sicilia, Marchia, Ducatu et Tuscia, neque vero in Campania et Maritima; propter quod ep. post n. XV et XVI, ante n. XIX scripta est. — Attendas praeterea eam 'pro negotio regni Siciliae', non ut in epistolis in Reg. antecedentibus et sequentibus [n. XXIII] 'ad partes Italiae' destinatam esse.*

XVIII.

Innocentius IV papa eidem potestatem concedit exigendi subsidium ab exulibus regni Siciliae tam in terris legationis suae quam in Campania et Maritima vel in Urbe morantibus. *1249, Apr. [15—17].*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 73, cur. n. 54.
Potthast, Reg. 13734; Berger 4715.

Eidem.

Cum te pro negotio regni Sicilie etc. ut supra usque: potiori, discretioni tue exigendi ab exulibus eiusdem regni, tam in terris tue legationis quam in Campania et Maritima et in Urbe morantibus, subsidium pro eodem promovendo negotio, ipsorum facultatibus discrete pensatis etc. ut supra usque in finem[1].

XIX.

Innocentius IV papa P[etro] cardinali legato in Campania, Maritima, Sabinia et Romania, Portuensi, Velletrensi, Penestrina et Reatina civitatibus et diocesibus ac Sublacensi, Farfensi et Sancti Salvatoris de Reate abbatiis legationis officium committit. *1249, Apr. [15—17].*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 71, cur. n. 36.
Potthast, Reg. 13287; Berger 4697.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum [diacono cardinali, apostolice sedis legato][a].

Ut ea, que tibi commisimus, comodius exequaris, presentium tibi auctoritate concedimus, ut in Campania, Maritima, Sabinia et Romania[2], Portuensi, Velletrensi, Penestrina et Reatina civitatibus et diocesibus ac Sublacensi, Farfensi et Sancti Salvatoris de Reate abbatiis earumque[b] terris et pertinentiis ac aliis partibus hiis adiacentibus legationis officium valeas exercere; contradictores etc.

Dat. ut supra[3].

XX.

Innocentius IV papa fratribus militiae Templi per Tusciam, terras ecclesiae et regnum Siciliae constitutis mandat, ut P[etro] cardinali legato, pro negotio generalis ecclesiae ad partes ipsorum destinato, congruum subsidium exhibeant. *1249, Apr. 17.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 72, n. 45.
Potthast, Reg. 13289; Berger 4706.

Fratribus militie Templi per Tusciam, marchiam Anconitanam, ducatum Spoleti, Patrimonium beati Petri[4], Campaniam, Maritimam, Romaniam[5] et regnum Sicilie constitutis.

Cum dilectum filium nostrum P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem, apostolice sedis legatum, ad partes vestras pro negotio totius generalis

a) Aureum etc. *R.* b) eorumque *R.*

1) *De nota chronol. cf. p. 496, not. 3.* 2) *Cf. p. 494, not. 1. Romania 'Tusciam Romanam' vel 'Patrimonium beati Petri' vel 'Patrim. b. P. in Tuscia' significare non potest: nam in n. XX duae hae terrae discernuntur; cf. etiam n. XVI.* 3) *Epistola post n. XII, XIII, XVII et XVIII, Apr. 15, ante n. XX, Apr. 17, scripta est.* 4) *Scil. in Tuscia.* 5) *I. e. Sabiniam; alias enim etiam hanc terram nominandam fuisse credimus; cf. not. 2.*

ecclesie[1] duxerimus destinandum, oporteatque ipsum ex necessitate ut scire potestis pro eo promovendo subire gravia honera expensarum, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, firmiter precipiendo mandantes quatinus, considerato prudenter quod idem negotium est tam vestrum quam omnium Christi fidelium, ecclesiasticarum maxime personarum, eidem legato studeatis de bonis vestris tale subsidium liberaliter exhibere, quod videamini tanquam devoti zelari honorem ecclesie ac profectum, nosque id gratum habentes possimus proinde vestre devotionis promptitudinem commendare.

Dat. Lugduni, XV Kal. Maii, anno VI°.

In eundem modum fratribus Hospitalis Ierosolimitani per Tusciam, marchiam Anconitanam, ducatum Spoletanum, Patrimonium beati Petri, Campaniam, Maritimam, Romaniam et regnum Sicilie constitutis.

In eundem modum fratribus domus sancte Marie Theotonicorum per Tusciam, marchiam Anconitanam, ducatum Spoleti etc. ut supra.

XXI.

Innocentius IV papa P[etro] cardinali legato potestatem concedit absolvendi omnes de regno Siciliae et aliis terris legationis suae, qui F[riderico] favendo excommunicati fuerint, si ad ecclesiam redire voluerint. *1249, Apr. [c. 17].*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 71, cur. n. 39.
Berger 4700.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum [diacono cardinali, apostolice sedis legato][a].

Cum te pro negotio etc. ut supra usque: exequi valeas, absolvendi[b] iuxta formam ecclesie omnes tam de ipso regno quam aliis terris tue legationis, qui favendo F. quondam Romanorum imperatori vel adherendo eidem excommunicationis laqueum incurrisse noscuntur, ad mandatum ecclesie redire volentes, ac revocandi ad ipsius ecclesie beneplacitum et in nostram et sedis apostolice gratiam admittendi, prout expedire videris, universos tam clericos quam laicos eorundem locorum, qui predicto F. assistere vel adherere presumunt, plenam et liberam concedimus auctoritate presentium potestatem.

Dat. ut supra[2].

XXII.

Innocentius IV papa eidem potestatem concedit promittendi omnibus legationis suae ecclesiam cum F[riderico] pacem facturam non esse, ita ut ipse vel aliquis filiorum suorum rex aut imperator existat. *1249, Apr. [c. 17].*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 72, cur. n. 40.
Potthast, Reg. 13279; Berger 4701.

Eidem.

Cum te pro instanti negotio in Italiam destinemus, discretioni tue promittendi firmiter ex parte nostra omnibus prelatis ecclesiarum et principibus secularibus ceteris-

a) Eidem *R.: antecedit n. XI.* b) tibi absolvendi *R.*

1) *Papa non dicit: 'pro negotio regni Siciliae'; ex quo concludimus hanc ep. publice legi vel monstrari debuisse.* 2) *Epistolam iam ante Apr. 17 scriptam esse credere licet, quia Petrus adhuc 'pro negotio regni Siciliae' destinatus est ut in n. X, XI, XVII, XVIII, et initium ep. cum n. X concordat; sed cum praeter in regno etiam in 'aliis terris' legatus fuerit, quae non nominantur, inter quas Campaniam et Maritimam comprehensas fuisse par est, eam post n. XIX ponimus; cf. n. XXII.*

que tue legationis aliis, quod nos et fratres nostri eos in huiusmodi negotio nullatenus deseremus, nec cum F. quondam imperatore pacem aliquatenus confirmabimus, ita quod ipse vel aliquis filiorum eius rex aut imperator existat, plenam et liberam concedimus auctoritate presentium potestatem.

Dat. ut supra [1].

XXIII.

Innocentius IV papa P[etro] cardinali legato potestatem concedit a) dispensandi cum personis ecclesiasticis, quae excommunicatae ordines susceperint, b) privandi fratres ordinis Teutonicorum aliosque religiosos privilegiis suis, c) transferendi archiepiscopos et episcopos, d) amovendi perpetuo archiepiscopos, episcopos et alios praelatos, e) exercendi libere censuram ecclesiasticam, f) dispensandi cum quinquaginta personis religiosis defectum natalium patientibus, ut ad praelaturas assumi possint, g) dispensandi cum simoniacis, h) exercendi legationis in regno officium, etiamsi extra regnum constitutus sit, i) recipiendi cessiones archiepiscoporum, episcoporum et aliorum praelatorum, k) dispensandi cum clericis defectum natalium patientibus, ut in susceptis ordinibus ministrare et ascendere ad maiores possint, l) eidem indulget, ut clerici, qui secum fuerint, proventus beneficiorum suorum integre recipiant, acsi residerent. *1249, Apr. 17.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 73, cur. n. 49–52, 55–61. Epistolae n. 53 et 54 sub n. XVII et XVIII leguntur. — Easdem potestates omnes, quas infra proponimus, Petro, cum a. 1247 in Teutoniam legatus mitteretur, concessae sunt, n. 303. Neque vero haec collectio talis erat, quae omnibus legatis apostolicis exhiberetur, sed unaquaeque ep. nunc denuo a papa approbata est; nam hic epistolae alio ordine leguntur et nonnullis locis verba earum consulto mutata sunt; cf. n. 745.

Potthast, Reg. 13731; Berger 4710–4713, 4716–4722.

a.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum [diacono cardinali, apostolice sedis legato][a].

Presentium[b] tibi auctoritate concedimus, ut cum personis ecclesiasticis, tam religiosis quam secularibus, tue legationis, que vinculo excommunicationis astricte sacros susceperunt ordines vel ministrarunt in illis, possis super irregularitate huiusmodi, prout animarum suarum saluti expedire videris, dispensare.

Dat. Lugduni, XV Kal. Maii, anno VI°.

b.

Eidem[2].

Cum[c] te ad partes Italie, commisso tibi plene legationis [officio][d], destinemus, nos, ut eo efficatius huiusmodi officium exequi valeas, quo maiori fueris per nos auctoritate munitus, discretioni tue privandi tam fratres hospitalis sancte Marie Theutonicorum quam religiosos alios, sive sint exempti sive non, tue legationis, privilegiis, indulgentiis, libertatibus et immunitatibus aliisque gratiis eis ab apostolica sede concessis, si fuerint pertinaciter inobedientes ecclesie vel rebelles seu contra ipsam presumpserint aliquid machinari, plenam tenore presentium concedimus potestatem — privilegio vel indulgentia qualibet non obstante.

Dat. ut supra.

a) Eidem *R.; antecedit n. XXV. Verbum* Eidem *etiam f. 72 in margine inferiore extat.* b) *cf. n. 303 XIII.* c) *cf. n. 303 III.* d) officio *deest R.*

1) *Haec ep. inter n. XXI et XXIII collocari debet; nam Petrus 'in Italiam' destinatus est, ut in n. XXIII, et ea, quae in ep. continentur, ep. n. XXI, quae etiam in Reg. antecedit, prope attingere videntur.* 2) *Ap. Potthast. Reg. sub n. 13291 quoque, falso sub Apr. 19.*

c.

E i d e m[a].

Cum[b] te ad partes Italie etc. ut supra usque: munitus, discretioni tue transferendi archiepiscopos et episcopos tue legationis de suis ecclesiis ad alias, si ad illas ipsos canonice vocari contigerit et utilitati ecclesie videris expedire, liberam concedimus auctoritate presentium potestatem.

Dat. ut supra.

d.

E i d e m.

Cum[c] te ad partes etc. ut supra usque: munitus, discretioni tue amovendi perpetuo tam archiepiscopos et episcopos quam alios ecclesiarum prelatos tue legationis, qui fuerint inobedientes ecclesie vel rebelles seu contra ipsam presumpserint aliquid machinari et in sua extiterint malitia pertinaces, ab amministratione spiritualium et temporalium suarum ecclesiarum et contradictores super hoc per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi — privilegio quolibet vel indulgentia sedis apostolice non obstante — liberam concedimus tenore presentium potestatem.

Dat. ut supra.

e.

E i d e m.

Cum[d] [1] te ad partes Italie pro bono earum statu et ecclesie negotio promovendo de fratrum nostrorum consilio destinemus, discretioni tue exercendi libere censuram ecclesiasticam in omnes tam cathedralium quam aliarum ecclesiarum prelatos, exemptos et non exemptos, in universa capitula et conventus, duces, marchiones, comites, aliosque principes, necnon barones et quoslibet alios nobiles, in rectores, balivos, potestates, consilia, universitates, populos et quascumque personas, ecclesiasticas vel secculares, publicas vel privatas, tue legationis, cum videris expedire, — indulgentia sedis apostolice, si quam habent, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, et quibuslibet aliis apostolicis vel legatorum sedis eiusdem indulgentiis impetratis vel etiam impetrandis nequaquam obstantibus — plenam auctoritate presentium concedimus potestatem.

Dat. ut supra.

f.

E i d e m.

Cum[e] te ad partes etc. usque: destinemus, discretioni tue presentium auctoritate concedimus, ut cum quinquaginta personis religiosis defectum natalium patientibus illarum partium, cuiuscumque sint ordinis, quod — huiusmodi non obstante defectu — ad prelaturas et administrationes suorum ordinum licite assumi possint, valeas dispensare.

Dat. ut supra.

g.

E i d e m.

Cum[f] te ad partes etc.[g] usque: destinemus, discretioni tue presentium auctoritate concedimus, ut cum quibuslibet religiosis vel secularibus[h] personis tue legationis, cuiuscumque sint ordinis, que dato aliquo pro acquirendis vel recepto pro exhibendis locis

a) Eidem *in marg. scriptum deest in rubro.* b) *cf. n. 303 V.* c) *cf. n. 303 IV.* d) *cf. n. 303 X.* e) *cf. n. 303 I.* f) *cf. n. 303 VII.* g) pro ecclesie ac imperii negotio *ibid.* h) vel secul. *deest ibid.*

1) *Antecedunt in Reg. n. XVII et XVIII. Fortasse notandum est initium ep. sequentium ab ep. b—d discrepare.*

in monasteriis commiserunt symoniacam pravitatem, possis dispensare, sicut videris expedire, — non obstante constitutione concilii generalis.

Dat. ut supra.

h.

Eidem.

Cum[a] te ad partes etc. usque: destinemus, discretioni tue presentium auctoritate concedimus, ut si forte impeditus fueris, quod idem regnum nequeas libere introire, vel si exinde te pro aliqua causa exire oportuerit ac ad partes alias declinare, possis inibi existendo legationis officium in predicto regno nichilominus exercere.

Dat. ut supra.

i.

Eidem.

Cum[b] te ad partes etc. usque: destinemus, nos, ut eo efficacius huiusmodi officium exequi valeas, quo maiori fueris per nos auctoritate munitus, discretioni tue recipiendi cessiones tam archiepiscoporum et episcoporum quam prelatorum aliorum, sive sint exempti sive non, tue legationis, liberam tenore presentium concedimus potestatem.

Dat. ut supra.

k.

Eidem.

Cum[c] te ad partes etc. usque: destinemus, discretioni tue dispensandi cum clericis tue legationis defectum natalium patientibus, quod — huiusmodi non obstante defectu — in susceptis ministrare ordinibus, ascendere ad maiores[d] ac ecclesiastica beneficia seu personatus vel dignitates, pontificali dumtaxat excepta, etiam si curam habeant animarum annexam, obtinere valeant, auctoritate presentium concedimus facultatem.

Dat. ut supra.

l.

Eidem.

Cum[e] te ad partes etc. usque: destinemus, clericis, qui tecum permanserint et quos pro agendis ecclesie duxeris destinandos, ut[f] quamdiu tecum fuerint vel negotiis ipsius ecclesie de mandato [tuo][g] institerint peragendis, integre recipiant beneficiorum suorum proventus, distributionibus cotidianis exceptis, ac si personaliter in ecclesiis, in quibus beneficia ipsa obtinent, residerent, — privilegio, indulgentia, statuto et consuetudine iuramento seu quacumque alia firmitate vallatis nequaquam obstantibus — auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo etc.

Dat. ut supra.

XXIV.

Innocentius IV papa Perusinis mandat, ut credant et faciant, quae P[etrus] cardinalis legatus iis proposuerit. *1249, Apr. 17.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 73, cur. n. 62.
Potthast, Reg. 13735; Berger 4723.

.. potestati, consilio et communi Perusinis.

Cum dilectum filium nostrum P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem, apostolice sedis legatum, ad partes Italie de fratrum nostrorum consilio,

a) *cf. n. 303 XVII.* b) *cf. n. 303 XVI.* c) *cf. n. 303 XII.* d) *litt. es corr. alia tinctura.* e) *cf. n. 303 IX.* f) et *R.* g) mandato | institerint *R.: deest* tuo.

commisso sibi plene legationis officio, destinemus, universitati vestre mandamus, quatinus credatis et faciatis, que idem cardinalis vobis ex parte nostra duxerit proponenda [1].

Dat. ut supra.

In eundem modum . . potestati, consilio et communi Spoletanis [2], Tudertinis [a], Asisinatibus, Anconitanis [3], Racanatibus.

In eundem modum . . potestati, consilio et comuni Esculanis [4] spiritum consilii sanioris [b].

In eundem modum . . potestati, consilio et comuni Auximanis [5], de Sancto Severino, Fuliginatibus [6], Interampnensibus, nobilibus viris dominis de Arron [7].

XXV.

Innocentius IV papa P[etro] cardinali legato mandat, ut indevotos legationis suae gratiis a sede apostolica concessis privet. *1249, Apr. 19.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 72, cur. n. 48.

Potthast, Reg. 13290; Berger 4709.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum [diacono cardinali, apostolice sedis legato] [c].

Cum [d] nonnullis personis ecclesiasticis et secularibus tue legationis liberales nos exhibuerimus et benignos, eis tam super beneficiis quam aliis specialibus gratiis et indulgentiis nostras litteras concedendo, sperantes quod ipsi tanquam beneficiorum sedis apostolice non ingrati, nobis et ecclesie presertim oportunitatis tempore grata devotionis obsequia exhiberent et pro ipsius negotiis promovendis diligenti studio laborarent: volumus et presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus omnes illos, quos indevotos et ingratos reppereris in hac parte, privare penitus huiusmodi nostris gratiis non postponas, iniungens executoribus, quos eis super gratiis eisdem concessimus, ut per litteras apostolicas super hiis obtentas ad ipsos aliquatenus non procedant, et revocans omnem processum, siquis forte habitus est per eas; contradictores etc.

Dat. Lugduni, XIII Kal. Maii, anno VI°.

a) *Verba* In — communi *semper repetita sunt.* b) *Verba* spir. cons. san. *etiam ad ep. sequentes pertinent.* c) Eidem *R.; antecedit n. XXXI.* d) *cf. n. 303 XIV.*

1) *'Negotium regni Siciliae' papa non commemorat. — De Perusinis cf. n. 569.* 2) *Cf. n. 602.* 3) *Cf. etiam Berger 4610 et 4611; Potthast 13696 et 13697.* 4) *De his cf. Bohmer-Ficker 3776; cf. etiam Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 754, not. 1.* 5) *Sedes episcopalis Auximana a Gregorio IX papa ad castrum Recanatense, quod usque eo ad diocesim Humanatensem pertinuerat, a. 1240 translata erat; cf. t. I, n. 789 et 797. A. 1247, Oct. 13 Innocentius episcopo Humanati in recompensationem castri Recanat. spiritualia et temporalia iura, quae in villa Auximana et circa eam quondam episcopus eiusdem habuisset, in perpetuum concesserat eandemque villam ipsi diocesana lege spiritualiter submiserat; Berger 3306; Potthast, Reg. 12726; cf. Berger 3307. — Auximani sub fine a. 1249 vel initio a. 1250 Petro cardinali se subiecerunt, sed a. 1250 ad partes imperatoris redierunt; Bohmer-Ficker, l. c. 3828; cf. de eisdem ibid. 3645.* 6) *Cf. ibid. 3796 et 3797.* 7) *Ayrone in Ducatu, ex sept. civ. Nursiae. — His solis civitatibus ita scriptum fuisse credamus necesse non est; cf. N. A. t. X, p. 562, not. 1.*

XXVI.

Innocentius IV papa P[etro] cardinali legato mandat, ut Cincium Cinninum capellanum suum ad resignandam Roccam Larianam compellat. 1249, Apr. 21.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 73, cur. n. 63.
Potthast, Reg. 13295; Berger 4724.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum etc.[a].

Cum dilecto filio Cincio Cinnino[b] capellano nostro nostris iniungamus[c] litteris, ut Roccam Larianam[d][1] tibi sine mora qualibet et difficultate resignet, mandamus, quatinus eum, si necesse fuerit, ad eiusdem rocce resignationem per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas.

Dat. Lugduni, XI Kal. Maii, anno VI[e].

XXVII.

Innocentius IV papa clero civitatis et diocesis Penestrinae mandat, ut P[etro] cardinali legato in spiritualibus intendant. 1249, Apr. 21.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 73, cur. n. 64.
Potthast, Reg. 13296; Berger 4725.

Universo clero civitatis et diocesis Penestrine.

Cum dilectum filium nostrum P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem, apostolice sedis legatum, ad partes illas[e] pro ecclesie Romane negotiis destinemus, volumus et presentium vobis auctoritate mandamus, quatinus eidem in spiritualibus devote intendere procuretis[2], ipsius monita et precepta humiliter adimplendo. Alioquin sententiam, quam idem tulerit in rebelles, ratam etc.

Dat. ut supra.

XXVIII.

Innocentius IV papa O[ctaviano] Sanctae Mariae in Via Lata diacono cardinali, apostolicae sedis legato, mandat, ut P[etro] cardinali legato, pro regni Siciliae negotio destinato, in militibus, balistariis ac aliis, cum requisitus fuerit, subveniat.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 74, cur. n. 65. 1249, Apr. 21.
Potthast, Reg. 13736; Berger 4726.

O. Sancte Marie in Via Lata diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Cum dilectum filium nostrum P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem pro negotio regni Sicilie, commisso sibi plene legationis officio[3], destinemus, quia, quo magis est arduum ipsum negotium, eo pro illius executione subsidio indiget potiori, mandamus, quatinus ei in militibus et balistariis ac aliis, que ad promotionem ipsius negotii fuerint oportuna, cum ab ipso requisitus fueris, subvenire procures.

Dat. ut supra.

a) *ita in marg.;* Aureum diacono cardinali etc. *in rubro.* b) *minus perspicue;* Cinario *R.* c) iniungimus *R.* d) Larian *R.* e) *ita R.*

1) *Ex sept. cir. Velletri, in monte Algido.* 2) *Sedes Penestrina ab a. 1244 vacabat.* 3) *Ex hac ep. a papa familiari suo directa cognoscimus Petro pro solo negotio regni alias potestates commissas fuisse.*

XXIX.

Innocentius IV papa archiepiscopis et aliis praelatis Tusciae, terrarum ecclesiae et regni Siciliae mandat, ut quotiens a P[etro] cardinali legato requisiti fuerint, ecclesias suas earumque bona pro promovendo negotio ecclesiae et imperii obligent. **1249, Apr. 21.**

Inn. IV Reg. Lib. VI. f. 71, cur. n. 66. Contulimus hanc epistolam cum ep. n. 310 [1], quae cum ea concordat.

Potthast, Reg. 13737; Berger 4727.

.. archiepiscopis et episcopis et[a] abbatibus, prioribus aliisque prelatis ecclesiarum, tam exemptis quam non exemplis. per Tusciam, marchiam Anconitanam, ducatum Spoleti et Patrimonium beati Petri, Campaniam, Maritimam, Romaniam et regnum Sicilie constitutis.

Cum dilectum filium nostrum P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem, apostolice sedis legatum[b], virum utique scientia preditum, honestate decorum et in consiliis circumspectum, ad partes Italie, commisso sibi plene legationis officio, pro ecclesie ac imperii [negotio][c] destinemus: universitatem vestram rogamus et hortamur attente, mandantes quatinus ecclesias vestras earumque[d] bona pro eodem negotio promovendo, quotiens a prefato cardinali requisiti fueritis, sine difficultate qualibet obligetis. Presentium enim[e] tenore promittimus, quod[f] vos et easdem ecclesias omnino indempnes servabimus in hac parte ac una cum fratribus nostris, quicquid[g] cum predicto cardinali disponendum seu ordinandum duxeritis, firmum habebimus et acceptum, et nos ei promittendi hoc vobis plenam concessimus potestatem.

Dat. ut supra.

XXX.

Innocentius IV papa eisdem mandat, ut feuda et beneficia ecclesiastica indevotis auferant et de consilio P[etri] cardinalis legati devotis conferant. **1249, Apr. 21.**

Inn. IV Reg. Lib. VI. f. 71, cur. n. 67. Contulimus hanc epistolam cum ep. n. 308 [1], quae cum ea concordat.

Potthast, Reg. 13738; Berger 4728.

Eisdem.

Recte considerationis examine libra presidentis appenditur, cum subditorum merita sic iusta extimatione pensantur, ut devotorum obsequiis retributio digna respondeat et obprobrii pena perpetui infidelium colla[h] premat. Sic enim in beneficiis bonorum plures ad virtutum merita eriguntur et in pravorum penis ceteris delinquendi audacia prohibetur. Cum itaque, sicut accepimus, nonnulli clerici et laici a vobis et vestris ecclesiis feuda et ecclesiastica beneficia obtinentes adheserint et adhuc adherere presumant F. quondam[i] imperatori et Conrado nato eius, persecutoribus ecclesie manifestis, volumus et presentium vobis auctoritate districte precipiendo mandamus, quatinus feuda et beneficia ipsa eis auferre ac eadem aliis fidelibus, devotis ecclesie, de consilio[k] dilecti filii nostri P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, apostolice sedis legati, conferre curetis. Alioquin eidem legato litteris nostris iniungimus, ut ipse super hoc mandatum apostolicum exequatur: contradictores etc.[l].

Dat. ut supra.

a) et *in marg. superscr. deest in rubro.* b) *verba* ap. se. le. *desunt 1.* c) *1:* negotio *deest R.* d) *1:* eorumque *R.* e) *1:* tibi *R.* f) *1:* quos *R.* g) quicquid *repetitum et punctis deletum est.* h) *1:* corda *R.* i) Romanorum *add. 1.* k) et beneplacito *add. 1.* l) *verba* contradictores etc. *in 1 post* curetis *leguntur, ubi etiam in authentico huius ep. ea posita fuisse credimus. Formula in minuta initio omissa, postea annotata et loco falso registrata videtur; cf. n. 58 et 345.*

XXXI.

Innocentius IV papa P[etro] cardinali legato committit, ut in professores ordinis Cisterciensis, quos in negotiis sedis apostolicae invenerit contumaces, inquirere, visitare et castigare possit. *1249, Apr. 27.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 72, cur. n. 47.
Potthast, Reg. 13311; Berger 4708.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum [diacono cardinali, apostolice sedis legato][a].

Licet tue sit officio legationis annexum, ut inquisitionis, visitationis et correctionis ministerium in ordinis[b] religiosos cuiuslibet valeas exercere, specialiter tamen sinceritati tue presentium auctoritate committimus, ut in Cisterciensis ordinis professores, presertim quos in negotiis apostolice sedis contra ipsius honorem inveneris contumaces, inquiras, visites et castiges, prout tue discretionis arbitrio videris expedire, — non obstantibus privilegiis vel indultis sive litteris a sede impetratis eadem, etiam si presentes de ipsis expressam non fecerint mentionem —; contradictores etc.

Dat. Lugduni, V Kal. Maii, anno VI[o c].

682.

Innocentius IV papa decano et capitulo Cameracensibus nuntiat se electionem Nicolai de Fontanis in episcopum Cameracensem confirmasse; mandat, ut ei obediant.

1249, Apr. 9.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 57, n. 148. Exemplar Baluzii, Misc. t. VII, p. 480 contulimus cum Regestis.
Potthast, Reg. 13277; Berger 4410.

.. decano et capitulo Cameracensibus.

Vacante olim Cameracensi ecclesia[1] et ipsius canonicis die ad eligendum prefixa in unum convenientibus, nonnulli ex eis in venerabilem fratrem nostrum Nicolaum de Fontanis[2] Cameracensem episcopum, tunc ipsorum canonicum[d], premisso scrutinio consentientes, ipsum in presulem elegerunt, deportationis sollempnitate insuper subsecuta. Sed considerato postmodum quod huiusmodi electio a maiori et saniori parte omnium non extiterit celebrata, mox cum electo ipso ad capitulum sunt reversi; cumque dictus electus electioni renuntiasset eidem et in diem sequentem fuisset eligendi terminus prorogatus, canonicis ad eligendum in eodem termino congregatis, quidam ex ipsis, pro se ac sibi adherentibus asserentes, quod cum premissa electio contra formam generalis concilii presumpta fuisset illi qui ad eam processerant erant eligendi ea vice potestate privandi, ne ad eligendum procederent, sedem apostolicam appellarunt. Eis ergo de capitulo recedentibus nec redire curantibus, quamquam super hoc requisiti

a) Eidem *R.: antecedit n. XIV. Hoc loco praeter* diac. card. *sine dubio supplendum est* apostolice sedis legato. b) ordinibus *corr.* ordinis. c) Dat. ut supra *R. Ad hanc ep. notam chronol.* V Kal. Maii *recte pertinere putamus.* d) *leg.* concanonicum.

1) *Adhuc a. 1248, Mai. 7 Willelmus rex chartam in favorem Guidonis episcopi Cameracensis scribi iusserat; Bohmer-Ficker, l. c. 4918.* 2) *Fontaine-l'Évêque ex occ. cir. Charleroi.*

a ceteris pluries extitissent, demum hii, qui in capitulo ipso remanserant, eundem episcopum concorditer elegerunt. Cuius electio cum fuisset dilecto filio nostro P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, tunc in partibus Alammanie fungenti legationis officio, presentata, iidem, qui prius appellaverant, in eius comparentes presentia, ex premissa causa, et quia sicut asserebant post appellationem eorum canonicam ipsa electio attemptata fuerat, ne confirmaret eandem, ad nos duxerunt denuo appellandum, addicientes quod patiebatur idem episcopus in litteratura defectum. Sed predictus cardinalis, presente venerabili fratre nostro .. Remensi archiepiscopo[1] loci metropolitano, et personam electi et electionis processum diligenter examinans, comperto quod electus[a] ipse litterature sufficientis existeret, cognito etiam quod appellatio, que prius interposita fuerat, impedire nequivit, quin hii qui remanserant in capitulo canonice sibi possent personam idoneam eligere in pastorem, electionem ipsam confirmare curavit. Accedentibus itaque ad prefatam sedem hiis, qui electionem impugnabant eandem, et ipsam ex premissis causis, et quia ut dicebant die que ad eligendum statuta non fuerat extiterat celebrata, cassari petentibus, nos eos super hoc[b] exigente iustitia non duximus audiendos. Denique obiciente uno ipsorum quedam in personam electi, et eodem electo propter hoc coram nobis personaliter comparente, ac lite super hiis legitime contestata, prestitoque de dicenda veritate a partibus iuramento, et factis positionibus et responsionibus ab eisdem testibus productis et attestationibus publicatis, ac auditis partis[c] allegationibus utriusque: tandem partes eedem nostro se arbitrio totaliter submiserunt. Nos autem, considerato quod memoratus episcopus, sicut ex relatione nobis ipsius constitit cardinalis, qui examinavit eundem, litterature sufficientis existit, considerato etiam quod de obiectis sibi nichil fuerat omnino probatum, pensato insuper quod idem honestate vite, morum maturitate fulgere dinoscitur, que circa ipsum in premissis canonice acta fuerunt, auctoritate apostolica approbantes et supplentes de plenitudine potestatis defectum, si forsan aliquis in hiis fuerit, eundem Cameracensi ecclesie de fratrum nostrorum consilio in episcopum prefecimus et pastorem, cui postea sacerdotii ordinem conferri fecimus et nos ipsi consecrationis munus duximus impendendum. Mandamus, quatinus eundem episcopum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes, obedientiam sibi et reverentiam debitam impendatis, monitis et mandatis eius salubribus humiliter intendendo. Alioquin sententiam, quam idem rite etc.

Dat. Lugduni, V Id. Aprilis, anno VI°.

683.

Innocentius IV papa [Nicolao] episcopo Cameracensi mandat, ut observari faciat ordinationem a P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali editam in lite, quae inter canonicos Leodienses crucesignatos et non crucesignatos de proventibus praebendarum suarum orta fuerit. *1249, Apr. 9.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 37, n. 151. Exemplar Baluzii, Misc. t. VII, p 482 contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 13278; Berger 4413.

.. episcopo Cameracensi.

Inter canonicos crucesignatos ex parte una et quosdam canonicos non crucesignatos Leodiensis ecclesie ex altera, super eo quod dicti crucesignati petebant sibi

a) eletus *R.* b) hoc *deest R.* c) *litt. s in loco raso et alia tinctura.*

1) *Iuhello.*

ministrari sine diminutione aliqua proventus prebendarum suarum ipsius ecclesie, prout ex indulgentia ratione crucis assumpte ipsis concessa sibi competere asserebant, orta materia questionis: tandem, eisdem partibus ad nostram presentiam evocatis, et quibusdam ipsorum crucesignatorum personaliter, quibusdam vero per procuratorem[a], ac etiam quibusdam ipsorum non crucesignatorum personaliter et quibusdam per procuratores suos propter hoc apud sedem apostolicam constitutis, nos sopiendam questionem huiusmodi dilecto filio nostro P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali duximus committendam[1]. Idem vero cardinalis, deliberatione habita diligenti, super hiis inter eos de speciali mandato nostro taliter ordinavit, ut Iohannes de Appia et Gerardus de Peis archidiaconi, magister L. scolasticus, G. cantor, . . prepositus Lovaniensis, . . custos Sancti Dionisii, magister Gerardus de Bohaing, Iohannes de Gothegni et Symon dictus Dagores canonici eiusdem ecclesie, tempore voti[b] emissi commorantes Leodii et in dicta ecclesia residentes, qui vota sua coram Aquis sunt personaliter executi, percipiant ex nunc per triennium proventus prebendarum suarum ipsius ecclesie, ubicunque fuerint, integre, sive in blado, pane, vino, denariis aut obventionibus quibuscunque consistant, ea parte distributionum dumtaxat excepta, que consistit in denariis, qui canonicis deservientibus in horis canonicis et anniversariis exhibentur. Sane canonici foranei et alii residentes, qui tempore voti emissi Leodii minime morabantur, quique vota sua coram Aquis sunt personaliter executi, videlicet . . Coloniensis[2], . . Aquensis[3] et . . Remensis[4] prepositi, Hermannus de Salmis[5], Anselmus de Barbenehero[c], Iohannes de Kantem[d], Iacobus de Iacta, et Henricus de Alois, qui Hugonem militem patrem suum de consensu cardinalis eiusdem, tunc in illis partibus legationis officium exercentis, substituisse[e] dicitur loco sui, proventus prebende grosse per idem tempus, ubicunque fuerint[f], simili modo percipiant et eisdem proventibus sint contenti: concessa tam residentibus quam foraneis canonicis antedictis fructus huiusmodi per idem tempus vendendi, obligandi, assignandi vel alio modo disponendi de illis, prout expedire viderint, libera facultate. Quod si contigerit eosdem canonicos servire in prefata ecclesia vel etiam residere, proventus prebendarum suarum prenominate ecclesie ipsis sicut aliis in ea servientibus et residentibus integre debeant ministrari; idque dictus cardinalis extendi ordinavit ad supradictos canonicos, qui ante voti emissionem in prenominata ecclesia fecerint residentiam consuetam. Illi namque, qui dictam residentiam in eadem ecclesia non fecerunt[g], ex indulgentia crucis assumpte concessa, quantum ad beneficiorum proventus, nichil amplius consequantur, quam quod tempus illud, quo fuerunt in expeditione Aquensi, eis pro residentia illius anni poterit, si voluerint, computari; preter Arnulfum dictum Digant canonicum ecclesie antedicte, qui licet consuetam residentiam non compleverit in eadem, poterit tamen per idem tempus se, si voluerit, absentare — non obstantibus contraria consuetudine vel statuto seu iuramento quod de facienda inibi residentia dicitur prestitisse —, nichil in absentia interim percepturus; illis canonicis crucesignatorum eorundem, qui de beneficio crucis

a) procuratorē *R.* b) evoti *R.* c) Barbeneh'o *R.* d) Kantē *R.* e) sustinuisse *R.* f) fuerit *R.* g) fecerint *corr.* fecerunt.

1) *Hic a. 1249, Febr. 20 — Mai. 10 chartis papae subscripsit.* 2) *Henricus de Vienna [Vianden] capellanus papae, nepos archiepiscopi Coloniensis. Sub a. 1248, Ian. 5 papa archiepiscopo mandaverat, ut ei in regno Alamanniae provideret in beneficiis, quorum redditus ducentas marcas argenti annuatim valerent; Berger 3517; cf. Bohmer-Ficker, l. c. 4932.* 3) *Otto, de quo cf. n. 255. Sub a. 1247, Aug. 31 et 1248, Apr. 9 eidem, qui pro ecclesiae negotiis graves subiisset expensas personamque suam periculis frequenter exponens multorum odium incurrisset, quasdam gratias largitus erat: Berger 3239 et 3783; cf. etiam Böhmer-Ficker, l. c. 4932.* 4) *Hugo.* 5) *Sub a. 1245, Febr. 10 papa Hormanno [sic] praeposito Sancti Pauli Leodiensis, germano comitis de Salmis, unum adhuc beneficium retinendi licentiam concesserat; Berger 1001. Hic H. fortasse idem fuit.*

assumpte confisi se absentaverunt ab ecclesia sepedicta, penam nullam exinde incursuris. Ideoque mandamus, quatinus ordinationem huiusmodi facias per censuram ecclesiasticam appellatione remota firmiter observari, relaxans auctoritate nostra sententias, si que in illos qui ordinationi eidem paruerint occasione sepefate indulgentie sunt prolate, ac dispensans cum eis super irregularitate, si quam ex hoc forsitan incurrerunt, et faciens ea omnia, que de bonis ipsius ecclesie hac de causa occupata sunt vel detenta, integre restitui ecclesie memorate; contradictores etc. Nolumus autem, quod hec ordinatio contra privilegia et consuetudines ecclesie predicte ad consequentiam de cetero protrahatur, — contraria[a] consuetudine vel statuto vallato iuramento seu firmitate alia non obstantibus.

Dat. Lugduni. V Id. Aprilis, anno VI°.

684.

Innocentius IV papa archiepiscopis et episcopis, qui ab [Alberto] archiepiscopo Prusciae requisiti fuerint, mandat, ut fratri Henrico ordinis Praedicatorum, quem idem archiepiscopus terrae Iatwesoniae in episcopum praefecerit, sed e provincia sua eiectus ipse consecrare non possit, munus consecrationis impendant. *1249, Apr. 11.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 37, n. 447. Exemplar Baluzii, Misc. t. VII, p. 178 contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 13283; Berger 4439.

Archiepiscopis[b] et episcopis, ad quos littere iste pervenerint.

Cedit ad Dei gloriam et honorem, quod tales custodes in ipsius vinea preferantur, qui sibi per vite meritum et aliis proficiant per exemplum. Sane, sicut accepimus, venerabilis frater noster . . Livonie ac Pruscie archiepiscopus, apostolice sedis legatus, prudenter attendens laudabilem conversationem et scientie merita dilecti filii fratris Henrici ordinis Predicatorum, qui una cum eo pro negotio fidei et ecclesie diligenter et fideliter laboravit, considerans[c] quoque quod terra Iatwesonie[1] per ipsius fratris industriam in spiritualibus et temporalibus auctore Domino laudabilia suscipere poterit incrementa, eundem fratrem predicte terre, prout auctoritate litterarum nostrarum ad dictum archiepiscopum spectabat, prefecit in episcopum et pastorem. Cum autem idem archiepiscopus extra suam provinciam sit eiectus[2], nec in aliena permittatur dictum fratrem in episcopum consecrare, fuit ex parte predicti fratris nobis humiliter supplicatum, ut sibi faceremus munus consecrationis impendi. Quocirca fraternitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, mandantes quatinus quicumque vestrum super hoc ab eodem archiepiscopo per ipsius litteras fuerit requisitus, memorato fratri, convocatis aliquibus de vicinis episcopis, munus consecrationis impendat.

Dat. Lugduni. III Id. Aprilis, anno VI°.

a) *Verba* contraria — obstantibus *rectius ante verbum* contradictores *ponenda videntur, cum 'consuetudines' et 'statuta' ordinationi et dispensationi faciendis obstare non debeant; cf. p. 504, not. l.* b) *duo puncta minus recte anteposita sunt; margo resecata est.* c) consideratis *B.*

1) *E mer. et or. prov. Prusciae, inter fl. Bug et Niemen; cf. Perlbach, Preuss. Reg. 314—315.*
2) *In charta p. 470, not. 1 citata archiepiscopus promiserat, 'quod sedem nusquam constituamus in Pruscia, nisi hoc de bona fratrum processerit voluntate'.*

685.

Innocentius IV papa [Henrico III] episcopo Argentinensi ad preces ipsius committit, ut cum Conrado de Sulze et Lucarda dispensare possit, ut in matrimonio contracto, impedimento canonico non obstante, remaneant. *1249, Apr. 13.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 38, n. 455.

Potthast, Reg. 13286; Berger 4447.

. . episcopo Argentinensi.

Attenta sedis apostolice circumspectio congrue temporum etc. ut supra in LVI capitulo[a] usque: semper agat. Hinc est, quod cum, sicut nobis per tuas litteras extitit intimatum, Corradus de Sulce[1] laicus cum Lucarda muliere, cuius filiam, quam ex alio viro susceperat, quondam . . uxor ipsius C. de sacro fonte levavit, duxerit matrimonium contrahendum, nos, tuis supplicationibus inclinati, fraternitati tue presentium tenore committimus, ut cum eisdem C. et L., quod in matrimonio sic contracto — impedimento huiusmodi non obstante — licite remanere valeant, auctoritate nostra dispenses, si videris expedire.

Dat. Lugduni, Id. Aprilis, anno VI°.

686.

Innocentius IV papa [Conrado] archiepiscopo Coloniensi intuitu C[onradi] et H[enrici] comitum de Friburc et quondam C[onradi] episcopi Portuensis mandat, ut Gebehardo capellano suo, germano comitum, de aliquo episcopatu totius Alamanniae, quam cito facultas se obtulerit, provideat. — Si Gebehardus illum episcopatum, qui sibi primo oblatus fuerit, acceptare noluerit, archiepiscopus ei de alio providendi potestatem habeat. *1247, Apr. 13.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 40, n. 467 et f. 39, n. 162. Exemplaria Baluzii, Misc. t. VII, p. 491 et 488 contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 13284 et 13285; Berger 4460 et 4451.

1.

. . archiepiscopo Coloniensi[2].

In tantum erga illos exuberat apostolice gratie plenitudo, qui eidem per fidem approbatam operibus se idoneos reddiderunt, ut eam et suis proficere commodis sentire

a) *ut in n. 452.*

1) *Ut videtur Sulz in Alsatia superiore e mer. cir. Gebweiler.* 2) *Neque in margine verba 'apostolicae sedis legato' adscripta sunt, neque in ulla ep. papae ante Apr. 30 data Conradus 'legatus' appellatur; nam ep. Berger 4507, sicut Ficker, Mitth. d. Inst. f. österr. Gesch. t. IV, p. 379 et sequ. demonstravit, non sub Mart. 14 sed sub Mai. 14 ponenda est; cf. n. 722. Nihilominus Conradus ipse sub Apr. 10 et 30 'legatum' se appellavit, Cardauns, Regg. Konr. v. Hostaden n. 229 et 232; ep. eius, quam Bohmer, Acta Imp. sel. p. 674, n. 968 sub a. 1249, Mart. 23 dedit, ut p. 468, not. 1 probavimus, ad a. 1250 pertinet. Credimus, sicut Ficker, l. c. p. 387 coniecit, Conrado primum legationem 'non plenam', Apr. 30 'plenam' concessam esse. — Huic rei convenit ep. non registrata ap. Hartzheim, Conc. Germ. t. III, p. 440: papa ignotus archiepiscopis, episcopis et aliis praelatis regni Theutoniae nuntiat se archiep. Coloniensi in favorem negotii Dei et ecclesiae, quod in Theutoniae partibus agatur, legationis officium commisisse, mandans ut ei super ipso negotio inten-*

valeant et ad coherentes[a] sibi naturali necessitudine derivari[b]. Sane revolventes in animo devotionis et fidei puritatem, qua dilecti filii nobiles viri C. et H. fratres comites de Friburch eorumque progenitores sedi apostolice placuerunt, et recolendam memoriam C. Portuensis episcopi patrui eorundem, dilectum filium Gebehrardum[c] capellanum nostrum, ipsorum germanum, speciali[d] gratie nostre privilegio decrevimus honorandum. Mandamus, quatinus eidem G. de aliquo episcopatu totius Alamanie, quam cito se ad id facultas obtulerit, provideas vice nostra, et ab illius ecclesie subditis, cui eum prefeceris, facias sibi obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, contradictores etc., — non obstantibus aliqua sedis apostolice indulgentia[e] concessa quibuslibet vel imposterum concedenda, per quam possit mandati nostri executio impediri, vel constitutione de duabus dietis etc.

Dat. Lugduni, Id. Aprilis, anno VI°.

II.

.. archiepiscopo Coloniensi[f].

Pro dilecto filio Gebehrardo[g] capellano nostro, fratre nobilium virorum C. et H. comitum de Friburch, ut ei vice nostra de aliquo episcopatu totius Alamannie, quamcito ad id se facultas obtulerit, providere debeas, tibi dereximus scripta nostra. Verum, ne gratia nostra sibi aliquo casu reddatur inefficax vel ingrata: si idem G. episcopatum illum noluerit acceptare, quem sibi, cum ad id facultas occurrerit, duxeris offerendum, nolumus, quod propter hoc collata tibi auctoritate litterarum nostrarum potestas, quo minus ei de alio, cum se facultas obtulerit, providere debeas, evanescat[1].

Dat. Lugduni, Id. Aprilis, anno VI°.

687.

Innocentius IV papa Sarracinae, uxori Giffridi de Gallucio, obtentu Rogeri de Galluecio soceri ipsius omnia bona confirmat, quae quondam comitissa Caecilia,

a) coherentis *R.* b) derivare *R.* c) *ita R.* d) specialis *alias hoc loco dicebatur.* e) indulgentia apostolice *R.* f) *neque hic neque in margine verba* apostolice sedis legato *adscripta sunt.* g) *ita R.*

dant eique procurationes debitas impendant. Ficker, l. c. p. 389 ep. ad a. 1249 pertinere docuit eamque post Apr. 30 posuit, sed iam ante Apr. 30 scripta videtur; nam a) Conrado conceditur officium 'legationis', non 'plenae legationis' ut Apr. 30, b) cum 'plena legatione' ius percipiendi 'procurationes' coniunctum fuisse credere nos oportet, nam cum ea specialiter non confertur; cf. n. 303 VIII. Conrado ergo legati potestas in solis rebus, quae negotium contra Fridericum promovendum spectabant, collata videtur. — Conrado titulus 'legati' denegatus, Sigefrido [cf. n. 642 et 653] et Raynerio cardinali [cf. p. 192, not. 3] concessus est; Iacobus, de quo cf. p. 326, not. 3, neque in papalibus neque in suis ipsius epistolis [propter archiepiscopum Prusciae 'legatum'?] 'legatus' appellatur [cf. epp. ap. Perlbach, Preuss. Reg.]; sed ab aliis 'legatus' [Cod. dipl. Pomeran. n. 395] et postea a papa ipso [Potthast 13840] 'olim in partibus illis ap. se. legatus' dicitur. Qui usus curiae fuerit, non satis nobis constat. Certe invitus papa Conradum legatum Teutoniae constituit, cum aptum tali officio eum non duceret, cf. p. 167, not. 2 et n. 706. A. 1250 ineunte papa, attendens 'plurimam opportunam aliquos de latere nostro ad partes Alamanniae pro negotio ipso [ecclesiae et imperii Romani] dirigere', illuc [Petrum] episcopum Albanensem cum plenae legationis officio destinavit; Hartzheim, l. c. t. III, p. 155, cf. 140; cf. Böhmer-Ficker, l. c. 1996 a.

1) *Fortasse notandum est, qualiter hae duae epistolae cum n. 653 concordent.*

mater eius, ex donatione quondam Pandulfi de Aquino habuerit et ei postmodum donarit. *1249, Apr. 16.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 38, n. 457.
Potthast, Reg. 13596; Berger 4449.

Nobili mulieri Sarracine, uxori Giffridi de Gallucio[1].

Iustis petentium etc. usque: complere. Cum igitur, sicut porrecta nobis ex parte tua petitio continebat, bone memorie comitissa Cecilia mater tua omnia bona, que quondam Pandulfus de Aquino consanguineus suus ad se spectantia sibi concesserat[a] et donarat, tibi, prout ad ipsam spectabant[b], postmodum concesserit et donarit, sicut in instrumento inde confecto plenius dicitur contineri: nos, obtentu dilecti filii nobilis viri Ro[geri][c] de Gallucio[2], soceri tui, nobilitatis tue precibus annuentes, quod ab eadem comitissa super hiis rite ac provide factum est ratum habentes, bona ipsa tibi auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Lugduni, XVI Kal. Maii, anno VI°[3].

688.

Innocentius IV papa [Conrado] archiepiscopo Coloniensi mandat, ut omnibus collegiis ecclesiarum Alamanniae interdicat, ne ecclesiis suis, cum vacaverint, de pastoribus provideant sine licentia apostolica. *1249, Apr. 20.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 39, n. 466. Exemplar, quod Hofler, Alb. v. Beh. p. 188 edidit, cum Regestis contulimus.
Potthast, Reg. 13292; Berger 4458.

.. archiepiscopo Coloniensi[d].

Dum adhuc elata, licet elisa non modicum, persequentis rabies foris instat, singulos divine domus aditus cauta volumus prout possumus vigilantia observari, ut in gregis pernitiem lupi pro pastoribus vel in pestem domesticam[e] hostes pro hospitibus [non][f] inducantur. Quocirca, ut in ecclesiasticis gubernaculis, presertim in regno Theotonie, hoc tempore ordinandis nullus per aliquas dissensiones locus pateat colubro tortuoso, qui ab unitate divisus receptacula sibi procurat in scismatibus et scissuris: mandamus, quatinus omnibus collegiis[4] ecclesiarum Alamannie auctoritate nostra districtius interdicas, ut, cum ecclesias ipsas contigerit vacare pastoribus, ad

a) concesserit *corr.* concesserat, *sed minus perspicue.* b) spectabatur *R.* c) Roḡ *R.* d) *neque hic neque in marg.* apostolice sedis legato *legitur.* e) domesticū *R.* f) non *deest R.*

1) *Gallucio in Terra Laboris, ex sept. cir. Sesso.* 2) *De Rogero de G. cf. t. I, p. 459, not. 6 et infra sub n. 689.* 3) *Sub a. 1248, Dec. 2 papa Sarracinae uxori Giffridi de G., nati Rogeri de G., confirmaverat bona quondam Rogerii Flamingi avunculi ipsius, qui eam in ultima voluntate sua haeredem constituisset; Berger 4224; Potthast, Reg. 13487.* 4) *Verbum 'collegiis' corruptum et 'capitulis cathedralium eccl. Al.' legendum videtur. Alias enim Conradi potestas, cum Apr. 30 'plenae' legationis officium obtineret, deminuta fuisset; cf. n. 705 II. Insuper 'pastor' 'episcopum' significare solet; cf. inter alias epp. n. 245, 217, 289, 290, 330, 430, 435, 437, 500 et inprimis 241 et 303 XV et XX; cf. tamen Berger 4677. Cf. etiam easdem duas auctoritates Sigefrido legato sub Febr. 12 et Mart. 1 collatas, n. 663 III. Fortasse papa formam ep. n. 663 III, 'legato' directam, Conrado mittere noluit.*

electionem vel postulationem seu nominationem aliquam, nisi prius a nobis petita et obtenta licentia, non procedant, irritum nuntians si quid contra prohibitionem huiusmodi contigerit attemptari.

Dat. Lugduni, XII Kal. Maii, anno VI°.

689.

Innocentius IV papa R[ogero] de Gallucio, ecclesiae devoto, castrum Vayrani Teanensis dioecesis, quo F[ridericus] quondam imperator ipsum spoliarit, restituit. 1249, Apr. 22.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 56, n. 616. Epistola non ante ultimos dies mensis Iunii registrata est. Potthast, Reg. 13300; Berger 4606.

Nobili viro R. de Gallucio, ecclesie Romane devoto.

Apostolice sedis providentia consueta subditorum merita sollertis deliberationis examine discutit, et que rationis iudicio pótiora[a] diffinit, premiorum remunerat retributione maiorum, uberioribus illa prosequendo favoribus et beneficiis plenioribus attollendo. Hinc est, quod cum tu illa erga Romanam ecclesiam devotione ferveas eamque circa ipsam studeas servare constantiam, ut inter alios eius filios fidelitatis titulo specialiter insignitus, merearis ab ea multipliciter honorari, nos, hoc non indigne pensantes et volentes tuis intendere comodis tuique honoris augmentum sollicite procurare, tuis supplicationibus inclinati, castrum Vayrani[1] Teanensis diocesis, quod tibi ut asseris felicis recordationis G. papa predecessor noster liberaliter contulit, cum eo te F. quondam imperator pro suo libito spoliarit[2], cum dominio, iuribus, honoribus ac omnibus pertinentiis suis tibi tuisque successoribus, presertim cum regnum Sicilie rege nunc careat, restituimus et concedimus de gratia speciali, dummodo ad alium dictum castrum non pertineat in devotione ecclesie persistentem. Volumus autem, ut postquam eiusdem castri possessionem habueris, tam tu quam dicti successores pro castro ipso homagium et fidelitatem et alia ecclesie predicte vel regi, qui per eam pro tempore fuerit in regno predicto, prestare[b] tenearis, que alii vassalli eiusdem regni pro castris que obtinent sibi exhibere tenentur. Nulli ergo etc. nostre restitutionis et concessionis etc.

Dat. Lugduni, X Kal. Maii, anno VI°.

690.

Innocentius IV papa [Conrado] archiepiscopo Coloniensi ad preces [Willelmi] regis Romanorum mandat, ut dispenset cum Bastiano de Viseto milite, ut, canonico impedimento non obstante, in matrimonio contracto remaneat. 1249, Apr. 22.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 40—41, n. 477. Potthast, Reg. 13608; Berger 4467.

.. archiepiscopo Coloniensi.

Ex parte carissimi in Christo filii nostri .. regis Romanorum illustris fuit nobis cum instantia supplicatum, ut cum Bastianus de Viseto[3] miles Leodiensis diocesis cum

a) potiori *corr.* potiora. b) prare *R.*

1) *Ad Vulturnum fl. ex sept. et or. cir. Teanensis.* 2) *Cf. n. 687.* 3) *Visé ad Mosam fl. infra civ. Leodiensem.*

Iuliana de Fontanis[a][1] habente septem annos vel circiter matrimonium contraxisset, a qua fuit, pro eo quod, comperto[b] per matronas, eadem mulier erat incognoscibilis, etiam cum ad etatem perveniret legitimam, iudicio ecclesie separatus, quia postmodum contraxit cum alia, que prefate I. est in tertio gradu consanguinitatis coniuncta et filios genuit ex eadem, dispensare cum eo super hoc de[c] benignitate solita curaremus. Volentes igitur eidem militi obtentu eiusdem regis gratiam facere specialem, mandamus, quatinus cum ipso auctoritate nostra dispenses, cum prefatus rex duxerit requirendum, ut — impedimento huiusmodi non obstante — remanere licite valeat in matrimonio sic contracto.

Dat. Lugduni, X Kal. Maii, anno VI°.

691.

Innocentius IV papa [Conrado] episcopo Misnensi mandat, ut [Otakarum] filium [Wenceslai] regis Bohemiae et barones Bohemiae, qui foedere coniuncti cum Conrado filio Fr[iderici] quondam imperatoris, [Ottone II] duce Bavariae aliisque regem suum impugnent, cogat, ut ab hac iniquitate desistant, [Nicolaum] episcopum Pragensem, qui contra regem eundem cum filio eius conspiret, ad sedem apostolicam citet et clericos illis faventes beneficiis ecclesiasticis privet. *1249, Apr. 22.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 39, n. 466 bis. Exemplar Baluzii, Misc. t. VII, p. 189 contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 13298; Berger 4459.

. . episcopo Misnensi.

Paterne benedictionis auctoritas devotum filium erigit in sublime ac eius contrarium erectum subito crudeliter eradicat. Unde Ioseph accrescens filius nuncupatur et Chanaan cum sua progenie subicitur servituti. Absalon quoque in quercu suspenditur et Salomon paterni culminis recipit diadema. Hec et quod in sacra pagina legitur: 'Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longevus super terram', si nobilis Exod 20, 12
vir natus carissimi in Christo filii nostri . . illustris regis Boemie, prout convenit, diligenter attenderet, ipsum regem patrem suum tamquam filius, benedictionem paternam hereditare[d] cupiens, honoraret[e] et ab eius offensa penitus abstineret. Sed idem, quorundam baronum regni Boemie, qui bona pacis oderunt et in malis discordiarum exultant, ductus iniquis persuasionibus et seductus, una cum ipsis, sicut accepimus, crudeliter predictum regem persequitur et hostili persecutione impugnat in detrimentum persone ac status ipsius regis, cum Corrado nato Fr. quondam imperatoris, duce Bawarie et aliis ecclesie persecutoribus fedus amicitie ac societatis dampnabiliter inhiendo[2]: in quibus omnibus . . episcopi Pragensis et quarundam aliarum personarum ecclesiasticarum eiusdem regni dicitur esse manus. Ne igitur tantum malum, si ei obviatum non fuerit, invalescat, mandamus, quatinus natum et barones eosdem, ut ab iniquitate huiusmodi penitus desistentes ad devotionem prefati regis, a qua sine nota infamie ac animarum periculis non possunt recedere, redeuntes, ei, ut tenentur, intendant, attentius moneas et inducas. Quod si monitis tuis acquiescere non curaverint,

a) Fontan *R.* b) *sequitur in R.* a qua fuit *punctis suppositis deletum.* c) hoc de *[fol. 41]* de *R.* d) hereditate *R.; cf. Hebr. XII, 17.* e) honorare *R.*

1) *Fontaine-l'Evêque ex occ. cir. Charleroi.* 2) *Cf. n. 553.*

ipsos et omnes eis in hac iniquitate fautores auctoritate nostra sublato appellationis impedimento excommunices et terras eorum subicias districtissimo interdicto, ita quod preter baptismata parvulorum et penitentias morientium nullum in eis celebretur divinum officium aut exhibeatur ecclesiasticum sacramentum, faciens huiusmodi excommunicationis et interdicti sententias singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, per loca in quibus expedire videris solempniter publicari, invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii secularis. Eundem vero episcopum, quia excommunicatus a dilecto filio fratre Gottifrido de ordine Predicatorum penitentiario nostro, ad partes illas destinato a nobis, nostra[a] exigente iustitia, divina officia, sicut dicitur, celebrare, immo, quantum in eo[b] est, verius prophanare presumpsit[1] et contra ipsum regem una cum eius filio conspirare, eadem auctoritate nostra [citans][c], prefigas ei terminum peremptorium competentem, quo personaliter nostro se conspectui representet pro meritis recepturus. Cum autem, sicut nostris est auribus intimatum, nonnulli prepositi, decani, canonici et rectores ac alii canonici ecclesiarum regni predicti, fovendo et adherendo supradictis nato regis et baronibus persecutoribus ecclesie contra eam, beneficiis ecclesiasticis reddiderint se indignos, et dignum sit, ut indevoti ex indevotione iacturam et devoti ex devotione commodum assequantur: volumus et mandamus, ut prepositos, decanos et alios antedictos, si tibi eos constiterit tales esse, personatibus et dignitatibus ac beneficiis, que ab ecclesiis obtinent, eadem auctoritate perpetuo[d] privans, facias ea conferri per illos, ad quos ipsorum collatio pertinet, si tamen sunt devoti ecclesie Romane. Alioquin tu illa conferas hac vice personis idoneis et ecclesie predicte devotis; contradictores etc.

Dat. Lugduni, X Kal. Maii, anno VI°[2].

692.

Innocentius IV papa [Conrado] episcopo Misnensi mandat, ut [Wenceslaum] regem Bohemiae, qui [Otakaro] nato suo et baronibus regni rebellantibus iuramentum de cessione regni coactus praestitisse dicatur, ab hoc iuramento absolvat. 1249, Apr. 24.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 10, n. 169. Exemplar nostrum contulimus cum Erben, Reg. Bohemiae t. I, p. 571, n. 1231.

Potthast, Reg. 13301; Berger 4462.

.. episcopo Misnensi.

Cum carissimus in Christo filius noster .. illustris rex Boemie, nobili viro .. nato eius una cum nonnullis baronibus regni Boemie contra ipsum nequiter insurgente ac eum impugnante hostiliter, iuramentum super cessione dicti regni eisdem nato et baronibus coactus prestitisse dicatur: mandamus, quatinus, si est ita, auctoritate nostra ipsum regem absolvas ab huiusmodi iuramento, concessa tibi eiusdem regis obtentu absolvendi iuxta formam ecclesie ab excommunicationis sententia omnes illos, qui eidem in recuperatione regni et honoris sui assistendo contra predictos pro incendiis

a) *aliquid excidisse videtur; fortasse* et suspensus auctoritate nostra *legendum est: cf. n. 376.* b) eis *corr. eo.* c) citans *deest R.: cf. n. 117.* d) perpetuos *R.*

1) *In Canon. Pragens. Contin. Cosmae, SS. t. IX, p. 172 legimus: 'A. 1249, XI Kal. Apr. episcopus Nicolaus suspendit ecclesias in sua diocesi constitutas a pulsatione campanarum et omni ornatu ecclesiae sollempni' etc.* 2) *Cf. n. 692.*

dictam sententiam incurrerunt, et iniungendi eis, quod de iure fuerit iniungendum, auctoritate presentium facultate, proviso quod iidem incendiarii, quibus dampna intulerunt per incendia, satisfaciant competenter.

Dat. Lugduni, VIII Kal. Maii, anno VI°[1].

693.

Innocentius IV papa communi castri Mevaniae, fidelibus suis, confirmat concessionem R[aynerii] Sanctae Mariae in Cosmidin diaconi cardinalis, apostolicae sedis legati, per quam homines de terris Nepolioni Raynaldi ad mandatum ecclesiae redeuntes in castro suo pro cohabitatoribus recipere possint. — Eisdem possessiones et bona, quae Nepolionus in nominatis castris ab ipsis destructis habuerit, concedit. 1249, Apr. 24 et 27.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 48, n. 543 et 544.
Potthast, Reg. 13305 et 13650; Berger 4533 et 4534.

I.

Communi castri Mevanie, fidelibus nostris, Spoletane diocesis.

Promerentibus vobis gratiam sedis apostolice, ad cuius gremium redeundo alios regionis ipsius tamquam devotionis filii prevenistis, et in ea fideliter persistentes ab inimicis ecclesie gravia estis dampna perpessi: dignum est, ut in ea vos favorabiliter foveamus ad corroborationem fidelium et confusionem infidelium et ruborem[2]. Vestra sane devotio nostro apostolatui reseravit, quod dilectus [filius] noster[a] R. Sancte Marie in Cosmidin diaconus cardinalis, apostolice sedis legatus[3], constantiam vestre devotionis et fidei et dampna que pro ecclesia passi estis diligenter attendens, vobis duxit ex iniuncto sibi officio concedendum, ut homines de terris Nepolioni[b] Raynaldi Spoletane diocesis, ad mandatum ecclesie redeuntes ac una vobiscum in castro vestro volentes sub ecclesie dominio decetero habitare, pro castellanis et cohabitatoribus vestris libere ac licenter recipere valeatis — non obstantibus promissione ac obligatione quas de non recipiendis eisdem hominibus dicimini Nepoliono[b] predicto fecisse —, prout in eiusdem cardinalis litteris dicitur plenius contineri. Vestris igitur supplicationibus inclinati, concessionem ipsam ratam habentes et gratam et supplentes de gratia si quis forte fuit in ipsius sollempnitate[c] defectum, eam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo — nostre confirmationis etc.

Dat. Lugduni, VIII Kal. Maii, anno VI°.

II.

Eisdem.

Promerentibus etc. ut in proxima usque: ruborem. Devotionis vestre precibus inclinati, possessiones et bona, que Nepolionus Raynaldi in de Antignan.[d], Cirian.[e] et Sancte Marie Laurent.[f] castris, a vobis[g] pro eo destructis, quod Romane adversabatur ecclesie[h], habere dinoscitur, vobis auctoritate presentium duximus concedenda, in-

a) dil. | n. *R.; deest* filius. b) Nepolioñ *R.; v. ep. sequ.* c) sollēptate *R.* d) Antignañ *R.* e) Ciriañ *R.* f) Me Laurenī *R.* g) nobis *R.* h) Ro adversabatur ecclesia *vel* ecclesie *R.*

1) *Cf. n. 691. A. 1249, Iun. 2 Wenceslaus rex episcopo Misnensi quandam gratiam fecit 'pro .... negotiorum nostrorum promotione': Erben, l. c. t. I, p. 572, n. 1233.* 2) *Cf. n. 619.* 3) *Cf. p. 492, not. 3.*

grediendi possessionem eorum tribuentes vobis liberam facultatem, presertim cum castrorum ipsorum homines castri vestri sint ut asseritis habitatores effecti, dummodo aliquorum devotorum ecclesie iura ledi pretextu concessionis huiusmodi non contingat. Nulli ergo etc.

Dat. Lugduni, V Kal. Maii, anno VI°[1].

694.

Innocentius IV papa abbati Sancti Petri de Villamagna Anagninae dioecesis ad preces P[andulfi] de Fasanella mandat, ut Iacobo dicto Squarsapell. clerico in regno Siciliae de redditibus ecclesiasticis usque ad triginta uncias auri provideat.

1249, Apr. 25.

Inn. IV Reg. Lib. VI. f. 56; n. 615. Exemplar, quod Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 726 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 13306; Berger 4605.

.. abbati monasterii sancti Petri de Villamagna Anagnine diocesis.

Volentes obtentu precum dilecti filii nobilis viri P. de Fasanella[2] dilecto filio Iacobo dicto Squarsapell.[a] clerico ecclesie sancti Pancratii Anagnine[b] gratiam facere specialem, mandamus, quatinus sibi in regno Sicilie de redditibus ecclesiasticis usque ad summam triginta unciarum auri ad cuiuscumque collationem spectantibus auctoritate nostra provideas vel facias provideri ac in ecclesia seu ecclesiis, in qua sive quibus sibi provisum fuerit, si collegiata sive collegiate fuerint, in canonicum et in fratrem recipi — non obstantibus certo canonicorum numero iuramento vel confirmatione sedis apostolice seu[c] quacunque firmitate vallato, aut si direximus ibidem scripta nostra pro aliis, quibus etc. usque: generari, sive si alicui persone vel ecclesie sit indultum, quod excommunicari, interdici vel suspendi aut ingressus ecclesie sibi prohiberi non possit, vel qualibet eiusdem sedis indulgentia, per quam huiusmodi gratia impediri valeat vel differri et de qua in nostris litteris specialem oporteat fieri mentionem, et constitutione de duabus dietis etc. —: contradictores etc.

Dat. Lugduni, VII Kal. Maii, anno VI°.

695.

Innocentius IV papa abbati et conventui Sancti Spiritus de Sennona remittit annuum censum, quem pro insula Sennona monasterio sancti Angeli Gaietano et, cum nuper idem

---

a) Squarsapell' *R.* b) Anagñ *R.* c) se. ap. se *R.* (ca above ap.)

1) *Sub eodem die eisdem indulsit, ut ad emendam damnorum inimicis ecclesiae illatorum compelli non possent, et eis liberam facultatem concessit eligendi sibi potestatem de ecclesiae Romanae fidelibus. Sub Mai. 15 eisdem redditus, quos ecclesia Romana de Merania et Castello Bono percipere consuerisset, usque ad beneplacitum apostolicum concessit; Berger 4535–4537; Potthast, Reg. 13651, 13309, 13652.*
2) *Cf. n. 300.*

monasterium monasterio de Insula Pontiana submissum fuerit, huic monasterio solvere teneantur. *1249, Apr. 27.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 47, n. 541.
Potthast. Reg. 13618; Berger 4531.

.. abbati et conventui monasterii sancti Spiritus de Sennona[a 1] Cisterciensis ordinis Gaietane diocesis.

Conversatio vestra, intentionis puritate laudanda, bonitate veneranda operum et prosecutione approbanda observantie regularis, apud nos et sedem apostolicam promeretur, ut vos, qui a presentis seculi lubrico, ne rueretis mortaliter, retractis gressibus in habitaculum[b] claustralis solitudinis secessistis, oportunis prosequamur favoribus et apostolicis etiam privilegiis muniamus, in eo precipue paterna vobis diligentia providentes, ut regi pacifico tranquillis et devotis mentibus, scandali sublata materia viaque preclusa litigiis, famulari assidue valeatis. Hinc est, quod cum domus vestra, sicut insinuantibus vobis accepimus, monasterio sancti Angeli Gaietano[c] annuum trium librarum olibani censum sive redditum pro insula de Sennona solvere teneatur, et nuper monasterium ipsum monasterio de Insula Pontiana[d 2] Cisterciensis ordinis submiserimus de plenitudine potestatis, nos, volentes omnem discordie inter vos et abbatem et conventum prefati monasterii de Insula Pontiana[d] occasionem in hac parte penitus amputare, devotionis vestre supplicationibus inclinati, vobis vestrisque successoribus, ne decetero eundem censum seu redditum solvere teneamini, auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo etc.

Dat. Lugduni, V Kal. Maii, anno VI°[3].

696.

Innocentius IV papa [Rogero] episcopo Tullensi obtentu Iohannis comitis Burgundiae, domini Salinensis, mandat, ut cum Radulfo de Abincilla et Adelina super matrimonio irregulariter contracto dispenset. *1249, Apr. 28.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 41, n. 479.
Potthast. Reg. 13610; Berger 4469.

.. episcopo Tullensi.

Ex parte Radulfi de Abinvilla[4] laici familiaris dilecti filii nobilis viri Iohannis comitis Burgundie domini Salinensis[5] fuit propositum coram nobis, quod licet dictus R. cum Adelina muliere matrimonium in facie ecclesie legitime contraxisset et filios suscepisset et filiam ex eadem, quodam[e] tamen milite ac duabus mulieribus asserentibus

a) Sennoñ *R.* b) inhabitaculum *R.* c) Gaietañ *R.* d) Pontiañ *R.* e) quadam *corr.* quodam.

1) *Zannone e mer. et occ. cir. Gaëta.* 2) *Ponza e mer. et occ. insulae Zannone.* 3) *Sub eodem die eisdem insulam Venteterae [Pandatariae, hodie Vandotena, e mer. et or. ins. Zannone], sub Apr. 30 propter eorum paupertatem insulam Usticae [ex sept. cir. Palermo] possidendas concessit; sub Mai. 8 eisdem confirmavit ecclesiam Sancti Stephani insulae parvulae Venteterae, cuius prior et fratres cum omnibus bonis suis ipsorum monasterio se subiecissent; Berger 4532, 4617, 4618; Potthast. Reg. 13619, 13702, 13703.* 4) *Fortasse Appinweiler, Appenweyer ex occ. cir. Neu-Breisach.* 5) *De hoc cf. n. 372. Aliae gratiae intuitu eiusdem a papa factae ap. Berger 4045. 4192, 4320, 4389, 4450; Potthast. Reg. —, 13041, 13525, 13340, 13597, cf. etiam 13000, quae ep. in Reg. non extat.*

tibi dictam A. ipsi R. in quarto consanguinitatis gradu esse coniunctam, tu, quamvis tibi per alia documenta de consanguinitate huiusmodi non constaret, eidem R., ut super hoc ad apostolice sedis recurreret providentiam, iniunxisti. Optentu igitur dicti comitis nobis supplicantis pro eis mandamus, quatinus, si est ita, provideas super hoc auctoritate nostra dispensando cum illis, prout secundum Deum saluti animarum ipsorum R. et A. videris expedire.

Dat. Lugduni, IIII Kal. Maii, anno VI°.

697.

Innocentius IV papa [Henrico III] episcopo Argentinensi obtentu C[onradi] de Smidelvelt, nuntii [Willelmi] regis Romanorum, mandat, ut cum Everardo canonico Cardonensi super pluralitate beneficiorum usque ad summam, de qua expedire viderit, dispenset. *1249, Apr. 28.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 41, n. 480.
Potthast, Reg. 13611; Berger 4470.

. . episcopo Argentinensi.

Apostolice sedis benignitas consueta etc. ut supra[a] usque: honorare, quia non incongrue etc.[a] usque: invenitur. Hinc est, quod nos, probitatem et nobilitatem dilecti filii Everardi canonici Cardonensis[1], consanguinei tui, non indigne pensantes ac tum ex hoc tum etiam obtentu nobilis viri C. de Smidelvelt[b] [2], nuntii carissimi in Christo filii nostri . . Romanorum regis illustris, volentes sibi gratiam facere specialem, mandamus, quatinus cum eo, quod preter beneficia que obtinet alia usque ad summam, de qua expedire videris, etiam si curam habeant animarum, licite recipere, si ei canonice offerantur, et cum obtentis libere retinere valeat — constitutione generalis concilii super hoc edita non obstante —, auctoritate nostra dispenses, proviso quod beneficia ipsa etc.

Dat. ut supra.

698.

Innocentius IV papa [Mathildae] comitissae Senensi ad querelam Theoderici comitis Clevensis heredis ipsius mandat, ut de cetero ab alienatione bonorum suorum desistat.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 41, n. 481. *1249, Apr. 28.*
Potthast, Reg. 13322; Berger 4471.

Nobili mulieri . . comitisse Senensi Coloniensis diocesis.

Cum dilectus filius nobilis vir Theodericus comes Clevensis[3], prout idem nobis significare curavit, tibi hereditario iure succedere debeat in omnibus bonis tuis[4], de

[a]) *in ep. antecedentibus haec formula non extat.* [b]) Sundelvelt *B.*

1) *Carden ad Mosellam inferiorem, infra civ. Cochem.* 2) *Schmiedelfeld ad Kocher fl. e mer. civ. Schwab.-Hall. Conradus dapifer Conradi regis fuerat, sub cuius chartis usque ad a. 1245, Nov. 30 testis saepius reperitur. Sub a. 1249, Febr. 19 chartae subscripsit, per quam Willelmus rex promissiones a Friderico II a. 1219, Sept. Honorio III factas Innocentio repetiit; quam chartam ille fortasse Lugdunum portavit; Bohmer-Ficker, l. c. 4502 et 4961.* 3) *De hoc cf. Bohmer-Ficker, l. c. 4915 et 4951.* 4) *Cf. tamen Cardauns, Konr. v. Hostaden p. 65 et sequ.*

quibus nonnulla castra et alia in ipsius comitis iacturam pro tue voluntatis arbitrio dilapidas et consumis: nobilitatem tuam rogandam duximus et monendam, mandantes quatinus[a] de cetero ab huiusmodi alienatione desistas, cum ut[b] eadem bona conserves, tue nobilitati conveniat tuamque deceat honestatem.

Dat. ut supra.

699.

Innocentius IV papa [Willelmo] abbati Sancti Trudonis mandat, ut nisi quondam Fridericus canonicus Sanctae Mariae Traiectensis crucesignatus [Willelmo] regi Romanorum personaliter servierit, proventus praebendae ipsius non heredibus eius, sed Aegidio canonico eiusdem ecclesiae assignet. *1249, Apr. 28.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 46, n. 530.
Berger 4520.

. . abbati Sancti Trudonis Leodiensis diocesis[1].

Ex parte dilecti filii Egidii canonici ecclesie beate Marie Traiectensis[2] fuit propositum coram nobis, quod cum ipse prebendam, que fuit quondam Frederici canonici eiusdem ecclesie, crucesignati, canonice sit adeptus, Gotfridus de Kut[3] ipsius ecclesie canonicus et alii executores testamenti dicti F. occasione cuiusdam indulgentie, clericis obsequentibus carissimo in Christo filio nostro . . regi Romanorum illustri per triennium a dilecto filio nostro P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, tunc in partibus illis apostolice sedis legato, concesse, fructus dicte prebende percipere pro sua voluntate contendunt, in eiusdem E. preiudicium et gravamen. Mandamus, quatinus, nisi memoratus F. per se executus fuerit votum crucis dicto regi personaliter serviendo, facias dicto E. proventus ipsius prebende integre assignari — huiusmodi indulgentia non obstante —; contradictores etc.[4].

Dat. Lugduni, IIII Kal. Maii, anno VI°.

700.

Innocentius IV papa P. nato Pandulfi de Aquino baroniam, castra et cetera bona, quae pater eius fautor Friderici quondam imperatoris obtineat, concedit, ita tamen ut si ille ad mandatum ecclesiae redierit, ea omnia integre rehabeat. *1249, Apr. 29.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 44, n. 514. Exemplar, quod Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 726 edidit, contulimus cum Regestis.
Potthast, Reg. 13327; Berger 4504.

Nobili viro P. nato nobilis viri Pandulfi de Aquino.

Cum nobilis vir Pandulfus de Aquino pater[c] tuus Frederico quondam imperatori contra ecclesiam adherere presumat, nos, provide attendentes quod idem penam propter

a) quatinus *repetitum punctis suppositis deletum est.* b) ut *superscript.* c) pater — quondam *in loco raso.*

1) *De hoc cf. n. 708.* 2) *Cf. n. 710.* 3) *Ut videtur de 'Kuc' [Cuijk ad Mosam, e mer. civ. Nimwegen], in qua familia nomen Godefridi alias quoque reperimus. Henricus et Rutgerus fratres de Kuch sub charta Willelmi regis a. 1248, Dec. 26 leguntur ap. Bohmer-Ficker, l. c. 4954.* 4) *De re simili cf. n. 683.*

hoc meruit, tu vero pro tua devotione, cum pro[a] ecclesia exilium patiaris, gratiam tibi sedis apostolice vendicasti, ut tu tuique successores baroniam, castra ceteraque bona sua, que tam in regno Sicilie quam extra illud obtinet, libere et plenarie, sicut ea ipse habere dinoscitur, habeatis, auctoritate presentium indulgemus — non obstante si aliqua ex ipsis aliis duxerit concedenda —, ita tamen quod si ad devotionem et mandatum ecclesie redierit, illa omnia integre rehabeat sicut prius. Nulli ergo etc.

Dat. Lugduni, III Kal. Maii, anno VI°.

701.

Innocentius IV papa Demetrio dicto Francisco ea concedit, quae quondam Matthaeo fratri ipsius et successoribus eius in regno Siciliae concesserit. *1249, Apr. 29.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 15, n. 515.
Potthast, Reg. 13635; Berger 4505.

Demetrio dicto Francisco[b].

Tuis supplicationibus inclinati, volentes devotioni tue gratiam facere specialem, ea, que quondam Matheo fratri tuo et successoribus eius in regno Sicilie concessimus[1], tibi tuisque successoribus simili modo de gratia concedimus speciali. Nulli ergo etc.

Dat. ut supra.

702.

Innocentius IV papa P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato, obtentu Riccardi dicti Francisci mandat, ut Philippo scriniario, civi Romano, in regno Siciliae de feudo militari provideat. *1249, Apr. 30.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 60, n. 649. Exemplar nostrum contulimus cum Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 727. Epistola non ante mensem Iun. exeuntem registrata est.
Potthast, Reg. 13328; Berger 4639.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato[2].

Volentes obtentu dilecti filii nobilis viri Riccardi dicti Francisci[3] Philippo scriniario civi Romano, qui de regno Sicilie traxit originem, gratiam facere specialem, mandamus, quatinus eidem Ph. in regno ipso de aliquo feudo militari, si vacat ad presens vel quam primum ad id obtulerit se facultas, provideas vel facias provideri; contradictores etc.

[Dat. Lugduni][c], II Kal. Maii, anno VI°[4].

---

a) pro *superscr.* b) *ita R. in rub., in marg. resecatum.* c) Dat. Lugduni *deest R.*

1) *Sub a. 1247, Iul. 23 papa Matthaeo Francisco Caputaquensis diocesis et successoribus eius quasdam domos civitatis Salernitanae, quae Cancellarii appellarentur, restituerat, quibus Fridericus quondam imp., data emptionis nomine quadam pecuniae quantitate, ipsum contra iustitiam spoliasset; Berger 3178.* 2) *Legatus Lugduni adhuc erat; Potthast, Reg. p. 1285.* 3) *De hoc cf. Berger 2899, Potthast, Reg. 12450; Berger 2901, 2905 et 3162; cf. etiam p. 224, not. 6.* 4) *Sub a. 1248, Sept. 1 papa [Marino] archiepiscopo Barensi castrum Bitricti ad proprietatem Barensis ecclesiae pertinens, non obstante quod id*

703.

Innocentius IV papa Rudolfo scolastico Augustensi confirmat processum, per quem decanus Eichstetensis de mandato apostolico, obtentu nobilis viri C. de Waizeburc dato, ipsi scolastriam Augustensem contulerit. *1249, Apr. 30.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 62, n. 661. Epistola non ante exeuntem mensem Iun. registrata est.
Potthast, Reg. 13725; Berger 4651.

Rudolfo[a] scolastico ecclesie Augustensis.

Cum a nobis petitur etc. usque: effectum. Sane te nobis olim intimante, quod . . quondam scolasticus Augustensis se ad ordinem fratrum Predicatorum transtulerat[b], in eo ut credebatur perpetuo moraturus, nos obtentu nobilis viri C. de Waizeburc[1] dilecto filio . . decano Eistetensi nostris dedimus litteris in mandatis, ut si memorato scolastico predictum ordinem profitente scolastriam Augustensis ecclesie vacare contingeret, eam, postquam de hoc plene constaret eidem, tibi, Augustensi archidiaconatui resignanti, auctoritate nostra conferre ac assignare curaret. Qui, cum sibi de professione memorati scolastici facta in ordine supradicto plenius constitisset, tibi iuxta mandati nostri tenorem scolastriam contulit antedictam, et mandans nichilominus . . electo, . . preposito, . . decano et capitulo Augustensibus, ut te reciperent in eandem, fecit te in ipsius corporalem vel quasi possessionem induci, in contradictores et rebelles excommunicationis sententiam promulgando, prout in prefati decani litteris dicitur plenius contineri. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, decani dicti processum super hoc habitum, sicut est iustus, ratum habentes et gratum, ipsum auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc.

Dat. Lugduni. II Kal. Maii, anno VI°.

704.

Innocentius IV papa archiepiscopis et aliis praelatis et clericis Alamanniae mandat, ut [Conradum] archiepiscopum Coloniensem, cui in partibus ipsorum plenae legationis officium commiserit, benigne recipiant et praecepta eius efficaciter adimpleant. *1249, Apr. 30.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 42, n. 486.
Potthast, Reg. 13616; Berger 4476.

Archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis, tam exemptis quam non exemptis, nec non capitulis et universo clero per regnum Alammanie constitutis.

Cura nobis commissa ecclesie generalis, potestatis ecclesiastice plenitudo concessa, cor nostrum continua pulsat instantia, iugis nos cogitationis stimulo excitat, ut

a) *ita in marg., in rubro* Rudulfo. b) trastulerat *R.*

reges Siciliae diutius tenuissent et Fridericus quondam imperator G. Francico contulisset, restituerat; Potthast, Reg. 13010; in Reg. Lib. VI ab n. 1248, Iul.—Sept. incunt. lacuna. Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 1013 hunc 'G. Francicum' 'Guillelmum dictum Franciscum' [de quo cf. p. 221, not. 6] esse dicit, quod nobis certum non est.

1) *Fortasse Conradi comitis de Wazeburc, Wasserburg, de quo cf. n. 550, 552 et 556.*

in omnes Christi fideles, proximos et remotos, attentionis dirigentes oculos etc. ut supra in CCCXI° capitulo[a], in illa que scribitur archiepiscopis et aliis prelatis Alammannie pro legatione archiepiscopi Maguntini, usque: senserint confoveri: ecce venerabili fratri nostro . . archiepiscopo Coloniensi, viro utique scientia predito etc. ut in eadem usque: adimplendo. Alioquin sententiam, quam idem rite tulerit in rebelles etc.

Dat. Lugduni, II Kal. Maii, anno VI° [1].

705.

Innocentius IV papa [Conrado] archiepiscopo Coloniensi [apostolicae sedis legato]: 1) mandat, ut indevotos legationis suae gratiis a sede apostolica concessis privet, 2) mandat, ut capitulis et conventibus cathedralium ecclesiarum et maiorum monasteriorum legationis suae inhibeat, ne sibi de episcopis seu abbatibus sine licentia apostolica provideant, 3) indulget, ut in legatione sua eandem beneficia conferendi potestatem habeat atque cardinalis legatus. *1249, Apr. 30.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 42, n. 487—489.
Potthast, Reg. 13617—13619; Berger 4477—4479.

I.

. . archiepiscopo Coloniensi[b].

Cum nonnullis personis ecclesiasticis et secularibus tue legationis liberales nos exhibuerimus[c] et benignos etc. ut supra in CCCCXII° capitulo[d] usque: habitus est per eas; contradictores etc.

Dat. ut supra.

II.

Eidem.

Volumus et presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus universis tam cathedralium etc. ut supra in CCCCXIIII° capitulo[e] usque in finem.

Dat. ut supra.

III.

Eidem[f].

Cum in regno Alamanie tibi pro bono eius statu et ecclesie ac imperii negotio promovendo de fratrum nostrorum consilio plene legationis officium duxerimus committendum: fraternitati tue, ut ecclesiastica beneficia conferre tibi liceat per totam terram tue legationis, sicut ecclesie Romane cardinali liceret, si legationis ibidem officio fungeretur, auctoritate presentium indulgemus[g] — constitutione super hoc a nobis edita non obstante [2].

Dat. ut supra.

---

a) *n. 665, ex qua ep. haec scripta est.* b) *neque hic neque in marg. verba* apostolice sedis legato *leguntur, sed ut epistola ipsa testatur, supplenda sunt.* c) exhibuimus *R.* d) *n. 663 I.* e) *n. 663 III.* f) Eidem *in marg. scriptum deest in rubro.* g) concedimus facultatem *in n. 661, quae ep. cum hac concordat.*

1) *Tum denique Conrado 'plenae' legationis officium concessum est; cf. p. 509, not. 2 et n. 706.*
2) *Cum tres hae epistolae ex n. 663 et 661 scriptae videantur, credere licet Conrado alia mandata vel auctoritates commissa non fuisse, cf. p. 475, not. 3 et p. 174, not. 1.*

706.

Innocentius IV papa decano et capitulo Maguntinis, qui petierant, ut ecclesia ipsorum vacans [Conrado] archiepiscopo Coloniensi commendaretur, respondet se supplicationibus eorum non annuere; mandat, ut de pastore idoneo cum assensu [Henrici III] episcopi Argentinensis sibi provideant, alioquin eundem episcopum ipsis aliquem praefecturum esse.

1249, Mai. 4.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 42, n. 491. Exemplar, quod Höfler, Alb. v. Beh. p. 190 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 13337; Berger 4181.

.. decano et capitulo Maguntinis.

Litteris et nuntiis vestris solita benignitate receptis, illarum continentiam, et que nobis ex parte vestra iidem nuntii retulerunt, intelleximus diligenter, devotionem vestram, super eo quod nobis humiliter supplicastis, ut Maguntinam ecclesiam, nunc pastore vacantem, venerabili fratri nostro .. Coloniensi archiepiscopo, propugnatori ecclesie indefesso, commendare, ut illius curam gereret, curaremus, cum tanto melius posse ipsam regere videretur, quanto amplius per Coloniensem ecclesiam eius valeret oportunitatibus subvenire, multipliciter in Domino commendantes. Sane, quia est penitus insuetum, ut due archiepiscopales ecclesie tam honorabiles tamque sublimes unius regimini committantur, et si forsan fieret, omnino indecens appareret, vestris in hac parte supplicationibus non duximus annuendum [1]. Verum quia nolumus, ut predicta Maguntina ecclesia diu pastoris solatio careat, ne per longam vacationem gravia in spiritualibus et temporalibus subeat detrimenta, mandamus, quatinus ipsi ecclesie de pastore idoneo cum consilio et assensu venerabilis fratris nostri .. Argentinensis episcopi infra mensem, postquam idem episcopus vos duxerit commonendos, canonice providere curetis. Alioquin eidem episcopo litteris nostris iniungimus, ut ex tunc personam, que tanto oneri congruat et honori, prefate Maguntine ecclesie auctoritate nostra preficiat [a] in pastorem: contradictores etc.

Dat. Lugduni, IIII Non. Maii, anno VI° [b] [2].

707.

Innocentius IV papa [Henrico III] episcopo Argentinensi mandat, ut decano et capitulo Maguntinis consilium tribuat, ut in archiepiscopum suum [Henricum II] electum

---

a) preficiat — supra *in loco raso.* b) Dat. ut supra *R.; antecedit n. 707.*

1) *In Christiani Libro de calam. eccl. Mogunt. SS. t. XXV, p. 248 de hac re narratur: 'ne Coloniensis episcopus egre ferret suum desiderium non completum, ipsi legacionis dignitas est commissa'. Verisimile quidem est Conrado 'plenae' legationis munus promissum esse ea conditione, ut archiepiscopatui Maguntino impetrando renuntiaret, cumque id ante Apr. 30 fecisse: cf. n. 704 et Ficker, Mitth. d. Inst. f. österr. Gesch. t. IV, p. 379 et 385.* 2) *Omissa videntur verba:* 'In eundem fere modum .. episcopo Argentinensi'; *cf. n. 707.*

Spirensem postulent, quem si non postulaverint, ecclesiae Maguntinae auctoritate apostolica praeficiat. *1249, Mai. 4.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 42, n. 490. Exemplar, quod Höfler, Alb. v. Behaim p. 190 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 13334; Berger 4480.

.. episcopo Argentinensi.

Cum dilectis filiis .. decano et capitulo Maguntinis nostris demus litteris in mandatis, ut ecclesie Maguntine de pastore idoneo cum tuo consilio et assensu infra mensem, postquam super hoc duxeris commonendos eos, canonice providere procurent, iniuncto tibi per alias litteras[1], ut, si dicti decanus et capitulum id efficere forte neglexerint, tu extunc personam, que tanto oneri congruat et honori, prefate Maguntine ecclesie auctoritate nostra preficias in pastorem: volumus et presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus prefatis decano et capitulo de dilecto filio .. electo Spirensi, quod ipsum postulent, consilium tribuas et consensum, ipsumque, si forsan[a] illum postulare omiserint, eidem ecclesie in archiepiscopum, absolvendo eum a vinculo quo Spirensi tenetur ecclesie, auctoritate nostra preficere non postponas: contradictores etc.[2].

Dat. Lugduni, IIII Non. Maii, anno VI°.

708.

Innocentius IV papa [Henrico III] electo Leodiensi ad preces [Willelmi] regis Romanorum mandat, ut cum W[illelmo] abbate Sancti Trudonis super eo, quod infra octo dies, postquam habitum monachalem assumpserit, in abbatem electus sit, dispensative agat, prout expedire viderit. *1249, Mai. 4.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 44, n. 507. Exemplar Baluzii, Misc. t. VII, p. 491 contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 13338; Berger 4497.

.. electo Leodiensi.

Dilectus filius W. abbas monasterii sancti Trudonis[3] ordinis sancti Benedicti tue diocesis in nostra proposuit presentia constitutus, quod idem, olim plebanus Aquensis et carissimi in Christo filii nostri .. regis Romanorum illustris capellanus existens, inductus multorum religiosorum exortationibus sedulis in eodem monasterio habitum monachalem assumpsit, et infra octo dies, professione ab ipso ibidem prehabita, monachi eiusdem monasterii tunc abbatis regimine destituti, credentes per ipsius providentiam et suorum amicorum potentiam monasterium ipsum, cuius bona per predecessorum suorum incuriam sunt graviter diminuta, posse in spiritualibus et temporalibus grata suscipere incrementa, eundem in abbatem ipsius monasterii concorditer elegerunt[4]; cui postmodum venerabilis frater noster Arnoldus de ordine Cisterciensium quondam episcopus Semigallie de tua speciali licentia et mandato munus benedictionis

---

a) forsam *R.*

1) *Haec ep. non superest; cum n. 706 mutatis mutandis concordasse videtur.* 2) *Apparet capitulum Maguntinum de hac ep. tum celari debuisse; cf. n. 706 et N. A. t. X, p. 565.* 3) *St. Trond, ex sept. et occ. civ. Leodiensis.* 4) *Eum a. 1249, Febr. 5 abbatem factum esse narrant Gesta abb. S. Trud. SS. t. X, p. 396; cf. Bohmer-Ficker, l. c. 4885 e, p. 920.*

impendit. Unde, cum ex huiusmodi promotione in conscientia sua sit scrupulus dubitationis exortus, nobis humiliter supplicavit, ut super hoc ei providere salubri remedio de solita sedis apostolice clementia curaremus. Nos igitur, prefati regis apud nos intercedentis[a] pro ipso precibus inclinati, mandamus, quatinus super hoc auctoritate nostra dispensative agas cum ipso, prout tua circumspectio anime sue saluti et utilitati ecclesie viderit expedire.

Dat. Lugduni, IIII Non. Maii, anno VI°.

709.

Innocentius IV papa scolastico Cameracensi mandat, ut praelatos, comites et alios nobiles ab indebita molestatione monasterii sancti Trudonis desistere faciat.

1249. Mai. 4.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 48, n. 552.
Potthast, Reg. 13655; Berger 4542.

.. scolastico Cameracensi.

Dilecti filii .. abbas et conventus monasterii sancti Trudonis Leodiensis dioecesis nobis conquerendo monstrarunt [1], quod nonnulli ecclesiarum prelati, comites, barones et alii nobiles et potentes homines eiusdem monasterii angariis, perangariis et aliis indebitis exactionibus contra iustitiam aggravant et molestant, de quibusdam etiam ipsius monasterii prediis, que allodia vulgariter appellantur, indebitam pecuniam exigunt et extorquent in ipsorum et predicti monasterii preiudicium et gravamen. Quocirca mandamus, quatinus prefatos prelatos, comites, barones et alios, quod a predictorum monasterii et hominum eiusdem super premissis indebita molestatione desistant, monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota previa ratione compellas — non obstante si aliquibus ex huiusmodi molestatoribus[b] a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari et[c] suspendi aut interdici non possint absque speciali eiusdem sedis mandato faciente de indulgentia huiusmodi mentionem, et non obstante constitutione de duabus dietis etc., dummodo ultra tertiam vel quartam etc.

Dat. Lugduni, IIII Non. Maii, anno VI° [2].

710.

Innocentius IV papa [Nicolao] abbati de Middelburg intuitu H[enrici] dicti Buffels, nuntii [Willelmi] regis Romanorum, mandat, ut Aegidio canonico Sanctae Mariae

---

a) intercidentis *R.* b) molestationibus *R.; in marg.* — toribus *manu coaeva, ut videtur, altera.* c) et *superscript.*

1) *Cf. n. 708.* 2) *Aliquot epistolas praeter has papa in favorem eiusdem monasterii hoc tempore dedit, quarum aliae in solis Reg., aliae in solo cartulario monasterii [ed. Piot], aliae in utraque collectione servatae sunt: Berger 4521, 4543, 4545 = Potthast, Reg. 13316 et 13320, 13336, 13317 = Piot, t. I, n. 198, 202, 199; Berger 4541; 4539 et 4609 = Potthast 13349 et 13368 falso sub Mai. 17: Potthast 13311, 13315, 13318, 13319, 13358, 13374 = Piot n. 196, 197, 200, 201, 203, 204, quae ep. in Reg. non extant. Cf. infra sub n. 726.*

Traiectensis, germano eiusdem nobilis, in Coloniensi provincia de praelatura vel dignitate vacante provideat. *1249, Mai. 4.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 58, n. 630.
Potthast, Reg. 13339; Berger 4620.

.. abbati de Middelburg[1] Premonstratensis ordinis Traiectensis diocesis.

Ut ex devotione, quam dilectus filius nobilis vir H. dictus Buffelo, nuntius[2] carissimi in Christo filii nostri .. regis Romanorum illustris, ad nos et Romanam ecclesiam habere dinoscitur, tam sibi quam suis apostolicus favor accrescat, mandamus, quatinus dilecto filio Egidio canonico ecclesie beate Marie Traiectensis[3], germano eiusdem nobilis, in Coloniensi provincia de aliqua prelatura vel dignitate, etiam curam animarum habente, quam duxerit acceptandam, si vacat ad presens vel quam cito vacaverit, auctoritate nostra provideas vel facias provideri — non obstantibus si direximus ibidem scripta nostra pro aliis, quibus etc. usque: generari, seu quod idem E. alias beneficiatus existit, aut qualibet sedis apostolice indulgentia, de qua oporteat etc. usque: mentionem et per quam impediri posset huiusmodi gratia vel differri —: contradictores etc.

Dat. Lugduni, IIII Non. Maii, anno VI°.

711.

Innocentius IV papa Manasse clerico Sancti Andreae Anagnini confirmat ecclesiam sanctae Mariae de Septimo territorii Cusentini, quam Petrus dictus Gaietanus capellanus papae ipsi contulerit, non obstante si per F[ridericum] quondam imperatorem alii collata sit. *1249, Mai. 6.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 43, n. 497.
Potthast, Reg. 13623; Berger 4487.

Manasse clerico ecclesie sancti Andree Anagnine[a].

Personam tuam sincera diligentes in Domino caritate, libenter tuis petitionibus benignum accomodamus auditum, eas precipue ad exauditionis gratiam admittendo, que tuum honorem et comodum respicere dinoscuntur. Cum itaque dilectus filius Petrus dictus Gaietanus capellanus noster ecclesiam sancte Marie de Septimo positam in territorio Cusentino, que de iure vacabat, de speciali mandato nostro tibi contulerit, prout in ipsius litteris inde confectis plenius continetur: nos, tuis precibus inclinati, collationem huiusmodi gratam et ratam habentes, eam — non obstante si ecclesia ipsa per F. quondam imperatorem vel per officiales suos alii sit collata — auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, decernentes irritum

a) Anagnin *R.*

1) *De eodem cf. Bohmer-Ficker, l. c. 4895, 4896, 4903, 4904, 4991.* 2) *Sub eodem die papa eidem abbati intuitu H. dicti 'Baffels', 'militis' regis Romanorum, mandat, ut Nicolao de Reimeresuale [in insula Beeland], Iohanni de Stavenesse [in insula Tholen] et Iacobo filio H. 'Draconi', consanguineis ipsius nobilis, de beneficiis ecclesiasticis, quae acceptanda duxerent, in diocesi Traiectensi provideat: Berger 4621; Potthast, Reg. 13704. Cf. etiam Bohmer-Ficker, l. c. 4908, 4960, 4961.* 3) *De eodem cf. n. 699.*

et inane. si contra collationem huiusmodi contigerit aliquid attemptari, tenorem litterarum ipsarum presentibus de verbo ad verbum inseri faciendo; qui talis est:

P. dictus Gaietanus domini pape capellanus et subdiaconus dilecto suo Manasse clerico ecclesie sancti Andree Anagnine[a] salutem et sincere dilectionis affectum. Cum sanctissimus in Christo pater dominus Innocentius papa nobis iniunxerit, ut ruralem ecclesiam sancte Marie de Septimo positam in territorio Cusentino tibi conferremus, nos illam tibi cum iuribus et pertinentiis suis conferimus teque per birretum[1] nostrum investimus de ipsa — non obstante si de mandato F. quondam imperatoris dicta ecclesia alii sit collata. In cuius rei testimonium presentes litteras tibi nostro concessimus sigillo munitas.

Act. Lugduni, Id. Martii, pontificatus domini Innocentii pape quarti anno VI°.

Nulli ergo etc. nostre confirmationis et constitutionis.

Dat. Lugduni, II Non. Maii, anno VI°[2].

712.

Innocentius IV papa Sophiam lantgraviam Thuringiae, neptem quondam H[enrici] regis Romanorum et relictam [Henrici II] ducis Brabantiae, quae in partibus suis libertatem ecclesiasticam laudabiliter promoveat, cum omnibus bonis sub protectione apostolica recipit. *1249, Mai. 6.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 43, n. 501.
Potthast, Reg. 13347; Berger 4491.

Nobili mulieri Sophie lantravie[b] Thuringie, nepti clare memorie H. Romanorum regis et relicte bone memorie ducis Brabantie.

Intenta ferventer, prout accepimus, ad hoc esse dinosceris, ut grata in conspectu Dei et sedis apostolice habearis, prout ex eo presumitur, quod libertas ecclesiastica per tui favoris auxilium in illis partibus[3] laudabiliter promovetur. Nos quidem, propter huiusmodi merita te dignam honoris et favoris gratia reputantes, personam tuam cum omnibus bonis, que impresentiarum rationabiliter possides aut in futurum iustis modis poteris adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, districtius inhibentes ne quis te in devotione sedis apostolice persistentem super eisdem bonis [impe]tere[c], impedire aut molestare presumat. Nulli ergo etc. nostre protectionis et inhibitionis[d] etc.

Dat. Lugduni, II Non. Maii, anno VI°.

In eundem modum nobili mulieri . . comitisse Seynensi vidue[4].

---

a) Anaguin *R.* b) *ita etiam in marg.* c) bonis | tere *R.* d) *litt.* in *minus perspicuae; eo scribi coeptum videtur.*

1) *Capitis tegmen; v. Ducange, Gloss. 'birretum'. Manasse ergo ipse Lugduni aderat.* 2) *Sub a. 1248, Dec. 3 papa magistro Riccardo de Benevento, capellano R[aynerii] Sanctae Mariae in Cosmidin diaconi cardinalis, confirmaverat decanatum Cusentinum, quem quondam Theobaldus canonicus Astensis obtinuisset quemque de iure vacantem [Petrus] episcopus Albanensis de mandato apostolico sub a. 1248, Nov. 13 eidem Riccardo contulisset; Berger 4285, cf. 4287 et 4288; Potthast, Reg. 13506, 13507, 13508.* 3) *Sophia a. 1248, Oct. 20 et a. 1249, Mai. 1 in Hassia erat; Wenck, Hess. Landesgesch. t. III. U.B. p. 119 et 120, n. 129 et 131; cf. Rommel, Gesch. v. Hessen t. II, p. 19.* 4) *Cf. n. 698.*

713.

Innocentius IV papa Guillelmo de Lutira clerico ad preces C[onradi] domini de Smudelvelt, nuntii [Willelmi] regis Romanorum, canoniam receptam confirmat.

1249, Mai. 6.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 13, n. 502.
Potthast, Reg. 13348; Berger 4492.

Guillelmo de Lutira[1] clerico Warmaciensis diocesis.

Iustis petentium desideriis etc. usque: complere. Cum igitur, sicut petitio tua nobis exhibita continebat, dilecti filii . . decanus et capitulum ecclesie sancti Germani Spirensis te in eorum ecclesia, quamquam in ea nulla tunc prebenda vacaret, receperint[a] in canonicum et in fratrem: nos, tuis ac dilecti filii C. domini de Smidelvelt[b] [2] nuntii carissimi in Christo filii nostri . . illustris regis Romanorum devotis supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eisdem decano et capitulo provide factum est ratum et gratum habentes, illud auctoritate apostolica[c] confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc.

Dat. Lugduni, II Non. Maii, anno VI°.

714.

Innocentius IV papa Gentili de Rocca Accarinae quinquaginta raseria frumenti de proventibus terrarum castri Otriculi, quoad vixerit, annuatim percipienda concedit. — P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato, mandat, ut ea eidem exhiberi faciat. *1249, Mai. 7.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 63, n. 663 et 664.
Potthast, Reg. 13351 et 13727; Berger 4653 et 4654.

1.

Nobili viro Gentili de Rocca Accarine[d] [3] Spoletane diocesis.

Meretur tue devotionis sinceritas, ut personam tuam paterna benivolentia prosequentes, specialis eam dono gratie honoremus. Hinc est, quod nos, tuis supplicationibus inclinati, volentes te alicuius provisionis munere honorare, tibi de fructibus et proventibus terrarum castri Otriculi[4] Narniensis diocesis ad sedem apostolicam pertinentibus quinquaginta raseria frumenti ad mensuram civitatis Narniensis percipienda singulis annis a te, quoad vixeris[e], tenore presentium duximus concedenda. Nulli ergo etc.

Dat. Lugduni, Non. Maii, anno VI° [5].

a) reciperent *R.* b) Smidelvelt *B.* c) auctoritate apostolica *in loco raso.* d) *ita in marg.;* Accarini *in rubr.* e) vixerit *R.; ita in ep. sequente scribendum erat; cf. p. 376, not. b.*

1) *Kaiserslautern.* 2) *Cf. n. 697.* 3) *Fortasse Acquara prope civ. Norcia.* 4) *E mer. civ. Narniae, ad Tiberim.* 5) *Sub a. 1248, Aug. 31 papa terras et alias possessiones quondam episcopi Mothoniensis [Modon in Peloponneso] sitas in Piperno [ex sept. civ. Terracinae] et territorio eius, quae nuper ad ecclesiae Rom. demanium pervenissent, Petro de Sublaco ostiario suo et heredibus eius sub annuo censu unius aurei perpetuo in feudum concesserat; sub a. 1248, Oct. 11 Venturae de Perusio familiari suo*

II.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Cum dilecto filio nobili viro Gentili de Rocca Accarine[a] Spoletane diocesis de fructibus et proventibus etc. ut supra usque: concedenda, mandamus, quatinus raseria ipsa integre dicto nobili facias exhiberi; contradictores etc.

Dat. ut supra.

715.

Innocentius IV papa Gerardo canonico Coloniensi, nato comitis Silvestri, ad preces [Willelmi] regis Romanorum et ipsius indulget, ut sententiae a quondam [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino in ipsum et Bertoldum clericum ipsius prolatae, quae casu aliquo revocatae non fuerint, ipsis imposterum non obsint. 1249, Mai. 8.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 43, n. 505.
Potthast, Reg. 13353; Berger 4495.

Gerardo[b] canonico Coloniensi, nato nobilis viri . . comitis Silvestri[1].

Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod bone memorie . . Maguntinus archiepiscopus, lata in te tunc cantorem maioris ecclesie ac Bertoldum canonicum Sancti Iohannis Maguntini[c], clericum tuum, depositionis sententia, vos beneficiis, que habebatis, pro sua voluntate privavit et, quantum in ipso extitit, inabiles sententialiter reddidit ad ecclesiastica beneficia obtinenda[2]. Et licet postmodum idem archiepiscopus vos ad suam gratiam admisisset, quia tamen propter negligentiam et incuriam, archiepiscopo ipso adhuc superstite, omissum extitit, ut eedem deberent sententie revocari, nos, carissimi in Christo filii nostri W. regis Romanorum illustris ac tuis devotis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut sententie ipse tibi et canonico memorato, quoad dignitates, prelaturas et alia ecclesiastica beneficia obtinenda[d], inposterum nichil obsint. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, VIII Id. Maii, anno VI[o] [3].

a) Accarin *R.* b) *in marg.* Gerãdo, *quod super aliud nomen linea directa deletum*, Conrado *[?], scriptum est.* c) Maguntin *R.* d) obtinendi *R.*

usumfructum possessionum ab ecclesia Rom. in castro quod Collealtum [ex sept. cir. Nocera] diceretur obtentarum pro impensis obsequiis, quoad viveret, concesserat; sub a. 1249, Apr. 5 Guillelmo dicto Pietoso ostiario suo totum demanium, quod ecclesia Rom. in castro Stimilian. Sabinensis dioc. [e mer. cir. Magliano] obtineret, quamdiu viveret, concesserat; Berger 4153, 4154, 4431, cf. 4432; Potthast, Reg. 13148, 13449, 13273, 13587.

1) *Conradi, qui in chartis Willelmi regis a. 1249, Febr. 19 primo occurrit, Bohmer-Ficker, l. c. 4964, cf. 4967.* 2) *Qua de causa hoc factum sit, fusius narratur in ep. papae a. 1251, Apr. 1, in qua hae sententiae denuo revocatae sunt, huius vero ep. mentio non fit; Berger 5215; cf. etiam supra n. 113.* 3) *Sub a. 1249, Ian. 12 papa ad preces instantes Willelmi regis Gerardo in Maguntina, Treverensi et Warmaciensi civitatibus et diocesibus de beneficiis et una dignitate vel personatu usque ad summam centum marcarum argenti provideri iussit; sub Ian. 15 Gerardo ad preces regis indulsit, ut ad praelaturas, dignitates et personatus, si eum in devotione ecclesiae persistentem ad illos canonice vocari contingeret, libere posset eligi, non obstantibus aliquibus inhibitionibus apostolicae sedis; Berger 4594 et 4571; Potthast, Reg. 13405 et 13666.*

716.

Innocentius IV papa [Conrado] archiepiscopo Coloniensi, apostolicae sedis legato, mandat, ut cum [Willelmus] Romanorum rex ipsum requisierit, dispenset cum Henrico iuniore comite de Aldeburg et nata comitis de Hoya, ut quarta consanguinitatis linea non obstante matrimonialiter valeant copulari. *1249, Mai. 11.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 44, n. 511.
Potthast, Reg. 13359; Berger 4501.

.. archiepiscopo Coloniensi, apostolice sedis legato.

Etsi coniunctio copule coniugalis etc. usque: exposcit. Cum itaque, [sicut][a] venerabilis frater noster .. Bremensis archiepiscopus[1] nobis per suas litteras intimavit, dilectus filius nobilis vir H[enricus] iunior comes de Aldeburg[b][2] natam nobilis viri .. comitis in Hoya[3], dictum Henr[icum] quarta consanguinitatis linea contingentem, ducere desideret in uxorem: nos, attendentes quod, sicut a fide dignis accepimus, inter alia bona, que inde poterunt provenire, non solum eorundem nobilium, qui diu adinvicem fuere discordes, sed et totius ex hoc procuratur pax [et][c] tranquillitas regionis, mandamus, quatinus, quod prefatus H. et filia dicti comitis de Hoya — non obstante impedimento huiusmodi — matrimonialiter[d] valeant copulari, dummodo hiidem fideliter et utiliter, prout presens necessitas exigit, in ecclesie devotione persistant, cum ad hoc carissimus [in Christo][e] filius noster rex Romanorum illustris te duxerit requirendum, auctoritate nostra dispenses.

Dat. Lugduni, V Id. Maii, anno VI°.

717.

Innocentius IV papa Casaemarii et Sancti Georgii de Gratara abbatibus et magistro Pagano Tranensi canonico mandat, ut Iohanni Sacco canonico Panormitano capellaniam maioris ecclesiae Panormitanae, quam [Berardus] archiepiscopus excommunicatus alii contulerit, assignent. *1249, Mai. 11.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 46, n. 525.
Potthast, Reg. 13637; Berger 4515.

.. Casemarii Cisterciensis ordinis et .. Sancti Georgii de Gratara[f][4] abbatibus Verulane et Cephaludensis diocesum et magistro Pagano Tranensi[5] canonico, in Urbe et Campania commorantibus.

Dignum est litteratis et bene agentibus etc.[g] usque: premiorum. Hinc est, quod pro dilecto filio Iohanne Sacco canonico Panormitano mandamus, quatinus ei, quem

a) sicut *deest R.* b) Aldeburḡ *R.* c) et *deest R.* d) matrimonialiter — copulari *in loco raso.* e) in Christo *deest R.* f) *ita in marg.*, Gratera *in rubro.* g) *Haec formula nobis hucusque non occurrit.*

1) *Gerardus II, de quo cf. n. 376, Bohmer-Ficker, l. c. 1888 et Potthast, Reg. 12997, sub a. 1248, Aug. 17; quae ep. inter ep. Reg., quot supersunt, non extat.* 2) *Cf. n. 517.* 3) *Ad fl. Weser infra civ. Nienburg.* 4) *Gratteri in insula Siciliae, e mer. et occ. civ. Cefalù.* 5) *Trani e mer. et or. civ. Barletta.*

speciali gratia prosequi intendimus et favore, capellaniam maioris ecclesie Panormitane, cum tanto tempore iam vacarit, quod ad nos est ipsius collatio ut dicitur devoluta, — non obstantibus quod . . archiepiscopus Panormitanus, dum excommunicationis vinculo tenebatur[1], capellaniam eandem alii dicitur contulisse, et quod idem canonicus alias beneficiatus existit — auctoritate nostra, retinendam ab eo cum prebenda, quam in prefata ecclesia obtinet, conferre et assignare curantes, ipsum in eiusdem capellanie possessionem inducatis et defendatis inductum, amoto ab ea quolibet illicito detentore; contradictores etc., invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii secularis, — constitutione de duabus dietis etc.[a]. Quod si non omnes etc.

Dat. Lugduni, V Id. Maii, anno VI°.

718.

Innocentius IV papa fratri Willelmo de Eika mandat, ut redemptiones votorum crucesignatorum regni Alamanniae contra F[ridericum] quondam imperatorem et in subsidium Terrae Sanctae et ad id legata colligat, et quae de votis contra F[ridericum] provenerint, W[illelmo] regi Romanorum assignet, reliqua vero in loco tuto conservet.

1249. Mai. 11.

Inn. IV Reg. Lib. VI. f. 17, n. 535.
Potthast, Reg. 13642; Berger 1525.

Fratri Willelmo de Oika[2] ordinis Predicatorum Leodiensis diocesis.

Discretioni tue presentium tenore mandamus, quatinus redemptiones votorum crucesignatorum regni Alamannie tam contra F. quondam imperatorem quam etiam in subsidium Terre Sancte nec non legata seu relicta et obventiones alias, ex quibuscumque causis dicte terre aut negotio generalis ecclesie concessa fuerint, auctoritate nostra per te vel alios ad hoc idoneos colligens[3] — non obstantibus quibuslibet concessionibus, indulgentiis aut litteris super ipsis redemptionibus et aliis predictis quibuscumque personis ab apostolica sede concessis vel in posterum concedendis, etiam si de ipsis oporteat in presentibus fieri mentionem —, ea, que de redemptionibus votorum crucesignatorum contra F. predictum aut ex causis aliis ad id concessis provenerint, carissimo in Christo filio nostro W. regi Romanorum illustri, prout sibi alias per litteras nostras concessisse dicimur, conferre ac assignare procures, illa vero, que de votis crucesignatorum in Terram Sanctam seu etiam de legatis ex quibuscumque aliis causis ipsi terre debita obvenerint, facias usque ad nostrum beneplacitum in loco tuto sub fideli custodia conservari[4]; contradictores etc.

Dat. Lugduni, V Id. Maii, anno VI°.

a) *scil.* non obstante.

1) *Etiam testamento Friderici a. 1250 [Dec. 17] subscripsit; Bohmer-Ficker, l. c. 3835. Archiepiscopo Salernitano Fridericus sub a. 1248, Iul. 24 'propter suae fidei puritatem' quandam gratiam fecerat; ibid. 3718. Cf. etiam infra sub Mai. 28.* 2) *Leg. Eika, i. e. Maeseijk ad Mosam fl. infra cir. Mastricht.* 3) *Cf. n. 589, 615, 631 et 719.* 4) *Cf. n. 719 et 721.*

719.

Innocentius IV papa fratri Willelmo de Eika ordinis Praedicatorum mandat, ut redemptiones et obventiones votorum crucesignatorum in subsidium Terrae Sanctae et ad hoc legata seu relicta per regnum Alamanniae colligat et usque ad beneplacitum apostolicum conservet. *1249, Mai. 14.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 45, n. 518.
Potthast, Reg. 13636; Berger 4508.

Fratri Willelmo de Eika ordinis Predicatorum Leodiensis diocesis.

Gerentes de tue sinceritatis et devotionis constantia fiduciam in Domino pleniorem, mandamus, quatinus redemptiones et obventiones ex quacunque causa provenientes votorum crucesignatorum in subsidium Terre Sancte, qui sunt pauperes et inhabiles ad transfretandum, necnon ad hoc legata seu relicta vel alio modo concessa per regnum Alammanie per te ipsum et alios ad hoc idoneos fideliter colligas et colligi facias[1], illa usque ad nostrum beneplacitum sub custodia diligenti conservans[2], absolutis a voto crucis per te ipsum seu per illos, quos ad id duxeris deputandos, redimentibus taliter vota sua, et concessa eis illa peccatorum venia, que transeuntibus in Terre Sancte subsidium vel ei subvenientibus in generali concilio est concessa. — non obstantibus privilegiis aut indulgentiis seu quibuslibet litteris a sede apostolica vel eius legatis obtentis[a] aut etiam obtinendis, per que huiusmodi collectio impediri valeat vel differri et de quibus specialem aut expressam in litteris nostris oporteat fieri mentionem —; contradictores etc.; quicquid super[b] hiis duxeris faciendum, nobis fideliter rescripturus.

Dat. Lugduni, II Id. Maii, anno VI°.

In eundem modum fratri Iohanni de Disth[3] ordinis Minorum Leodiensis diocesis.

720.

Innocentius IV papa fratribus Minoribus per regnum Alamanniae mandat, ut ferventer et assidue contra F[ridericum] quondam imperatorem crucem praedicent. *1249, Mai. 14.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 45, n. 519. Exemplar, quod Höfler, Alb. v. Beh. p. 192 edidit, contulimus cum Regestis.
Potthast, Reg. 13360; Berger 4509.

Fratribus Minoribus per regnum Alammanie.

Cupientes ut negotium generalis ecclesie, quod carissimus in Christo filius noster W. rex Romanorum illustris promovendum assumpsit, continuis dante Domino proficiat

a) obtentas *corr.* obtentis. b) quicquid autem super *R. Etiam forma:* quicquid autem — rescribas *his locis saepius occurrit.*

1) *Cf. n. 718.* 2) *Haec ep. a Willelmo de Eika, ut sibi crederetur, crucesignatis absolvendis monstrari debebat; sed ut iidem scirent pecuniam ita collectam Willelmo regi assignatum iri, papa noluisse videtur, praesertim cum Ludovicus IX rex Franciae in partibus Transmarinis tum esset; cf. n. 721.* 3) *Cf. n. 669.*

incrementis, devotioni vestre in virtute obedientie ac sub pena excommunicationis per apostolica scripta mandamus, quatinus ferventer et assidue contra F. quondam imperatorem eiusque fautores predicetis verbum crucis in subsidium ecclesie ac dicti regis per universa loca regni Alamannie, in quibus videritis expedire[1], quotiens verbum exhortationis ad populum alias duxeritis proponendum, ut zelum habere probemini catholice ecclesie[a] libertatis.

Dat. ut supra.

721.

Innocentius IV papa fratri W[illelmo] de Eyka ordinis Praedicatorum mandat, ut redemptiones votorum crucesignatorum in subsidium Terrae Sanctae ab ipso collectas [Willelmo] regi Romanorum integre assignet. *1249, Mai. 14.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 45, n. 520. Exemplar, quod Hofler, Alb. v. Beh. p. 192 edidit, cum Regestis contulimus.

Potthast, Reg. 13361; Berger 4510.

Fratri W. de Cybea[b] ordinis Predicatorum Leodiensis dioecesis.

Discretioni tue presentium auctoritate mandamus, quatinus redemptiones[c] votorum crucesignatorum in subsidium Terre Sancte, quas per te mandavimus [colligi][d] et usque ad nostrum beneplacitum conservari, cum eas collegeris, carissimo in Christo filio nostro . . regi Romanorum illustri integre assignare procures.

Dat. ut supra[2].

722.

Innocentius IV papa [Conrado] archiepiscopo Coloniensi plenae legationis officium in partibus Alamanniae committit. *[1249, Mai. 14.]*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 45, n. 517. Exemplar Baluzii, Misc. t. VII, p. 495 contulimus cum Regestis.
Potthast, Reg. 13249; Berger 4507.

. . archiepiscopo Coloniensi, apostolice sedis legato.

Illius licet immeriti vicarii constituti, qui pro salute humani generis de suppremis celorum ad ima mundi descendens, discipulos quos elegit in universum mundum transmisit omni creature evangelium predicare, nonnumquam viros providos et discretos, cum nequeamus locis singulis corporali presentia imminere, instructi eius exemplo in partem sollicitudinis evocamus pro negotiorum urgentium qualitate, qui prava in directa et aspera convertentes in plana, rectas faciant semitas dei nostri populumque acceptabilem sibi reddant. Sane[e] inter cetera desiderabilia cordis nostri animarum salutem, libertatis ecclesiastice incrementum et pacem cunctis Christi fidelibus potissime

a) ecc (with cc above) = ecclesiastice *R.* b) *inscriptio in marg. resecata; leg.* Eyka; *litterae* be *et* k *in Reg. saepius mutatae sunt; cf. p. 53, not. 2 et p. 294, not. 5.* c) redemptiones — quas per te man *in loco raso.* d) colligi *deest R.* e) *Quae sequuntur cum verbis ep. n. 665 et 704 mutatis mutandis concordant.*

1) *Cf. p. 449, not. 1.* 2) *Epistola secreta fuit; cf. n. 719. In eundem modum fratri Iohanni de Dist scriptum putamus; cf. n. 719.*

cupientes, sedula vigilamus solertia et quod possumus diligentie studium adhibemus, ut possint laudabiliter submotis impedimentis quibuslibet iuxta nostri desiderii plenitudinem auctore Domino provenire, ac eo ardentius, ut in Alamanie partibus animabus profectus adveniat, libertas ecclesie vigeat et pacis servetur tranquillitas, affectamus, quo ferventius bonum statum partium appetimus earundem. Ut igitur ipse partes eo magis in Dei et ecclesie devotione proficiant, quo se specialius per legati apostolice sedis presentiam senserint confoveri, ecce tibi, de cuius probitate et industria plenam in Domino fiduciam obtinemus, in prefatis partibus, ut evellas et destruas, dissipes et disperdas, edifices et plantes, sicut expedire videris, plene legationis officium duximus committendum. Quocirca mandamus, quatinus legationem ipsam sic studeas iuxta datam tibi a Domino gratiam laudabiliter exercere, quod exinde apud Deum meritum et apud homines tibi compares nomen bonum, nosque diligentiam tuam dignis in Domino laudibus commendemus.

Dat. Lugduni, II Id. Martii, anno VI° [1].

723.

Innocentius IV papa [Conrado] archiepiscopo Coloniensi, apostolicae sedis legato, obtentu Ulrici de Minceberg imperialis aulae camerarii committit, ut cum Sibothone privigno eius et Lugardi filia comitis de Rostein, devoti ecclesiae, dispenset, ut, quarto consanguinitatis gradu non obstante, in matrimonio contracto remaneant. 1249, Mai. 15.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 45, n. 521.
Potthast, Reg. 13363; Berger 4511.

.. archiepiscopo Coloniensi, apostolice sedis legato.

Super hiis, que ad apostolice sedis spectant honorem, dilectus filius nobilis vir[a] Ulricus de Minceberg[2] imperialis aule camerarius ita sollicitus et ferrvens[b] haberi dicitur, ut propter hoc sibi apud eandem sedem gratiosi favoris premium debeatur. Sane ipsius nobilis insinuatione percepimus, quod dilectus filius nobilis vir Sibotho privignus suus Lugardin filiam nobilis viri .. comitis de Rostein[c] [3], ecclesie Romane devoti, que in quarto gradu consanguinitatis contingit eundem[d], sibi matrimonialiter copulavit. Quia vero per huiusmodi matrimonium non solum quedam capitales inimicitie sunt sopite, sed multis periculis finis est impositus salutaris, et propter hoc etiam ipsi ecclesie grata, prout dicitur, poterunt obsequia provenire: nos obtentu ipsius

a) vir *superscript.* b) *ita R.* c) *litt.* e *fortasse* o; in *fortasse* m. d) eandem *corr.* eundem.

1) *Haec nota chronol. Mart. 14, ut Ficker, Mitth. d. Inst. f. österr. Gesch. t. IV, p. 379 et sequ. iam demonstravit, recte scripta non est; nam Sigefridus archiep. Maguntinus, cui Conradus in legationis officio successit, Mart. 9 demum in oppido Bingensi obiit, neque Conradus in ulla ep. papali ante Apr. 30 data 'legatus' vocatur, et si iam ante Apr. 30 quodam legationis munere functus fuit, 'plena' legatio eius certe non fuit; cf. p. 509, not. 2. Ergo pro verbo 'Martii' 'Maii' legendum putamus, praesertim cum ep. inter alias mensis Maii registrata sit. — Quod haec ep. tanto tempore post Apr. 30 [n. 705] exarata est, casu aliquo accidisse potest; cf. N. A. t. X, p. 553. Sed fortasse papa initio necesse non credebat, ut talis ep. scriberetur, quae in actis Sigefridi a. 1249 et Petri et Octaviani a. 1247 non reperitur, Conradus vero eam insuper postulavit, ne ullo modo de legatione sibi collata dubitari posset; cf. Hofler, Alb. v. Beh. p. 60, n. 3 b.*
2) *Münzenberg ex sept. civ. Friedberg; cf. n. 316. Ulricus sub charta Willelmi regis a. 1249, Febr. 19 testis invenitur: Böhmer-Ficker, l. c. 4964.* 3) *Quis hic fuerit nescimus.*

camerarii fraternitati tue auctoritate presentium duximus committendum, quatinus consideratis circumstantiis universis, si decens et expediens tibi videbitur, cum predictis S. et L., quod in matrimonio sic contracto — non obstante impedimento huiusmodi — libere valeant remanere, dispenses.

Dat. Lugduni, Id. Maii, anno VI°[1].

724.

Innocentius IV papa eidem ad preces [Matthaei II] ducis Lotharingiae et [Theobaldi II] comitis Barriducis mandat, ut dispenset cum Macro de Trembletor et C. nata Balduini de Dei Custodia, devotis ecclesiae, ut, quarto consanguinitatis gradu non obstante, in matrimonio contracto remaneant. *1249, Mai. 15.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 45, n. 522.
Potthast, Reg. 13364; Berger 4512.

Eidem.

Sua nobis dilectus filius nobilis vir Macrus de Trembletor[2] Tullensis diocesis petitione monstravit, quod cum ipse, super eo quod C. natam nobilis viri Balduini de Dei Custodia[3], ignorans eam sibi quarto consanguinitatis [gradu] attingere[a], duxit sollempniter in uxorem, quod in huiusmodi matrimonio remanere posset, ad dilectum filium nostrum P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem, tunc in partibus Alamannie apostolice sedis legatum, a nobis sub certa forma dispensationis litteras impetrasset, eodem legato, antequam sibi presentarentur huiusmodi littere[4], de dictis partibus recedente, quod super hoc mandavimus, non extitit adimpletum. Attendentes igitur devotionis constantiam, quam iidem nobiles, prout ex testimonio quorundam prelatorum ac multorum[b] nobilium virorum . . ducis Lothoringie[c] [5] et . . comitis Barriducis nobis cum instantia supplicantium pro eisdem [etc.][d]: mandamus, quatinus in huiusmodi negotio procedas iuxta litterarum continentiam earundem.

Dat. ut supra.

725.

Innocentius IV papa decano Sancti Paulini Trevernsis mandat, ut cum Godefridus dominus de Bredal in ultima voluntate Arnoldo nato A[rnoldi] domini de Disth, donec quoddam legatum ei solutum fuerit, quasdam villas obligaverit, easdem autem Henricus

a) consanguinitatis | attingere *R., deest* gradu. b) *locus corruptus;* multorum nobilium, et presertim nobilium *coniecit B.* c) *ita R.* d) etc. *excidisse putamus;* nobis innotuit, circa obsequium sedis apostolice habere noscuntur *coniecit B., quod rei convenit.*

1) *Sub Mai. 16 papa eidem legato obtentu Ulrici commisit, ut cum Iohanne milite de Hulesheren castellano eius et Sophia muliere dispensaret, ut in matrimonio contracto, quarta consanguinitatis linea non obstante, remanerent; Berger 4513, Potthast, Reg. 13366.* 2) *Ut videtur Trembleccuria, Tremblecourt, e mer. et occ. cir. Pont-à-Mousson.* 3) *Fortasse La Garde in Lotharingia, ex sept. cir. Arricourt.* 4) *Cf. p. 440, not. 5.* 5) *De hoc cf. n. 149, Bohmer-Ficker, l. c. 1885 e, p. 919 et Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 778.*

de Bredal canonicus Leodiensis detineat, executores testamenti defuncti compellat, ut Arnoldum in possessionem villarum inducant. *1249, Mai. 17.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 49, n. 559.
Potthast, Reg. 13659; Berger 4549.

.. decano ecclesie sancti Paulini Treverensis.

Sua nobis dilectus filius Arnoldus, natus nobilis viri A. domini de Disth[1], petitione monstravit, quod cum Godefridus dominus[a] de Bredal[2], germanus eiusdem A., mille libras Lovaniensis monete in ultima voluntate sibi legasset[3], de Scothem, Marcon et Ekecim villas[4] ad ipsum G. de iure spectantes eidem propter hoc obligatas dimittens, tamdiu retinendas ab ipso donec heredes dicti defuncti sibi de premissis satisfactionem plenariam exhiberent, fructibus ipsarum villarum, quos interim perciperet[b], in sortem nullatenus computandis, prout in litteris inde confectis dicitur plenius contineri: Henricus de Bredal[5] canonicus Leodiensis, qui pro herede ipsius defuncti se gerit, ad feudum suum spectare asserens dictas villas, ipsas occasione huiusmodi, nulla de hiis satisfactione premissa, detinet, in eiusdem Ar. preiudicium et gravamen; super quo idem A. sibi petiit per sedis apostolice providentiam subveniri. Mandamus, quatinus, si rem inveneris ita esse, fratrem Willelmum de Eika ordinis Predicatorum, nobilem virum Henricum dictum Bertoldum[c] et alios executores testamenti prefati G., ut eundem Ar. in corporalem dictarum villarum possessionem inducant, predictumque canonicum, ut ipsum A. pacifica illarum villarum possessione gaudere permittat, donec ei de hiis plene fuerit satisfactum, monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota previa ratione compellas — non obstantibus aliqua sedis apostolice indulgentia, per quam posset huiusmodi mandati executio impediri, vel quod idem A. defectum patitur in etate.

Dat. Lugduni, XVI Kal. Iunii, anno VI°[6].

726.

Innocentius IV papa decano Sancti Servatii in Traiecto ad preces abbatis monasterii Sancti Trudonis in praesentia sua constituti mandat, ut cum idem monasterium intolerabili sarcina debitorum prematur, aliquos ex monachis in aliis monasteriis collocet, ibi usque ad triennium moraturos. *1249, Mai. 18.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 49, n. 556.
Berger 4546.

.. decano Sancti Servatii in Traiecto Leodiensis diocesis.

In nostra constitutus presentia dilectus filius .. abbas Sancti Trudonis[7] ordinis sancti Benedicti Leodiensis diocesis nobis humiliter supplicavit, ut cum idem mona-

a) dns; *litt.* us *in loco raso; fortasse* dcs [dictus] *antea scriptum erat.* b) perceperet *corr.* perciperet. c) Bertold' *R.*

1) *De hoc cf. Bohmer-Ficker, l. c. 4911, 4915, 4932, 4972, 5001.* 2) *Breda in Hollandia.* 3) *Testamentum a. 1246, Apr. 25 scriptum est; Wauters, Table chronol. des chartes etc. de la Belgique, t. IV, p. 470.* 4) *Ex edd. testamenti cognoscimus has de Schooten [ex or. Antwerpiae], Merxen et Eeckeren [ex sept. Antwerpiae] villas fuisse.* 5) *Filius Godefridi.* 6) *Sub eodem die papa Everhardo praeposito Sancti Georgii, fratri Arnoldi domini de Dist, gratiam fecit; Berger 4655; Potthast, Reg. 13369.* 7) *Cf. n. 708 et 709.*

sterium intolerabili[a] quodammodo prematur sarcina debitorum, super hoc paterna sollicitudine providentes, collocari aliquos de monachis eiusdem monasterii in locis aliis ad alleviationem[b] debitorum huiusmodi de benignitate apostolica faceremus. Cum igitur ad nos, quibus ex suscepte servitutis officio cura et sollicitudo ecclesiarum omnium imminet generalis, principaliter pertineat ecclesiarum gravaminibus, quantum cum Deo possumus, obviare: mandamus, quatinus aliquos de monachis prefati monasterii auctoritate nostra in aliis monasteriis seu prioratibus eiusdem ordinis super provisione simili de mandato apostolico non gravatis, quibus ad hoc suppetant facultates, singulos in singulis, colloces, ibidem usque ad triennium moraturos, abbates seu priores monasteriorum, in quibus eos provideris collocandos, ad receptionem ipsorum, et ut eos fraterna caritate pertractent, monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione, si opus fuerit, remota compellens — non obstantibus si eis aut ipsorum conventibus a sede apostolica sit indultum, quod ad receptionem seu provisionem alicuius per litteras apostolicas compelli, seu quod excommunicari, suspendi etc. ut supra[c] usque: mentionem, et constitutione de duabus dietis etc., dummodo ultra tertiam vel quartam etc.

Dat. Lugduni. XV Kal. Iunii, anno VI°.

727.

Innocentius IV papa [Ulrico] episcopo Gurcensi in praesentia sua constituto concedit, ut Engelberto clerico ipsius in Alamannia, ubi expedire viderit, de beneficio ecclesiastico provideat. *1249, Mai. 18.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 47, n. 536.
Potthast, Reg. 13643; Berger 4526.

. . episcopo Gurcensi.

Consuevit sedes apostolica precibus condescendere devotorum eorumque votis favorem benivolum impertiri. Cum igitur, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, dilectus filius Engelbertus clericus tuus diu tibi servierit fideliter et devote, nos, volentes ei ob hoc ad preces tuas gratiam facere specialem, presentium tibi auctoritate concedimus, ut eidem clerico in Alamania, ubi videris expedire, provideas vel provideri facias in prebendali seu alio ecclesiastico beneficio competenti, etiam si curam habeat animarum, — non obstantibus quod idem alias beneficiatus existit, vel si pro aliis in illis partibus direximus scripta nostra, quibus nolumus etc. usque: generari, seu certo[d] canonicorum numero iuramento vel confirmatione sedis apostolice aut quacunque firmitate alia roborato, vel indulgentia sedis apostolice concessa in illis partibus ecclesiis vel personis, ut ad receptionem vel provisionem alicuius nequeant per litteras apostolicas cohartari[e], et quavis ipsius sedis indulgentia, per quam id impediri valeat vel differri et de qua specialem oporteat in presentibus fieri mentionem —; contradictores etc.

Dat. Lugduni, XV Kal. Iunii, anno VI° [1].

a) in tolerabili *R.* b) *ita R.* c) *scil. ut in n. 709, Lib. VI, 552.* d) seu de certo *R.* e) *ita R.*

1) *Sub Apr. 26 eidem concesserat facultatem dispensandi cum sex clericis diocesis suae defectum patientibus geniturae, ut in susceptis ordinibus ministrare et ad maiores promoveri possent, et cum duobus*

728.

Innocentius IV papa P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolicae sedis legato, mandat, ut Matthaeum de Amiterno vel procuratorem eius in possessionem bonorum patris et patrui ipsius, quae F[ridericus] quondam imperator detineat, inducat. *1249, Mai. 18.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 54, n. 602.
Potthast, Reg. 13684; Berger 4592.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Debet subditis obtatus fructus ex gratia sedis apostolice provenire, ut ipsi in eius ferventius devotione persistant ac penes alios eiusdem sedis munificentia extollatur. Cum igitur dilecto filio nobili viro Matheo de Amiterno Reatine dioecesis devoto nostro, quod libere in omnibus bonis et iuribus quondam Gentilis de Amiterno patris et Theodini sui[a] patrui succedat, duxerimus concedendum[1], que F. quondam imperator contra iustitiam detinet occupata: mandamus, quatinus ipsum vel procuratores eius suo nomine in predictorum bonorum possessionem inducas vel induci facias corporalem et tuearis inductum, contradictores, si qui fuerint vel rebelles, spirituali et temporali districtione appellatione postposita compescendo.

Dat. Lugduni. XV Kal. Iunii, anno VI°[2].

729.

Innocentius IV papa magistro Nicolao de Monteleone canonico Reatino mandat, ut Rainaldo de Marerio presbytero, nuntio Fortisbrachii de Romania, ecclesiam Sanctae Mariae de Marerio conferat, si ea ab Henrico de Pareniano, persecutore ecclesiae, detineatur ex concessione F[riderici] quondam imperatoris. *1249, Mai. 21.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 56, n. 613.
Potthast, Reg. 13690; Berger 4603.

Magistro Nicolao de Monteleone canonico Reatino.

Ut dilectus filius Rainaldus de Marerio[3] presbyter, nuntius nobilis viri Fortisbrachii[b] de Romania, ab ecclesia consolationem recipiat, qui in ecclesie odium ab inimicis eius bonis, que habebat in regno, se asserit spoliatum: mandamus, quatinus si ecclesiam sancte Marie de Marerio Reatine dioecesis Henricus de Parenian.[c][4], aversus

a) sui *superscr.* b) Fortisbrach' *R.* c) Parenian *R.*

clericis super obtentis et obtinendis pluribus beneficiis usque ad summam, quam expedire videret; sub Mai. 11 eidem concesserat, ut unum personatum vel dignitatem in ecclesia sua personae idoneae conferre posset; Berger 4527, 4529, 4528; Potthast, Reg. 13644, 13646, 13645; cf. n. 732.

1) *Cf. n. 679.* 2) *Sub Mai. 11 papa eundem Matthaeum, cum multis sibi studeret placere servitiis, cum familiis, dominiis et omnibus bonis sub protectione sua susceperat, promittens ecclesiam eum et successores eius in plena et continua libertate conservaturam esse; sub Mai. 15 Petro legato mandaverat, ut nonnullos laicos de regno Siciliae, qui castrorum et bonorum Matthaei percepissent redditus, ad satisfactionem eidem nobili impendendam compelleret; Berger 4591 et 4593; Potthast, Reg. 13683 et 13362.* 3) *Mareri in prov. Abruzzo ulter., e mer. et or. cir. Città Ducale; cf. etiam Winkelmann, Acta Imp. ined. p. 779, lin. 11.* 4) *Cf. p. 133, not. 3; sed potius fuisse videtur de Petrignano in prov. Abruzzo ulter., mand. Borgo Collefegato, com. Pescorocchiano, e mer. et or. cir. Città Ducale.*

a Deo et ecclesie persecutor, ex concessione F. quondam imperatoris obtinet sicut fertur, ipsam eidem presbytero auctoritate nostra conferas et assignes, et amoto ab ea quolibet illicito detentore, dictum presbyterum in eius possessionem inducas et defendas inductum — non obstantibus quod idem presbyter alias beneficiatus existit, vel aliqua sedis apostolice indulgentia, per quam impediri huiusmodi possit gratia[a] vel differri et de qua fieri oporteat in presentibus mentionem —; contradictores etc.

Dat. Lugduni, XII Kal. Iunii. [anno VI°][b].

730.

Innocentius IV papa potestati et populo Spoletanis indulget, ut in Siciliam et Apuliam ire libere et ibi mercaturas facere possint absque pedagii vel alia exactione.

1249, Mai. 22.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 48, n. 551. Exemplar Regestorum contulimus cum authentico ap. Sansi, Storia di Spoleto, Docum. p. 291, n. 44 [A.].

Potthast, Reg. 13377; Berger 4541.

.. potestati et populo Spoletanis[c].

Inter alia retributionum munera[d], que propter vestre fidei firmitatem estis a sede apostolica suo loco et tempore dante Domino accepturi, vobis ad presens in ipsius sedis devotione persistentibus talem gratiam auctoritate presentium indulgemus, ut in regnum Sicilie et Apuliam[e] deferre indeque referre, ire libere et redire, vendere ac emere in eisdem, que vobis necessaria et utilia esse videritis, libere ac absque pedagii[f] et cuiuslibet alterius generis exactione possitis. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, XI Kal. Iunii. anno VI° [1].

731.

Innocentius IV papa [Philippo] electo Salisburgensi mandat, ut Witkonem rectorem ecclesiae sancti Bartholomaei in Pelis, fautorem F[riderici] quondam imperatoris, ecclesia sua et aliis beneficiis privet, eaque Hermanno filio comitis de Ortenburc conferat.

1249, Mai. 25.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 50, n. 568. Exemplar, quod Höfler, Alb. v. Beh. p. 196 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 13381; Berger 4558.

.. electo Salzeburgensi.

Cum, sicut dilectus filius Otto canonicus Balbergensis[2], natus dilecti filii nobilis viri comitis de Ortemburch[3], proposuit coram nobis, Witko[4] rector ecclesie sancti

a) *sequitur iterum* impediri. b) anno VI° *deest R.* c) fidelibus nostris *add. A.* d) premia *A.* e) Apuleam *A.* f) pedagio *A.*

1) *Sub a. 1249, Mai. 20 papa potestati et communi Spoletanis ea confirmaverat, quae Rainerius Sanctae Mariae in Cosmidin diaconus cardinalis, tunc apostolicae sedis legatus [cf. p. 492, not. 3], ipsis concessisset [cf. p. 421, not. 3]; Sansi, l. c. p. 291, n. 43; quae ep. in Reg. non extat.* 2) *Nescimus an 'Bambergensis' intelligi debeat.* 3) *In Carinthia, ex sept. et occ. cir. Villach, prope Drau fl.* 4) *Hic idem fuisse videtur ac Witigo notarius Stiriae, cuius 'grata valde et utilia servitia' imperator a. 1249, Ian. laudavit; Böhmer-Ficker, l. c. 3759.*

Bartholomei in Pelis Salzeburgensis diocesis F. quondam imperatori eiusque fautoribus adherere ac quedam castra nomine ipsius custodire presumat: mandamus, quatinus, si ita est, dictum Witkonem auctoritate nostra privans predicta ecclesia et aliis beneficiis que obtinet, quibus per hec reddidit se indignum, ea omnia Hermanno germano dicti canonici conferas et assignes, ipsumque in eorum corporalem possessionem inducere ac inductum defendere non postponas; contradictores etc.[1].

Dat. Lugduni, VIII Kal. Iunii, anno VI°.

732.

Innocentius IV papa [Ulrico] episcopo Gurcensi committit, ut absolvat quosdam laicos civitatis et dioecesis suae, qui excommunicati fuerint, pro eo quod pro defensione ecclesiae Gurcensis aliis ecclesiis damna per incendia et rapinas intulerint.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 50, n. 569. *1249, Mai. 25.*
Potthast, Reg. 13382; Berger 4559.

.. episcopo Gurcensi[a 2].

Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum quamplures laici tue civitatis et diocesis pro defensione iurium et bonorum Gurcensis ecclesie quibusdam aliis ecclesiis intulerint dampna plurima per incendia et rapinas, eos ab excommunicationis sententia, quam propter hoc incurrerunt, cum ipsis nimis sit difficile apostolicam sedem adire pro absolutionis beneficio obtinendo, absolvi de benignitate solita mandaremus. De tua igitur circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, presentium tibi tenore committimus, ut eosdem excommunicatos absolvas ab huiusmodi excommunicationis sententia iuxta formam ecclesie vice nostra, iniuncto eis quod de iure fuerit iniungendum, proviso quod dampna passis satisfaciant competenter.

Dat. ut supra.

733.

Innocentius IV papa [Iacobo] episcopo Metensi mandat, ut monasterio sancti Martini Glandariensis infra duos menses de abbate provideri faciat. *1249, Mai. 27.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 49, n. 564.
Potthast, Reg. 13383; Berger 4551.

.. episcopo Metensi.

Cum, sicut ex frequenti relatione didicimus, monasterium beati Martini Glandenensis[b 3] ordinis sancti Benedicti tue dioecesis tanto tempore iam vacarit, ut eius viduitas sine scandalo diutius tolerari non possit: mandamus, quatinus eidem monasterio

a) *ita in margine;* Gurgeñ *in rubro.* b) *leg.* Glandariensis.

1) *Hoc factum videtur; nam [imperator?] ad querelam rectoris ecclesiae sancti Bartholomaei cuidam [Hermanno comiti de Ortenburg?] mandarit, ut eidem rectori dictam ecclesiam una cum rebus ablatis libere restitueret; ibid. 3805. Sub a. 1249. Aug. 24 Meinhardus comes Goritiae, capitaneus Stiriae, Hermanno comiti de Ortenburch auctoritate imperiali quaedam obligarit, 'ut imperatori servitia exhiberet grata et accepta'; quam obligationem imperator a. 1249, Oct. confirmarit; ibid. 3793. Fortasse etiam ad has res pertinet, quod Ulricus de Ortenburc episc. Gurcensis Lugduni tum fuit; cf. 727 et 732.* 2) *Cf. n. 727.* 3) *Cf. 149.*

infra duos menses post receptionem presentium per eos, ad quos pertinet, provideri facias de abbate. Nisi enim dicto monasterio infra predictum tempus secundum huiusmodi mandati nostri tenorem provisum fuerit de abbate, cum id sine salutis periculo ulterius evitari non possit, oportebit necessario super hoc aliter providere, quantumcunque tue fraternitati deferre, prout sine iactura fame ac conscientie poterimus, proponamus.

Dat. Lugduni, VI Kal. Iunii, [anno VI°][a].

734.

Innocentius IV papa abbati et priori Sancti Spiritus insulae de Sennona et Nicolao de Littera canonico Salernitano mandat, ut Iohanni dicto Sacco canonico Agrigentino, pro devotione ecclesiae exulanti, tertiariam Castrinovi conferant, non obstante quod [Raynaldus] episcopus Agrigentinus eam alii conferre praesumpserit. *1249, Mai. 28.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 56, n. 614.
Potthast, Reg. 13691; Berger 4601.

.. abbati et .. priori Sancti Spiritus insule de Sennena[b 1] Cisterciensis ordinis Gaietane diocesis et Nicolao de Littera canonico Salernitano in Maritima commoranti.

Merita devotionis, quam dilectus filius Iohannes dictus Saccus canonicus Agrigentinus[2] circa Romanam gerit ecclesiam, nobis induunt affectum, ut ipsum oportunis temporibus speciali gratia foveamus. Sane ipse, sicut humiliter coram nobis exposuit, pro devotione huiusmodi bonis omnibus spoliatus penas exilii cogitur experiri. Cum itaque prebenda, quam idem in Agrigentina ecclesia obtinet, temporis faciente malitia sit in redditibus adeo diminuta, ut quatuor unciarum auri valentiam annuam non attingat, ac beneficium, quod tertiaria[c] Castrinovi vulgariter appellatur, in eadem ecclesia tanto tempore vacasse dicatur, ut per lapsum temporis ad sedem apostolicam sit eius collatio devoluta: nos, circa ipsum paterne gerentes benignitatis affectum, mandamus, quatinus beneficium ipsum — non obstantibus quod postquam ad nos ipsius fuit collatio devoluta, .. episcopus Agrigentinus[3] prout accepimus illud alii de facto conferre presumpsit, et quod idem canonicus alias beneficiatus existit — auctoritate nostra, retinendum ab eo cum prebenda prefata, conferre et assignare curantes eidem, ipsum in eiusdem beneficii possessionem inducatis et defendatis inductum, amoto ab eo quolibet illicito detentore; contradictores etc. — non obstante constitutione de duabus dietis etc. Quod si non omnes etc.

Dat. Lugduni, V Kal. Iunii, anno VI°.

---

a) anno VI° *deest R.* b) Senneñ *R.; in marg. resecatum; leg.* Sennona. c) tertiana *R.*

1) *Cf. n. 695.* 2) *Hic sine dubio idem fuit atque Iohannes Saccus can. Panormitanus in n. 717 commemoratus, praesertim cum haec ep. secundum formam ep. n. 717 exarata sit.* 3) *Verba 'venerabilis frater noster' posita non sunt, ex quo concludimus eum quoque excommunicatum fuisse. — De Philippo ep. Pactensi imperatori adhaerente cf. Bohmer-Ficker, l. c. 3706, 3712, 3780.*

735.

Innocentius IV papa Henrico Fraiapane palatii Lateranensis comiti restituit principatum Tarenti et totam terram Hydrunti, quae quondam C[onstantia] imperatrix et regina Siciliae una cum F[riderico] quondam imperatore O[ttoni] Fraiapane avunculo ipsius concesserit, ipsi autem idem F. abstulerit. *1249, Mai. 29.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 49, n. 563. Exemplar, quod Hofler, Alb. v. Beh. p. 195 edidit, contulimus cum Regestis.
Potthast, Reg. 13387; Berger 4553.

Nobili viro Henrico Fraiapane[a] sacri nostri palatii Lateranensis comiti[1].

Clara devotio etc. ut supra[b] usque: ditarunt. Cum itaque, sicut te didicimus referente, clare memorie C. Romanorum imperatrix et regina Sicilie una cum F. quondam imperatore O. Frajapane[a], avunculo tuo, cuius te successorem asseris, suisque successoribus principatum Tarenti cum tota terra Ítronti duxerit concedendum, prout in privilegio inde confecto plenius dicitur contineri[2], et idem F. te[c] predictis principatu et terra[d], ut dicitur, spoliarit: nos, supplicationibus [tuis][e] inclinati, tibi ea, presertim cum regnum prefatum rege nunc careat, — non obstante si aliquid ex eis idem F. aliis forte concessit — de gratia restituimus speciali, dummodo principatus et terra predicta non pertineat[f] ad alium vel ad alios in devotione ecclesie persistentes. Nulli ergo etc. nostre restitutionis etc.

Dat. Lugduni, IIII Kal. Iunii, anno VI°[3].

736.

Innocentius IV papa Sancti Stephani et Sancti Victoris decanis et cantori Sancti Petri Maguntinorum mandat, ut cum nonnulli cives Herbipolenses quosdam canonicos Herbipolenses vulneraverint nec satisfecerint, in civitate Herbipolensi et eius suburbiis iuxta ordinationem quondam [Sigefridi III] archiepiscopi Maguntini et [Hermanni] episcopi Herbipolensis tamdiu servari faciant interdictum, donec satisfactum fuerit. *1249, Mai. 30.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 51, n. 579. Exemplar, quod Höfler, Alb. v. Beh. p. 198 edidit, contulimus cum Regestis.
Potthast, Reg. 13388; Berger 4569.

.. Sancti Stephani et .. Sancti Victoris decanis et .. cantori Sancti Petri Maguntinorum[g].

Ad audientiam nostram pervenit, quod olim nonnulli cives Herbipolenses, filii Belial, in dilectum filium G[isonem] prepositum ecclesie Sancti Iohannis in Houge ac

a) Fraiapañ *R.* b) *ut in n. 738.* c) te *superscript.* d) terra te *R.* e) tuis *deest R.* f) *ita R.* g) Maguntiñ *R.*

1) *Cf. n. 60.* 2) *Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 734 et Bohmer-Ficker, l. c. 531 hanc chartam, si extitisset, spuriam fuisse putant. Insuper Innocentius ipse a. 1251, Iul. 24 paratus erat Manfredo, si se subiceret, principatum Tarentinum conferre, concessione Henrico Fraiapane facta non commemorata. Sub a. 1252, Ian. 21 quidem Henrico hanc concessionem denuo confirmavit, statuens praeterea ut pro terris*

quosdam alios canonicos Herbipolensis ecclesie in festo dedicationis ipsius infra missarum sollempnia hostiliter irruentes, quosdam ipsorum graviter vulnerarunt, alios vero tractaverunt crudeliter, in animarum suarum periculum et ecclesiastice discipline contemptum[1]; propter quod tam religiosi quam alii clerici civitatis et suburbiorum Herbipolensium a divinis officiis cessaverunt. Sed bone memorie . . archiepiscopus Maguntinus[2] et venerabilis frater noster . . Herbipolensis episcopus, cupientes inter predictos concordiam reformari, taliter in se huiusmodi negotium susceperunt, ut videlicet totus clerus civitatis predicte extunc usque ad festum purificationis beate Marie virginis primo preteritum[3] organa sua resumerent, et iidem interim procurarent tam ecclesie quam passis iniuriam satisfactionem fieri congruentem et plenam de futuris securitatem prestari[a], recepta nichilominus a maioribus et potentioribus civitatis ipsius iuratoria cautione, quod ad hoc assisterent archiepiscopo et episcopo supradictis. Si vero infra eundem terminum non posset super hiis concordia provenire, deliberatione provida statuerunt, ut in civitate prefata et eius suburbiis non deberet divinum officium celebrari, prout hoc totum in litteris confectis exinde dicitur plenius contineri. Verum cum hec propter malitiam dictorum civium et ceterorum concivium[b] dissimulationem vel potius conniventiam, ut dicitur, non pervenerint ad effectum, et indignum sit, ut tante temeritatis audacia remaneat impunita, mandamus, quatinus, si est ita, in memorata civitate et eius suburbiis iuxta ordinationem archiepiscopi et episcopi predictorum tamdiu servari faciatis ecclesiasticum interdictum, donec ab ipsis civibus fuerit super hiis plenarie satisfactum; contradictores etc. Huiusmodi vero manuum iniectores, quos veritate tacita vel suggesta falsitate vobis constiterit super hoc a sede apostolica vel eius legato absolutionis beneficium impetrasse, denuntietis nichilominus usque ad satisfactionem condignam excommunicationis pristine sententie subiacere; testes etc. Quod si non omnes etc.

Dat. Lugduni, III Kal. Iunii, anno VI°[4].

737.

Innocentius IV papa capitulo ecclesiae sancti Stephani de Capite Pontis Florentinae confirmat ad preces ipsius sententiam, per quam archipresbyter Florentinus, qui de mandato apostolico clericos civitatis et dioecesis Florentinae F[riderico] quondam imperatori adhae-

a) p̄rari *R.*; procurari *H.* b) cōcivū *R.*

praedictis sedi apostolicae immediate subesset, sed cum Manfredum a. 1254, Sept. 27 de principatu investiret, contra usum curiae neque concessionis neque confirmationis mentionem fecit; Potthast, Reg. 14360, 14482, 15527. 3) *Sub a. 1248, Oct. 22 papa consulibus et populo Terracinensibus, qui quaedam aedificia ab Henrico Fraiapane in ipsorum territorio de novo erecta totaliter demolirissent et ob hoc ab eodem nobili coram episcopo Ostiensi, tituli S. Mariae Transtiberim presbytero et R. S. Angeli diacono cardinalibus, Campaniae et Maritimae rectore, in iudicium evocati essent, indulserat, ut super praemissis ultra castrum Nymphae trahi non possent; sub a. 1249, Mai. 10 Terracinensibus alia concesserat; Potthast 13060, 13354 et 13355; quae ep. in Reg. non extant.*

1) *Cf. Ussermann, Episc. Wirceburg. p. 87.* 2) *Hic a. 1248, Aug. 23 Herbipoli erat; Bohmer-Will, Reg. Magunt. Sigf. III, n. 634.* 3) *Febr. 2.* 4) *Sub a. 1247, Oct. 25 papa episcopo Herbipolensi scripserat in favorem Ditmari canonici ecclesiae S. Iohannis in Hoge, clerici ipsius, in praesentia sedis apostolicae constituti, 'qui tuis fideliter insistens obsequiis pro quibusdam ecclesiae commissis a te sibi negotiis nonnullis periculis exposuit se ac sua', cui electus Ferrariensis, tunc legatus, ob id quandam gratiam concessisset, quam consecutus non esset, Berger 3390; cf. supra n. 381.*

rentes a beneficiis suis amovendi potestatem habeat, Albertum priorem ipsorum prioratu suo privaverit. *1249, Mai. 31.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 60, n. 653.
Potthast, Reg. 13390; Berger 4643.

Capitulo ecclesie sancti Stephani de Capite Pontis Florentine[a].

Apostolice sedis benignitas hiis, que ipsius auctoritate provide peraguntur, libenter adicit apostolici muniminis firmitatem. Sane vestra petitio nobis exhibita continebat, quod cum dilecto filio . . archipresbytero Florentino[1] nostris dederimus litteris in mandatis, ut clericos civitatis et diocesis Florentine[a], qui F. quondam Romanorum imperatori favebant, moneret et induceret diligenter, ut infra mensis unius spatium post monitionem ipsius archipresbyteri ad devotionem apostolice sedis redirent, alioquin idem archipresbyter dignitatibus, personatibus et beneficiis ecclesiasticis clericos privaret eosdem: dictus archipresbyter, cum sibi constaret legitime, quod Albertus, qui in priorem ecclesie vestre asserit se electum, per se ac suos predicto F. favebat, et ab eodem archipresbytero iuxta formam mandati nostri monitus diligenter, ad devotionem ecclesie contumaciter redire contempsit, iure si quod habebat in prioratu ecclesie predicte sententialiter privavit eundem, prout in litteris inde confectis dicitur plenius contineri. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, quod ab eodem archipresbytero provide factum est in hac parte ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc.

Dat. Lugduni, II Kal. Iunii, anno VI°[2].

738.

Innocentius IV papa Henrico Fraiapane palatii Lateranensis comiti proventus iudicatus Arboreae, excepto censu ecclesiae Romanae debito, percipiendos quoad vixerit et usque ad beneplacitum apostolicum concedit. — Eidem promittit se hanc concessionem revocaturum non esse, donec ipsi pro expensis forte subeundis de proventibus illis satisfactum fuerit. *1249, Iun. 4 et 5.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 49, n. 560 et 561. Exemplar epistolae primae, quod Hofler, Alb. v. Beh. p. 191 edidit, contulimus cum Regestis.
Potthast, Reg. 13392 et 13392 a; Berger 4550 et 4551.

I.

Nobili viro Henrico Fraiapane[b] sacri palatii nostri Lateranensis comiti[3].

Clara devotio, qua inter nobiles alios [erga][c] nos et apostolicam sedem specialiter fulgere dinosceris, instanter exposcit, ut te et continuis prosequamur favoribus et honorificentia multiplici attollamus, predecessorum nostrorum imitantes[d] exempla, qui

a) Florentiñ. b) Fraiapañ *R.* c) erga *deest R.* d) īmitantes *R.*

1) *De hoc cf. etiam p. 325, not. 2.* 2) *Sub Febr. 17 papa abbati S. Iacobi de Pruvino significaverat Folcarinum Iacobi, Iacobum Scambi et socios eorum mercatores Florentinos episcopo Palentino apud sedem apostolicam constituto quandam pecuniae quantitatem commodasse, in nundinis S. Aygulfi de Pruvino tunc proximo venturis [mense Sept. cf. t. I, p. 621] persolvendam eisdem, quod factum non esset, eidemque abbati hanc causam terminandam commiserat; Berger 4642; Potthast, Reg. 13720.* 3) *Cf. n. 735.*

progenitores tuos pro multis et magnis obsequiis, que Romane impenderunt ecclesie, quam pluribus honoraverunt gratiis et grandium munerum largitione ditarunt. Hinc est, quod nos, tui nobilitate generis tuaque probitate pensatis, volentes personam tuam specialis dono gratie honorare, tibi fructus, redditus et proventus omnes iudicatus Arboree[1], censu qui pro eo ecclesie Romane debetur excepto, percipiendos a te per illum vel illos quos ad hoc duxerimus deputandos, quoad vixeris et usque ad nostre beneplacitum voluntatis duximus auctoritate presentium concedendos[2]. Nulli ergo etc.

Dat. Lugduni, II Non. Iunii, anno VI°.

II.

Eidem.

Cum tibi proventus omnes iudicatus Arboree[a], censu qui pro eo ecclesie Romane debetur excepto, duxerimus quoad vixeris concedendos usque ad nostre beneplacitum voluntatis: presentium tenore scire te volumus, quod si pro recuperandis et percipiendis eisdem proventibus et conservando iure ipsius ecclesie in hac parte aliquas expensas facere te contigerit, concessionem huiusmodi numquam revocabimus, donec fuerit tibi vel tuis successoribus pro ipsis expensis de ipsius iudicatus proventibus satisfactum.

Dat. Lugduni, Non. Iunii, anno VI°.

739.

Innocentius IV papa abbati Sancti Lazari Veronensis Mantuae commoranti ad preces comitis Sancti Bonifatii mandat, ut quasdam possessiones monasterii de Vangadicia, quondam Willelmo de Lendenaria concessas, eius heredibus, ipsius comitis et ecclesiae devotis, confirmet. *1249, Iun. 5.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 19, n. 557.
Potthast, Reg. 13657; Berger 4547.

.. abbati Sancti Lazari Veronensis[b], Mantue commoranti.

Cum, sicut ex parte dilecti filii nobilis viri .. comitis Sancti Bonifatii[3] fuit propositum coram nobis, quondam .. abbas monasterii de Vangadicia[4] Camaldulensis ordinis Ariensis[c] diocesis sui conventus accedente consensu quasdam possessiones et alia bona dicti monasterii quondam Willelmo de Lendenaria[5], cui Antonius et Petrus fratres filii ac Bartholomeus et Antonius nepotes et heredes, capitanei de Lendenaria, ipsius comitis et ecclesie Romane devoti, succedunt in bonis, usque ad certum tempus sub annuo censu duxerit concedenda, prout in instrumento publico inde confecto plenius dicitur contineri: nos, eiusdem comitis supplicationibus inclinati, mandamus,

a) arboreē *R.* b) *ita in marg.; in rubro* Vironensis *corr.* Veronensis. c) *leg.* Adriensis.

1) *Arbus in Sardinia. Sub a. 1246, Iun. 9 papa ad instar Honorii papae quasdam donationes a clarae memoriae Hugone de Bas iudice Arborensi et P. de Serra eius avunculo et a Benedicta domina de Carali cuidam monasterio factas confirmaverat; Berger 1911.* 2) *Mai. 26 Henricus rex Sardiniae a Bononiensibus captus erat; sed num papa id scire iam potuerit, propter longitudinem viarum dubium est. Sub Iun. 10 papa electum Turritanum rectorem Sardiniae constituit et omnes concessiones usque ad beneplacitum apostolicum factas revocavit; cf. infra n. 746 et 747.* 3) *Ex or. civ. Veronensis. A. 1249, Mai. 11 Bertholdus patriarcha Aquilegiensis foedus inierat cum [Azzone] marchione Estensi, [Rizardo] comite Sancti Bonifacii et civitatibus Brixiae, Mantuae et Ferrariae contra hostes ecclesiae, praesertim Ezelinum de Romano; Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 731; cf. etiam Ann. Placent. Gib. a. 1249, SS. t. XVIII, p. 499.* 4) *Badia ex occ. civ. Rovigo.* 5) *Inter civ. Rovigo et monast. illud.*

quatinus predicta eisdem heredibus auctoritate nostra confirmes, dummodo exinde conditio ipsius monasterii melior sit effecta; contradictores etc.

Dat. Lugduni, Non. Iunii, anno VI°.

740.

Innocentius IV papa plebano de Milian. ad preces Pauli de Garfagnana camerae suae clerici et Guillelmi nepotis eius mandat, ut Uguicioni rectori ecclesiae sancti Martini de Lauran. in diocesi Lucana de plebanatu vel rectoria, quam duxerit acceptandam, provideat. *1249, Iun. 10.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 53, n. 592.
Potthast, Reg. 13676; Berger 4582.

.. plebano de Milian.[a] Lucane diocesis.

Ad faciendam dilecto filio Uguicioni rectori ecclesie sancti Martini de Lauran.[b] Lucane diocesis gratiam specialem dilectorum filiorum Pauli de Garfagnana[c] [1] camere nostre clerici et Guillelmi nepotis eiusdem devota supplicatio ac ipsius rectoris merita nos inducunt. Ipsorum igitur supplicationibus inclinati, mandamus, quatinus prefato rectori de aliquo plebanatu vel rectoria, quam duxerit acceptandam, etiam si curam habeat animarum, si qua in diocesi Lucana vacat ad presens vel quam primum obtulerit se facultas, auctoritate nostra providere procures — non obstantibus[d] quod idem rector alias beneficiatus existit, aut si super consimili gratia in eadem diocesi direximus scripta nostra pro aliis, quibus nolumus etc. usque: generari, sive quaecunque apostolice sedis indulgentia, per quam effectus nostre gratie impediri valeat vel differri et de qua specialem etc. usque: mentionem —; contradictores etc.

Dat. Lugduni, IIII Id. Iunii, anno VI°.

741.

Innocentius IV papa electum Turritanum cum plenae legationis officio ad insulas Sardiniae destinat. *1249, Iun. 10.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 71, cur. n. 68.
Potthast, Reg. 13396; Berger 4729.

.. electo Turritano, apostolice sedis legato.

Licet[2] apostolice sedis antistes, vocatis ceteris in partem sollicitudinis, solus obtineat plenitudinem potestatis, quia tamen in perfectionis[e] humane defectu necessitates ecclesiarum singulas non sufficit relevare ac supportare onera omnia subditorum, per alios exequi cogitur, que per se non potest personaliter adimplere, illius instructus

a) Milian *R.* b) Laurañ *vel* Lavian *R.; minus perspicue.* Lavian[o] *B.* c) Garfagnañ *R.* d) *sequitur in R.:* etc. ut supra in proxima usque in finem. e) perfectionis *in loco raso.*

1) *Ex sept. territorii Lucani. A. 1248, Dec. imperator provinciam Garfagnanam communi Lucano pro gratis servitiis in rectum feudum concesserat; Bohmer-Ficker, l. c. 3745.* 2) *Formas ep. n. 741 et 742 antea missas non reperimus; pro electo tum exaratae videntur.*

exemplo, qui duodecim apostolos eligens, eosdem misit per universum mundum evangelium predicare. Ab ipso enim, sicut unguentum[a] in capite, quod descendit in barbam et ad horam[b] etiam vestimenti, panis intellectus et vite ad alios cum fidei doctrina[c] procedit et aqua sapientie salutaris. Hinc est, quod nos, attendentes quod Sardinie insule[1], que spiritualiter et temporaliter ad ecclesiam Romanam spectare noscuntur, a nobis longo tractu maris et tempestatis impetu distinguntur, propter quod et quia persecutionis olla[d] succensa fuit hactenus flante rabie impii Fr.[2], mutuus matris ad filios et filiorum ad matrem caritatis affectus videtur quodammodo friguisse, ut eis grate visitationis officium impendamus, te ad partes illas, de cuius discretione ac prudentia firmam et indubitatam fiduciam obtinemus, de fratrum nostrorum consilio duximus destinandum, legationis tibi plene officium committentes, ut iuxta verbum propheticum evellas et destruas, dissipes et disperdas, edifices et plantes, prout Ierem. 1, 10. secundum Deum videris expedire. Quocirca discretionem tuam rogamus et hortamur attente, mandantes quatinus cum predictas insulas inter alias orbis partes tanquam ecclesie Romane patrimonium speciale specialiter diligamus, sic studeas in illis partibus legationem ipsam secundum providentiam tibi a Deo datam laudabiliter exercere, quod affectum, quem ad illarum insularum clerum et populum habuimus et habemus, cognoscant tuo mediante studio per effectum, nosque preter meritum, quod a Deo, et famam bonam, quam ab hominibus consequeris, diligentiam tuam dignis in Domino laudibus commendemus[e].

Dat. Lugduni, IIII Id. Iunii, anno VI°.

In eundem modum eidem. In insulas Corsice.

742.

Innocentius IV papa archiepiscopis, episcopis et aliis praelatis Sardiniae mandat, ut electo Turritano, quem ad partes eorum cum plenae legationis officio destinet, pronis mentibus intendant. *1249, Iun. 10.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 71, cur. n. 69.
Potthast, Reg. 13397; Berger 4730.

Universis archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum prelatis per Sardiniam constitutis.

Cum iuxta verbum propheticum constituti super gentes et regna universe terre, Ierem. 1, 10. ubi Dominus invocatur, curam teneamur gerere generalem, eo tamen erga Sardiniam nostre sollicitudinis aciem quodam naturali debito compellimur dirigere ac tenemur, quo ad Romanam ecclesiam pertinere specialiter dinoscitur. Verum quia humane conditionis natura non patitur, ut uno eodemque tempore locis pluribus personaliter capiamur[f], ne minus sufficienter susceptum apostolatus impleamus officium, cogimur, Ietro usi consilio, viros prudentes[g] eligere, timentes Deum, amantes veritatem et Exod. 18. avaritiam detestantes, qui nostrum et ecclesie Romane zelantur honorem, ut eos ad

a) unigenitum *R.; cf. Ps. 132, 2.* b) *leg.* oram. c) fidei doctrina *repetitum et punctis suppositis deletum est.* d) olla et *R.; cf. Ierem. 1, 13.* e) commen | *[f. 74']* mendemus *R.* f) capiamur *in loco raso altera manu et alia tinctura.* g) viros pru *itidem ut not. f.*

1) *Cf. infra 'insulas Corsicae'.* 2) *Quod Henricus rex Sardiniae Mai. 26 a Bononiensibus captus erat, ad hanc ep. et sequentes scribendas ansam dedisse videtur.*

varia explenda negotia, prout necessitas exigit et persuadet utilitas, destinemus. Ideoque timentes, ne humani generis inimicus, qui tanquam leo rugiens circuit, querens quem devoret, partes vestras, que a nobis longo tractu maris etc. ut supra in proxima usque[a]: impendamus, dilectum filium .. electum Turritanum, apostolice sedis legatum, virum utique providum et discretum, morum honestate preclarum et suis exigentibus meritis nobis et fratribus nostris earum admodum et acceptum, concessa sibi plenaria potestate ut evellat et destruat, edificet et plantet, que in ecclesia Dei evellenda et destruenda, edificanda cognoverit et plantanda, de fratrum nostrorum consilio ad partes vestras providimus destinandum. Quocirca universitatem vestram rogamus et monemus attente, districte precipiendo mandantes quatinus prefatum electum tanquam legatum apostolice sedis, immo personam nostram recipientes in eo et honorifice pertractantes, eidem reverentiam devotam et debitam impendendo[b], ipsius salutaribus monitis et preceptis pronis mentibus intendatis et que inter vos statuenda duxerit tanquam devotionis filii teneatis firmiter et servetis, prestando sibi auxilium, consilium et favorem, quem[c], dirigente Domino gressus eius, ita incedere via regia procurabit, quod sicut ei viva voce dedimus in mandatis, non declinabit ad dexteram vel sinistram. Alioquin sententiam, quam idem rite etc.

Dat. ut supra.

In eundem modum archiepiscopis[1] etc. per Corsicam constitutis.

In eundem modum iudicibus, comitibus, castellanis, aliisque nobilibus, rectoribus, balivis et ceteris Christi fidelibus per Sardiniam constitutis.

In eundem modum nobilibus viris iudicibus etc. per Corsicam constitutis.

743.

Innocentius IV papa eisdem mandat, ut feuda et beneficia ecclesiastica indevotis auferant et de consilio electi Turritani, apostolicae sedis legati, devotis conferant.

1249, Iun. 10.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 74, cur. n. 70.
Potthast, Reg. 13739; Berger 4731.

Archiepiscopis et episcopis, abbatibus etc. ut supra per Sardiniam constitutis.

Recte[d] considerationis examine libra presidentis appenditur, cum subditorum merita sic iusta extimatione pensantur, ut devotorum obsequiis retributio digna respondeat et obprobrii pena perpetui infidelium colla premat. Sic enim in bonorum beneficiis plures ad virtutum merita eriguntur[e] et in pravorum penis ceteris delinquendi audatia prohibetur. Cum itaque, sicut accepimus, nonnulli clerici et laici a vobis et vestris ecclesiis feuda et ecclesiastica beneficia obtinentes adheserint et adhuc adherere presumant F. quondam imperatori et eius filiis, persecutoribus ecclesie manifestis,

a) *minus recte; verba ep. antecedentis huic loco non conveniunt.* b) impēdendo *R.; signum ‾ alia tinctura.* c) quantum *R.* d) *Ep. cum n. 681 XXX et accuratius cum n. 308 concordat.* e) eriga tur *R.*

1) *Error registratoris, qui non ep. integram prae se habuit, sed quaedam verba tantum aliquo loco annotata, ex quibus hanc inscriptionem, antecedentem negligenter imitatus, conscripsit; in Corsica enim archiepiscopi non extiterunt; cf. n. 301 et N. A. t. X, p. 538 et sequ.*

volumus et presentium vobis auctoritate districte precipiendo mandamus, quatinus feuda et beneficia ipsa eis auferre ac eadem aliis fidelibus, devotis ecclesie, de consilio[a] dilecti filii .. Turritani electi, apostolice sedis legati, conferre curetis; contradictores etc. Alioquin eidem electo litteris nostris iniungimus, ut ipse super hoc mandatum apostolicum exequatur.

Dat. ut supra.

In eundem modum archiepiscopis[1] etc. per Corsicam constitutis.

744.

Innocentius IV papa Templarios Sardiniae rogat, ut electo Turritano, apostolicae sedis legato, cum ab eo requisiti fuerint, praestent consilium [auxilium et favorem].

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 74, cur. n. 71. *1247, Iun. 10.*
Potthast, Reg. 13740; Berger 1732.

Fratribus militie Templi per Sardiniam constitutis.

Cum dilectum filium .. electum Turritanum, apostolice sedis legatum, ad partes vestras pro negotio totius generalis ecclesie duxerimus destinandum, oporteatque ipsum ex necessitate ut scire potestis pro eo promovendo subire gravia onera expensarum: universitatem vestram rogamus et hortamur attente, firmiter precipiendo mandantes quatinus, considerato prudenter quod idem negotium est tam vestrum quam omnium Christi fidelium, ecclesiasticarum maxime personarum, eidem legato studeatis, cum ab eo fueritis requisiti, sic[b] prestare consilium[c], quod videamini zelari honorem ecclesie ac profectum, nosque id gratum habentes possimus proinde vestre devotionis promptitudinem non inmerito commendare.

Dat. ut supra[2].

745.

Innocentius IV papa electo Turritano, apostolicae sedis legato in Sardiniam et Corsicam insulas destinato, I) facultatem concedit dispensandi cum clericis defectum natalium patientibus, ut in susceptis ordinibus ministrare et ascendere ad maiores possint, II) exercendi legationis in Sardinia officium extra insulam constitutus, III) dispensandi cum viginti religiosis defectum natalium patientibus, ut ad praelaturas assumi possint, IV) amovendi perpetuo praelatos inobedientes, V) dispensandi cum decem personis ecclesiasticis, quae excommunicatae ordines susceperint, VI) exercendi libere censuram ecclesiasticam, VII) mandat, ut indevotos gratiis a sede apostolica concessis privet, VIII) mandat, ut contra Fridericum crucem praedicet, IX) concedit, ut cum symoniacis iuxta constitutionem concilii generalis agat, X) indulget, ut beneficia conferre valeat sicut cardinalis legatus, XI) potestatem concedit promittendi ecclesiam cum Friderico pacem facturam non esse, ita ut ipse vel aliquis filiorum eius rex aut imperator existat,

---

a) et beneplacito *add. n. 308.* b) sic sibi *R.;* sic — videamini *in loco raso.* c) *aut addendum est:* auxilium et favorem, *aut corrigendum* subsidium, *ut in n. 681 XX.*

1) *Cf. p. 548, not. 1.* 2) *Suspicari licet in eundem modum Hospitalariis et fratribus ordinis Teutonicorum per Sardiniam et in eundem modum eisdem per Corsicam constitutis scriptum fuisse; cf. n. 681 XX.*

XII) privandi fratres ordinis Teutonici aliosque religiosos privilegiis suis. XIII) indulget, ut clerici, qui secum fuerint, proventus beneficiorum suorum integre recipiant, acsi residerent. *1249, Iun. 10.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 74—75, cur. n. 71—77, 79—81, 84—86.
Potthast, Reg. 13711; Berger 4733—4739, 4741—4743, 4746—4748.

I.

.. electo Turritano[a].

Cum[b] te ad partes Sardinie pro bono[c] earum statu et ecclesie negotio promovendo de fratrum nostrorum consilio destinemus: volentes aliqua tibi concedere, per que saluti consulere valeas animarum, discretioni tue dispensandi cum clericis tue legationis defectum natalium patientibus, quod — huiusmodi non obstante defectu — in susceptis ministrare ordinibus, ascendere ad maiores ac ecclesiastica beneficia seu personatus vel dignitates, pontificali dumtaxat excepta, etiam si curam habeant animarum, obtinere valeant in[d] ecclesiis tue legationis, auctoritate presentium concedimus facultatem.

Dat. ut supra[1].

In eundem modum eidem. In Corsica.

II.

Eidem.

Cum[e] te ad partes Sardinie, commisso tibi plene legationis officio, destinemus, discretioni tue presentium auctoritate concedimus, ut si forte impeditus fueris, quod terras tue legationis nequeas libere introire, vel si exinde te pro aliqua causa exire oportuerit ac ad partes alias declinare, dummodo Ianue seu [in][f] eius districtu vel apud Portum Veneris[2] aut Bonifatii[3] moram trahas, ac in eundo etiam et redeundo, possis et inibi existendo legationis officium in predicta Sardinia exercere.

Dat. ut supra.

In eundem modum eidem. In Corsica.

III.

Eidem.

Cum te etc. ut supra usque: concedimus, ut cum viginti[g] personis religiosis defectum natalium patientibus illarum partium, cuiuscumque sint ordinis, quod — huiusmodi non obstante defectu — ad prelaturas et administrationes suorum ordinum in[h] ecclesiis tue legationis licite assumi possint, valeas dispensare.

Dat. ut supra.

In eundem modum eidem. In Corsica.

a) *addendum est:* apostolice sedis legato. b) *cp. cum n. 681 XXIII k et plenius cum n. 303 XII concordat.* c) bonorum *R.* d) *verba* in — legationis *desunt in n. 681 XXIII k et 303 XII.* e) *cf. n. 303 XVII et 681 XXIII h.* f) in *deest R.* g) quinquaginta *n. 303 I et 681 XXIII f.* h) in — legationis *deest ibid.*

1) *De notis chronologicis cf. N. A. t. X, p. 556 et sequ.* 2) *In meridionali parte paeninsulae, quae sinum de Spezzia efficit.* 3) *In Corsica, ad fretum inter Sardiniae et Corsicae insulas. In ep. de legatione Corsicae scripta nimirum locus alius nominatus erat. — Factum esse potest, ut electo primum in Sardinia sola et postea demum in Corsica quoque legatio commissa sit, praesertim cum omnes hae ep., praeter n. 715 XIII, nolo pro Sardinia sola exaratae videantur; cf. n. 716—718.*

IV.

Eidem.

Cum te etc. usque: destinemus, nos, ut eo efficatius huiusmodi officium exequi valeas, quo maiori per nos fueris auctoritate munitus, discretioni tue amovendi perpetuo tam[a] prelatos quam alios tue legationis, qui fuerint inobedientes ecclesie vel rebelles seu contra ipsam presumpserint aliquid machinari et in sua extiterint malitia pertinaces, ab aministratione spiritualium et temporalium suarum ecclesiarum et contradictores etc. usque: compescendi[b] — privilegio vel indulgentia sedis apostolice non obstante — liberam concedimus tenore presentium potestatem.

Dat. ut supra[c].

V.

Eidem.

Presentium tibi auctoritate concedimus, ut cum decem[d] personis ecclesiasticis, tam religiosis quam secularibus, tue legationis, que vinculo excommunicationis astricte[e] sacros susceperunt ordines vel ministrarunt in illis, possis super irregularitate huiusmodi, prout animarum suarum saluti expedire videris, dispensare.

Dat. ut supra.

VI.

Eidem.

Cum te etc. usque: destinemus, discretioni tue exercendi libere censuram ecclesiasticam in omnes tam cathedralium quam aliarum ecclesiarum etc. ut supra in legatione P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, apostolice sedis legati[f].

In eundem modum eidem. In Corsica.

VII.

.. electo Turritano[g].

Cum[h] nonnullis personis ecclesiasticis et secularibus tue legationis liberales nos exhibuerimus et beni[gnos], eis[i] tam super beneficiis quam aliis specialibus gratiis et indulgentiis nostras litteras concedendo. etc. ut supra in legatione eiusdem cardinalis.

In eundem modum eidem. In Corsica[k].

VIII.

.. electo Turritano[l].

Cum ad expugnandam F. quondam imperatoris tirampnidem[m] sint Christi fidelium subsidia oportuna, mandamus, quatinus in terris tue legationis contra F. prefatum crucem predices et facias per discretos aliquos predicari, illam eis, qui crucem contra eum acceperint, peccatorum suorum veniam concessurus, que conceditur crucesignatis transfretantibus in subsidium Terre Sancte[n].

a) tam archiepiscopos et episcopos quam alios ecclesiarum prelatos tue *n. 303 IV et 681 XXIII d.* b) *ita ibid.;* compellendi *R.* c) *desunt verba* In — Corsica. d) decem *deest n. 303 XIII et 681 XXIII a.* e) astricti *R.* f) *n. 681 XXIII e, cf. n. 303 X.* g) Turritañ *in marg.;* Turricem *in rubro; addas verba* apostolice sedis legato. h) *cf. n. 303 XIV et 681 XXV.* i) beni | eis *R.* k) *sequitur in R. n. 716.* l) Turril *in marg.;* Turicem *in rubro; addas verba* apostolice sedis legato. m) tirampnide *R.* n) *nota chronol. deest R.*

IX.

Eidem.

Cum[a] in terris tue legationis plures recepti sint in locis religiosis ut accepimus per vitium symonie, presentium tibi auctoritate concedimus, ut super hoc agas cum eis iuxta constitutionem concilii generalis.

Dat. ut supra.

X.

[Eidem][b].

Cum[c] te ad partes Sardinie, commisso tibi plene legationis officio, de fratrum nostrorum consilio destinemus: ut idem officium melius exequaris, quod beneficia ecclesiastica ipsarum partium libere conferre valeas tanquam cardinalis apostolice sedis legatus — constitutione super hoc edita non obstante —, tibi auctoritate presentium indulgemus; contradictores etc.

Dat. ut supra.

In eundem modum eidem. In Corsica[d].

XI.

.. electo Turritano[e].

Cum[f] te pro instanti negotio ecclesie in Sardiniam destinemus, discretioni tue promittendi firmiter ex parte nostra omnibus prelatis ecclesiarum et principibus secularibus ceterisque tue legationis, quod nos et fratres nostri eos in huiusmodi negotio nullatenus deseremus nec cum F. quondam imperatore[g] pacem aliquatenus reformabimus, ita quod ipse vel aliquis filiorum eius rex aut imperator existat, plenam et liberam concedimus auctoritate presentium potestatem.

Dat. etc.[h].

In eundem modum eidem. Per Corsicam.

XII.

Eidem.

Cum[i] te ad partes Sardinie etc. usque: destinemus, nos[k], ut eo efficacius huiusmodi officium exequi valeas, quo maiori fueris per nos auctoritate munitus, discretioni tue privandi tam fratres hospitalis sancte Marie Theotonicorum quam religiosos alios etc. ut supra in legatione predicti cardinalis.

In eundem modum eidem. Per Corsicam.

XIII.

Eidem.

Cum[l] te ad partes Sardinie ac Corsice[1] etc. usque: destinemus, clericis, qui tecum permanserint et quos pro agendis ecclesie duxeris destinandos etc. ut supra in legatione dicti P. cardinalis.

a) *alia ep. de eadem re sub n. 303 VII et 681 XXIII g.* b) Eidem *deest R.* c) *cf. n. 664 et 705 III.* d) *sequuntur in R. n. 747 et 748.* e) *ita in marg.;* Turantan *in rubro; addas verba* apostolice sedis legato. f) *cf. n. 681 XXII et n. 336.* g) imperatori *R.* h) *ita R.* i) *cf. n. 303 III et 681 XXIII b.* k) destinemus mandamus quatinus nos *R.* l) *cf. n. 303 IX et 684 XXIII l.*

1) *Cf. p. 550, not. 3.*

746.

Innocentius IV papa universis per Sardiniam constitutis mandat, ut electo Turritano, apostolicae sedis legato, tanquam rectori suo humiliter intendant. 1249, Ian. 10.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 75, cur. n. 78.
Potthast, Reg. 13741; Berger 4740.

Universis per Sardiniam constitutis.

Cum[a] dilecto filio .. electo Turritano, apostolice sedis legato, de cuius prudentia et fidelitatis constantia tum ex familiaritate antiqua tum ex experientia in magnis negotiis Romane ecclesie approbata gerimus in Domino fiduciam pleniorem, Sardiniam ad Romanam ecclesiam pertinentem de fratrum nostrorum consilio duxerimus committendam: universitati vestre firmiter precipiendo mandamus, quatinus eidem tamquam rectori vestro intendatis et obediatis humiliter et devote. Alioquin sententiam et penam. [quas idem][b] spiritualiter et temporaliter etc.

Dat. ut supra[c].

747.

Innocentius IV papa eisdem mandat, ut electo Turritano tanquam rectori suo et legato in spiritualibus et temporalibus humiliter intendant, scientes se omnes concessiones apud eos usque ad beneplacitum apostolicum factas revocare. 1249, Ian. 10.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 75, cur. n. 82.
Potthast, Reg. 13741; Berger 4741.

Universis per Sardiniam constitutis.

Cum dilecto filio .. electo Turritano, apostolice sedis legato, quem ad partes vestras pro bono earum statu et vestro ac ecclesie negotio, commisso sibi plene legationis officio, destinamus[d], Sardiniam de fratrum nostrorum consilio duxerimus[e] committendam, omnes concessiones quibuscumque personis ab apostolica sede de civitatibus, castris aut terris seu aliis rebus usque ad nostrum beneplacitum factas penitus revocantes[1]: universitatem vestram rogamus et monemus attente, firmiter precipiendo mandantes, quatinus eidem electo tanquam vestro rectori et legato in spiritualibus et temporalibus intendatis et obediatis humiliter et devote, respondentes ei plenarie de omnibus iuribus et iurisdictionibus ac aliis, que ad apostolicam sedem spectant. Alioquin sententiam, quam idem rite etc.[f].

In eundem modum universis per Corsicam.

a) *cf. n. 681 XII.* b) quas idem *deest R.* c) *antecedit n. 745 VII. Deesse videntur verba* In eundem modum universis per Corsicam; *cf. n. 747.* d) destinemus *R.* e) dux *R.* f) *ut in n. 746; etiam verba* Dat. ut supra *supplenda esse apparet. Antecedit n. 745 X.*

1) *Cf. n. 738.*

748.

Innocentius IV papa eisdem mandat, ut electo Turritano, apostolicae sedis legato, tanquam rectori suo vel eius vicario obediant, scientes se concessiones usque ad beneplacitum apostolicum factas revocare. *1249, Iun. 10.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 75, cur. n. 83.
Potthast, Reg. 13741; Berger 4745.

Eisdem.

Cum dilecto filio .. electo Turritano etc. ut supra[a] usque: quatinus eidem electo vel eius vicario[1] in omnibus obedire ac intendere procuretis — non obstante si alique civitates aut castra vel alia loca tenenda seu custodienda quibuscunque personis sint ab apostolica sede commissa usque ad nostre beneplacitum voluntatis, quas commissiones penitus revocamus. Alioquin sententias, quas idem vel vicarius eius etc.

Dat. ut supra.

In eundem modum universis per Corsicam.

749.

Innocentius IV papa [Hermanno] episcopo Herbipolensi committit, ut omnes clericos et laicos dioecesis suae ad assistendum sibi in negotiis ecclesiae per subtractionem beneficiorum et feudorum compellat. *1249, Iun. 13.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 52, n. 582. Exemplar, quod Hofler, Alb. v. Beh. p. 199 edidit, contulimus cum Regestis.
Potthast, Reg. 13406; Berger 4572.

.. episcopo Herbipolensi[2].

Cum divine pagine testetur eloquium, iusto deberi substantiam peccatoris, fraternitati tue presentium auctoritate committimus, ut omnes tam clericos quam laicos tue dioecesis ad assistendum tibi in negotiis universalis ecclesie per beneficiorum et feudorum subtractionem compellas, ipsos eisdem, si animo indurato restiterint, auctoritate nostra privando et ea conferendo aliis personis idoneis, ecclesie Romane devotis, — non obstante si eorum alicui a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari seu interdici nequeat vel suspendi, cum privilegium mereatur amittere[b], qui permissa sibi abutitur potestate —; contradictores etc.[3].

Dat. Lugduni, Id. Iunii, anno VI°.

750.

Innocentius IV papa [Viviano] episcopo Ruthenensi mandat, ut cum quondam Iohannes de Chabreira castrum de Viridifolio et medietatem castri de Petra Sadula de

a) *Certe non ut in ep. antecedente, ita ut verba* omnes concessiones — revocantes *in hac quoque ep. posita* [u]*ocat; fortasse ut in n. 716, sed probabilius ut in n. 681 XII. Iam in ep. cur. 76 et 77 [n. 745 VI et VII]* [cen]*tralor ad acta legationis Petri cardinalis lectorem revocaverat.* b) āmittere *R.*

1) *Etiam vicario rectoris quae in n. 716 et 717 continentur competere papa hac ep. statuere vult;* cf. *p. 550, not. 3.* 2) *Cf. n. 581 et 736.* 3) *Simile mandatum sub alia forma in n. 681 XXX.*

manibus Adriani papae susceperit, Iohannem de Viridifolio heredem eius super bonis eisdem, quae in feudum ab ecclesia Romana se tenere recognoscat, ab aliquibus molestari non permittat. 1249, *Iun.* 15.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 53, n. 595.
Potthast. Reg. 13679; Berger 4585.

. . episcopo Ruthenensi[a].

Dilectus filius nobilis vir Iohannes de Viridifolio[1] fidelis noster, heres quondam Iohannis de Chabreira[2] Uticensis diocesis, proposuit coram nobis, quod felicis recordationis Adrianus papa[3] predecessor noster personam eiusdem Iohannis de Chabreira cum omnibus bonis suis tam ecclesiasticis quam mundanis sub sua protectione ac beati Petri suscipiens, castrum de Viridifolio necnon medietatem castri de Petra Sadula, quam videlicet terram cum suis pertinentiis de ipsius suscepit manibus et pro ea sibi fidelitatem exhibuit, necnon alia omnia rationabiliter acquisita seu etiam acquirenda eidem integre auctoritate apostolica confirmavit, prout in ipsius predecessoris nostri privilegio continetur; quod ad petitionem dicti nobilis, eo quod iam incipit vetustate consumi, transcribi fecimus et huiusmodi transcripto bullam nostram apponi. Nolentes igitur eundem nobilem super bonis suis, que in feudum ab ecclesia Romana se tenere cognoscit, ab aliquibus indebite molestari, mandamus, quatinus, si quos tibi constiterit de bonis huiusmodi contra iustitiam occupasse, tu illos nec non eos, qui de bonis ipsis de cetero taliter occupabunt, ad ea restituenda prefato nobili[b] cum fructibus perceptis ex eis monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota iustitia mediante compellas, nec super ipsis bonis contra privilegii premissi tenorem indebite inquietari nobilem permittas eundem, inquietatores seu molestatores huiusmodi monitione premissa etc. – non obstantibus si aliquibus eorum a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari vel interdici non possint absque speciali apostolice sedis mandato faciente de indulgentia huiusmodi mentionem, et constitutione de duabus dietis etc.

Dat. Lugduni, XVII Kal. Iulii, anno VI°[4].

751.

Innocentius IV papa magistro Christoforo notario [Henrici] marchionis Misnensis obtentu eiusdem marchionis concedit, ut si praebendam in Misnensi ecclesia assecutus fuerit, eam cum praebenda Numburgensis ecclesiae retinere valeat. 1249, *Iun.* 17.

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 62, n. 659. Exemplar nostrum contulimus cum altero eiusdem tenoris eidem sub a. 1247, Iun. 20 directo ap. Gersdorf, Cod. dipl. Saxoniae II, 1, p. 125, n. 141 [1]; cf. supra p. 259, not. 1.
Potthast, Reg. 13413; Berger 4649.

Magistro Christoforo notario nobilis viri . . marchionis Misnensis.

Cum, sicut te accepimus intimante, in Namburgensi[c] ecclesia, in qua prebendam obtines, statutum huiusmodi habeatur, quod prebenda canonici eiusdem ecclesie ipso

a) *ita in margine, in rubro* Ruthennensi. b) mobili *R.* c) Nāburgeñ *R.*; Numburgensi *1.*

1) *Verfeuil, dép. Gard, ex sept. civ. Uzès prope civ. Lussan.* 2) *Duo loci dicti 'Chabrières' extant in dép. Vaucluse, ex or. civ. Avignon prope civ. L'Isle, et ex sept. civ. Orange prope civ. Bollène. 'Cabrière' inter possessiones papales Avenionenses commemorat Barberini, Istoria della città Avign. t. 1. p. 100.*

iure vacet, si prebendam in alia cathedrali ecclesia fuerit assecutus, tuque statutum huiusmodi iuraveris servaturum: nos, volentes tibi obtentu nobilis viri . . marchionis Misnensis, cuius insistis servitiis, gratiam facere specialem, presentium tibi auctoritate concedimus, ut si prebendam in Misnensi ecclesia fueris assecutus, cum ea prebendam prefate Numburgensis ecclesie — prefatis statuto et iuramento seu[a] confirmatione, si qua super eis ab apostolica sede obtenta est, vel quavis indulgentia venerabili fratri nostro . . episcopo vel capitulo Numburgensibus ab eadem sede concessa nequaquam obstantibus — libere valeas retinere. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, XV Kal. Iulii, anno VI°[b] [1].

752.

Innocentius IV papa S[tephano] tituli Sanctae Mariae trans Tiberim presbytero cardinali, vicario suo in Urbe, mandat, ut si Bartholomaeo scolari, nato Bontempi familiaris papae, ecclesiam Sanctae Mariae de Cesis Marsicanae dioecesis conferre non possit, ei de alia ecclesia regni Siciliae provideat. *1249, Iun. 18.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 57, n. 625.
Potthast, Reg. 13700; Berger 4615.

S. tituli Sancte Marie Transtiberim presbytero cardinali, vicario nostro in Urbe[2].

Cum per alias litteras nostras tibi dederimus in mandatis, ut Bartholomeo scolari, nato dilecti filii Bontempi[c] familiaris nostri, militie clericali ascribi volenti ecclesiam sancte Marie de Cesis Marsicane diocesis, que dicitur rectore vacare, auctoritate nostra conferres, mandamus, quatinus, si eam iusta causa impediente sibi conferre non posses[d], de alia ecclesia vel beneficio ecclesiastico equivalenti in episcopatu Marsicano aut locis aliis regni Sicilie auctoritate premissa per te vel alium aut alios eidem studeas providere, et ipsum vel eius procuratorem in possessionem ecclesie vel beneficii, de qua vel de quo sibi duxeris providendum, induci facias corporalem ac tuearis inductum; contradictores etc. — non obstantibus constitutione de duabus dietis etc., aut si pro aliorum provisione ad episcopatum vel loca predicta direxerimus scripta nostra, quibus nolumus etc. usque: generari.

Dat. Lugduni, XIIII Kal. Iulii, anno VI°.

a) *verba* seu — concessa *desunt 1.* b) Dat. ut supra *R.* c) Bontēpi *R.* d) *ita R.*

Locum ad dioc. Uticensem pertinere non dicit papa, sed Iohannem in eadem dioc. domicilium suum habere; cf. 'Iohannes de Montefuscolo [e mer. et or. Beneventi] Barensis diocesis' sub n. 254. 3) *Ut videtur 'quartus' a. 1151—1159. Sed in Regestis eius ap. Iaffé-Loewenfeld de hac re nihil reperimus.* 4) *Iam sub Mart. 27 papa eidem Iohanni indulserat, ut cum a baliris regis Franciae et nonnullis aliis ipsius regni nobilibus super bonis ad castrum de Viridifolio, quod a papa et Romana ecclesia in feudum teneret, pertinentibus iniurias pateretur, quamdiu coram abbate Nanatensi Ruthenensis dioc. [Nant] iuri stare paratus esset, super hoc coram aliis iudicibus respondere non teneretur. Sub Iun. 15 abbati Nanetensi scribens, Iohanni similem protectionem contra nobiles et alios de regno Franciae et Provincia concessit. Iohannes Lugduni tum erat; Berger 4464, 4586, 4587, 4597; Potthast, Reg. 13602, 13680, 13681, 13686*

1) *Sub a. 1249, Iun. 20 papa Christoforo canonico S. Sebastiani Magdeburgensis, notario eiusdem marchionis, qui pro eo petisset, indulserat, ut ad faciendam in ecclesia S. Sebastiani ratione praebendae residentiam non teneretur, non obstante promissione super hoc facta nec confirmatione promissionis habita per venerabilem fratrem [Wilbrandum] archiep. Magdeburgensem; Berger 4650; Potthast, Reg. 13414. Hic Christoforus sine dubio idem atque supra memoratus erat.* 2) *De hoc cf. p. 492, not. 1.*

753.

Innocentius IV papa [Hermanno] episcopo Herbipolensi mandat, ut quosdam canonicos Herbipolenses, qui a praeposito suo, quamquam bona praepositurae per inimicos ecclesiae aliosque valde diminuta sint, proventus suos integros exigant, compellat, ut a molestatione praepositi desistant. *1249, Iun. 22.*

Inn. IV Reg. Lib. VI, f. 55, n. 610. Exemplar, quod Höfler, Alb. v. Beh. p. 200 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 13378, falso sub Mai. 23; Berger 4600.

. . episcopo Herpipolensi[a].

Ex parte dilecti filii . . prepositi ecclesie Herbipolensis fuit propositum coram nobis, quod . . decanus, Yringus de Huimburch[b][1], Eberardus de Masbach[c] et quidam alii eiusdem ecclesie canonici, non attendentes quod prepositure sue bona sunt per inimicos ecclesie ac alios perditionis filios non modicum diminuta, prebendarum suarum proventus ac distributiones cotidianas cum ea integritate, qua ipsis ante diminutionem bonorum ipsorum consueverant exhiberi ab eo, pro sua voluntate ....[d], et protinus organa sua suspendunt, si eorum in hac parte non satisfaciunt[e] voluntati. Quare nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Quia vero tu de hiis habere poteris notitiam pleniorem, mandamus, quatinus, si premissis veritas suffragatur, dictos decanum et alios canonicos, ut hiis, que ipsis ab eodem preposito commode possunt ministrari, contenti, ab eius super hoc, dummodo eis iuxta facultates provideat, molestatione desistant[f], monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas — non obstante si aliquibus[g] eorum ab apostolica sede sit indultum, quod per litteras apostolicas excommunicari, suspendi aut nequeant interdici.

Dat. Lugduni. X Kal. Iulii. anno VI°.

a) *ita in marg.*, Herbipolensi *in rubro.* b) Hunnburch *R.* c) *vel* Marbach. d) *aliquot verba excidisse videntur; quid ibidem scriptum fuerit, colligas ex mandato papae infra sequente.* e) *ita R.* f) desistat *R.* g) obst'. ab aliquibus *R.*

1) *Iringus de Hohenburg canon. Herbipol. hoc tempore saepius occurrit; Mon. Boica t. XXXVII. p. 326, 331, 343, 353.*

ADDITAMENTUM.

754.

Additamentum sub ep. n. 1 adiungendum. — *1243, Iul. 2.*

Inn. IV Reg. Vol. I, 1; Lib. I, 1. Ea, quae supra p. 2, lin. 38—40 sub verbis In eundem modum *leguntur, nunc integra praebemus; quae V. Cl. A. Mau ex Regestis descripsit.*

In eundem modum . . abbati et conventui Cisterciensibus usque: tanti ponderis gravitatem. Attendentes igitur prout convenit diligenter nos ex propria infirmitate
Ps. 33, 16. deficere, ac scientes quod multum valet oratio iusti assidua, quia oculi Domini super iustos et aures eius ad preces eorum, vestra et aliorum spiritualium virorum suffragia fiducialiter imploramus. Ideoque caritatem vestram rogamus, monemus et hortamur in Domino, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus thus orationum vestrarum
Os. 14, 3. pro nobis Domino suaviter adolentes ac offerentes vestrorum vitulos labiorum, instetis suppliciter apud ipsum, quod de habundantia pietatis sue, qua merita supplicum excedit et vota, in beneplacito suo dirigens actus nostros, ut populus nostre gubernationi commissus per nos verbo proficiat et exemplo, ecclesiam suam continua pietate custodiat, et quia sine ipso non potest salva consistere, suo semper munere gubernetur. Verum
Eccli. 18, 6. quia cum consumaverit homo, tunc incipiet, ut vobis per vite meritum et aliis pro-
Phil. 3, 13. ficiatis laudabiliter per exemplum, posteriorum obliti ad anteriora vos cum apostolo extendatis emulantes carismata meliora, securi quod non deerit vobis auxilii nostri manus, quin vobis in omni oportunitâte libenter impertiamur gratiam et favorem, credentes nos exinde illi placere, qui vestrum acceptat placitum famulatum. Ceterum etc. ut supra usque in finem.

In eundem modum . . abbatisse et conventui monasterii Iotrensis usque: ad preces eorum, vestra suffragia fiducialiter imploramus. Ideoque etc. usque: mandantes, quatinus in vestris lacrimis et gemitibus habentes nostri memoriam apud Deum, cui placuit ecclesie sancte sue ministrum licet indignum et servum servorum suorum nos nullis exigentibus nostris meritis ordinare, pias manus elevetis ad ipsum, supplicantes instanter ut qui scit nos in tantis periculis constitutos pro humana fragilitate non posse subsistere, sua nos virtute preveniens, ministerium nobis ab ipso commissum sic det digne peragere, ut ei ad gloriam et angelis suis ad gaudium ac nobis et commissis nostro regimini proveniat ad salutem. Verum quia etc. ut supra usque: sibi congrue satisfiat.

Dat. ut supra.

In eundem modum . . regi Castelle et Legionis usque: tanti ponderis gravitatem. Sincere devotionis fervorem, quem ad sedem apostolicam ex innata progenitorum tuorum consuetudine habere dinosceris, diligentius attendentes tibi tanquam ecclesie Romane filio speciali primitias litterarum nostrarum duximus destinandas. Ideoque regiam excellentiam rogamus et monemus attente, quatinus matrem tuam sacrosanctam

Romanam et omnes regnorum tuorum ecclesias sic honorare studeas et taliter revereri, quod tue devotionis affectus non videatur ullatenus tepuisse sed suscepisse potius incrementum, nobisque ad regimen apostolice sedis assumptis Domino disponente, prout decet catholicum principem, assistas humiliter et devote. Nos enim in hiis, que ad honorem tuum pertinent et profectum, quantum cum Deo possumus, libenter intendimus ac personam tuam speciali prerogativa dilectionis et gratie gerere in visceribus caritatis.

Dat. Anagnie etc.[1].

755.

Innocentius IV papa Albericum de Romano cum nominatis castris, burgis, arcibus et villis et omnibus bonis, quae tempore, quo princeps excommunicatus fuerit, possederit et quae nunc possideat, sub protectione apostolica suscipit et omnia, quae a dicto principe contra ipsum statuta sint, revocat. *1243, Oct. 9.*

Epistolam ex Cod. Trevisano f. 2, n. 5, ubi a. 1318, Apr. 3 registrata est, Pertzius descripsit.

Innocencius episcopus servus servorum Dei dillecto filio nobili viro Alberico de Romano salutem et apostolicam benedictionem.

In perpetuam tui nominis gloriam venit, quod eis, qui fidem catholicam et ecclesiam persecuntur, resistens viriliter, te zelatorem fidei orthodosse et ecclesie filium exibes, dum ipsam dignus laudis magne preconio deffendere non omittis; propter quod non indignum esse censemus, ut et te a persecutorum insultu patrocinium apostolicum protegat, quem apostolice sedi perversorum in repressione exhibita obsequiorum devocio multipliciter recommendat. Hinc est, quod tuis iustis desideriis grato concurrentes assensu, personam tuam in devocione ecclesie et deffensione catholice fidei et libertatis ecclesiastice persistentem, Baxiani, Romani, Muxolenti, Bursii, Casali, ecclesie sancte Larie, Cassanici, Povedi, Cordesini, Solanie, Sanaseti, Cismoni, Arsedi, de Rivaliis, Tonici, Yvani, de Telue, Arnane, Ausugi, Mazanigi, Cartilani, Roxani, Cassol.[a], sancte Lucie, Frate, Fontanive[b], Augarani, Zerzoni, Campesi, Eneci, Galadi, Foce, Valis Resine.[c], Vallis Rovine, de Turre, Marostice, Cusani, Marsangi, Castelleti, Planeze, Pedole, de Muris, Cariboli[d] et Pausi castra, burgos, arces et villas necnon terras et possessiones, iurisdictiones et omnia bona tua, que possidebas olim tempore, quo princeps fuit per sedem apostolicam excommunicacionis vinculo innodatus, et que in presentiarum racionabiliter possides aut in futurum iustis modis poteris adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus. Nichilominus sentencias, banna, statuta, penas et privilegia, datas[e] et concessiones factas de bonis tuis ab eodem principe vel alio pro ipso quibuscumque communitatibus vel personis, necnon pactiones, securitates, iuramenta dicto principi vel alicui pro eo, ex quacumque causa prestita, et omnia alia, que contra te et tua bona generaliter vel specialiter dicitur statuisse, auctoritate presencium revocamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis et revocacionis

a) Cassol̃ c. b) *ita c.* c) resinẽ c. d) cãriboli c. e) *ita c.; etiam in n. 756; cf. n. 33 et 38.*

1) *Etiam Ianuensibus papam de promotione sua litteras direxisse, comperimus ex epistola, qua eorum congratulationibus respondit: Potthast, Reg. 11105a, quae ep. in Reg. non extat.*

infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignacionem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Data Anagnie, VII Idus Octubr., pontificatus nostri anno primo[a] [1].

756.

Innocentius IV papa potestatibus, consilio et populo Tervisinis idem concedit. *1243, Oct. 9.*

Epistolam ex Cod. Trevisano f. 7, n. 17, ubi ex instrumento notarii anno 1262, Dec. 14 facto registrata est a. 1318, Apr. 5, Pertzius descripsit.

Innocencius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis potestatibus[2], conscilio et populo Tarvisii salutem et apostolicam benedictionem.

In perpetuam vestri nominis gloriam venit *etc. ut in n. 755 mutatis mutandis usque:* persistentes, de Sulico maiori[3], de Castro Francho[4], de Mestre[5], de Monte Belluna[6], de Ponte Plavis[7] castra, necnon terras et possessiones et alia castra, iurisdictiones et omnia bona vestra, que possidebatis *etc. ut in n. 755 usque ad finem.*

Data Anagnie, septimo Idus Octubr., pontificatus nostri anno primo[b] [8].

757.

Innocentius IV papa Alberico de Romano privilegia et concessiones, quas Gregorius de Montelongo subdiaconus et notarius suus, apostolicae sedis legatus, ipsi concesserit, confirmat. *1243, Oct. 9.*

Epistolam ex Cod. Trevisano f. 3, n. 8, ubi a. 1318, Apr. 5 registrata est, Pertzius descripsit.

Innocencius episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili viro Alberico de Romano salutem et apostolicam benedictionem.

In perpetuam tui nominis gloriam venit *etc. ut in n. 755 usque:* grato concurrentes assensu, privilegia et concessiones, quas dillectus filius Gregorius de Monte longo, subdiachonus et notarius noster, apostolice sedis legatus, tibi in devocione ecclesie et deffensione catolice fidei et libertatis ecclesie persistenti concessisse dicitur, prout in litteris super hoc confectis dicitur plenius contineri, auctoritate apostolica confirmamus

a) '*Bulla plumbea ad filum sericum*' PERTZ. b) '*Bulla plumbea appendens*' PERTZ.

1) *Sub eodem die in eundem modum [A..oni] marchioni Estensi scriptum est, Potthast, Reg. 11158, quae ep. in Reg. non extat. Cf. etiam n. 33, cui epistolae hae duae et n. 756 sub verbis* In eundem modum *adiungi poterant, quod factum non est: cf. p. 39, not. 5 et N. A. t. X, p. 562, not. 1.* 2) *Alberico de Romano et Biaquino de Camino: cf. n. 25 et 761.* 3) *Soligo ex sept. Tervisii.* 4) *Ex occ. Tervisii.* 5) *Ex sept. et occ. cr. Venetiarum.* 6) *Ex sept. et occ. Tervisii.* 7) *Ex or. Tervisii.* 8) *Cf. n. 36 et Böhmer-Ficker, l. c. 3386.*

et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo *etc.* nostre confirmacionis *etc.* Si quis autem *etc.*

Data Anagnie, VII Idus Octobr., pontificatus nostri anno primo[a].

758.

Innocentius IV papa ad partes remotas transiturus Raynerio Sanctae Mariae in Cosmidin diacono cardinali in Patrimonio in Tuscia, ducatu Spoletano et marchia Anconitana in spiritualibus et temporalibus plenarie committit vices suas. 1244, Iun. 28.

Exemplar, quod V. Cl. E. Winkelmann nobis praebuit, sumptum ex cod. Lipsiensi n. 1268 fol. pap. saec. XV, f. 88', nota chronologica destitutum, cui inscriptum est: 'Regendum patrimonium beati Petri cuidam committitur cardinali' [L], contulimus cum altero minus integre edito ap. Baldassini, Storia di Iesi, app. n. XI, Potthast, Reg. 11428 [Ba].

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilecto filio Raynerio Sancte Marie in Cosmidin diacono cardinali salutem et apostolicam benedictionem[b 1].

Probata prudentie tue maturitas et non inexperte providentie circumspectio merito nos inducit, ut super hiis, que nobis ex suscepti cura incumbunt officii, tanto confidentius tuum auxilium requiramus, quanto nos ad supportandum universalis ecclesie onus te nobis Dominus constituit adiutorem. Hinc est, quod cum[c] diligenti deliberatione prehabita pro universalis ecclesie utilitate ad partes remotas nos[d] proponamus[e] transire[f], sperantes ex hoc super exaltatione ecclesie salutem ipsius fidelibus provenire[2], tibi, de quo plenam in Domino fiduciam[g] obtinemus[h], in Patrimonio beati Petri in Tuscia, ducatu Spoletano et Anconitana marchia tam in spiritualibus quam in temporalibus auctoritate presentium plenarie[i] committimus vices nostras, concedentes tibi liberam potestatem exercendi, quicquid honori[k] ipsius ecclesie et utilitati fidelium ibidem existentium expedire videris in utrisque. Ideoque[l] circumspectionem tuam rogamus et hortamur attente, per apostolica scripta mandantes quatinus onus huiusmodi benigne recipiens ac in patientia supportare procurans, sic laudabiliter vices ipsas gerere ac potestatem eandem iuxta indultam tibi gratiam celitus studeas exercere, ut Deum exinde constituas tibi propitium et nos magis ac magis tuis utilitatibus obligatos. Nos enim sententias, quas spiritualiter [sive temporaliter][m] tuleris in rebelles, ratas habebimus et faciemus auctore Deo inviolabiliter observari.

Dat.[n] ....[o 3], IIII Kal. Iulii, pontificatus nostri anno secundo.

---

a) *'Bulla plumbea appendens'* PERTZ. b) *Ba.; deest L.* c) nos *Ba.; deest L.* d) nos *deest L.* e) proponimus *L.* f) nos transferre *L.* g) confidentiam *L.* h) continemus *L.* i) plenarie *deest L.* k) honoribus *L.* l) Ideoque — observari *deest Ba.* m) sive temporaliter *deest L.* n) Dat. — secundo *ex Ba.; deest L.* o) *Locus deest Ba.*

1) *Cf. p. 64, not. 2.* 2) *Iam a. 1244, Iun. 20 papa Viterbiensibus scripserat se sperare, 'quod in proximo vestris oppressionibus finis laudabilis imponetur, ad quod, quantum cum Deo possumus, nos libenter impendimus opem et operam'; de causa fugae papae cf. etiam ep. ab eo ex civ. Ianuae Brixiensibus directam; Potthast, Reg. 11419 et 11446, quae ep. in Reg. non extant.* 3) *Papa a. 1244, Iun. 27 Sutrii erat, Iun. 29 circa horam nonam Civitatem Vetulam pervenit, quo ipso die ad vesperam galeas intravit, et Iun. 30 prima luce Ianuam versus navigavit. Itaque officium illud vicarii Raynerio aut Sutrii commissum est aut in itinere, qua ratione factum esse potest, ut in authentico quoque locus adscriptus non sit, praesertim cum nesciamus, an authenticum post Iun. 28 confectum sit. Nam ap. Portum Veneris [Iul. 2—4] et Ianuae constitutus sub Iul. 8 papa litteras ad Raynerium direxit; Potthast, Reg. 11429, quae ep. in Reg. non extat.*

759.

Innocentius IV papa Albericum de Romano cum omnibus bonis, quae a tempore, quo ecclesiae adhaeserit, pacifice possederit, sub protectione apostolica suscipit. 1244, Iul. 23.

Epistolam ex Cod. Trevisano f. 3, n. 11, ubi a. 1318, Apr. 3 registrata est, Pertzius descripsit.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili viro Alberico de Romano salutem et apostolicam benedictionem.

Attendentes fidei tue constantiam, quam ad apostolicam sedem habere dinosceris, et considerantes eciam dampna, que occasione huiusmodi es perpessus, personam tuam cum omnibus terris, castris, iurisdictionibus et aliis bonis tuis, que a tempore, quo ecclesie adhesisti[1], possidebas pacifice ac quiete, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus: pacta, promissiones, pignorationes, obligaciones, donaciones, refutaciones vel quascumque datas[a] per te vel per alium tuo nomine principi vel alii pro eo de predictis bonis factas, sententias quoque, banna, confiscationes, statuta, penas, privilegia, si qua contra te vel amicos tuos a principe vel balivis eius medio tempore sunt edita seu prolata, irrita penitus nunciantes. Nulli ergo *etc.* nostre protectionis et irritacionis *etc.* Si quis autem *etc.*

Data Iannue, X Kal. Aug., pontificatus nostri anno secundo[b].

760.

Innocentius IV papa Albericum de Romano cum omnibus bonis, quae tempore, quo princeps excommunicatus fuerit, possederit, sub protectione sua suscipit et promissiones principi ante et post excommunicationem eius sub ea conditione factas, si ab eo recederet, irritat. 1244, Iul. 23.

Epistolam ex Cod. Trevisano f. 4, n. 12, ubi a. 1318, Apr. 3 registrata est, Pertzius descripsit.

Innocencius episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili viro Alberico de Romano salutem et apostolicam benedictionem.

Attendentes fidei tue constantiam, quam ad apostolicam sedem habere dinosceris, et considerantes eciam dampna, que occasione huiusmodi es perpessus, personam tuam cum omnibus terris, castris, iurisdictionibus et aliis bonis tuis, que tempore, quo excommunicationis sentencia in principem lata fuit, possidebas pacifice ac quiete aut in futurum iustis modis poteris adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus: pacta, promissiones, pignoraciones, obligationes, donationes, refutationes vel quascumque datas[a] per te vel alium tuo nomine ipsi principi vel alii pro eo de predictis bonis ante predictam excommunicacionem sub ea condictione, si ab ipsius principis voluntate seu mandato recederes vel tractares aliquid contra eum, ac eciam post eandem excommunicacionem factas seu habitas hinc et inde, sentencias quoque, banna, confiscationes, statuta, penas, privilegia, si qua contra te vel amicos tuos, pro eo quod ecclesie postmodum adhesisti, ab eodem prin-

a) *cf. p. 559, not. c.* b) *'Bulla plumbea appendens'* PERTZ.

1) *A. 1239, Ian., cf. p. 565, not. 1.*

cipe vel balivis eius medio tempore sunt edita seu prolata, irrita penitus nunciantes[1]. Nulli ergo *etc.* nostre protectionis et irritacionis *etc.* Si quis autem *etc.*

Data Ianue, X Kal. Aug., pontificatus nostri anno secundo[a].

761.

Innocentius IV papa Alberici de Romano potestatis Tervisini expertam erga ecclesiam devotionem, nunc etiam per litteras comprobatam, laudat, mandans ut in ea persereret. 1244, Iul. 27.

Epistolam ex Cod. Trevisano f. 3, n. 10, ubi a. 1318, Apr. 3 registrata est, Pertzius descripsit.

Innocencius episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili viro Alberico de Romano potestati Tervisino salutem et apostolicam benedictionem.

Tue sinceritatis et devotionis litteras affectione paterna recepimus, et earum tenore diligentius intellecto, de zelo fidei et caritatis ardore, quem ad personam nostram et sanctam matrem ecclesiam habere, prout iam dudum experimento cognovimus et nunc plene per easdem intelleximus litteras, comprobaris, tibi, ad cuius exaltacionem totis affectibus, cum tempus acceperimus, intendemus, gratiarum quantas possumus referimus actiones. Licet autem ad tue firmitatis constanciam interpellacio seu exhortacio superflua quodam modo, cum adiectione plenitudo non egeat, videatur, quia tamen non nocet ammisso subdere calcar equo[2], nobilitatem tuam rogandam duximus attentius et monendam, per apostolica scripta mandantes, quatinus in apostolice sedis devotione proficiens de bono in melius, cum prudentis sit de virtute crescere in virtutem, taliter promptitudine solita perseveres, quod apostolico tibi proinde plurimum accrescente favore, preter divinam retribucionem, quam recipies ab omnium retributore bonorum, reddas proinde ad tua commoda Romanam ecclesiam, que devotorum suorum non obliviscitur, artius obligatam.

Data Ianue, VI Kal. Augusti, pontificatus nostri anno secundo[b].

762.

Innocentius IV papa [Sigefrido] episcopo et decano Ratisponensibus mandat, ut inquirant in Perchtoldum abbatem intrusum monasterii in [Tegrinsee], qui ab [Eberhardo II] archiepiscopo Salisburgensi excommunicato munus benedictionis impetraverit, sed a [Conrado] episcopo Frisingensi iustitia exigente excommunicatus sit. 1246, Ian. 24.

Epistola legitur in ultima pagina Registri Alberti de Behaim Bibl. reg. Monac. Lat. 2574b, Aldersb. 44b, bombyc. Scriptura paene deleta est et multis locis nihil omnino cognosci potest. Exemplar

a) *'Bulla plumbea appendens'* PERTZ. b) *'Bulla plumbea pendens'* PERTZ.

1) *Albericus principi ante excommunicationem eius, scil. a. 1239, Ian. [Bohmer-Ficker, l. c. 2416b], et post eam, scil. inter Mart. 20 et Mai. 14 [ibid. 2439b], sub ea conditione si ab eo recederet, quaedam obligaverat. Si ergo papa confiscationes a principe pro eo factas, quod Albericus ecclesiae postmodum [patenter] adhaesit, irritas nuntiavit, simul ei bona confirmavit, quae idem a. 1239, Ian possidebat, i. e. 'a tempore, quo ecclesiae [clam] adhaesit', ut in ep. n. 759 dictum est.* 2) *Ovidii Ex Ponto Lib. II, ep. 6 vers. ult.; cf. p. 330, not. 1.*

nostrum V. Cl. E. Winkelmann nobis praebuit, quod denuo cum codice illo contulit O. Holder-Egger noster, qui etiam annotavit, quot verba in singulis locis detritis posita fuisse viderentur. Ea, quae nos ita instructi supplerimus, uncis inclusimus.

[Vener]abili[a] fratri episcopo et dilecto filio decano Rat[isponensibus] sa[lutem et apostolicam benedictionem][b].

Ex parte con[ventus m[onasterii in [Tegritis][c] ordinis sancti Benedicti Frisingensis dioecesis fuit propositum coram nobis, quod cum idem monasterium abbatis esset regimine [desti]tutum, Perhtoldus ipsius monasterii monachus se ad illius regimen per secularem impressio[nem] t[emere e]ligi procuravit. Cum autem venerabilis frater noster episcopus Frisingensis loci [eiusdem diocesanus, a]d quem confirmatio abbatis ipsius monasterii pertinet, ad examinat[ionem] electionis processerit et etiam persone[d] electi, antequam [ad] con[fir]mationem eius proc[essit][e], competentem eis et ipsi P. [terminum assignavit, quo coram se comparerent. Sed] idem Per. tamquam [m]al[e sentiens] in frustratorie appell[ationis] vocem[f] ad archiepiscopum Salzpurgensem [tanquam suum metro]politanum prorumpens, fecit sibi de facto ab eodem archiepiscopo d[iversis excommuni]cationum sententiis per sedem apostolicam innodato m[u]nus confirmationis et bene[dictionis] impe[ndi][1]. At prefatus episcopus, huiusmodi appellationi non deferens, prout etiam [non] deb[uit[g], in pre]fatum P. excommunicationis sententiam exigente iusticia promulgavit. Quapropter [monachi eiusdem monast]erii nobis humiliter supplicarunt, ut cum hac occasione idem monasterium [vid]eatur vergere ad ruinam, providere super hoc paterna sollicitudine [curaremus]. [Geren]tes itaque de circumspectione vestra fiduciam in Domino pleniorem, d[iscretioni vestre] per apostolica scripta mandamus, quatinus personaliter accedentes [ad locum istum, habentes] pre oculis solum Deum inquiratis super premissis diligencius veritatem, [et si ea inveneritis] esse vera, predicti [Salzpurgensis archi]episcopi processu nullo penitus nunciato [et iam]dic[to P. a regimine] eiusdem[h] monast[erii perpetuo remoto], faciatis ipsi [monasterio de] persona [idonea[i] per illos ad quos pertinet canonice provideri, corri]gendo [in eo et] refor[man]do . . . . . .[k], que [correctionis et reformationis officio noveritis in]digere, invocato ad hoc, si necesse fuerit, [auxilio brachii secularis; contra]dictor[es[l] etc.].

Dat. [Lu]gduni, VIIII Kal. Febr.[2].

a) *nomen papae deest.* b) *cum signo* s̄ [salutem] *desinit linea.* c) *ita W.; H.-E. primam litteram* T *non fuisse dicit, et signum utrique exemplari appictum litterae* T *simile non est; sed papam de monasterio in Tegrinsee loqui certum est.* d) personam *W. et H.-E.* e) proco *vel* perco *H.-E.; deest W.* f) *minus perspicue.* g) n deb *minus perspicue.* h) *minus perspicue.* i) *desunt quinque vel sex verba; H.-E.* k) .. tè *minus perspicue.* l) . . . . . diutor . . . . . *legit H.-E.; minus perspicue.*

1) *A. 1244, Mai. 7 papa quibusdam abbatibus Pataviensis dioc. ad conquestionem episcopi Frisingensis mandaverat, ut cum idem episcopus electionem P[erchtoldi], qui pro abbate Tegernseensi se gereret, irritasset, archiepiscopus autem Salisburgensis [excommunicatus] eam confirmasset et post appellationem ad sedem apostolicam interiectam eidem P. munus benedictionis impendisset, statuerent, quod canonicum esset; Potthast, Reg. 11372, quae ep. in Reg. non extat. Cf. Hist. S. Quirini ap. Oefele, Rer. Boic. SS. t. II, p. 73 et Meichelbeck, Hist. Frising. t. II, p. 20.* 2) *'Anno tertio' i. e. a. 1246, supplendum est; nam Eberhardus II archiep. Salisburgensis excommunicatus a. 1246, Dec. 1 obiit [cf. p. 246, not. 1] et Sigefridus ep. Ratisponensis a. 1245, Ian. 24 imperatori adhuc adhaerebat; cf. p. 146, not. 2.*

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Ad p. 21, n. 25 annot.: 'Simili modo papa Mediolanensibus, quorum ambaxiatorem Guifredum de Habiate libenter audivisset, die incerto scripsit, verba de pace cum principe facienda in fine n. 25 posita repetens: Potth. 11210; cf. etiam 15592, quae ep. et ipsa ante depositionem Friderici scripta est, sed nescimus quo tempore. In eundem modum ac n. 25 Mantuanis scriptum est a. 1244, Ian. 22, quorum ambaxator Bonaiuncta notarius de Gorgonzola erat: Winkelmann, Acta imp. ined. t. I. p. 559, n. 705; epp. non registr.'. — Ad p. 30, n. 38 annot.: 'In eundem modum die incerto scriptum est Mediolanensibus, Potth. 15593. A. 1243—1244. Sept. papa Gregorio de Montelongo legato, clero et civibus Brixiensibus mandavit, ut a molestatione G[ualae] episc. Brixiensis desisterent: Potth. 11452—11454, epp. non registr.'. — Ad p. 31, not. 2 add.: 'A. 1244, Ian. 3 papa Bononiensibus scripsit se cum ipsis, cum Fridericus se offerret mandatis ecclesiae in omnibus pariturum, de pace cum eo facienda colloquium habere velle, mandans ut duos prudentes viros in proxima quadragesima transmittere procuretis, qui nobiscum deliberare valeant de predictis et, que deliberata fuerint, communis vestri nomine confirmare; *Potth. 11215, ep. non registr.'. — Ad p. 31, not. 3 add.: 'Sed a. 1244, Apr. 30 papa nuntiavit, contra [Guillelmum IV] episcopum Carpentoratensem inquisitionem emanasse, cum terram Venaissini, quam idem in custodiam a [Petro] archiep. Rotomagensi, tunc apostolicae sedis capellano, recepisset, de mandato T. civis Papiensis imperialis nuntii [Raymundo VII] comiti Tholosano assignasset; cum autem episc. reverenter ad sedem apostolicam accessisset, processum revocatum esse: Berger 664 et 665'. — Ad p. 34, not. 4 add.: 'De Guillelmo comite palatino Tusciae cf. etiam Berger 1573'. — Ad p. 39, n. 51 annot.: 'Etiam a. 1244, Mai. 15 papa precibus Guidonis Guerrae comitis palatini Tusciae annuit: Potth. 11386, ep. non registr. Cum Aginulfo comite palatino Tusciae papa sub a. 1244, Mart. 7 super matrimonio contrahendo dispensavit; Berger 526; Potthast 11283'. — P. 40, n. 52 = Potth. 11286, falso sub a. 1241, Mart. 12, cum ed. ex Reg. sumpta sit. De Ezelino cf. etiam Potth. 11277, ep. non registr. — Ad p. 40, not. 2 add.: 'De Henrico comite Viennensi [Vianden] cf. etiam Berger 656, sub a. 1244, Mai. 6'. — P. 41, n. 60 II = Potth. 11338a. — Ad p. 45, n. 61 annot.: 'A. 1243, Aug. 17 papa ad Narnienses Neapoleonem militem de Faventia destinaverat, in potestatem hoc anno assumendum; Potth. 11114, cf. 11351: epp. non registr.'. — Ad p. 46, not. 1 add.: 'Epistolam papae a. 1244, Ian. 9 Ottoni episc. Portuensi directam de tractatu pacis cum imperatore resumendo, Potth. 11414, in Reg. non reperimus'. — P. 54, l. 8 del.: 'Potth. 11479'. — P. 58, l. 31 add.: 'Potth. 11498a et 11521'. — Ad p. 63, not. 2 add.: 'Iam a. 1243, Sept. 9 papa [Roberto] episcopo Leodiensi mandaverat, ut de petitione quadam Henrici II ducis Brabantiae provideret; Berger 110'. — Ad p. 73, not. 4 add.: 'Etiam a. 1245, Aug. 29 papa preces Friderici II ducis Austriae exaudivit; Berger 1416'. — Ad p. 73, not. 5 add.: '[Rudigero] ep. Pataviensi papa sub a. 1244, Mai. 10 et 26 mandata dederat; Berger 673 et 710'; Potth. 11379, —. A. 1245, Dec. 3, Potth. 11966 [cf. p. 100, not. 3], papa [Eberhardum] archiep. Salisburgensem et Rudigerum venerabiles fratres non appellavit, ex quo eos excommunicatos fuisse apparet'. — P. 82, n. 117 = Potth. 11078 et 11491a sine nota chronol.; cf. 11077, ep. non registr.'. — Ad p. 93, not. * add.: 'Praedicatoribus papa a. 1245, Dec. 23 et a. 1247, Mart. 20 mandavit, ut processum contra Fridericum II in concilio Lugdunensi habitum in locis oportunis publicarent: Potth. 11975 et 12458, cf. 11971, 12402, 12412, epp. non registr.'. — P. 98, l. 35 pro* homagi *leg.* homagii. — *Ad p. 98, not. 1 add.: 'De bonis episc. Lucani a Pisanis occupatis cf. etiam ep. non registr. ap. Potth. 11394 sub a. 1244, Mai. 19. A. 1245, Febr. 3 papa mandaverat, ut canonici capituli Lucani, qui inciti participando eis, qui occasione principis essent excommunicati, et collectas eis aliquando persolvendo divina celebrassent, ab excommunicatione absolverentur; Berger 944'. — P. 100, l. 42 pro 'Alberti Bohemi' leg. 'Alberti de Behaim'. — Ad p. 100, not. 3 add.: 'Conrado episc. Frisingensi papa a. 1244, Mart. 18 mandatum direxerat: Berger 559'. — Ad p. 103, not. 11 add.: 'De bello, quod a. 1243 electus Ferrariensis, marchio Estensis et comes Veronensis contra Veronenses aliosque gesserunt, cf. etiam ep. non registr. ap. Potth. 15587, Brixiensibus directam, quae cum ep. Mantuanis a. 1243, Aug. 23 missa [Winkelmann, Acta imp. ined. t. I, p. 544, n. 690] concordat'. — P. 107, l. 24 annot.: 'Ep. Philippo nato*

ducis Carinthiae directa in Reg. suum numerum habet.' Lib. III, 168, Berger 1527, Potth. 11895'. — Ad p. 111, not. 1 add.: 'A. 1245, Sept. 5 papa Lodoyco dicto Barecon canonico S. Symeonis Trevevensis pro gratis servitiis, quae ipse et eius consanguinei et amici sedi apost. iugiter impenderent, gratiam fecerat; Berger 1690'. — Ad p. 116, not. 1 add.: '[Amadeo] comiti Sabaudiae et [Hertuino] archiep. Tarantasiensi papa sub a. 1243, Dec. 18 litteras direxerat. Sub a. 1245, Febr. 10 David capellano comitis gratiam fecerat; Berger 341, 981. Thomae comiti de Sabaudia papa a. 1245, Febr. 6 et 7 gratias fecerat; Potth. 11537 et 11538, epp. non registr.'. — Ad p. 123, n. 162 annot.: 'De fratribus Minoribus et negotio ecclesiae contra Fridericum II cf. etiam Potth. 12257, 12278, 12419, epp. non registr.'. — Ad p. 138, not. 1 add.: 'Sub a. 1245, Aug. 17 papa cum Roberto de Warrin senescalco Flandriae et Matildi castellana Insulensi, quarta cum affinitatis linea contingente, super matrimonio contrahendo dispensaverat, attendens quod ex hoc totius regionis pax procuraretur et idem R. in obsequiis apost. sedis promptum se exhiberet; Berger 1408. Margaritae comitissae Flandriae precibus papa a. 1246, Apr. 28 iam annuerat; Berger 1833'. — Ad p. 117, not. 2 add.: 'Cf. etiam encyclicam de abusu litterarum apostolicarum per Franciam et ut videtur per Teutoniam directam a. 1247, Apr. 30; Berger 2591'. — Ad p. 118, not. 1 add.: 'A. 1245, Mart. 6 papa excommunicationis sententiam confirmaverat, quam [Henricus] episc. Constantiensis in Wernerum de Horenberch et alios laicos Constant. dioc. tulerat, pro eo quod Anselmo abbati Heremitarum per rapinas et incendia irrogarant gravia damna, Potth. 11577, ep. non registr.'. — Ad ep. 153, not. 2 add.: '[Cunoni] abbati de Wizenburc papa sub a. 1245, Febr. 1 quaedam mandaverat; Berger 951: itemque a. 1245, Apr. 5; Potth. 11621, ep. non registr.'. — Ad p. 160, n. 209 annot.: 'Ad preces Henrici Rom. regis papa a. 1246, Iul. 24 Meinhardo plebano de Prisingen Frisingensis dioc. gratiam fecit; Berger 2063'. — Ad p. 162, not. 2 add.: 'De victoria ab Henrico Raspe rege apud Frankenford circ. a. 1246 reportata cf. etiam ep. papae non registr. ap. Winkelmann, Acta imp. ined. t. II, p. 721, n. 1038'. — Ad. p. 165, not. 3 add.: 'De matrimonio Gerhardi de Wassenberg cf. etiam ep. Conradi archiep. Coloniensis a. 1247, Mart. 23 ap. Cardauns, Regg. Conr. v. Hostaden n. 164'. — Ad p. 169, not. 2 add.: 'Iam a. 1245, Iul. 31 papa [Raynaldo] ep. Ostiensi mandaverat, ut scelera Alatrinorum in Ferentinates commissa puniret et castra terrasque ab Alatrinis erepta eisdem restitueret; Berger 1398; Potth. 11765. A. 1243, Dec. 21 Anagninis mandaverat, ut a gravaminibus [Pandulfi] episc. et cleri civitatis desisterent, nere familiares et servientes eorum ad suum iudicium traherent; Potth. 11202, ep. non registr.'. — Ad p. 169, not. 3 add.: 'De procurationibus ecclesiarum in partibus societatis Lombardiae existentium cf. etiam Berger 244'. — Ad p. 171, not. 1 add.: 'De malexardis cf. etiam Mandelli, Vercelli nel medio evo t. I, p. 277'. — Ad p. 178, not. 1 add.: 'Henrico praep. Xanctensi papa iam a. 1245, Ian. 31 gratiam fecerat; Berger 931'. — Ad p. 182, not. 1 add.: 'De electionibus in ecclesia Regina celebratis a. 1243 cf. Berger 77, 78, 92, 176, 200, 264, 279, 427, 439 et Potth. 11163a, ep. non registr.'. — Ad p. 191, not. 1 add.: 'Ottonem quondam praep. Aquensem papa a. 1245, Febr. 5 multiplicis excommunicationis vinculo ligatum appellaverat; Berger 969'. — Ad p. 198, not. 1 add.: 'Sub a. 1244, Mart. 18 papa Arelatensi et Avenionensi civitatibus indulserat, ut in eas [Iohannes] archiep. Arelatensis excommunicationis et interdicti sententias per biennium proferre non posset; Berger 592'. — Ad p. 198, n. 267 annot.: 'De Ratgero episc. Brandeburgensi cf. etiam Berger 372 et 1435. Potth. 11208 et 11805; cf. 11740, 11741, 11747, 11752, 12061, 12652, epp. non registr.'. — Ad p. 207, not. 1 add.: 'Iam a. 1244, Dec. 13 papa A[lberto] praeposito Babenbergensi gratiam fecerat; Berger 786'. — Ad p. 218, not. 1 add.: 'Sub a. 1247, Mart. 27 papa [Conrado] archiep. et capitulo Coloniensibus indulsit, ut in causam trahi extra civitatem et dioc. Colon., quom exire ipsis hoc tempore non esset tutum, per litteras apostolicas persecutione ecclesiae durante non possent; Potth. 12465a, ep. non registr.'. — Ad p. 226, not. 1 add.: 'De Ottone II comite Geldriae devoto ecclesiae cf. etiam Potth. 12597a, 12976a, 13233a, epp. non registr.'. — Ep. p. 235, n. 309 [de praedicatione crucis in Alamannia, Dacia et Polonia contra Fridericum II] legitur, ex authentico derivata, ap. Hartzheim, Conc. Germ. t. III, 136, falso ad a. 1186. — P. 240, ep. n. 318 legitur, ex authentico derivata, ap. Potth. 15594 cum inscriptione: Aquiligensi et Gradensi patriarchis, Mediolanensi, Ravennensi et Ianuensi archiepiscopis et ipsorum suffraganeis necnon ceteris aliis episcopis ac dilectis filiis prioribus, abbatibus, archidiaconis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prelatis, tam exemptis quam non exemptis, per Lombardiam et Romaniolam constitutis. Quomodo inscriptiones inter se differre potuerint, v. N. A. t. X, p. 545. — Ad p. 242, n. 321 annot.: 'Sub a. 1247, Mart. 27 papa Lombardinum Lachete, natum Borgognoni Lachete civis Placentini, obtentu patris eiusdem, qui a Friderico qu. imperatore in vinculis detineretur quique heredem legitimum non haberet, legitimaverat; Berger 2486'. — Ad p. 246, not. 3 add.: 'Henrico de Geroldesecke canonico Spirensi papa iam a. 1244, Dec. 13 gratiam fecerat, Berger 805'. — Ad p. 248, not. 2 add.: 'Ottoni duci de Brunswic papa a. 1248, Ian. 19 et 1249, Apr. 29 gratias fecit; Potth. 12960 et 13323, epp. non registr.'. — Ad p. 250, not. 1 add.: 'Iam a. 1245, Ian. 15 papa populo Tuscanensi cum verbis spiritum consilii sanioris scripserat; Berger 1346'. — Ad p. 257, not. 6 add.: 'Petro de Sabaudia papa iam a. 1244, Ian. 1 gratiam fecerat; Potth. 11411, ep. non registr.'. — Ad p. 257, not. 7 add.: 'Aymoni domino Fulciniaci papa gratias fecit etiam a. 1245, Aug. 18 et a. 1249, Febr. 3 et Mai. 20, Potth. 11809, 13195, 13373, epp. non registr.; itemque a. 1249, Mai. 20, Berger 4595, 4596. Potth. 13375, 13685'. — Ad p. 263, not. 2 add.: 'A. 1244, Ian. 23 papa archiep. Maguntino ad preces eius facultatem concesserat, ut [Iacobum] episc. Metensem ab excommunicatione auctoritate apostolica in eum lata absolvere posset; a. 1244, Ian. 21 et 1246, Oct. 5 episcopo quaedam mandaverat; Berger 398, 739, 2115'. — Ad p. 265, not. 3 add.: 'A. 1248, Ian. 12 papa confirmari iussit donationem, quam monasterio in Syon fecerant Wolfrannus et Embrico

de Lewestein, cf. similem ep. eodem die scriptam de donatione quadam comitissae de Spanheim; Berger 3535, 3534, Potth. 12807, 12808'. — Ad p. 268, not. 3 add.: 'A. 1247, Iun. 20 et 26 papa litteras direxit contra Taddaeum filium quondam Montisfeltrani, Besazonum de Planano, Guittonum de Cerreto et Tibertum filium eius, qui Friderico II qu. imperatori adhaererent et ecclesiam Feretranam persequerentur; Taddaeum eis, quae in Urbinati et Feretrana civitatibus haberet, privari iussit; Berger 2839, 2853, 2854; Potth. 12580, 12587, 12588'. — Ad p. 268, not. 8 add.: 'Fanenses papa a. 1246, Dec. 23 sub protectione sua susceperat et consulatum eis cum iurisdictione confirmaverat; Potth. 12379, ep. non registr.'. — Ad p. 274, not. 2 add.: 'A. 1244, Nov. 18 papa mandaverat, ut [Iohannes] electus Taurinensis a Gregorio de Montelongo ecclesiae Taurin. praefectus in corporalem possessionem palatii episcopalis et episcopatus Taurin. induceretur; a. 1245, Febr. 13, ut archidiaconus, praepositus et capitulum Taurin. excommunicati nuntiarentur, donec electo obedirent et castrum Ripolarum [cf. Böhmer-Ficker, l. c. 3626] restituerent; a. 1245, Iun. 1 contra eosdem similia scripsit; Potth. 11466, 11547, 11681; epp. non registr.'. — Ad p. 276, lin. 1 annot.: 'Martinum ep. Parmensem papa a. 1243, Oct. 15 propter dilapidationem suspenderat: Potth. 11163, ep. non registr.; cf. 11186 et 11203 = Berger 253 et 356'. — Ad p. 277, not. 1 add.: 'De Gerhardo II archiepisc. Bremensi cf. etiam epp. non registr. ap. Potth. 11838 et 11890 sub a. 1245, Aug. 26 et Sept. 20'. — Ad p. 281, not. 1 add.: 'Eodem Iun. 1 a. 1247 papa decano, capitulo et universis clericis Herbipolensibus indulsit, ut durante instantis persecutionis procella per litteras apostolicas non possent trahi in causam extra civ. Herbipolensem, Potth. 12547, ep. non registr.'. — Ad p. 281, not. 1 add.: '[Conrado] decano Maguntino, capellano suo, papa iam a. 1245, Mai. 1 propter fidelitatem et damna rerum gravia, quae sustinuisset, gratiam fecerat; Berger 1268'. — Ad p. 290, not. 1 add.: 'Ep. a. 1247, Iul. 2 nunc edita est ap. Winkelmann, Acta imp. ined. t. II, p. 722, n. 1040: papa [Raynaldo] episc. Ostiensi, S[tephano] tit. S. Mariae Transtiberim presbytero, R[aynerio] S. Mariae in Cosmidin et R[icardo] S. Angeli diaconis cardinalibus significat Fridericum, cum Parmam amiserit, propositum suum Lugdunum veniendi implere non potuisse, sed, si venisset, praeter alios regem Francorum cum exercitu ad beneplacitum ecclesiae paratum fuisse; nuntiat insuper ex litteris Petri cardinalis legati 'pro creatione novi regis in Teutoniam destinati' se fiduciam gerere, ibi regem iuxta beneplacitum ecclesiae in brevi electum iri'. — Ad p. 292, not. 2 add.: 'Iohannem episc. Cerviensem cum eccl. Cerviensi papa a. 1245, Febr. 1 sub protectione apostolica susceperat; Berger 979, Potth. 11527; iam a. 1243, Dec. 8 episcopo gratiam fecerat: Berger 299'. — Ad p. 292, not. 5 add.: '[Theoderico] archiep. Ravennati papa a. 1243, Oct. 11 mandatum direxerat; Berger 176'. — Ad p. 299, not. 2 add.: 'De Bonovassallo de Aldo cancellario regni Cypri cf. praeter Berger 3712 et 3713 etiam 3698 et 3699'. — P. 306, l. 39 pro '3243' leg. '3343'. — Ad p. 306, not. 2 add.: 'Ap. Berger 3243, Potth. 12639, papa a. 1247, Aug. 7 universis fidelibus Campaniae et Maritimae mandavit, ut Setinos armis cogerent, ut G[uidoni] de Trebis [Terracinensis dioc.] castrum ereptum restituerent; eidem Guidoni a. 1248, Mart. 16 quandam sententiam in Setinos latam confirmavit; eidem et Willelmo et Noradino filiis eius a. 1248, Mart. 15 bona hereditaria [in Terra Laboris sita], quae Fridericus II occupasset, restituit; Berger 3729 et 3728'. — Ad p. 319, not. 9 add.: 'Ruodolfo praep. Zoviensi [Zofingen] papa iam a. 1245, Iun. 12 gratiam fecerat: Berger 1315'. — Ad p. 324, not. 3 add.: 'De Ottone II duce Meraniae cf. sub a. 1245, Iul. 5, ap. Potth. 11709, ep. non registr.'. — Ad p. 326, not. 1 add.: 'A. 1247, Sept. 30 papa ad preces archiep. Maguntini Rogero scolari nato Lamberti quondam villici Leodiensis, qui L. se nobis et nuntiis nostris in ecclesie negotiis obsequiosum exhibuerit, provideri iusserat; Berger 3269'. — Ad p. 326, not. 3 add.: 'Sub a. 1248, Ian. 18 papa fratri Gotofrido de ordine Praedicatorum capellano suo mandavit, ut [Fulconi] archiep. Gneznensi, qui ad quintam redditnum suorum pro duobus annis in subsidium ecclesiae solvendam non sufficeret, quintam unius anni remitteret; Berger 3957, Potth. 12871, falso sub Mart. 19'. — Ad p. 335, not. 1 add.: 'Simili modo papa in civitate et dioc. Gebennensi a. 1247, Nov. 11 vicesimam et Nov. 19 redemptiones et legata in subsidium Terrae Sanctae colligi et deponi iussit; Berger 3459, 3464'. — Ad p. 336, not. 3 add.: 'Eodem Nov. 26 a. 1248 papa abbati de Dunis Morinensis dioc. mandavit, ut redemptiones crucesignatorum comitatus Flandriae et legata in Terrae Sanctae succursum colligeret et in loco tuto deponeret; Berger 3457'. — Ad p. 337, not. 2 add.: 'Papa a. 1243, Dec. 18 et 1245, Febr. 13 ecclesiam Augustensem [Aosta] 'in medio nationis perversae positam' dixerat; Berger 341 et 1009, cf. 359, 978, 1010, 1901, 1902'. — Ep. p. 349, n. 495 = Potth. 11700 nota chronol. destituta. — Ad p. 351, not. 3 add.: 'De Henrico ep. Sedunensi cf. etiam Berger 2139 et 2184, sub a. 1246, Oct. 8 et 30, et Böhmer-Ficker, l. c. 4965, sub a. 1249, Febr. 19'. — Ad p. 354, not. 3 add.: 'De procurationibus, quas [Philippus] electus Ferrariensis legatus a Cistereiensibus exegerat, cf. Berger 2560, sub a. 1247, Apr. 21'. — Ad p. 354, not. 5 add.: 'A. 1247, Oct. 12 papa Iacobo de Sala canonico Vercellensi ad preces B. procuratoris ecclesiae Astensis mandaverat, ut Templariis, Hospitalariis, Praedicatoribus, Minoribus aliisque inhiberet, ne in villa Montis Vici [Mondovi], iam septennio interdicto supposita, divina celebrarent; Berger 3359, Potth. 12724'. — Ad p. 357, n. 506 annot.: 'De iuramento potestatis Parmensis cf. Berger 252, Potth. 11185 sub a. 1243, Nov. 30'. — Ad p. 370, not. 3 add.: 'A. 1245, Iun. 15 papa P. almae Urbis praefecto, domino, et populo Bledano communiter scripserat; Berger 1346'. — P. 388, not. 3 deleas; cf. p. 469, not. 2. — Ad p. 404, not. 1 add.: 'De controversia a. 1243 Ianuae ex eo exorta, quod commune palatium archiepiscopi per violentiam occupavit, cf. Berger 256, 257, 261, 262'. — P. 421, l. 40 leg. in 'Patrimonio ecclesiae, in Tuscia': cf. p. 492, not. 3. — Ad p. 423, not. 1 add.: 'Episcopo Calinensi papa a. 1245, Apr. 8 concessiones et occupationes, quae, sicut te referente didicimus, tempore, quo exul a tua fuisti ecclesia, illicite factae essent, revocaverat; Berger 1280. — Ad p. 440, not. 5 add.: 'De praesentatione litterarum cf. etiam Berger 2491'. — Ad p. 456, not. 1 add.: 'A. 1249, Mart. 21 papa

monasterio de Fabaria [Pfävers], quod per fautores Friderici II diminutum esset in temporalibus et clericorum provisionibus oneratum, indulsit, ut ad provisionem alicuius compelli non posset; Potth. 13258, cf. 12939 et 13247; epp. non registr.'. — *Ad p.* 156, *not. 4 add.: 'Henrico de Vinstingen canonico Argentinensi, nepoti [Conradi V de Eberstein] episcopi Spirensis, papa iam a. 1245, Mai. 15 gratiam fecerat; Berger 1271'.* — P. 470, *n.* 656 *annot.: 'Ep. Alberto archiepisc. Prusciae directa, quae citatur, a. 1246, Mai. 5 scripta est, Berger 1870; Potth. 12101'.* — *Ad p.* 178, *not. 4 add.: 'Henrico praep. Basiliensi papa iam sub a. 1245, Mart. 15 et Oct. 20 gratias fecerat; Berger 1135 et 1594'.* — *Ad p.* 486, *not. 3 add.: 'A. 1247, Sept. 20 papa [Palmerio] episc. Calvensi mandaverat, ut de molestiis fratribus Minorum de Sancto Germano a [Stephano] abbate et conventu Cassinensibus illatis inquireret; Potth. 12694, ep. non registr. Abbas 'dilectus filius' non vocatur. Cf. etiam Böhmer-Ficker, l. c. 3695'.* — *P.* 501, *l. 5 suppleas* ad partes Sicilie, *cum infra legamus* idem regnum. — *Ad p.* 502, *not. 5 add.: 'Clero civitatis et dioc. Racanatensis papa a. 1244, Dec. 9 cum verbis* spiritum consilii sanioris *scripserat; in eund. m. populo Racanat.; Berger 753, Potth. 11471'.* — *Ad p.* 526, *not. 1 add.: 'Iam a. 1247, Nov. 7 papa abbati et conventui de Middelburg gratiam fecerat; Potth. 12738, ep. non registr.'.* — *Ad p.* 528, *not. 5 add.: 'Aliae concessiones de possessionibus, iuribus vel redditibus ecclesiae Romanae factae ap. Berger 305, 686, 1045, 1823, 3632, 3914 [de dominio civitatis et comitatus Signiae], 3984, 3985'.* — *Ad p.* 535, *n.* 724 *annot.: 'Iam a. 1245, Aug. 30 papa Rh. [Theobaldi] comitis Barriducis precibus annuerat; Berger 1141, 1442'.* — *Ad p.* 541, *not. 3 add.: 'Episcopo Cephaludensi papa a. 1246, Mai. 7 mandatum de provisione in regno Siciliae facienda direxerat; Berger 1843'.* — *Ad p.* 546, *not. 1 add.: 'Papa a. 1246, Febr. 12 precibus Rolandi de Carfagnan. familiaris sui annuerat Berger 1942'.*

INDEX NOMINUM.

Maior numerus indicat paginam, minor lineas quinas.

D.

E.

F, V germanicum.

H.

Q.

R.

W. Gu.

GLOSSARIUM.

abruta, *abrupta*, 207, 1. 406, 5.

affidatus 436, 25.

alleviare, *allevare*, 249, 20.

allodium, *quoddam praedium monasterii*, 525, 15.

ambaxiator, ambaxator, ambassiator, ambassator, *legatus, nuntius*, 21, 20. 24. 25, 1. 95, 10. 561, 1. 565, 5.

angaria 525, 15.

armania, *feudum quoddam*, 102, 1.

asisini, *assassini*, 192, 35.

audientia publica, *locus curiae papalis*, 182, 5.

aureus, *nummus aureus*, 528, 35.

autentica concessio 178, 25.

bainlus *v.* balivus.

balistarii 420, 30. 503, 30.

balivus, ballivus, bainlus 156, 25. 167, 10. 228, 30. 299, 15. 360, 25. 416, 15. 500, 20. 562, 15. 563, 1; baliva 96, 10; bainlatus 483, 1.

bannalia, *poena pecuniaria*, 479, 30.

banniti 103, 20.

bannum fieri 272, 25.

birretum, *capitis tegmen*, 527, 5.

bizantius, *nummus aureus*, 455, 5.

bladum, *triticum, frumentum*, 507, 15.

cadere in constantem 95, 20. 375, 20.

calumpnia 61, 25. 115, 25.

canonis sententia 166, 35. 320, 25: a canone excommunicatus 142, 10; canon latae sententiae 202, 35.

cargare, *onerare navem*, 176, 15.

cassarum, *turris*, 22, 20.

ad cautelam relaxare sententiam 32, 5. 36, 1. 47, 35. 50, 20. 61, 30. 367, 35.

collecta 91. 127, 15. 295, 35. 402, 10. 433, 30. 435, 5. 565, 35.

concambium 343, 25. 436, 25.

confixus, *confisus*, 103, 5.

contrata, *regio*, 183, 20.

data, datio, dati[a, nm?] 27, 25. 30, 20. 39, 25. 44, 25. 295, 35. 358, 20. 360, 20. 559, 30. 562.

data, *nota chronologica*, 402, 30. 440, 20.

de delfinis piscatio 176, 25.

demanium 528, 35. 529, 30.

denarii, *pecunia*, 507, 15.

deportationis sollemnitas 505, 25.

descargare, *exonerare navem*, 176, 15.

dictare sententias 303, 15.

diffidare 29.

dilapidare, dilapidatio 71, 25. 136, 20. 143, 30. 144, 5. 301, 10. 466, 30. 567, 10.

discagenti[ae?] 306, 1.

doana 94.

dotalicium 67, 5.

duellum 91, 10.

eo — quo, tanto — quanto *idem fere atque* eo magis — quo magis 99, 25. 118, 10. 256, 1. 267, 20. 406, 30. 547, 30. 561, 15.

eunuchi 92, 25.

evectio 57, 15.

extollentia 92, 30. 142, 20. 379, 25.

fabrica ecclesiae et officinarum 413, 1.

fodrum 339, 25.

foranei canonici 507.

forbannire 383, 25. 442, 25: forbannatus 181, 25.

frankytia 434, 35.

galea 92, 5: in galeis capti 7, 15. 9, 30. 55, 15. 89, 10. 90, 5. 92. 98, 20.

gerarchia, *hierarchia*, 1, 15.

grossus *v.* praebenda.

guardianus 167, 20.

guerra 437, 30. 438, 5. 453, 20.

haeresis, haeretica pravitas, haeretici 10. 32, 1. 36, 1. 40. 50. 51. 90, 5. 92. 93, 5. 141, 35. 142. 201, 40. 379. 380, 25. 381.

herodior, *crudelior quam Herodes*, 435, 30.

homagium, hominium 33, 10. 64. 99. 117, 25. 174, 10. 188, 20. 218, 25.

224, 15. 268, [illegible] 479, 20. 512, 20; *v.* ligium hominium.

honor ecclesiae 176, 15.

imminere, *tempore praesenti laborem afferre*, 326, 5. 328, 10. 369, 20. 495, 20. 537, 5; imminens, *praesens et grave*, 167, 20. 189, 20. 211, 1. 213, 1. 430, 35; *cf.* instans; imminere, *praesens esse et procidere*, 224, 30. 243, 20. 533, 25.

imperialium libra 242, 5.

inductiva 89, 10.

instans, *praesens*, 163, 25. 165. 468, 2.. 250, 35. 251, 25. 258, 10. 281, 30. 327, 20. 328. 329, 1. 361, 25. 373, 25. 383, 10. 384, 10. 388, 35. 498, 35. 552, 15. 567, 15; *cf.* imminens.

intendere, *obedire et favere*, 225, 10. 231, 40. 285, 20. 302, 25. 306, 10. 398, 25. 441, 25. 488, 5. 489, 10. 494. 513, 35. 548, 10; *et saepius*.

interscalaris 1, 15.

iurisdictio voluntaria 227, 1.

ius civile 93, 10. 318, 30; iuris civilis professor 426.

kergankeh, *Kirchgang*, 273, 1.

lares patrii 127, 20.

ledda, *tributum rerum venditarum* 176, 5. 177, 1.

licentia, *commeatus, licentia abeundi*, 174, 15.

ligium hominium 90, 15.

litteratura, *scientiae*, 506.

magestas, *maestas*, 416, 1.

maharram mensis 88, 1.

malexardi, *Gibellini civitatum Lombardiae extranei?* 171, 5. 566, 25.

marescalcus 305, 5. 482, 10.

novenum de salibus 176, 35.

obolus, obulus aureus 24, 10. 102, 5.

olibani census 517, 15.

palafridus 269, 10.

patria 254, 5. 349, 15. 430, 1.

pedagium 198, 40. 210, 35. 211, 10. 336, 20. 539, 15.

pedaticum 476.

perangaria 525, 15.

potestaria 268, 1. 383, 25.

praebenda grossa 507, 20.

praescriptio annalis 367, 15.

praesentare litteras, praesentatio litterarum 186, 35. 402, 25. 410, 20. 535, 15. 567, 60.

praetorium ius 202, 10.

primitiae 442; primitiae litterarum 558, 35; primitiae precum 440, 40.

procurationes, procurare 92, 30. 142, 20. 169, 15. 228, 5. 254, 35. 284, 15. 354, 5. 376, 10. 379, 25. 478, 10. 510, 25. 566, 25. 567, 45.

professor iuris civilis 426.

protoplaustus, *protoplastus*, 1, 25. 72, 20.

proximior 482, 35. 483, 1.

quinta 17, 35. 18, 15. 68, 15. 84. 247, 25. 321. 567, 35.

quondam — bonae memoriae 106, 1. 264, 25.

rasenga, *mensura annonaria*, 422, 40.

raseria, *mensura annonaria*, 528, 25. 529, 1.

rasta, *miliare Saxonicum*, 286, 1.

rasurae suspectae 487, 10.

rata, *portio*, 279, 5.

realis actio 147, 25.

reectus, *receptum, albergaria*, 176, 30.

regalia 33, 10. 64, 20. 117, 35. 488, 20. 437, 1.

religio, *ordo religiosus*, 96, 1. 317, 20.

rube[a?] 135, 10.

salarium 268.

scabinus 69, 15. 167, 5. 272, 15. 303. 387, 35. 473.

scriniarius 111, 30. 112, 5. 520, 25; *cf.* tabellio.

sculteltus 282, 5. 338, 35.

sententia iuris vel iudicis 455, 30.

sequestrare 74, 25.

serviens 102, 1.

signare populum 433, 10.

symonia, symoniaca pravitas 71, 1. 156, 10. 228, 1. 501, 1. 552, 1.

synodales testes 173, 15.

in solidum legati 129, 5.

squifati, *nummi aurei*, 93, 15.

stationes publicae 280, 10.

sterlingorum marca 24, 35. 71, 30. 96, 1. 276, 25.

stipendium clericorum 171.

stipes, *is, a quo gradus propinquitatis computantur*, 49, 5.

superillustris 301, 25.

tabellio 379, 40. 384, 25; *cf.* scriniarius; tabellionatus 421, 40.

tallia, talia, 91. 443, 25.

tanto *v.* eo.

tenimentum 175, 20.

tertiaria 511, 20.

theloneum, tholonium 240, 35. 211, 10. 393, 1.

tiparium 177, 35.

transversalis linea, *in computatione propinquitatis*, 49, 5.

uncus, *species aratri ap. Slavos*, 26, 1.

usaticum 176. 177, 1.

valentia, *valor*, 77, 15. 109, 15. 110, 5. 140. 146, 1. 251, 1. 264, 10. 454, 5. 541, 20.

warandi, *patroni*, 70, 35.

INDEX INITIORUM.

Numeri numeros epistolis antepositos indicant. Epistolae aliis insertae verbo 'sub' notatae sunt.

INDEX EDITIONUM

EPISTOLARUM, QUAE IN HOC VOLUMINE INTEGRAE PROPOSITAE VEL IN ANNOTATIONIBUS COMMEMORATAE SUNT.

L = *Liber Regestorum Innocentii IV papae cum numero epistolae;* B = *Berger, Régistres d'Innocent IV;* P = *Potthast, Regesta Pontificum;* pag. = *pagina nostrae editionis.*

I.

L I	B	P	pag.	L I	B	P	pag.	L I	B	P	pag.
1	1	11079	1. 558	71	71	—	14	101	101	—	10
12	12	—	6	72	72	—	14	102	102	—	10
13	13	—	6	73	73	—	14	103	103	—	10
24	24	11094	10	74	74	—	14	110	110	—	565
30	30	11096	3	75	75	—	15	111	111	11129	17
31	31	—	10	76	76	—	15	115	115	11103	5
35	35	11097	4	77	77	—	566	121	121	11157	25
43	43	—	2	78	78	—	566	127	127	11135	18
53	53	11108	6	84	84	11118	7	136	136	—	21
63	63	—	8	85	85	—	15	144	144	11102	4
65	65	—	12	86	86	—	16	151	151	11148	22
66	66	—	11	87	87	—	16	152	152	11149	22
67	67	—	11	89	89	11117	9	158	158	—	27
68	68	—	11	92	92	—	566	162	162	11136	19
69	69	—	12	93	93	11121	16	163	163	11137	20
70	70	—	13	100	100	—	10	165	165	11152	23

L IV	B	P	pag.	L IV	B	P	pag.	L IV	B	P	pag.
268	2264	—	183	433	2429	12421	214	594	2591	—	566
272	2268	—	184	437	2433	12423	215	596	2593	12500	250
278	2274	—	193	438	2434	—	208	600	2597	—	212
279	2275	—	282	439	2435	—	207	601	2598	—	212
281	2277	—	193	440	2436	—	216	602	2599	—	212
282	2278	—	180	441	2437	—	217	611	2608	—	289
288	2284	—	194	444	2440	—	233	614	2611	—	253
289	2285	—	194	445	2441	12433	218	615	2612	—	253
290	2286	—	194	446	2442	—	181	616	2613	—	253
291	2287	—	194	447	2443	—	191	617	2614	—	253
292	2288	—	179	448	2444	—	185	618	2615	—	253
293	2289	12367	404	453	2449	—	233	619	2616	—	253
295	2291	—	194	463	2459	—	232	620	2617	12507	259
300	2296	—	488	470	2466	—	233	624	2621	—	260
303	2299	—	188	471	2467	—	215	625	2622	—	256
304	2300	—	208	475	2471	—	222	626	2623	12508	258
305	2301	—	208	476	2472	—	223	628	2625	—	206
307	2303	—	183	486	2482	—	212	630	2627	—	262
316	2312	—	196	487	2483	—	212	631	2628	—	249
319	2315	—	172	488	2484	—	221	636	2633	—	217
330	2326	12373	197	489	2485	—	222	637	2634	—	247
332	2328	12378	199	490	2486	—	566	638	2635	—	184
340	2336	—	198	491	2487	—	236	639	2636	—	246
342	2338	—	198	494	2490	—	286	640	2637	—	245
344	2340	—	196	495	2491	—	286	642	2639	—	264
345	2311	—	195	498	2494	—	567	643	2640	—	261
348	2344	—	197	499	2495	—	246	644	2641	—	260
353	2349	—	205	500	2496	—	246	646	2643	—	247
355	2351	—	170	508	2504	—	233	648	2645	12502	252
356	2352	—	205	510	2506	—	237	649	2646	—	248
357	2353	—	196	515	2512	—	282	651 bis	2649	—	252
358	2354	—	196	516	2513	—	165	659	2657	—	173
359	2355	12387	204	523	2520	—	238	660	2658	—	248
366	2362	—	206	527	2524	—	244. 258	662	2660	—	262
371	2367	—	207	534	2531	12478	213	665	2663	—	266
372	2368	—	207	535	2532	—	246	666	2664	—	367
373	2369	—	208	536	2533	—	484	669	2667	—	265
374	2370	—	195	537	2534	—	169	670	2668	12517	265
377	2373	12404	208	538	2535	—	169	671	2669	12516	152. 266
378	2374	12403	209	539	2536	—	169	672	2670	12515	266
379	2375	—	208	543	2540	—	150. 258	674	2672	—	267
386	2382	—	208	544	2541	—	241	677	2675	12518	266
387	2383	—	208	548	2545	—	208	682	2680	—	266
388	2384	—	208	553	2550	—	247	683	2681	—	246
389	2385	—	211	554	2551	—	270	684	2682	—	166
390	2386	—	234	556	2553	—	245	685	2683	—	269
393	2389	—	210	558	2555	—	247	686	2684	—	244
394	2390	—	210	559	2556	—	244	687	2685	—	246
395	2391	—	210	563	2560	—	567	688	2686	—	247
400	2396	—	166	568	2565	—	241	689	2687	—	271
414	2410	—	113	569	2566	—	247	690	2688	—	274
415	2411	—	217	570	2567	—	247	691	2689	—	270
416	2412	—	207	575	2572	—	248	692	2690	—	263
418	2414	—	180	580	2577	—	214	693	2691	—	261
419	2415	—	282	581	2578	—	190	695	2693	—	186
424	2420	—	211	585	2582	12484	273	696	2694	—	244
430	2426	—	217	590	2587	—	247	697	2695	—	239
431	2127	—	217	591	2588	—	246	699	2697	—	264
432	2428	—	254	592	2589	—	169	700	2698	12544	264

L IV	B	P	pag.
702	2700	—	269
703	2701	—	269
706	2704	—	271
711	2709	—	257
713	2711	—	267
714	2712	12527	272
718	2716	12509	258
720	2718	—	484
722	2720	12531	264
728	2726	—	273
732	2730	—	289
733	2731	—	289
734	2732	—	289
735	2733		274
736	2734	—	265
738	2736	12520	268
751	2749	—	274
755	2753	—	280
756	2754	12537	275
762	2760	12544	277
776	2771	—	282
778	2776	—	282
780	2778	—	247
781	2779	—	284
782	2780	—	284
783	2781	—	281
787	2785	—	152
789	2787	—	283
790	2788	—	285
791	2789	—	278
792	2790	—	278
797	2795	12548	287
803	2801	—	285
804	2802	—	281
806	2804	12567	289
807	2805	—	167
808	2806	—	263
809	2807	—	263
815	2813	—	289
818	2816	—	289
819	2817	—	289
824	2822	—	338
825	2823	—	338
826	2824	—	282
828	2826	12579	259
829	2827	—	259
830	2828	—	286
831	2829	—	287
837	2835	—	291
838	2836	—	292
839	2837	—	279
841	2839	12580	567
843	2841	—	338
847	2845	—	282
848	2846	12555	283
852	2850	12586	295
853	2851	—	295
854	2852	—	295
855	2853	12587	567

L IV	B	P	pag.
856	2854	12588	567
857	2855	—	292
861	2859	—	292
863	2861	12583	291
867	2865	—	293
868	2866	—	293
870	2868	—	289
878	2876	12565	292
880	2878	—	213
884	2882	—	222
885	2883	—	275
886	2884	—	244
892	2890	—	190
893	2891	—	190
894	2892	—	190
895	2893	—	190
896	2894	—	190
897	2895	12447	223
898	2896	12448	224
	2897	—	224
899	2898	12449	224
	2899	12450	224, 520
900	2900	—	224
901	2901	—	224, 520
902	2902	—	190, 224
903	2903	—	224
904	2904	—	224
905	2905	—	224, 520
906	2906	—	224
907	2907	—	224
908	2908	—	224
cur 1	2917	12202	154
cur 2	2918	—	157
cur 3	2919	12199 a	153
cur 4	2920	—	163
cur 5	2921	—	153
cur 6	2922	12201	160
cur 7	2923	—	160
cur 8	2924	—	154
cur 9	2925	—	154
cur 10	2926	—	151
cur 11	2927	—	165
cur 12	2928	12206 a	154
cur 13	2929	—	154
cur 14	2930	—	154
cur 15	2931	—	151
cur 16	2932	—	151
cur 17	2933	—	164
cur 18	2934		161
cur 19	2935	—	164
cur 20	2936	—	164
cur 21	2937	—	165
cur 22	2938	12204 a	162
cur 23	2939	12203	163
cur 24	2940	—	158
cur 25	2941	—	159
cur 26	2942	—	158
cur 27	2943	—	159
cur 28	2944	—	164

L IV	B	P	pag.
cur 29	2945	—	184
cur 32	2948	12341	192
cur 35	2951	12386	201
cur 36	2952	12385	203
cur 37	2953	12407	209
cur 38	2954	12406	209
cur 39	2955	12409	209
cur 40	2956	12405	209
cur 41	2957	12408	209
cur 42	2958	12414	209
cur 48	2964	12456	484, 234
cur 49	2965	—	226
cur 50	2966	—	226
cur 51	2967	—	235
cur 52	2968	—	231
cur 53	2969	12452	224
cur 54	2970	—	225
cur 55	2971	—	234
cur 56	2972	—	224
cur 57	2973	—	227
cur 58	2974	—	227
cur 59	2975	—	227
cur 60	2976	—	227
cur 61	2977	—	227
cur 62	2978	—	228
cur 63	2979	—	228
cur 64	2980	—	232
cur 65	2981	—	232
cur 66	2982	—	228
cur 67	2983	—	228
cur 68	2984	—	229
cur 69	2985	—	229
cur 70	2986	—	229
cur 71	2987	—	229
cur 72	2988	—	229
cur 73	2989	—	230
cur 74	2990	—	233
cur 75	2991	—	230
cur 76	2992	—	230
cur 77	2993	—	230
cur 78	2994	—	230
cur 79	2995	12475	242
cur 80	2996	—	242
cur 81	2997	—	255
cur 82	2998	15594	239, 566
cur 83	2999	—	237
cur 84	3000	12473	240
cur 85	3001	12479	243
cur 86	3002	—	219
cur 87	3003	—	219
cur 88	3004	—	220
cur 89	3005	—	220
cur 90	3006	—	221
cur 91	3007	—	221
cur 92	3008	—	221
cur 93	3009	—	221
cur 94	3010	—	221
cur 95	3011	—	221
cur 96	3012	—	221

L IV	B	P	pag.
cur 97	3013	—	221
cur 98	3014	—	221
cur 99	3015	—	239
cur 100	3016	—	239
cur 101	3017	—	239
cur 102	3018	—	239
cur 103	3019	—	239
cur 104	3020	—	239
cur 105	3021	—	239
cur 106	3022	—	250
cur 107	3023	—	238
cur 108	3024		251
cur 109	3025	12540	276
cur 110	3026	12195	278
cur 112	3028	—	254
cur 113	3029	12546, 12526	280
cur 114	3030	12505	255
cur 118	3034	—	200
cur 119	3035	—	199
cur 120	3036	—	200
cur 121	3037	—	200
cur 122	3038	—	200
cur 123	3039	—	200
cur 124	3040	12573	288
cur 125	3041	12574	289
cur 126	3042	—	289
cur 127	3043	12574	290
cur 128	3044	12574	291
cur 130	3046	12248	73. 199
cur 131	3047	12549	73. 200
cur 132	3048	—	243. 268
cur 133	3049	—	286
L V			
5	3054	—	297
8	3057	—	297
9	3058	—	297
11	3060	12593	295
14	3063	12599	298
15	3064	—	295
16	3065	—	297
18	3067	—	258. 299
19	3068	—	299
24	3073	—	338
28	3077	12596	297
37	3086	—	296. 300
38	3087	—	317
39	3088	—	294
40	3089		317
41	3090	—	296
42	3091	—	300
48	3097	12626	302
51	3100	—	300
52	3101	—	300
53	3102	—	300
54	3103	—	300
55	3104	—	320
56	3105	—	301
57	3106	—	300

L V	B	P	pag.
58	3107	—	300
59	3108	—	300
60	3109	12622	301
61	3110	—	300. 301
63	3112	—	303
66	3115	—	303
67	3116	—	305
73	3122	—	320. 376
74	3123		320. 376
75	3124	—	320
81	3130	—	318. 320
82	3131		320. 376
83	3132	—	320. 376
84	3133	12645	306
85	3134	12619	306
86	3135	—	300
87	3136	—	310
95–99	3144–3148	—	306
100	3149	—	299
101	3150		299
102	3151		299
106	3155	—	278
109	3158	12650	306
110	3159	—	307
113	3162	—	306. 520
114–116	3163–3165	—	306
117	3166	—	306
119–134	3168–3183	—	306
129	3178	—	520
132	3181	—	305
138	3187	—	366
139	3188	—	307
143	3192	—	320
144	3193	—	320
149	3198	12661	308
161	3210	12673	308
162	3211	—	306
163	3212	—	306
164	3213	12639	306. 567
172	3221	12668	310
173	3222	12670	310
174	3223	12669	310
175	3224	12671	310
176	3225	12672	310
182	3231	—	309
185	3234	—	311
188	3237	12686	310
189	3238	12680	310
190	3239	—	507
192	3241	—	311
193	3242	—	311
201	3250	—	302
207	3256	12687	310
216	3265	—	312
217	3266	—	313
218	3267	—	313

L V	B	P	pag.
220	3269	—	567
221	3270	—	398
222	3271	—	398
224	3273	—	395
225	3274	—	314
227	3276	—	300
228	3277	—	314
229	3278	—	315
240	3289	12718	318
246	3295	—	316
247	3296	—	315
249	3298	12684	310
250	3299	—	433
251	3300	—	433
257	3306	12726	502
258	3307	—	502
274	3324	—	421
276	3326	—	320
277	3327	—	396
278	3328	—	307. 320
281	3331	—	365
284	3334	—	312
289	3339	—	302
290	3340	—	320
291	3341	—	320
292	3342	—	306
293	3343	—	306
294	3344	—	320. 376
295	3345	—	316
296	3346	—	318. 320
299	3349	—	306
300	3350	—	306
304	3354	—	317
305	3355	—	317
306	3356	—	319
308	3358	—	318. 320
309	3359	12724	567
311	3361	—	321
312	3362	—	322
315	3365	—	347
316	3366	—	316
318	3368	—	433
328	3378	—	326
333	3383	—	297
334	3384	—	297
335	3385	—	325
336	3386	—	325
337	3387	12731	322
340	3390	—	543
341	3391	—	320
342	3392	—	318
343	3393	—	320. 376
344	3394	—	318. 320
348	3398	12732	298
351	3401	—	323
352	3402	—	323
353	3403	12736	320
358	3408	—	321

L V	B	P	pag.
365	3415	12740 12739	324
366	3416	—	324
380	3430	12767	334
381	3431	—	297, 335
382	3432	—	297, 335
383	3433	—	335
406	3456	—	335
407	3457	—	336, 567
409	3459	—	567
410	3460	—	325
411	3464	—	567
423	3473	—	326
424	3474	12759a	325
442	3492	12777	404
443	3493	12778	404
444	3494	12780	404
448	3498	—	338
449	3499		338
452	3502	12776	197, 308
459	3509	12550	324
460	3510	—	324
461	3511	—	324
467	3517	—	507
472	3522	—	335
481	3531	—	484
483	3533	—	306
484	3534	12808	567
485	3535	12807	567
494	3544	12803	339
495	3545	—	340
501	3551	—	340
504	3554	—	338
505	3555	—	337
506	3556	—	338
521	3571	12826	345
522	3572	12816	342
523	3573	12823	344
524	3574	12841	340
525	3575	12817 12818	343
526	3576	12846	342
527	3577	12827	343
528	3578	12821 12828	343
529	3579	12825	344
531	3581	—	348
532	3582	—	348
534	3584	—	345
542	3592	12831	346
543	3593	12832	346
545	3595	—	367
550	3600		347
551	3601	—	347
553	3602	—	348
556	3605	—	348, 462
561	3610	—	354
563	3612	—	348
564	3613	—	348

L V	B	P	pag.
569	3618	—	350
570	3619		351
571	3620		353
572	3621	—	317
573	3622	—	317
575	3624	12839	317
576	3625	—	351
577	3626	11700	349, 567
579	3628	—	352
583	3632	—	568
584	3633	12837	349
585	3634	—	322
586	3635	—	322
587	3636	—	354
588	3637	—	355
593	3642	—	370
594	3643	12842	353
595	3644	—	362
597	3646	12844	356
602	3651	—	352
619	3668	—	356
621	3670	—	492
625	3674	—	348
627	3676	—	305, 352
630	3679	—	453
634	3683	—	348
638	3687	—	357
639	3688	—	362
640	3689	—	362
644	3693	—	362
645	3694	—	324
646	3695	—	324
647	3696	—	324
649	3698	—	567
650	3699	—	567
653	3702	—	364
654	3703	—	357
655	3704	—	358
656	3705	—	358
657	3706	—	359
658	3707	—	361
661	3710	—	378
662	3711	—	378
663	3712	12869	299, 567
664	3713	12870	299, 567
665	3714	—	359
666	3715	—	360
667	3716	—	363
672	3721	—	347
673	3722	—	363
679	3728	—	306, 567
680	3729	—	306, 567
685	3734	—	365
686	3735	—	492
687	3736	—	364
701	3750	—	366
702	3751	—	366
703	3752	—	363
713	3761	—	367

L V	B	P	pag.
714	3762	—	367
715	3763	—	367
717	3765	—	378
719	3767	—	458
725	3773	—	492
729	3777	—	364
730	3778	12893	374
731	3779	12894	374
732	3780	12874	365
733	3781	12875	366
735	3783	—	507
737	3785	—	372
738	3786	—	373
739	3787	—	372
749	3797	—	370
750	3798	—	375
751	3799	—	375
752	3800	—	348
757	3805	—	369
758	3806	—	369
759	3807	—	369
760	3808	—	370
761	3809	—	370, 428
762	3810	—	370
763	3811	—	368
764	3812	—	367
765	3813	—	368
766	3814	—	368
769	3817	—	376
770	3818	—	376
771	3819	—	348
772	3820	—	368
773	3821	—	368
779	3827	—	375
780	3828	—	377
781	3829	—	378
785	3833	—	492
786	3834	—	385
793	3841	—	385
794	3842	—	385
797	3845	—	364
800	3848	—	387
801	3849	12946	386
802	3850	—	386
804	3852	—	370
809	3857	12885	388
810	3858	12921	389
811	3859	12922	389
812	3860	12920	389
813	3861	12949	390
814	3862	12917	391
816	3864	—	388
817	3865	12918	392
822	3870	—	370
825	3873	—	371
831	3879	—	492
832	3880	12927	392
833	3881	—	394
837	3885	12935	374

L V	B	P	pag.
838	3886	12936	374
839	3887	12937	374
840	3888	12931	396
843	3891	—	396
844	3892	—	396
848	3896	—	399
849	3897	—	367
850	3898	—	367
857	3905	12940	389
859	3907	—	394
860	3908	—	395
862	3910	—	492
865	3913	—	366
866	3914	—	366
867	3915	—	403
868	3916	12955	403
877	3925	—	405
878	3926	—	405
889	3937	—	406
894	3942	—	398
896	3944	—	568
908	3956	12961	408
909	3957	12871	567
917	3965	—	411
919	3967	12965	409
922	3970	—	297
933	3981	—	275
936	3984		336, 568
937	3985	—	336, 568
938	3986	—	336
944	3992	—	408
945	3993	—	408
948	3996	—	410
949	3997	—	410
950	3998	—	410
958	4006	—	407
959	4007		348, 407
965	4012		397
966	4013		397
967	4014	—	397
968	4015	12928	395
969	4016	12934 a	397
970	4017	—	378
975	4022	—	402
976	4023	—	402
977	4024	—	402
982	4029	—	492
983–987bis	4030–4036	—	306
991	4040	—	371
996	4045	—	547
cur 1	4050	—	299
cur 9	4058	—	325
cur 10	4059	—	327
cur 11	4060	—	332
cur 12	4061	12768	332
cur 13	4062	12752	327
cur 14	4063	12753	328
cur 15	4064	12754	328

L V	B	P	pag.
cur 16	4065	12755	329
cur 17	4066	12757	329
cur 18	4067	12758	330
cur 19	4068	12751	330
cur 19bis	4069	12756	331
cur 20	4070	12749	326
cur 21	4071	12750	327
cur 22	4072	12759	331
cur 23	4073	12769	333
cur 24	4074	12770	334
cur 25	4075	12764	326
cur 26	4076	12765	326
cur 27	4077	12770 a	326
cur 28	4078	—	326
cur 29	4079	12772	326
cur 30	4080	—	326
cur 31	4081	12763	326
cur 32	4082	12771	326
cur 33	4083	—	336
cur 34	4084	—	336
cur 37	4087	12806	339
cur 38	4088	12814	341
cur 39	4089	12813, 12819	341
cur 40	4090	—	341
cur 41	4091	—	341
cur 42	4092	12815	341
cur 44	4094	12901	379
cur 45	4095	12903	381
cur 46	4096	12905	383
cur 47	4097	12910	384
cur 48	4098	—	382
cur 49	4099	—	337
cur 50	4100	—	371
cur 51	4101	—	404
cur 52	4102	12956	405
cur 53	4103	12941	399
cur 54	4104	12942	400
cur 55	4105	—	400
cur 56	4106	—	401
cur 57	4107	12943	401
L VI			
24	4109	13447	410
33	4118	13423	444
141	4133	13022	417
150	4142	13043	422
153	4145	13444	422
154	4146	13445	422
161	4153	13448	528
162	4154	13449	528
173	4166	13027	418
174	4167	13458	492
175	4168	13459	417
177	4170	13461	402
180	4173	13031 a, 13064	420
185	4178	13465	406
188	4180	13467	473
189	4181	13053	425

L VI	B	P	pag.
192	4184	13048	423
196	4188	13029	419
198	4190	—	421
199	4191	13030	420
200	4192	13041	517
205	4197	13031	419
206	4198	13475	427
207	4199	13476	421
217	4209	13068	428
219	4211	13077	430
220	4212	13078	429
221	4213	13480	430
222	4214	13481	430
223	4215	—	428
226	4218	13482	430
229	4221	13485	492
232	4224	13487	511
233	4225	13092	433
237	4229	13089	431
238	4230	13489	437
240	4232	13090	431
241	4233	13091	432
243	4235	13106	431
245	4237	13088 et 13122	441, 442
246	4238	13111	438
247	4239	13112	439
248	4240	13113	439
249	4241	12994	412
251	4243	13119	441
253	4245	13058	425
254	4246	13059	426
255	4247	13096	433
256	4248	13097	434
257	4249	13098	434
258	4250	13493	433
259	4251	13494	432
260	4252	13495	433
261	4253	13093	433
262	4254	13131	444
265	4258	13107	437
266	4259	13125	443
267	4260	13126	443
268	4261	13127	443
269	4262	13128	443
272	4265	13151	448
273	4265	13151	448
277	4269	13149	449
278	4270	13139	448
279	4271	13134	445
280	4272	13135	445
281	4273	13136	445
284	4276	13158	452
285	4277	13155, 13156 a	451
286	4278	13504	452
287	4279	13109	437
288	4280	13138	447
289	4281	13156	450

L VI	B	P	pag.
291	4283	13129	442
292	4284	13505	453
293	4285	13506	527
295	4287	13507	527
296	4288	13508	527
302	4291	13130	443
306	4298	13515	423
307	4299	13516	423
310	4302	13132	446
320	4312	13181	459
323	4315	13183	460
324	4316	13180	458
326	4318	13523	449
328	4320	13525	517
329	4321	13526	461
330	4322	13527	461
331	4323	13528	457
332	4324	13529	458
336	4328	13190	464
337	4329	13532	424
340	4332	13198	466
341	4333	13202	469
342	4334	13199	468
346	4338	13193	465
347	4339	13535	462
348	4340	13213	470
352	4344	13201	467
354	4346	13187	462
355	4347	13538	463
356	4348	13539	463
357	4349	13540	456
358	4350	13120	440
359	4351	13121	440
361	4356	13188	463
367	4359	13214	475
368	4360	13546	456
369	4361	13217	471
370	4362	13215	471
371	4363	13216	472
372	4364	13547	431
374	4366	13548	443
375	4367	13549	472
377	4369	13197	465
380	4372	13552	421
382	4374	13554	443
383	4375	13555	443
385	4377	13557	460
387	4379	13559	454
390	4382	13228 13228a	474
391	4383	13561	467
392	4384	13140	478
393	4385	13230	477
397	4389	13340	517
399	4391	13307	475
402	4394	13565	431
403	4395	13566	443
405	4397	13236	479
407	4399	13569	452
408	4400	13224	473
410	4402	13571	478
411	4403	13231	476
412	4404	13229	471
413	4405	13227	471
414	4406	13235	471
416	4408	13573	431
419	4411	13250	479
420	4412	13252	480
422	4414	13256	481
423	4415	13254	482
431	4423	13582	480
433	4425	13583	483
435	4427	13261	482
439	4431	13273	529
440	4432	13587	529
441	4433	13051	424
443	4435	13590	483
445	4437	13065	426
446	4438	13591	426
447	4439	13283	508
448	4440	13277	505
451	4443	13278	506
455	4447	13286	509
457	4449	13596	511
458	4450	13597	517
462	4454	13285	510
465	4457	13601	485
466	4458	13292	511
466 bis	4459	13298	513
467	4460	13284	509
469	4462	13304	514
471	4464	13602	556
477	4467	13608	512
479	4469	13610	517
480	4470	13611	518
481	4471	13322	518
486	4476	13616	521
487	4477	13617	522
488	4478	13618	522
489	4479	13619	522
490	4480	13334	524
491	4481	13337	523
497	4487	13623	526
499	4489	13625	421
500	4490	13626	421
501	4491	13347	527
502	4492	13348	528
504	4494	13076	446
505	4495	13353	529
507	4497	13338	524
508	4498	13630	479
511	4501	13359	530
512	4502	13633	485
513	4503	13634	429
514	4504	13327	519
515	4505	13635	520
517	4507	13249	533
518	4508	13636	532
519	4509	13360	532
520	4510	13361	533
521	4511	13363	534
522	4512	13364	535
523	4513	13366	535
525	4515	13637	530
530	4520	—	519
531	4521	13316 13320	525
535	4525	13642	531
536	4526	13643	537
537	4527	13644	537
538	4528	13645	538
539	4529	13646	537
540	4530	13647	422
541	4531	13648	517
542	4532	13649	517
543	4533	13305	515
544	4534	13650	515
545	4535	13651	516
546	4536	13309	516
547	4537	13652	546
548	4538	13653	421
549	4539	13349	525
551	4541	13377	539
552	4542	13655	525
553	4543	13336	525
554	4544	—	525
555	4545	13317	525
556	4546	—	536
557	4547	13657	545
559	4549	13659	536
560	4550	13392	544
561	4551	13392a	545
563	4553	13387	542
564	4554	13383	540
568	4558	13381	539
569	4559	13382	540
579	4569	13388	542
581	4571	13666	529
582	4572	13406	554
586	4576	13670	442
587	4577	13671	484
592	4582	13676	546
595	4585	13679	555
596	4586	13680	556
597	4587	13681	556
601	4591	13683	538
602	4592	13684	538
603	4593	13362	538
604	4594	13405	529
605	4595	13375	566
606	4596	13685	566
607	4597	13686	556
608	4598	13687	425
610	4600	13378	557
613	4603	13690	538
614	4604	13691	541
615	4605	13306	546

II.

P	L IV	B	pag.
12241	49	2044	169
12243	—	—	172
12244	—	—	172
12248	cur 130	3046	73, 199
12249	67	2062	169
12255	—	—	257
12257	—	—	566
12264	96	2091	211
12264 a	—	—	211
12264 b	—	—	211
12264 c	97	2092	211
12264 d	98	2093	211
12266	131	2126	137
12268	—	—	188
12268 a	—	—	188
12278	—	—	566
12289	138	2133	137
12304	164	2159	186
12312	—	—	175
12314	—	—	310
12324	—	—	139
12325	216	2212	189
12341	cur 32	2918	192
12359	—	—	277
12362	267	2263	211
12363		—	278
12367	293	2289	101
12371	—	—	293
12373	330	2326	197
12378	332	2328	199
12379		—	567
12383		—	273
12385	cur 36	2952	203
12386	cur 35	2951	201
12387	359	2355	201
12390		—	257
12391	—	—	189
12395	—	—	360
12402	—	—	565
12403	378	2371	209
12404	377	2373	208
12405	cur 40	2956	209
12406	cur 38	2954	209
12407	cur 37	2953	209
12408	cur 41	2957	209
12409	cur 39	2955	209
12412	—	—	565
12414	cur 42	2958	209
12419	—	—	566
12421	433	2429	214
12423	437	2433	215
12424	—	—	215
12425	—	—	273
12433	445	2441	218
12441	—	—	209
12447	897	2895	223
12448	898	2896	224
12449	899	2898	224
12450	899	2899	224, 520

P	L IV	B	pag.
12452	cur 53	2969	224
12454	—	—	226
12456	cur 48	2964	184, 234
12458		—	565
12462	—	—	273
12465	—	—	211
12465 a	—	—	211, 566
12466	—	—	209
12473	cur 84	3000	240
12475	cur 79	2995	242
12478	534	2531	243
12479	cur 85	3001	243
12484	585	2582	273
12500	596	2593	250
12501	—	—	251, 257
12502	648	2645	252
12505	cur 114	3030	255
12507	620	2617	259
12508	626	2623	258
12509	718	2716	258
12514	700	2698	264
12515	672	2670	266
12516	671	2669	152, 266
12517	670	2668	265
12518	677	2675	266
12520	738	2736	268
12526	cur 113	3029	280
12527	744	2742	272
12531	722	2720	264
12537	756	2754	275
12538		—	289
12540	cur 109	3025	276
12544	762	2760	277
12546	cur 113	3029	280
12547	—	—	567
12548	797	2795	287
12549	cur 131	3047	73, 200
	L V		
12550	459	3509	324
	L IV		
12555	848	2846	283
12564	—	—	213
12565	878	2876	292
12567	806	2804	289
12573	cur 124	3040	288
12574	cur 125	3041	289
	cur 127	3043	290
	cur 128	3044	291
12579	828	2826	259
12580	841	2839	567
12583	863	2861	294
12586	852	2850	295
12587	855	2853	567
12588	856	2854	567
	L V		
12592	—	—	290, 567
12593	11	3060	295
12596	28	3077	297
12597 a	—	—	566

P	L V	B	pag.
12599	14	3063	298
12607	—	—	354
12610	—	—	408
12611	—	—	408
12617	—		305
12619	85	3134	306
12622	60	3109	304
12626	48	3097	302
12639	164	3213	306, 567
12645	84	3133	306
12650	109	3158	306
12652	—	—	566
12655	—	—	300
12661	149	3198	308
12668	172	3221	310
12669	174	3223	310
12670	173	3222	310
12671	175	3224	310
12672	176	3225	310
12673	161	3210	308
12680	189	3238	310
12684	249	3298	310
12686	188	3237	310
12687	207	3256	310
12692	—	—	305
12694	—	—	568
12718	240	3289	318
12724	309	3359	567
12726	257	3306	502
12730 a	—	—	214, 321
12731	337	3387	322
12732	348	3398	298
12734	—	—	320
12736	353	3403	320
12738	—	—	568
12739, 12740	365	3415	324
12749	cur 20	4070	326
12750	cur 21	4071	327
12751	cur 19	4068	330
12752	cur 13	4062	327
12753	cur 14	4063	328
12754	cur 15	4064	328
12755	cur 16	4065	329
12756	cur 19bis	4069	331
12757	cur 17	4066	329
12758	cur 18	4067	330
12759	cur 22	4072	331
12759 a	424	3474	325
12763	cur 31	4081	326
12764	cur 25	4075	326
12765	cur 26	4076	326
12767	380	3430	334
12768	cur 12	4061	332
12769	cur 23	4073	333
12770	cur 24	4074	334
12770 a	cur 27	4077	326
12771	cur 32	4082	326
12772	cur 29	4079	326

P	L V	B	pag.
12773b	–	–	396
12773c	–	–	396
12776	152	3502	197. 308
12777	142	3492	401
12778	143	3493	404
12780	144	3494	404
12803	191	3514	339
12806	cur 37	4087	339
12807	185	3535	567
12808	184	3534	567
12811	524	3574	340
12813	cur 39	4089	341
12814	cur 38	4088	341
12815	cur 42	4092	341
12816	522	3572	342
	526	3576	342
12817, 12818	525	3575	343
12819	cur 39	4089	341
12821	–	–	407
12823	523	3573	344
12824	528	3578	343
12825	529	3579	344
12826	524	3574	345
12827	527	3577	343
12828	528	3578	343
12831	542	3592	346
12832	543	3593	346
12837	584	3633	349
12838a	–		367
12839	575	3624	347
12839a	–	–	377
12842	594	3643	353
12843a	–	–	367
12844	597	3646	356
12851		–	357
12852		–	357
12856	–	–	351
12858		–	352
12860	–	–	453
12869	663	3712	299. 567
12870	664	3713	299. 567
12871	909	3957	567
12874	732	3780	365
12875	733	3781	366
12882	–	–	357
12883		–	357
12884			357
12885	809	3857	388
12893	730	3778	374
12894	731	3779	374
12899, 15331		–	381
12901	cur 44	4094	379
12903	cur 45	4095	381
12905	cur 46	4096	383
12908		–	383
12910	cur 47	4097	384
12916	801	3849	386

P	L V	B	pag.
12917	814	3862	391
12918	817	3865	392
12919	813	3861	390
12920	812	3860	389
12921	810	3858	389
12922	811	3859	389
12925	–	–	391
12927	832	3880	392
12928	968	4015	395
12931	840	3888	396
12934a	969	4016	397
12935	837	3885	374
12936	838	3886	374
12937	839	3887	374
12939	–		568
12940	857	3905	389
12941	cur 53	4103	399
12942	cur 51	4101	400
12943	cur 57	4107	401
12954	–	–	393
12955	868	3916	403
12956	cur 52	4102	405
12960	–	–	566
12961	908	3956	408
12965	919	3967	409
	L VI		
12976a	–	–	566
12978a	–	–	352
12984-12987	cur 1-18	1662-1679	411
12988			404
12992	–		416
12994	249	4241	412
12997	–	–	530
13000			517
13002a	–		410
13007	cur 20	1681	413
13008	–	–	416
13010	–	–	521
13015		–	423
13016	–	–	423
13017	–	–	423
13019	648	4638	416
13022	141	4133	417
13027	173	4166	418
13029	196	4188	419
13030	199	4191	420
13031	205	4197	419
13031a	180	4173	420
13032b		–	466
13041	200	4192	517
13043	150	4142	422
13048	192	4184	423
13051	141	4133	424
13053	189	4181	425
13058	253	4245	425
13059	254	4246	426
13060	–	–	492. 543
13061	180	4173	420

P	L VI	B	pag.
13065	145	4137	426
13068	217	4209	428
13076	501	4494	446
13077	219	4211	430
13078	220	4212	429
13079	–	–	419
13088	245	4237	441. 442
13089	237	4229	431
13090	240	4232	431
13091	241	4233	432
13092	233	4225	433
13093	261	4253	433
13096	255	4247	433
13097	256	4248	434
13098	257	4249	434
13106	243	4235	434
13107	265	4258	437
13108	–	–	442
13109	287	4279	437
13110	cur 22	1683	434
13111	246	4238	438
13112	247	4239	439
13113	248	4240	439
13114	–	–	442
13115			440
13117	–	–	442
13119	251	4243	441
13120	358	4350	440
13121	359	4351	440
13122	245	4237	441. 442
13125	266	4259	443
13126	267	4260	443
13127	268	4261	443
13128	269	4262	443
13129	291	4283	442
13130	302	4294	443
13131	262	4254	444
13132	310	4302	446
13134	279	4271	445
13135	280	4272	445
13136	281	4273	445
13138	288	4280	447
13139	278	4270	448
13140	392	4384	478
13148a		–	396
13149	277	4269	449
13154	272	4265	448
	273	4265	448
13153	–	–	449
13155	285	4277	451
13156	289	4281	450
13156a	285	4277	451
13158	284	4276	452
13163	–	–	469
13168	cur 25	1686	455
13169	cur 26	1687	455
13173	–	–	446
13180	324	4316	458
13181	320	4312	459

P	L VI	B	pag.
13182	—	—	469
13183	323	4315	460
13187	354	4346	462
13188	364	4356	463
13190	336	4328	464
13192	—	—	362. 456
13193	346	4338	465
13194	—	—	465
13195	—	—	566
13197	377	4369	465
13198	340	4332	466
13199	342	4334	468
13200	—	—	469
13201	352	4344	467
13202	341	4333	469
13203	—	—	449
13209	—	—	469
13213	348	4340	470
13214	367	4359	475
13215	370	4362	471
13216	371	4363	472
13217	369	4361	471
13218	—	—	465
13224	408	4400	473
13227	413	4405	474
13228 et a	390	4382	474
13229.	412	4404	474
13230	393	4385	477
13231	411	4403	476
13233 a	—	—	566
13235	414	4406	474
13236	405	4397	479
13246 a	—	—	466
13247	—	—	568
13249	517	4507	533
13250	419	4411	479
13252	420	4412	480
13254	423	4415	482
13256	422	4414	481
13257	—	—	473
13258	—	—	568
13261	435	4427	482
13266	—	—	469
13268	—	—	469
13269	618	4608	483
13271	654	4644	486
13273	439	4431	529
13274	cur 27	4688	487
	cur 28	4689	495
	cur 29	4690	488
	cur 30	4691	488
	cur 31	4692	490
	cur 32	4693	489
	cur 33	4694	490
	cur 34	4695	494
	cur 35	4696	494
	cur 42	4703	491
	cur 43	4704	492
	cur 44	4705	496
13275	cur 41	4702	491
13276	—	—	493
13277	448	4440	505
13278	451	4443	506
13279	cur 40	4701	498
13280	cur 37	4698	493
13281	cur 38	4699	493
13283	447	4439	508
13284	467	4460	509
13285	462	4454	510
13286	455	4447	509
13287	cur 36	4697	497
13289	cur 45	4706	497
13290	cur 48	4709	502
13291	cur 50	4711	499
13292	466	4458	511
13295	cur 63	4721	503
13296	cur 64	4725	503
13298	466 bis	4459	513
13300	616	4606	512
13304	469	4462	514
13305	543	4533	515
13306	615	4605	516
13307	399	4391	475
13309	546	4536	516
13310	cur 46	4707	495
13311	cur 47	4708	505
13314	—	—	525
13315	—	—	525
13316	531	4521	525
13317	555	4545	525
13318	—	—	525
13319	—	—	525
13320	531	4521	525
13321	—	—	469
13322	481	4471	518
13323	—	—	566
13327	514	4504	519
13328	649	4639	520
13334	490	4480	524
13336	553	4543	525
13337	491	4481	523
13338	507	4497	524
13339	630	4620	526
13340	397	4389	517
13347	501	4491	527
13348	502	4492	528
13349	549	4539	525
13351	663	4653	528
13353	505	4495	529
13354	—	—	543
13355	—	—	543
13357	—	—	469
13358	—	—	525
13359	511	4501	530
13360	519	4509	532
13361	520	4510	533
13362	603	4593	538
13363	521	4511	534
13364	522	4512	535
13366	523	4513	535
13368	619	4609	525
13369	665	4655	536
13373	—	—	566
13374	—	—	525
13375	605	4595	566
13377	551	4541	539
13378	610	4600	557
13381	568	4558	539
13382	569	4559	540
13383	564	4554	540
13387	563	4553	542
13388	579	4569	542
13390	653	4643	544
13392	560	4550	544
13392 a	561	4551	545
13396	cur 68	4729	546
13397	cur 69	4730	547
13405	604	4594	529
13406	582	4572	554
13413	659	4649	555
13414	660	4650	556
13414 a	—	—	430
13417	24	4109	440
13423	33	4118	444
13444	153	4145	422
13445	154	4146	422
13448	161	4153	528
13449	162	4154	528
13458	174	4167	492
13459	175	4168	447
13461	177	4170	402
13465	185	4178	406
13467	188	4180	473
13475	206	4198	427
13476	207	4199	424
13480	221	4213	430
13481	222	4214	430
13482	226	4218	430
13485	229	4221	492
13487	232	4224	511
13489	238	4230	437
13493	258	4250	433
13494	259	4251	432
13495	260	4252	433
13504	286	4278	452
13505	292	4284	453
13506	293	4285	527
13507	295	4287	527
13508	296	4288	527
13515	306	4298	423
13516	307	4299	423
13523	326	4318	419
13525	328	4320	517
13526	329	4321	461
13527	330	4322	461
13528	331	4323	457
13529	332	4324	458